This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

pertinet ad theologos Tulannenses

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUS PRACTICUS

In

ACTORUM APOSTOLICORUM

Per

LUCAM EUANGELISTAM deſcriptorum

Capita poſteriora duodecim

Studio & operâ

CASPARI STRESONIS Anhaltini,
verbi divini miniſtri.

CVI. *Concionibus florentiſſimæ Eccleſiæ Hagienſi propoſitus & in uſum Candidatorum SS. Miniſterii prælo ſubjectus.*

AZ 7010
(1)



BIBL: STUD: ACAD: LAUS:

AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM.

Anno CIↃ IↃC LV.

Digitized by Google

R003129172
Dm 5[illegible] 4

Digitized by Google

Magnificis, Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Spectatiſsimis, Conſultiſsimis, Prudentiſsimiſque Viris

Dn. Dn. Præſidibus ac Senatoribus utriuſque *Dicaſterii*, in Hollandia, Zelandia & Weſt-Friſia, *Supremi & Provincialis*, Juſtitiæ defenſoribus ſtrenuiſſimis.

Dn. Dn. Conſiliariis Cameræ Rationum Hollandiæ Præfectis digniſſimis.

Dn. Dn. Prætori, Conſulibus, Scabinis ac Rectoribus Reipublicæ Hagienſis graviſſimis.

NEC NON

Reverendis, Nobiliſſimis, Spectatiſſimis, Clariſsimis, Doctiſsimis Pientiſsimiſque Viris

Dn. Dn. Paſtoribus ac Senioribus Eccleſiæ Hagienſis, Synedrii Aſſeſſoribus, Salvificæ doctrinæ & Sacræ diſciplinæ Curatoribus fideliſſimis.

Dominis ac Patronis,
Symmyſtis ac Fratribus.

Omni animi obſervantiâ colendis

Digitized by Google

GRAVISSIMI VIRI

Etſi non omnes, qui publica tractant negotia, ejuſdem ſunt ordinis, poteſtatis atque officii, tamen communem habent curam, præ omnibus curis divinitus ſibi injunctam, ut in quieta Republica Religioni bene ſit & Eccleſiæ. Sicut enim non alio fine domus ædificatur, conſervatur, ornatur, quàm ut familiæ ſuæ conſtent commoditates, ita nemo verè generoſus publicas res tractat alia intentione, quàm ut Eccleſiæ condat hoſpitium commodum atque tutum, in quo ſuum per divinitus ordinata media capiat augmentum, divini nominis gloriæ & animarum ſaluti idoneum & neceſſarium. Quis quæſo, rationis non impos, tantos publicorum officiorum labores, tantis privatorum, in momenta publicarum curarum non penetrantium, invidiis & obtrectationibus obnoxios, eo tantum animo in ſe ſuſcipiat, ut, quæ caduca ſunt, & ſua ſponte ruent, ſuis curis conſerventur, donec ipſe vivat? Sint ſanè per pauci, qui ſenſum Numinis, & ſpem metumve æternitatis adeò omnem ex animo ſuo eluerint, ut ultra commoditates hujus vitæ nihil quærant ſublimius, ſed harum caduca dulcedine contenti nullam detrectent invidiam, ut hoc voto potiantur: Verum iſtâ paucorum excæcatorum amentiâ brutali homo cordatus potiorem ducit communem humani generis conſenſum, quo omnes nationes atque populi, quantumvis efferi atque barbari, quantumvis vanis mediis atque ridiculis ad æternam adſpirant vitam, eoque ſolum fine Reipublicæ

blicæ politicam pacem tantis animorum contentionibus conſervare ſtudent, ut illam ſibi ſuiſque poſteris ſervent religionem, quâ æternitatem ſe obtinere poſſe ſibi perſuadent. Eſt, fateor, in ipſa natura aliquis horror atque metus ab iſtis malis, quæ bella & rerum publicarum confuſiones ac devaſtationes ſecum trahunt, & quibus ipſam hanc vitam morte reddunt acerbiorem, ſed tamen, qui perplexis & moleſtiſſimis Reipublicæ negotiis cum ſinceritate intercedere audent, non hoc ſolum metu, ſi ſapiunt, urgentur, ſed id, ut dixi, ſpectant potiſſimum, ut nobis noſtriſque tutum pateat ad immortalitatem iter. Atque hic finis, hæc intentio primum eſt cordati viri, qui publicis ſe ingerit negotiis, indicium, quo tamen ſolo de vera ejus ſapientia non conſtat, niſi & illud accedat, ne pari affectu in Orthodoxiam & Heterodoxiam ſe effundat, ſed ut ex omnibus religionibus atque, ut ſe dictitant, Eccleſiis eam ſibi tuendam, propagandam, ornandam, & in monte ponendam eligat, quæ teſtimonio nititur certo, quæ indubios habet divinitatis characteres, quæ veritatem docet ad pietatem utilem, tantoque ſcopo obtinendo ſufficientem, quæ pietatis vera oſtendit media peccatorumque idonea remedia, quæ ſolatium in vita & morte ſuppeditat firmum, quæ denique à blaſphemis in Deum opinionibus & exercitiis immunis ſit. Futiles enim ſunt, atque ſe ipſos redarguunt, qui id ſibi ſolum negotii datum credunt in religionis negotio, ut unicuique conſtet ſua libertas Deum colendi, & immortalitatem quærendi

Digitized by Google

pertinet ad theologos Lausannenses

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIUS PRACTICUS

In

ACTORUM APOSTOLICORUM

Per

LUCAM EVANGELISTAM deſcriptorum

Capita poſteriora duodecim

Studio & operâ

CASPARI STRESONIS Anhaltini, verbi divini miniſtri.

CVI. *Concionibus florentiſſimæ Eccleſiæ Hagienſi propoſitus & in uſum Candidatorum SS. Miniſterii prælo ſubjectus.*

AZ 7010
(1)



BIBL: STUD: ACAD: LAUS:

AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM.

Anno CIↃ IↃC LV.

Digitized by Google

Rcc 3129172

Digitized by Google

Magnificis, Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Spectatiſsimis, Conſultiſsimis, Prudentiſsimiſque Viris

Dn. Dn. Præſidibus ac Senatoribus utriuſque *Dicaſterii*, in Hollandia, Zelandia & Weſt-Friſia, *Supremi & Provincialis*, Juſtitiæ defenſoribus ſtrenuiſſimis.

Dn. Dn. Conſiliariis Cameræ Rationum Hollandiæ Præfectis digniſſimis.

Dn. Dn. Prætori, Conſulibus, Scabinis ac Rectoribus Reipublicæ Hagienſis graviſſimis.

NEC NON

Reverendis, Nobiliſsimis, Spectatiſsimis, Clariſsimis, Doctiſsimis Pientiſsimiſque Viris

Dn. Dn. Paſtoribus ac Senioribus Eccleſiæ Hagienſis, Synedrii Aſſeſſoribus, Salvificæ doctrinæ & Sacræ diſciplinæ Curatoribus fideliſſimis.

Dominis ac Patronis,
Symmyſtis ac Fratribus.

Omni animi obſervantiâ colendis

Digitized by Google

GRAVISSIMI VIRI

ETſi non omnes, qui publica tractant negotia, ejuſdem ſunt ordinis, poteſtatis atque officii, tamen communem habent curam, præ omnibus curis divinitus ſibi injunctam, ut in quieta Republica Religioni bene ſit & Eccleſiæ. Sicut enim non alio fine domus ædificatur, conſervatur, ornatur, quàm ut familiæ ſuæ conſtent commoditates, ita nemo verè generoſus publicas res tractat alia intentione, quàm ut Eccleſiæ condat hoſpitium commodum atque tutum, in quo ſuum per divinitus ordinata media capiat augmentum, divini nominis gloriæ & animarum ſaluti idoneum & neceſſarium. Quis quæſo, rationis non impos, tantos publicorum officiorum labores, tantis privatorum, in momenta publicarum curarum non penetrantium, invidiis & obtrectationibus obnoxios, eo tantum animo in ſe ſuſcipiat, ut, quæ caduca ſunt, & ſua ſponte ruent, ſuis curis conſerventur, donec ipſe vivat? Sint ſanè per pauci, qui ſenſum Numinis, & ſpem metumve æternitatis adeò omnem ex animo ſuo eluerint, ut ultra commoditates hujus vitæ nihil quærant ſublimius, ſed harum caduca dulcedine contenti nullam detrectent invidiam, ut hoc voto potiantur: Verum iſtâ paucorum excæcatorum amentiâ brutali homo cordatus potiorem ducit communem humani generis conſenſum, quo omnes nationes atque populi, quantumvis efferi atque barbari, quantumvis vanis mediis atque ridiculis ad æternam adſpirant vitam, eoque ſolum fine Reipu-

blicæ

Digitized by Google

blicæ politicam pacem tantis animorum contentionibus conſervare ſtudent, ut illam ſibi ſuiſque poſteris ſervent religionem, quâ æternitatem ſe obtinere poſſe ſibi perſuadent. Eſt, fateor, in ipſa natura aliquis horror atque metus ab iſtis malis, quæ bella & rerum publicarum confuſiones ac devaſtationes ſecum trahunt, & quibus ipſam hanc vitam morte reddunt acerbiorem, ſedtamen, qui perplexis & moleſtiſſimis Reipublicæ negotiis cum ſinceritate intercedere audent, non hoc ſolum metu, ſi ſapiunt, urgentur, ſed id, ut dixi, ſpectant potiſſimum, ut nobis noſtriſque tutum pateat ad immortalitatem iter. Atque hic finis, hæc intentio primum eſt cordati viri, qui publicis ſe ingerit negotiis, indicium, quo tamen ſolo de vera ejus ſapientia non conſtat, niſi & illud accedat, ne pari affectu in Orthodoxiam & Heterodoxiam ſe effundat, ſed ut ex omnibus religionibus atque, ut ſe dictitant, Eccleſiis eam ſibi tuendam, propagandam, ornandam, & in monte ponendam eligat, quæ teſtimonio nititur certo, quæ indubios habet divinitatis characteres, quæ veritatem docet ad pietatem utilem, tantoque ſcopo obtinendo ſufficientem, quæ pietatis vera oſtendit media peccatorumque idonea remedia, quæ ſolatium in vita & morte ſuppeditat firmum, quæ denique à blaſphemis in Deum opinionibus & exercitiis immunis ſit. Futiles enim ſunt, atque ſe ipſos redarguunt, qui id ſibi ſolum negotii datum credunt in religionis negotio, ut unicuique conſtet ſua libertas Deum colendi, & immortalitatem quæ-

Digitized by Google

rendi eo modo, iiſque mediis, ad quæ impellit ſtimulus conſcientiæ, cum vel experientiâ conſtare debeat omnibus cordatis, quod ipſis hominum conſcientiis incumbat aliqua peſtis & poteſtas, quâ ad talia inſtigantur, quæ Deo ac ſaluti contraria ſunt, niſi illuminentur per religionem ex cœlo revelatam. Hanc religionem à cæteris dignoſcere atque diſcernere, hanc omni conatu tueri ac propagare hoc opus hic labor eſt, hic ſolus & unicus finis eorum, qui animo ſincero rem aggrediuntur publicam. Non moranda hic ſiniſtra illa improperatio crudelitatis, quæ in faciem eorum ſolet exſpui, qui indulgentiam errandi, & ſecundum errores vivendi atque agendi improbant. Inter enim indulgentiam errorum & perſequutionem errantium latum eſt interſtitium. Non ex Chriſti, ſed ex Anti-Chriſti ſpiritu ille zelus eſt, qui ferro & flammis promiſcuè graſſatur in omnes, qui ab aliorum opinionibus diſſentiunt ſine apertis & intolerabilibus in Deum blaſphemiis, & ſine malitioſo conatu evertendi pacem publicam, idque tantò magis, ſi non à veritate, ſed ab erroribus diſſentiunt. Veruntamen tener iſte in errantes affectus & circumſpecta caritas apud cordatos non degenerat in lentorem, quo veritati ſalvificæ ſua derogentur præ erroribus privilegia, & Eccleſiæ Chriſti ſuæ præ turbis deviis prærogativæ, quoque negligatur ille in Deum & veritatem zelus, illa in Eccleſiam veram charitas, quæ ſe exſerere debet per dextram atque indefeſſam repreſſionem ejus petulantiæ & audaciæ, quæ omnem à veritate deviationem individuo comitatu ſequi ſolet, ad ſpargendum propagandumque erroris venenum, & ad

vexan-

Digitized by Google

vexandam veræ Eccleſiæ pacem atque ædificationem, præſertim in iis, qui talium gregum duces ſeſe præbent & coryphæos. Nec indulgentia, quæ præter neceſſitatis patientiam eſt, hac in parte melius habet, quam illa quorundam parentum, quâ voluntati liberorum ex amore indulgent id, quo pereunt. Non hæc diſſeruntur, *Viri Graviſſimi*, tali in loco, ubi controverſum & deliberationi ſubjectum eſt, quem locum debeat habere Eccleſia Chriſti in Republica Chriſtiana, ut conſiliis opus ſit & argumentis, ſed ubi per Dei gratiam & ſupremi magiſtratus pietatem atque prudentiam vera Chriſti Eccleſia, ſecundum verbum Prophetarum & Apoſtolorum Reformata, eum locum poſſidet, eoque ſtatu fruitur, quo non alium celſiorem & tutiorem optat, ſed id tantum agit, ut ſe erga Deum & Rempublicam ita gerat, ne quid ſuo loco faciat indignum, utque ſuum jus, cujus poſſeſſione gaudet, tueatur ac teſtatum reddat, non tantum per argumenta ex regulis & dictamine divinæ legis petita, ſed etiam per vitam veræ Eccleſiæ indicem, & divinæ in Rempublicam benedictioni impetrandæ idoneam. In utraque hac demonſtratione Eccleſiæ Paſtores & verbi divini Miniſtri gravi obligatione tenentur duces ſe præbere atque typos, nec alio nomine felices ſunt, quam ſi hâc in re fidelitatis ſuæ Deo ante omnia, conſcientiæ ſuæ tribunali, Eccleſiæ cui ſerviunt, & auctoritati cui ſubſunt, tum politicæ, tum Eccleſiaſticæ, dignam & ſolidam poſſunt reddere rationem. Flagitare nunc videtur orationis ſeries, ut ad me ipſum deflectam, ac de meo hac in re ſtudio & conatu aliquid dicam, atque quo pacto in hoc ſtadio meas impleverim partes ediſſeram.

Sed

Digitized by Google

Sed me retinet decens Chriſtianum humilitas, & hominem modeſtum verecundia. Etſi enim Chriſtianus, qui in opere ſuo ſincerus eſt, ſinceritatis ſuæ conſcientiam apud ſe habere poteſt tantam, quanta ad retundendum conſcientiæ morſus, Satanæ tentationes, Dei probationes, mortis & ultimi judicii terrores, nec non ad parrheſiam & Chriſtianam gloriationem coram Deo & hominibus ſufficit, eatamen humilitatis & verecundiæ in animum Chriſtianum vis eſt, ut in illa parrheſia & gloriatione ſe non extendat ultra neceſſitatem; nec quiſquam plus ſibi de ſe ipſo metuat, quàm qui de Dei in ſe gratia ac veritate confidentiſſimè certus eſt. Sufficit mihi eorum, quæ vivus præſtiti, aliquid manere in oculis Eccleſiæ, quod de ſinceris meis conatibus teſtetur. Atque hoc fine in lucem profero partem alteram mearum meditationum, quæ non in ACTA SANCTORUM APOSTOLORUM intuli, ſed ex illis erui ac demonſtravi. In hujus Divini libri & materiarum eo contentarum laudem atque commendationem aliquid dicere nihil attinet. Res ipſa enim loquetur. Toto ferè tempore, quo florentiſſimæ Eccleſiæ Hagienſi pro viribus ſervivi, hic me liber, etſi non ſolus, occupatum habuit, & in omnibus caſibus ac calamitatibus, quà publicis, quà privatis, qui iſtos annos afflixerunt, varii ſanè & graviſſimi, mihi, mecumque ſpero multis, inter ſpecula fuit, quæ in caſibus modernis priſtinam Domini Jeſu Chriſti curam ac providentiam in Eccleſiam ſuam nobis ob oculos poſuerunt, & cynoſura illuſtris, cujus ductu hoc procelloſum noſtræ peregrinationis pelagus cum Apoſtolis Domini,

præſer-

Digitized by Google

præſertim cum magno illo Doctore Gentium emenſi ſumus, ut ſæpe me ceperit iſta cogitatio, quod illud in monte Sina Moſi exhibitum divinum ſchema non magis fuerit veteris tabernaculi ædificandi exemplar, quàm Actorum Apoſtolicorum volumen Eccleſiæ Novi Teſtamenti ædificandæ, regendæ & protegendæ, omnibus ad hoc vocatis forma eſt atque typus, in quo certè nec vola nec veſtigium eſt illius Hierarchicæ Tyrannidis, quàm aula Romana nobis ferro & flammis ſatagit obtrudere, nec ulla mentio Seſſionis Petri in Epiſcopatu Romano, quæ Papiſticæ fidei unica baſis eſt (cum tamen, fatentibus Papis, iſta hiſtoria ſeſe extendat uſque ad paucos annos antè obitum D. Petri) nec ulla imago iſtius licentiæ propheticæ, qua ſpiritus Catabaptiſticus Rempublicam & Eccleſiam ſcindere ac turbare, & ab hac ſua turbulentia omnem politici Magiſtratus inſpectionem & cohibitionem profligare ſatagit: nec denique ulla umbra abſoluti illius Politiæ in Eccleſiam Chriſti Dominii, quod illi ſubdolè inſtillant, qui id agunt, ut hac adulatione Eccleſiam veram ſuo deturbent loco, & publicæ poteſtatis paternum patrocinium in indifferens atq; promiſcuum Religionum Chaos derivent. Nec tantum in rebus Ordinis & Regiminis hic liber nobis prudentiæ ſpeculum eſt, ſed & ſalvificæ doctrinæ expreſſiones habet adeò lucidas, ut inter ſacros libros eminere videatur, quantum jubar meridianum inter partes diei. In Theoreticis myſteria fidei ſolaribus planè radiis ſcribit atque pandit, ut auſim dicere, quod amiſſo ſymbolo Apoſtolico ex hoc uno libro in ſtaurari poſſit Catholica fides; tantum

Digitized by Google

tum abeſt, ut tota ſacra Scriptura ad ſalutarem inſtructionem non ſufficiat ſine traditionibus non ſcriptis. In practicis ſtudium bonæ conſcientiæ hic liber & tàm acriter urget, & tàm dextrè regit, ut inter utrumque Chriſtianæ libertatis extremum viam Domini inoffenſo pede decurrere, & citra illud ſpinoſum, intricatum, nulliſque finibus circumſcriptum curſus ſui examen, ac mille ſignorum ſcrupuloſam trutinationem, qua ſe torquent atque impediunt multi, ſuæ ſalutis ſenſum ac ſufficientem certitudinem, indeque natum animi in vita & morte ſolatium, comparare ſibi Lector poſſit. Apud vos autem, Viri omnium Ordinum Excellentiſsimi, præcipuè meum in hunc librum qualemcunque laborem ea, qua par eſt, reverentia depono, magnoque veſtro nomini dedico atque inſcribo, quòd in iſto illuſtri Horiſonte, in quo hoc curſu defünctus ſum, & in quo fulgentiſsima quæque ſydera vices ſuas ſæpè commutant, omnium conſtantiſsimè fulſiſtis, & ſpeciali benignitate atque influxu mihi, meiſque in opere Domini Collaboratoribus affulſiſtis. Deus vobis omnibus, & per vos, Hagienſi præſertim, Reipublicæ & Eccleſiæ æterna benedictione ut benedicat, ex intimis precor animi penetralibus. Dabam Hagæ-Comitum ex Muſæo menſe Aprili anno M D C L V.

VV. M. N. & A.
VV. R. D.

Humilimus in Domino ſervus

CASPARUS STRESO.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Benevole Lector.

Nihil eorum repetò, quæ de ſtilo, modo ac materia hujus ſcripti ad priorem partem apud te præfatus ſum, ſed tibi eorum probè memori omnem æquitatem confido. De indice tantum aliquid moneo, quem utrique parti præfixi. Intelligo multos malle indicem alphabeticum, qualis vulgò ſolet publicis ſcriptis ſubjungi. Illis hoc unum in mentem revoco, quod in commentariis Biblicis non tantum illa ſpectanda, quæ ad locos communes pertinent, & ad eos reduci poſſunt, ſed præcipuè ſacræ ac ſingulares phraſes atque expreſſiones, earumque enucleationes & applicationes, quæ omnia ad alphabeticum ordinem reducere non ita commodum atque utile eſt. Ex illo, quem tibi exhibeo, materiarum indice, etiam ſine ipſius libri volutatione, facillimo negotio unuſquiſque omnem utiliorem materiam poterit reducere ad illos ordines atque titulos, quibus ipſe aſſuevit. Aliud præterea aliquid eſt, quod te volo monitum. Novit Lector quicunque prudens, Conciones publicas neceſ-

ſario

Digitized by Google

ſario accommodandas eſſe diverſitati temporum quibus fiunt, undè fit, ut, quæ tempore belli habitæ ſunt, aliquid ſecum trahant, cujus poſt reconciliatam pacem non ſatis grata eſt recordatio in publico. Studui hoc dare paci, ut, quantum fieri poſſet, quæ talia eſſent expurgarentur. Si quid non animadverſum adhuc redolet ſuam ætatem, de eo prudens Lector velim judicet cum æquitate. V.

ANA-

Digitized by Google

ANALYSIS GENERALIS

Cum Indice præcipuarum materiarum, quæ per ſingula capita tractantur.

CAP. XVII.

HOc capite continuatur deſcriptio ſecundi itineris Pauli. Poſtquam enim in fine cap. 15. & per totum caput 16. vidimus, quomodo Paulus Antiochiâ egreſſus viſitaverit Eccleſias primo itinere in Aſia plantatas, item quomodo conatus fuerit etiam in cæteris Aſiæ provinciis, quas primo itinere non attigerat, Euangelium prædicare & Eccleſias plantare, ſed per viſionem divinam impeditus & ex Aſia in Europam vocatus ſit, & Philippis Macedoniæ Eccleſiam plantaverit, hoc capite 17. adduntur tres alii gradus expeditionis Europææ, ſcilicet quid geſtum ſit Theſſalonicæ, Bereæ, Athenis.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

QUi acta Apoſtolorum tenentur imitari, tenentur eadem nôſſe, pag. 1. Non ſtatim ceſſandum à beneficio, cum lædimur à beneficiario. pag. 2. Conventus publicos agere die Sabbathi mos antiquus. *ibid.* Scriptura fons omnis doctrinæ de religione. Sed interpretatione opus habet. *ibid.* Chriſtum oportuit pati, pag. 2. 3. 4. Etiam Magnates mundi per Euangelium expugnari poſſunt, pag. 4. & 5. Quid Euangelii receptio, quid Euangelii rejectio, p. 5. 6. Otioſi homines duplices, p. 6. Zelus pro religione quadruplex, p. 6. 7. Dehortatio ab otio & hypocriſi, p. 7. 8. Prædicatio Euangelii non eſt contra politiam, p. 8. Judici quot modis ſatisfieri poſſit, p. 8. 9. Promptus ad credendum quid? p. 9. 10. Bereenſium Scripturæ ſcrutatio nos obligat. Exceptiones Pontificiorum, p. 10. Duo extrema in ſcrutatione Scripturæ cavenda populo, p. 11. Quid credere verbo, p. 12. Qualis fuerit Bereenſium nobilitas, p. 12. 13. Athenienſis urbis excellentia, p. 14. Sed ſine Euangelio inutilis, *ibid.* Mandata & ſanctiones Eccleſiaſticæ duplices, p. 14. 15. Sapientia humana hominem

Digitized by Google

nem non reddit propiorem divinæ, p. 15. Spiritualis exacerbatio contra peccata duplex, p. 16. Præſertim contra idololatriam, p. 17. Apud carnaliter ſapientes minus proficit Euangelium, p. 18. Sacerdotes & Philoſophi apud Ethnicos religionem curabant, *ibid.* Differentia inter religionem Epicureorum & Stoicorum, p. 19. Ante hoſtilem invaſionem adhibenda collatio amica, p. 20. Expoſitio vocis σπερμολόγος, p. 20. 21. Stoicos & Phariſæos confutat articulus de adventu Meſſiæ, Epicureos & Atheos articulus de reſurrectione mortuorum, p. 21. Quid novi dæmones? p. 22. De aviditate novitatis diſcurſus, p. 22. 23. 24. Titulis mundanis meliores ſpirituales, p. 24. Nimis religioſum eſſe quotupliciter fiat, p. 25. 26. 27. Colere Deum incognitum etiam Chriſtiani poſſunt, p. 28. 29. Etiam falſa religio melior Atheiſmo. Falſa religio duplex, errans & ſimulans, p. 29. De ſanctitate templorum, & quatenus Deus in illis habitet vel non, p. 30. 31. Quomodo omnia, quæ ſunt in mundo, dicantur facta a Deo? p. 32. Quomodo Deus Dominus omnium & Dominus ſolorum credentium? p. 32. Fides & recordatio noſtræ creationis inſigne medium Deum magnificandi & nos humiliandi, p. 33. Religio errans duplex eſt, cæca & luſca, p. 34. Θεραπεύειν, ſeu humanis donis & miniſteriis Deum velle colore ſtultum eſt & tamen uſitatum, p. 34. 35. 36. 37. Sicut Ethnici habebant Deos mediatores & inferiores, ita & Papiſtæ, *ibid.* Deus dat omnia omnibus, operatur omnia in omnibus, eſt omnia in omnibus, p. 38. Quid differunt ζωὴ & πνοὴ, & quomodo utrumque datur à Deo, p. 38. 39. Quatuor partes providentiæ ſuper omnes homines, p. 39. 40. Propagatio hominum eſt etiam creatio hominum, p. 40. Solus vir principium naturæ & peccati, p. 40. 41. Diſperſio hominum per terras & Dei conſilio & hominũ peccato facta, p. 41. Homines habitatores terræ, & tamen peregrini in terris, p. 41. 42. Utile eſt recordari quàm mirabiliter facti ſimus, p. 42. 43. Diſcrimen inter amorem quem omnibus debemus, & quem piis, p. 43. 44. 45. 46. Beatitudo non collocanda in terrenis, p. 46. De termino vitæ divinitus conſtituto, p. 46. 47. Diſtributio terrenarum poſſeſſionum fit divinitus etiamſi intercurrat humana fraus & violentia, p. 48. Quo fine Ethnici & barbari per librum naturæ invitentur ad Deum quærendum, p. 48. 49. 50. Explicatur quomodo omnes homines in Deo vivant, moveantur & ſint, & quomodo hoc differat ab inhabitatio-

Digitized by Google

ne Dei infidelibus, p. 50. 51 52. Ante cœnam Domini obſervanda fames per conſiderationem boni quod in illa obſignatur, p. 52. Veritas myſtica ex ſolis Scripturis confirmanda, ſed veritas naturalis etiam ex ſcriptoribus Ethnicis confirmari poteſt, p. 53. 54. Omnes homines ſunt genus Dei. Adam ante lapſum fuit genus Dei. Electi poſt converſionem præcipuè ſunt genus Dei, p. 54. 55. 56. 57. 58. Cultus idolorum & imaginum idem apud Ethnicos & Pontificios, nec excuſatur ab idololatria per uſitatas ipſorum diſtinctiones, p. 58. 59. 60. Tempora ignorantiæ quid p. 60. Quomodo Deus ſuper viderit ignorantiam, *ib.* Omnis ignorantia veræ religionis peccatum eſt, 61. Sed majus peccatum eſt ignorantia eorum quibus Euangelium prædicatur, p. 62. Converſio rectè dicitur reſipiſcentia, p. 63. Quibus Chriſtus Propheta eſt, iis etiam eſt judex, p. 64. Ultimum judicium fiet in juſtitia, ſed quæ ſtante mundo fiunt judicia, non fiunt in juſtitia, p. 65. Cur Filius potiùs judex quàm pater, idque ſecundum humanam naturam, p. 66. Ex reſurrectione Chriſti ex mortuis rectè demonſtratur, Chriſtum fore judicem mundi, p. 67. Verbi auditores triplices, illuſores, hæſitatores, credentes, *ibid.*

CAP. XVIII.

Athenis Corinthum profectus Paulus Eccleſiam inſignem ibi plantavit quæ urbs fuit ultima meta itineris ſecundi, quod Græcum voco, ex qua per Aſiam incepto Epheſi ædificationis opere, regreſſus eſt Hieroſolymam, & ſic ſecundum iter finivit. Peractis Hieroſolymæ negotiis tertium iter ingreſſus eſt, quod Epheſinum voco, quia hanc urbem habuit præcipuum hujus itineris ſcopum. Egreſſus itaque Hieroſolymâ Antiochiam venit, ibique paululum moratus Galatiam & Phrygiam peragravit, confirmandorum diſcipulorum causâ, Apollo interim cœptum Pauli opus apud Epheſios promovente, cujus deſcriptio per digreſſionem inſeritur.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

CORinthi urbis excellentia in tribus, p. 68. Cur Paulus à ſolis Corinthiis noluerit ſtipendium accipere pro prædicatione Euan-

Digitized by Google

Euangelii? p. 68. 69. Deus Euangelium gratis nobis mittit, ſed ſine culpa noſtra non aufert, p. 69. Quæ invenimus, non fiunt caſu, p. 70. Cur Judæi à Claudio Româ ejecti? *ibid.* Nemo magis miſer in mundo, quàm qui pietatem ſimulat, p. 71. Quando & quo fine Paulus opificium textorium didicerit, & an per hoc Paſtores Eccleſiæ adſtringantur ad laborem manuarium. Contra inertiam, p. 71. 72. Singula ſabbatha celebranda, p. 72. Prudentia in docendo, p. 73. Mali ſunt qui non recipiunt prædicationem verbi, ſed peſſimi qui non ferunt, *ibid.* Excuſſio pulveris, *ib.* Aliquis verus timor Dei poteſt eſſe in quibuſdam à vera religione alienis, 74. Severitas in docendo non impedit fructum, 75. Partes veræ fidei, *ibid.* Sicut Paſtores Eccleſiam, ita Patres-familiâs familiam tenentur docere, p. 76. Fides & confeſſio non ſeparanda, *ibid.* Quot modis Deus loquatur hominibus. Metus licitus & illicitus. Paſtores poſſunt ſilere etiam cum loquuntur, p. 77. Quot modis Deus nobiſcum. Electi ſunt populus Dei etiam ante converſionem, p. 78. Promiſſiones ſæpe videntur irritæ ſed nunquam ſunt, p. 79. 80. Doctrina Pauli & Senecæ toto cœlo differunt. Magiſtratus non debet eſſe judex cœcus, p. 80. Etſi lex peccatores damnat quos Euangelium juſtificat, tamen lex Euangelio non eſt contraria, p. 80. 81. An Paulus Gallionem agnoverit legitimum judicem controverſiarum de religione? p. 81. Quouſque Magiſtratui politico competat judicium de controverſiis religionis, p. 82. 83. Diſcurſus de amicitia, p. 84. 85. Diſcurſus de votis, p. 85. 86. 87. Cur Paulo Chriſtiano neceſſarium fuit feſtum Judaicum celebrare? p. 88. Apud infirmiores plus laborandum. Quid ſit roborare animas, & quomodo fiat, p. 89. 90. 91. 92. 93. De recreationibus, p. 93. 94. Non nimis hærendum in donis miniſtrorum verbi, p. 95. In deſtinatione juventutis ad ſtudium Theologiæ delectus ingeniorum habendus, p. 96. Eruditio & bonarum artium ſcientia Concionatori neceſſaria, p. 96. 97. Concionator debet eſſe potens in Scripturis, p. 97. 98. Item bene Catechiſatus in via Domini. Quid differant κατηχημένος & μεμυημένος, p. 98. 99. Concionari res difficilis, p. 100. Concionator debet eſſe fervens ſpiritu, & qui ſine ſpiritu eſt, non eſt ad concionandum idoneus, p. 100. 101. 102. 103. 104. Sic & omnes Chriſtiani debent eſſe ferventes ſpiritu, p. 104. 105. Boni Concionatoris requiſitum etiam eſt prudentia & diligentia, p. 106. Ultimum requiſitum boni Con-

Digitized by Google

Concionatoris eſt parrheſia. Ea duplex, p. 107. 108. Quo ſenſu Apollos ſolum baptiſma Johannis dicatur ſciviſſe, & quid ejus ſcientiæ defuerit, p. 108. 109. Diſcurſus de ignorantia, quotuplex ſit, quænam ſit damnabilis quæ non, p. 109. 110. 111. 112. 113. In Synagogis Judæorum triplex doctrina docebatur tempore Apolli, & Apollos, quantumvis in via Domini inſtitutus, nondum erat Chriſtianus ſed adhuc Judæus, p. 114. Cur etiam Priſcilla Apollum docuerit? *ibid.* Duplices viæ Domini, aliæ per quas ille venit ad nos, aliæ per quos nos ad illum, p. 115. Quænam illa, quæ diſcipulis Chriſti accuratius ſcienda fuerunt, quàm diſcipuli Johannis ſciverint & pii in V.T. 115. 116. 117. Vocatio miniſtrorum interna & externa, p. 117. Bonum miniſterium eſt res utilis, p. 118. Penitus convictum eſſe & tamen ſe nolle convertere grave peccatum, p. 118. Cur Apollum tantis laudibus cumulaverit Spiritus S. p. 118. 119.

CAP. XIX.

Paulus ex Phrygia Epheſum tandem delatus, primò duodecim diſcipulos, quos ibi invenit, in fide confirmavit, deinde per tres menſes in Synagoga Iudæorum docuit. Tandem hiſce ſeſe contra Euangelium indurantibus ab iis diſceſſit, & in ſchola Tyranni per biennium & ultrà tum Iudæos, tum Gentes docuit, doctrinamque ſuam multis confirmavit miraculis, idque magno cum ſucceſſu. Poſtremò propoſitum habens Epheſo pergendi in Macedoniam atque Achaiam, & inde revertendi Hieroſolymam, ſeditioſam populi perſequutionem paſſus eſt, concitante Demetrio, quam tamen Magiſtratus Epheſinus prudenter ſedavit.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

QUomodo qui diſcipuli erant poterant neſcire an ſit Spiritus S. p. 119. 120. Quid baptizari in baptiſma Johannis? p. 120. 121. Qua formula Johannes uſus fuerit in baptizando Chriſto, & quâ in baptizandis peccatoribus, p. 121. 122. An Johannis baptiſmus & baptiſmus Chriſti ac Apoſtolorum ſubſtantiâ differant? An ex hac hi-

Digitized by Google

ſtoria probari poſſit catabaptiſmus? & an hæc impoſitio manuum fuerit ſacramentum confirmationis, p. 122. 123. Increpatio ignorantiæ, p. 123. 124. Sacramenta ſine verbo inutilia ſunt, nec majoris æſtimanda quàm verbum, p. 124. Sacramenta non tantùm Dei gratiam nobis obſignant, ſed & nos Deo magis obligant ad fidem & pœnitentiam, p. 125. quæ ſint illa quæ ad regnum Dei pertinent, p. 126. Bonus Concionator debet eſſe & διαλεκτικὸς & πειστικός. Prius tamen magis neceſſarium, p. 127. Indurationis variæ ſpecies variique effectus. p. 128. Etiam de re mala non eſt malè loquendum niſi cum cautione, p. 129. Tam diu pax quam diu vitiorum diſſimulatio, *ibid.* Tractatur doctrina de ſchiſmate & ſeceſſione, quando neceſſaria ſit ſeceſſio, quando illicita, & quinam ſchiſmatis rei? p. 130. 131. 132. 133. Cultus N. T. non requirit locorum differentiam. Condere Scholas pium opus. Non tantùm die Sabbathi, ſed quotidiè agendi ſacri cœtus, p. 134. 135. Euangelium non tantùm debet propagari per Paſtores, ſed etiam per eorum auditores, p. 135. 136. Ignorantia ſermonis Chriſti noxia, p. 136. Cur miracula vocantur virtutes, *ibid.* Miracula non ſunt characteriſticum ſignum veræ Eccleſiæ. Quomodo hodie veritas doctrinæ probetur ſine miraculis, p. 137. Exorciſmus quid ſit, unde oriatur, & quotuplex ſit inter Gentes, Judæos, Chriſtianos, p. 138. 139. Pleraque mala in Eccleſia à Sacerdotibus, p. 140. Malis artibus miſeriam pellere ſæpe poſſibile, ſed nunquam licitum, p. 140. 141. Poteſtas Satanæ in homines triplex, p. 141. In nomine Chriſti dæmonia ejicere conantur multi qui tamen in Chriſtum non credunt, p. 142. Diaboli inter ſe bellum gerunt ſed ludicrum, ſuo lucro, p. 142. 143. Verbum Dei creſcit & invaleſcit multis modis, p. 144. 145. Hujus incrementi aliquot ſigna recenſentur, p. 145. ad 148. Quidam timor & quædam magnificatio nominis Dei etiam in improbis, p. 145. Confeſſio peccatorum triplex, 146. 147. Artes vanæ quæ. Cur libri vanarum artium combuſti. p. 147. Impedimenta propter quæ verbum prædicatum non creſcit nec invaleſcit, p. 148. Sæpe in pericula incidimus ubi ea videmur ſuperâſſe. p. 149. Chriſtianus ſuis actionibus præmittit prudens & pium propoſitum. Requiſita boni propoſiti, & quatenus bonum propoſitum ſufficiat ad ſalutem, p. 150. 151. 152. Etiam bona & rectè formata propoſita ſæpe non ſuccedunt, 153. Quænam fuerit illa θηριομαχία Pauli Epheſina

de

Digitized by Google

de qua 1 Cor. 15.32. an eadem cum hoc tumultu? p. 153. 154. Credere & tremere non ſunt ita contraria quin eodem tempore in uno Chriſtiano reperiantur, p.154.155. Tumultus duplex militaris & popularis, p.155. Religio via ad ſalutem, Chriſtus via ad ſalutem, qua cum differentia? p.155.156. Chriſtus eſt propria cauſa diviſionis quæ eſt in mundo, ſed non propria cauſa bellorum & tumultuum, p.156. 157. Propter afflictiones non eſt declinandus Chriſtianiſmus, p.157. 158. Hiſtorica quædam de Diana; de Templo Dianæ Epheſino, item de Templis à Demetrio aurifabro factis, p.158.159. Comparatio Papatus & Ethniciſmi. Quæſtus causâ nec amplectenda nec deſerenda religio, Religio Pontificia quæſtuoſa, p.160.161. Seditioſi bonum publicum prætendunt, privatum intendunt. Epheſiorum religio æquè fuit Catholica ac Papiſtarum, p. 161. Homo rationalis irrationalibus beſtiis multis modis fit ſimilis, p.162. Impii ſolâ externâ diſciplinâ reguntur, pii, etſi & ipſi externâ diſciplinâ indigent, tamen præcipuè ſeipſos regunt, habentque animos fixos & immobiles, præcipuè contra iram, 163.164.165.166.167. Seditioſa inſurrectio populi aliquando utilis eſt, ſed nunquam laudabilis, 167.168. In inevitabili mortis periculo morti potius animosè occurrere, quàm cum ſcandalo ſe ſubducere par eſt, 168. 169. Eccleſia Paſtoribus debet providam ſublevationem, p. 169. Chriſtianus, etſi debet eſſe immobilis, ut ſuprà, tamen debet eſſe flexilis in rebus fidei, ordinis & communis vitæ, p. 170. Seditiones gravi oratione felicius ſæpe compeſcuntur quàm armis, p. 171. 172.

CAP. XX.

Aliquantò poſt profligatum hoc periculum Paulus, ſecundum propoſitum ſuum, in ſpiritu formatum, Epheſo digreſſus perrexit in Macedoniam & Græciam, ibique ferè per annum viſitavit Eccleſias ſecundo itinere plantatas, Philippis, Theſſalonicæ, Bereæ, Athenis, Corinthi, ut vidimus cap. 16.17.18. & ex parte colligere poſſumus ex hujus capitis, v.4. 5.6. Atque hactenus deſcriptus fuit Tertii itineris Egreſſus. Nunc incipit deſcribi Tertii itineris Regreſſus, & quid in eo contigerit uſque ad iter Quartum, à v.3. cap. 20. ad cap. 27.1. Formato regrediendi propoſito inſidias Iudæorum metuens, ex Græcia revertitur

Digitized by Google

in Macedoniam, ex Macedonia transfretat in Aſiam. Hic Troade celebrato Sabbatho venit Aſſon, inde Mitylenen, inde inſulas aliquas tranſgreſſus appulit Miletum propè Epheſum. Huc evocatis Epheſinæ Eccleſiæ Presbyteris patheticâ concione valedixit, & ab illis ad navim deductus regreſſum in Iudæam proſequutus eſt.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

NOn deſerendi propter quodvis periculum qui noſtræ fidei & curæ commiſſi ſunt, p. 173. Inter diſceſſum Pauli ab Epheſo & Regreſſum ejus ad Presbyteros Epheſinos Mileti integer ferè annus interceſſit, p. 173. Valedictio abeuntium efficax, p. 174. Ad quid Eccleſiæ potiſſimum hortandæ, 174. πολυλογία & βαττολογία æquè in concionibus atq; in precibus vitanda. Quatuor neceſſaria requiſita ad concionandũ, 174. 175. 176. 177. Judæi Paulo inſidiati non tantùm propter doctrinam, ſed etiam propter pecuniam. Quomodo Timotheus Epheſi relictus & tamen Pauli comes fuit? Multi Paulo Aſiatici comites, & tamen Aſiatici comites Paulum deſeruerunt. Deus Paulo indidit & conſilium, & mutationem conſilii, p. 177. 178. Qui in cultu divino fervens eſt, patitur à mundo, qui tepidus & negligens, patitur à Deo. p. 178. Quibus autoribus & quibus de cauſis Sabbathum ſit tranſlatum in primam diem hebdomadis, p. 178. 179. 180. 181. Differentia inter Sabbathum Judaicum & Chriſtianum, p. 181. Cur veſperi & noctu congregata Eccleſia. De candelis ad cultum adhibendis. Cœna fractio panis & an neceſſariò veſpertina eſſe debeat. Conciones prolixæ, 181. 182. Etiam puerorum puerilia peccata à Deo caſtigantur. Dormire in cultu publico quantum peccatum, p. 183. 184. Etiam infirmitates piorum à Deo corripiuntur. Pœna & paterna correctio quid differant, p. 184. 185. Etiam parva peccata puniuntur, p. 185. Etiam puerorum puerilia peccata pœnis ſubjecta, p. 186. In miraculis patrandis cur adhibitæ ceremoniæ, p. 186. Ubi fuerint animæ eorum qui mortui & reſuſcitati, p. 186. 187. Cur tam accuratè tot locorum mentio fit in Pauli hiſtoria. In Eccleſia poteſtas quædam mandandi eſt, p. 188. 189. Provocatio ad Deum conſcientiamque propriam vel alienam quando licita, p. 190. Pii alii homines quàm

cæteri,

Digitized by Google

cæteri, 190. 191. Humilitas in cultu Dei. Lachrymæ contritionis & compaſſionis. Verus cultor Dei perſeverat in tentationibus, p. 191. 192. Quo ſenſu Paulus Doctor Gentium & Petrus Judæorum. Publicè & domatim docere quando & quatenus neceſſarium Paſtoribus, 193. Bonus Paſtor nec favore nec odio hominum retinetur ab officio. Tres modi docendi, 194. Utilia docenda, *ibid.* Qui ſervari vult, & converſione & fide opus habet. Converſio habet tres gradus, μετάνοιαν, μεταμέλειαν & μετάστροφιν, p. 194. 195. Fides ob duas cauſas neceſſaria. Fidei eſſentia qua in re conſiſtat, p. 196. Quatenus hanc provocationem Pauli ad conſcientias Eccleſiæ de ſua integritate in docendo & vivendo poſſint imitari Paſtores? p. 197. 198. Spiritus S. mandata ſunt noſtra vincula. Tribus autem modis vincit atque conſtringit, p. 199. 200. Chriſtiani obediunt mandatis Dei etiamſi neſciunt eventum, p. 200. Pii de inſtantibus afflictionibus ſæpe præmonentur divinitus. Afflictiones noſtræ divinitus nobis ordinatæ, p. 201. Pii afflictiones non contemnunt nec tamen nimis metuunt, 202. Quatenus & quando vita temporalis nobis debeat eſſe cara, quatenus item & quando mors vitæ præferenda, p. 203. 204. 205. Paſtoratus eſt Diaconi & opus. Gratia triplex, præparationis, operationis, remunerationis, p. 206. Recenſentur & generaliter ſolvuntur artes & ſophiſmata Diaboli, quibus Miniſterium Eccleſiaſticum apud populum in contemptum agere ſatagit, p. 207. 208. 209. Apoſtolorum ſcientia duplex, communis & ſingularis. Quomodo fideles ſe invicem in cœlis viſuri. p. 210. Quid morientes parentes debeant denunciare filiis, p. 211. Quid prædicare regnum Dei, p. 211. 212. Quid ſit proteſtatio & ad quid proſit, p. 212. Conſilium Dei tria ſignificat, p. 213. Qui aliis debent attendere primò ſibi ipſis debent. Quid ſit attendere ſibi ipſi, p. 214. 215. Paſtores non ſatisfaciunt officio, ſi ipſi bene vivant, p. 215. Cur Eccleſia comparetur cum grege ovium, item quare vocetur Eccleſia, p. 216. Felicitas eorum, qui ſunt de Eccleſia & grege Chriſti. Signa an tu ſis ovis Chriſti, p. 216. 217. 218. Cur Miniſtri verbi dicantur Paſtores, p. 213. 219. Etſi omnes vocationes ſunt divinæ, tamen non niſi duæ vocationes nominatim in Scriptura inſtituuntur, ſcil. Magiſtratus politicus & Miniſterium Eccleſiaſticum, p. 219. 220. Etiam ordinariorum & hodiernorum Paſtorum vocatio ſit divinitus. Probatur hoc & applicatur.

Digitized by Google

catur. p. 220. 221. 222. & quidem vocatio paſtorum proprium opus Spiritus S. 223. Probatur quod epiſcopus & presbyter in Scriptura ſint ſynonyma. 223. 224. Hominem non poſſe ſalvari ſine bonis operibus, naturaliter ſciunt omnes. Sed an juſtificari poſſit per opera hoc controverſum. 224. Quomodo paſtores ſuâ negligentia poſſint perdere gregem Chriſti. Argumentum pro Deitate Chriſti vindicatur. 225. Caro & ſanguis Deo tribuitur quatuor modis. 226. Quare ſanguis ex Maria aſſumptus Dei ſanguis, quomodo facta eſt perſonalis unio, & quare erat neceſſaria? 227. 228. Acquirere ſalutem & Chriſto & nobis tribuitur diverſo modo. Cur ſanguini, & quidem ſoli ſanguini Chriſti tribuatur acquiſitio Eccleſiæ, & quis uſus atque fructus hujus acquiſitionis 228. 229. 230. 231. Qui ovis Chriſti eſt, infeſtatur à lupis. Probare vocem paſtoris, & ſequi vocem paſtoris non pugnant. 232. Falſi doctores lupi. Quomodo diſcernantur paſtor & lupus. Cur hæretici perverſi & perverſa loquentes. Quam neceſſaria ſit paſtorum contra lupos contentio. 233. 234. 235. 236. Paſtores & Apoſtoli non differunt ſubſtantialiter. 237. Commendare Deo & commendare verbo Dei. Verbum gratiæ hoc loco non tantum eſt Euangelium. 238. 239. Hæreditas inter ſanctos, quæ hic paſtoribus promittitur, non tantum eſt vita æterna. 240. Solatium contra imperfectionem in ſpiritualibus & contra penuriam in corporalibus. 240. 241. 242. Cur Paulus à quibuſdam Eccleſiis ſtipendium accipere noluit, cum acceperit à cæteris. 243. Ubi Chriſtus dixerit quod beatius ſit dare quam accipere. 244. An paſtoribus Eccleſiæ liceat ſtipendium accipere. 244. 245. Genuum flexio inter preces an neceſſaria. Chriſtianorum ſolatium non tollit omnem triſtitiam. Præſertim Eccleſia non ſine triſtitia amittit vel dimittit bonos paſtores. 246. 247.

CAP. XXI.

Mileto ſolvens Paulus in Coum navigavit, inde in Rhodum, inde Palaram Lyciæ, inde Tyrum, inde Ptolemaida. Hinc, abſolutâ navigatione Cæſaream, Cæſareâ Hieroſolymam ivit itinere terreſtri. Huc ubi ventum, confert ſe ad ſynedrium Eccleſiæ Chriſtianæ, humaniter excipitur,

Digitized by Google

tur, & conſilium ab ipſis accipit, quod utile judicabant divertendo ſcandalo, quod Iudæi ad Christum converſi ex ejus inter gentes prædicatione acceperant. Hoc conſilium dum Paulus in templo exſequitur, coorto tumultu extra templum rapitur, & morti deſtinatur. A ſuperveniente Tribuno Romano tumultui eripitur, & catenis vinctus in caſtellum præſidiarium jubetur portari. In gradibus, quibus in caſtellum aſcenditur, ſtans Paulus, impetrata Tribuni venia populum tumultuantem Hebraico idiomate alloquitur.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

DIligens miniſterium benedictionem habet. Amici non divelluntur ſine ægritudine. 248. Solatium contra divulſionem amicorum. Inter docendum nihil addendum revelatis. Caro ſe ſemper ſpiritui miſcet & actiones ejus maculat 249. Importunis amicis non obſecundandum. Parentes tenentur liberis inculcare æſtimium miniſterii. 250. Itinerantibus neceſſariæ preces & interceſſiones. Cultus & vocatio non ſeparanda. In mundo nihil facimus ſinè labore & tædio 251. Diſpenſatio mediorum ſalutis in omnibus Eccleſiis non eſt æqualis. Amicitia inter collegas ejuſdem officii. Converſio tollit inimicitiam 252. Prophetare quatuor modis ſumitur in Scriptura 253. Juniores ante conjugium præcipuè debent eſſe diſcipuli ſacræ doctrinæ 254. Prophetæ in vaticinando utuntur Symbolis. Præmonere ſolet Deus antequam affligit 255. 256. Cum calamitates quanquam prædictæ & præviſæ, fiunt viciniores, labaſcit fides. 256. 257. Homines poſſunt ſibi invicem & indurare cor & frangere ac emollire cor, & utrumque duplici modo. 257. 258. Animus ad vincula & mortem paratus. 258. 259. Etſi Chriſtianum decet eſſe εὐπειθῆ, tamen in iis quæ ſunt contra Deum, non decet locum dare ſuaſionibus hominum. 259. Cum legitimis mediis non poſſumus avertere quod nollemus fieri, acquieſcendum eſt in voluntate Dei. 260. Si juvare non poſſumus afflictos; deſerere ſaltem non debemus, etiamſi aliquid periculi habeat 261. Senes & experti Doctores magni faciendi. 262. Læta & lubens receptio verbi & ejus præconum. Jacobus non fuit Epiſcopus ſenſu Papiſtico. Salutatio mutua

uſitata

Digitized by Google

uſitata eſt apud omnes qui humanitatem non exuerunt. 263. Honor noſtrarum actionum & effectuum dandus Deo. Quibus caſibus nos invicem poſſimus rectè laudare. 264. Qui Chriſtianus fit non deficit à lege Moſis. 265. An Paulus Judaicis Naziræatus ceremoniis licitè ſe miſcuerit. 266. Judæorum Paulo infenſorum non idem error, qui doctorum in Synodo Hieroſol. damnatorum. Quæ non ſuccedunt ex voto non ideò ſunt inutilia. 267. Bonum conſilium non ſemper bene ſuccedit. Dehortatio à ſeditionibus. 268. 269. 270. Per Reformationem Eccleſiæ à Papatu non defecimus ab Eccleſia. 271. Odioſas nectere conſequentias. In N. T. non habet locum pollutio templorum. 272. Cur Paulus ex templo extractus. Homicidia interna & externa. 273. Adminiſtratio juſtitiæ non admittit reſpectum perſonarum. Dominium mundi non ſemper apud pios, ſed ſæpe per impios pii defenduntur. 274. Deus etiam ſanctiſſimos affligit graviſſimè. Providentia Dei efficaciter dominatur in omnia hominum conſilia. Latrocinia crebra ſignum Reip. corruptæ. Longanimitas Pauli contra criminationes. Et parrheſia ejuſdem in periculis. 275. 276. 277.

CAP. XXII.

Hoc Capite primò deſcribitur Oratio Pauli apologetica, quam ex gradibus caſtelli ad ſeditioſum populum habuit, in qua, impetrato per honorificam & Hebraicam compellationem ſilentio, narrat miraculoſam hiſtoriam ſuæ converſionis & vocationis, tum ad miniſterium Euangelii in genere, tum ad miniſterium Euangelii inter gentes ſpecialiter. Deinde deſcribitur abruptio hujus Orationis per renovatam populi tumultuationem. Denique deſcribitur conſilium Chiliarchæ, quo inſtituit ex ipſo Paulo expiſcari veram cauſam iſtius tumultus, idque per duplex medium, primò per torturam Pauli, deinde per confrontationem Pauli cum ſenatu Iudaico.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

QUouſque Paulus cum Judæis communionem adhuc ſervaverit. Apologiæ, cum ſunt neceſſariæ, debent fieri cum lenitate.

Digitized by Google

377. 278. Accommodare ſe aliorum infirmitatibus quouſque licitum. 279. Bene natum, educatum & inſtitutum eſſe egregia & optabilia ornamenta. De bona nativitate. 280. De bona educatione. 281. De eruditione. 282. Paulus ante converſionem ad Chriſtum non fuit regenitus ſicut Cornelius. 283. Converſio à peccatis non ſtatim liberat ab afflictionibus. 284. An Chriſtus verè à Paulo viſus, & an inde aliquid concludi poſſit pro ubiquitate corporis illius? 285. Rectè autem hinc concluditur ſpiritualis & efficax præſentia Chriſti apud fideles in terris. 286. Deus à nobis poſtulat quæ in nobis vult operari. 287. προχειρίζειν non electionem ſed vocationem notat. Chriſtus Deus Hebræorum. Chriſtus ille Iuſtus. Quæ illa vox quam Paulus audivit. 288. Epiſtolæ & ſcripta Pauli præcipuè nobis eſſe debent commendatæ. 289. 290. Non ſimpliciter detrectanda religionis mutatio. 290. Et peccatores abluuntur, & peccata, & bona opera. Hæc ablutio fit à Patre, à Filio, à Spiritu S. diverſimodè. Et tamen etiam à nobis requiritur. Quare & quot modis. Tribuitur etiam baptiſmo. 291. 292. 293. 294. 295. Sacramenta non ſunt uſurpanda ſine precibus. 295. Officia neceſſaria non ſunt procraſtinanda. Paulus doctor gentium. 296. Paulus Chriſtianus in templo Judaico precatus. 297. Cum pietatem à Deo petimus, citius exaudimur, quam cum petimus felicitatem. 297. 298. 299. Piæ piorum preces ſæpe quidem audiuntur, ſed ſæpe non ex voto. 299. 300. 301. Non eſt hic exemplum quo probari poſſit figmentum de ſcientia media. 300. Piis licet inſtare apud Deum cum patiuntur repulſam. 300. Etiam Paulus habuit ſuas infirmitates. 301. Qui aliis damnum fecit atque injuriam, vel etiam ſcandalo fuit, de reparatione debet eſſe ſolicitus. 302. Converſatio cum gentibus & prædicatio Euangelii inter gentes in V. T. non ſimpliciter fuit illicita. 303. Hoſtes Eccleſiam perſequuntur, non quod mali quid in ea vident, ſed quia ſuam eminentiam nolunt aliis eſſe communem. Multi verbum Dei audiunt libenter, ſed eo uſque, ſcil. donec contradicat ſuis opinionibus & affectibus. Limitare ſanctum Iſraëlis quid. 303. 304. Reſiſtere veritati. Sanctiſſimi quique indigni qui vivant, attamen non in ſoli ſed in poli foro. Seditio. 305. Furori populi non tradendus innocens. Inquiſitio per torturam an inter Chriſtianos licita. 306. Etiam quæ ſcimus non ſuccurrunt niſi

Digitized by Google

ſuggerente Deo. Implorare protectionem fori Chriſtiano licitum. pag. 307.

CAP. XXIII.

Deſcribitur hic Confrontatio Pauli cum ſenatu Iudaico ejuſque effectus, vel potius ſucceſſus irritus. Nam re infectâ, nec verâ tumultus cauſa cognita, reducitur in caſtellum. Intervenit Chriſtus & Paulo per viſionem nocturnam conſolationem ſubminiſtrat. Tunc conjuratio quorundam Iudaeorum in Pauli necem Chiliarchæ detegitur, ex qua ipſe Paulum eripit, mittendo eum Cæſaream ad Felicem Provinciæ Præſidem, ubi poſt colloquium cum Præſide, cuſtoditur in Prætorio.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

Πολιτεύειν Θεῷ eſt vivere & ſervire Deo. 308. Tractatus integer de Conſcientia, in quo primò diſſeritur quomodo Paulus potuerit bonâ conſcientiâ Deo ambulare cùm adhuc eſſet irregenitus, deinde quid ſit conſcientia, & quæ ſint ejus partes eſſentiales, tùm quid ſit conſcientia mala & quid bona, denique quo pacto conſcientia quæ mala eſt poſſit reddi bona, à pag. 307. ad pag. 321. Euangelium eſt Sol, qui à præconibus ſuis ſæpe patitur Eclipſin. Exemplum prudentiæ in Paulo. 321. Studium bonæ conſcientiæ irritat adverſarios piorum. 322. In litibus locum habere debet moderatio affectuum. Vapulare propter bonam conſcientiam. Hypocrita paries dealbatus multiplici calce. 223. 224. Increpatio & imprecatio quatenus licita. Iudicum eſt ſecundum legem non tantum judicare, ſed & vivere. 324. Pœna talionis. Ab hoſtibus & amicis deſtitui. 325. Quo ſenſu Paulus dicit ſe non noviſſe Pontificem quem increpaverat. 325. 326. Libertate noſtra non utendum cum ſcandalo infirmorum. 327. Impii non ſunt inter ſe concordes, & tamen conſpirant contra pios. Paulus ſuo ſtratagemate non ſerit lites & ſolvit concordiam, ſed ſolvit conſpirationem. 327. 328. Sadducæorum doctrina quæ. 329. Quid licitum ſtratagema differat ab illicita æquivocatione, reſervatione, ſimilatione, abnegatione. 329. 330. Studium ſectæ apud ſectarios plus valet quam odium hoſtium. Pii in hac vita non liberantur, attamen

Digitized by Google

tamen levantur malis. 331. Continuationi crucis Deus intercurrit per interpoſitionem ſolatii. 332. Verbum efficax ad roborandas animas, ſi ſecundetur virtute Dei. Pii malunt miſerè vivere quam mori, ſi poſſint Deo aliquid ſervitii præſtare. 332. 333. 334. Conſpirationes atque conjurationes, conjunctæ cum votis & imprecationibus aliquando licitæ, aliquando illicitæ, cum uſu & applicatione. 335. 336. Vota licita ſervanda ſunt. 336. Legitimis mediis licet evadere vim hoſtium. Contra ſecretas inſidias hoſtium vigilat Dei providentia. 337. Diluuntur tres difficiles objectiones contra veritatem, ſanctitatem & utilitatem S. Scripturæ. 337. 338. 339. 340. Deus etiamnum, etſi ſine miraculo, tamen mirabiliter liberat ab hoſtibus. Exempla talium liberationum hiſtoricos decet conſignare. Licita liberationis media aliquando reſpuenda propter ſcandalum. 340. 341. Civilitatem morum & ſermonis Scriptura commendat. 341. Magiſtratus debent eſſe optimates & optimi. Si non ſunt, tamen ſunt ſuſpiciendi. 342. In Imperio Romano omnium Religionum eadem erat libertas; quod utile fuit Euangelio, ſed non ideo imitandum Magiſtratui Chriſtiano. 343. Qui ſerviunt, non tantum obedientes ſed & prudentes eſſe debent. Nihil ſtatuendum parte inauditâ alterâ. 344.

CAP. XXIV.

Paulus Cæſareæ captivus judicio ſiſtitur in Prætorio Imperiali coram Felice Præſide, de quo judicio deſcribitur pompoſa Actorum comparitio, ſubdola Advocati accuſatio, Teſtium falſa depoſitio, Rei maſcula defenſio, Iudicis obliquatio & claudicatio.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

ODium non retinetur ambitione, ſed ambitionem vincit. 344. 345. Propter multitudinem & potentiam adverſariorum non eſt deſerenda bona cauſa. 345. 346. Advocatus pro mala cauſa litigans peccat graviter. 346. Quæ pulchra ſunt & artificioſa, poſſunt eſſe impia. Magiſtratibus debetur honor. 347. Domeſticorum gravami-

Digitized by Google

vaminum reformatio Magiſtratibus debet eſſe cordi. Advocatorum eſt non trahere lites. Magiſtratus non debet merâ auctoritate uti in ſubditos, ſed & humanitate. 348. Adulatio turpiſſimum vitium. 349. Theologia omnibus hominum ordinibus vocationis ſuæ limites ponit. 350. Advocatis licet accuſare, ſed non convitiari. Cur concionatoribus liceat maledicta ingerere impiis. 351. Concionatores rectè vocantur Advocati Eccleſiæ, ſed differunt ab Advocatis forenſibus. 352. Seditionis, hæreſeos & ſacrilegii crimina perpetuo objiciuntur veræ Eccleſiæ. 353. Cur Chriſtus Nazarenus. In judiciis cavendum à mendaciis. 354. Paſtores non exemti à ſubjectione magiſtratus. Rectores ſenes & experti ſunt optimi. 355. 356. Solvuntur aliquot ſcrupuli contra textum. 357. 358. Chriſtianum decet eſſe fervidum ſed non violentum, nec importunum in deſideriis & precibus. 358. 359. 360. 361. Hæreſis quid ſit, & quare fugienda, & quomodo quis ſe ab hæreſi poſſit ſervare immunem. 361. 362. 363. 364. Chriſtiani cur vocentur Nazareni. Antiſtites qui & quotuplices. Non Chriſtiani ſed Judæi defecerunt à vera Judæorum religione. 364. 365. Veteres Judæi crediderunt in Filium & Spiritum S. 366. Credunt Prophetis & Apoſtolis qui non credunt omnia à Prophetis & Apoſtolis ſcripta. Cur Chriſtiani non tantùm Prophetis ſed & Apoſtolis credant. Quæ rationes propter quas Chriſtianus in teſtimonio Prophetarum & Apoſtolorum tam ſecurè acquieſcat. 366. 367. 368. Qui Scripturam habent pro libro divino, tamen doctrinam Scripturæ perſequuntur. 368. Reſurrectio carnis eſt eſſentialis fidei articulus, ſine quo nemo Chriſtianus eſt. 369. Nec ſufficit credere reſurrectionem piorum, ſed & impii reſurgent. At magnâ cum differentia. 370. Studium bonæ conſcientiæ fluit ex fide. Energia fidei quadruplex. Habet enim vim unientem, ſuſtentantem, impetrantem, ſtimulantem. 371. 372. Conſcientia ἀπρόσκοπος quid ſit & quomodo obtineatur. 372. 373. 374. Profanatio rerum ſacrarum eſt grave peccatum. Non tantum in Veteri, ſed etiam in N. T. poteſt committi. 374. 375. 376. 377. Præcipuè profanatio ſacræ cœnæ eſt grave peccatum, & quot modis illa fiat. 377. 378. 379. 380. Chriſtiani non tantum ſtudent Deo placere, ſed etiam apud impios bene audire. 381. Si preces non obtinent liberationem, ſaltem obtinent levationem afflictorum. 381. 382. Chriſtiani ſe invicem pro

Digitized by Google pro-

propriis habent. 382. Impii etiam aliquid voluptatis habent in auditu verbi divini, ſed non talem qualem pii. 383. 384. Non igitur tantum curandum ut audiamus, ſed ut bene audiamus. 385. 386. Differentia inter falſos & ſinceros ſæpe eſt abſcondita. 386. Concionator debet collimare in concionibus ad vitia auditorum, attamen prudenter. 387. Juſtus coram Deo & juſtus erga proximum. Utrumque neceſſarium, & qua in re conſiſtat utraque juſtitia. 387. 388. 389. 390. Temperantia 391. Ultimum judicium. 391. Differentia inter timorem piorum & impiorum. 391. 392. Cavendæ ſunt obluctationes contra vim verbi prædicati. 393. 394. Ars eliciendi munera civiliter. Quatenus licitum vel illicitum ſit accipere munera. 394. 395. Cur Paulus noluit libertatem emere muneribus. 395. Aſtutia in exercendis judiciis non eſt laudabilis. 396.

CAP. XXV.

A Provincia decedenti Felici ſuccedit Portius Feſtus. Is triduo poſt ſuſceptam Provinciam ſtatim aſcendit Hieroſolymam, rogaturque à Judæis, ut Paulum Cæſareâ remittat Hieroſolymam, prætextu ut ibi judicium ſubeat, re autem verâ, ut inter vias occidatur. Feſtus hoc poſtulatum recuſans Judæos Cæſaream accerſit, ibique novam cauſæ ventilationem coram Tribunali Imperiali inſtituit, quâ Judæis accuſantibus Paulus ſe denuò defendit. Feſtus verò inclinare incipit ad Paulum ex Judæorum voto Hieroſolymam mittendum, quod Paulus declinat per appellationem ad Cæſarem. Feſtus ſic appellantem decernit Romam mittere ad Cæſarem, ſed rem prius communicat cum Agrippa Rege, quô ad Paulum audiendum cupidô in craſtinum conventum indicit in prætorio, cui Paulus ſiſtitur, ut cauſam ſuam ediſſerens rationès ſuppeditet, quibus miſſio ejus ad Cæſarem pallietur, ne abſurda videatur.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

NOn ſolum populus quærit favorem Magiſtratus, ſed & Magiſtratus debet quærere favorem & amorem populi, idque juſtis mediis.

Digitized by Google

mediis, 397. 398. Populus qui ſe mancipat cœcæ obedientiæ Paſtorum, ad omnia abſurda facilè adigitur. Vindictæ cupiditas malum dulce ſed non utile. Quouſque licitum ſit ultionem expetere. 398. 399. Stratagemata, etſi ingenioſa & felicia, non ſemper ſunt juſta. Gravius eſt peccatum mala opera docere quam mala opera facere. 399. 400. Deus & externâ vi, & interno inſtinctu hoſtes piorum coërcet. 401. 402. Innocentia rei non tantum accuſantium odia, ſed etiam præoccupati judicis inclinationem poteſt retundere. Lavare ſe innocentiâ fit tripliciter. 402. 403. Accuſatio in os. Chriſtiana religio nec legi Moſis nec legibus politiæ contraria eſt. Etiam ex V. T. conſtat ceremonias Moſaicas non ſemper duraturas. 404. 405. Claudicatio irregenitorum inter jus & injuſtitiam. 405. 406. Exponitur diſcrimen inter gratiam refrænantem & gratiam convertentem. 406. 407. Pietas & zelus debent currere intra canalem Ordinis ac diſciplinæ, tum politicæ tum Eccleſiaſticæ, alioquin degenerat in carnalem malitiam. 407. 408. De exemptione Clericorum à poteſtate politica. 409. 410. An Chriſtianis liceat experiri judicio de rebus terrenis. 411. An Chriſtianis liceat vivere ſecundum jus civile & Romanum ab ethnicis conditum magiſtratibus. 411. Supplicia capitalia an ſint contra Chriſtianiſmum. 411. 412. An reus teneatur ſeipſum accuſare in judicio. 412. Non decet eſſe nimis zelotypum honoris. 413. Aſtutia politica & prudentia Chriſtiana in tuenda exiſtimatione quid differant. 413. 414. In rebus dubiis aliorum conſilia implorare prudentiæ eſt, & præſertim juniores decet. 415. 416. An & quatenus etiam à Deo liceat conſilium & revelationem quærere in rebus dubiis. 416. 417. Importuna flagitatio aliorum non excuſat conſenſum in malum. Audienda & altera pars. Civilium nationum malefacta graviora ſunt quam barbararum. 417. Quid differant religio & ſuperſtitio. Prædicatio verbi etiam efficaciſſima ſine operatione Spiritus S. non eſt efficax. Magiſtratus auguſtus eſt & ſacer. 418. 419. Multi libenter audiunt verbum Dei ſed non libenter faciunt. 420. Unde fluat quod prædicatio verbi apud magnates mundi tam parum efficax. 420. 421. Pompa in veſtitu & ornatu nimia eſt mera phantaſia. 422. Qui huic dediti, non ſunt idonei verbi auditores. Lucta inter conſcientiam & affectus differt ab illa, quæ eſt inter ſpiritum & carnem. 423.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXVI.

Sequitur apologetica Pauli oratio, habita coram Agrippa Rege in Prætorio Cæſareenſi, in qua poſt complementa, ut vocant, civilitatis graviter demonſtrat, neque in ſua vita neque in ſua doctrina quicquam eſſe, propter quod à Iudæis meritò accuſari poſſit, & maſculè reſpondet interloquutionibus tum Feſti tum Agrippæ, qua oratione finita Agrippa approbat conſilium Feſti de Paulo, propter appellationem ad Cæſarem, Romam mittendo.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

IUdex controverſiarum de religione quis ſit, & quatenus competat Magiſtratui. 424. 425. Chriſtianiſmus non abhorret à civilitate morum. 425. Magiſtratuum peccata quatenus licitum ſit carpere paſtoribus & quomodo. Concionatores amant habere auditorium intelligens. 426. Ignorantia voluntaria. Paulus juſtè vixit ante ſuam converſionem, juſtè vixit poſt ſuam converſionem, ſed magna cum differentia. Hypocritarum imago. 427. 428. 429. Reſurrectio ex mortuis per reſurrectionem Chriſti fuit ſpes Patrum. Qui ad cœnam Domini ſeſe parant, probant ſe an habeant hanc ſpem. 430. 431. Reſurrectionem ad vitam æternam creditam fuiſſe à patribus V. T. probatur. 431. 432. Cur Judæi poſt decem Tribuum interitum vel degenerationem vocentur δωδεκάφυλον. 432. 433. Spes quæ ex charitate & ſpes quæ ex fide eſt differunt. 433. Deo continenter diu noctéque ſervire quomodo fieri poſſit. Spes fulcienda per conſiderationem potentiæ Dei. Non deſperandum cum ſpes temporalium fallitur. 433. 434. 435. Errores & peccata quæ erramus & facimus ex conſcientia, an & quatenus ſint excuſabilia, & quare peccatum ſit quod ex conſcientia facimus. 436. 437. 438. 439. 440. Quibus mediis rectificanda conſcientia, ne ſtimulet ad malum. 440. 441. Quomodo ex corde bono proveniant fructus mali. 441. 442. Hæretica opinio parit inimicitiam Chriſti. 442. Chriſtus judicialiter occiſus, primi martyres per tumultum. Chriſtiani etiam in carcere

Digitized by Google

cere liberi ſunt. 443. Flagellatio per ſynagogas qualis fuerit. 444. Omnis abnegatio Chriſti eſt blaſphemia. 444. 445. Mania & furor quadruplex. 446. 447. De vocatione miniſtrorum verbi ordinariorum & extraordinariorum, quæ utriuſque differentia, quòd ordinariorum etiam ſit divina, cum uſibus. 448. 449. 450. 451. 452. 453. Circa authoritatem miniſtrorum peccatur in exceſſu & in defectu. 453. Vocatio ad miniſterium publicum annexam habet promiſſionem tum defenſionis contra pericula, tum benedictionis & fructus. 454. 455. Labor miniſtrorum in vocatione quouſque habendus ſit inter cauſas & inſtrumenta converſionis, & quatenus ab illo dependeat converſio animæ, cum uſu & applicatione. 455. 456. 457. 458. An adminiſtratio ſacramentorum ſit inſtrumentum converſionis. 459. Apertio oculorum qualis ſit & quomodo fiat ex parte Dei & noſtra. 460. 461. 462. Errores ſunt tenebræ, veritas eſt lux. Spiritualis ſtrabiſmus. In regeneratione non tantum eſt apertio Scripturæ, ſed etiam apertio oculi ad generandam agnitionem veritatis. Agnitio veritatis habet tres gradus. 462. 463. Chriſtus eſt lux mundi, Apoſtoli lux mundi, Ordinarii paſtores lux mundi, quâ differentiâ. 464. 465. An voluntas intellectus judicium naturaliter & neceſſariò ſequatur, diſputabile eſt, certum autem, quòd vera illuminatio conſcientiæ etiam voluntatem convertat. 465. Diabolus eſt hoſtis Dei, Chriſti, ſanctorum angelorum, hominum impiorum, hominum fidelium, cum uſibus. 465. 466. 467. 468. 469. 470. Fides conſideratur Legaliter & Euangelicè. Operatio ejus duplex eſt, nos Chriſto inſerit, & beneficia à Chriſto recipit. 471. 472. 473. Qua in re conſiſtit remiſſio peccatorum. Quid fides confert ad remiſſionem peccatorum, item quid preces. 473. 474. Accipere hæreditatem inter ſanctos. 475. Non ex cupiditate lucri, ſed ex obedientia divini præcepti prædicandum eſt Euangelium. 476. Quid differunt pœnitentia & converſio ad Deum. 477. Quænam illa dignitas bonorum operum, per quam ſunt digna converſione. 478. 479. Regeneratio & bona opera habent ſuam quandam perfectionem. 480. 481. Pii in hoc mundo nuſpiam tuti ab hoſtibus. 482. Et tamen vinci non poſſunt. 482. 483. Parvis & magnis prædicanda veritas. Nihil prædicandum extra Scripturam. 483. Quomodo verum, quod Apoſtoli nihil prædicaverint extra Moſen &

Pro-

Digitized by Google

Prophetas, p. 484. Tres Judæorum præcipui errores, p. 485. Cur Chriſtum oportuit pati, & an illa neceſſitas non eſt contraria libertati, p. 485. 486. Ex V. T. probatur paſſio & reſurrectio Chriſti. Quare Chriſtus primus ex reſurrectione mortuorum, p. 486. 487. Chriſtus redivivus etiam Judæos vocavit etiamſi jam tum eſſent populus vocatus, p. 487. Inſanientibus ſani inſanire videntur. Inſania ex eruditione, p. 488. 489. Errantes quàm obſtinati leniùs tractandi, p. 489. Ante converſionem Paulus ſpirituali quadam maniâ laboravit, & nos omnes, p. 490. Doctrina Scripturæ eſt doctrina ſana, ſanæ rationi non contraria, p. 490. 491. Provocatio ad conſcientias auditorum. Pulſatio cordium. Credunt Scripturis qui non credunt quod eſt in Scripturis, p. 492. 493. Nimis religioſi, nimis profani multi ſunt, quo ſenſu, 493. 494. Diſſimulatio pietatis non probatur exemplo Agrippæ, p. 495. Verbum apud inconverſos ſæpe efficax, ut multum in religione proficiant, p. 496. Propemodum Chriſtianus non eſt Chriſtianus, p. 496. Diſcrimen inter converſum & inconverſum eſt magnum. Concionatores collimant ad auditorum corda, p. 497. Quouſque quilibet Chriſtianus ſimilis eſſe teneatur Apoſtolis, p. 498. Chriſtiani non murmurant ob inæqualitatem conditionis, p. 499.

CAP. XXVII.

Emenſi ſumus iter Pauli primum, ſecundum, tertium ex Oriente in Occidentem, cum regreſſu ſingulorum in Orientem. Sequitur iter quartum & ultimum, quo ex Oriente in Italiam navigat ſine regreſſu in Orientem. Hujus navigationis mite initium, anxiuſque & turbulentus progreſſus, in naufragium deſinens ſine interitu navigantium, hoc capite deſcribitur.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

ARbitrium hominis minus poteſt in vita quæ in mari teritur quàm quæ in terris, p. 499. 500. Neceſſitas non ſemper tollit culpam à malis vel laudem à bonis operibus, cum uſu, p. 501. 502. Pii & impii implicantur eidem periculo, p. 502. Optimum vitæ non eſt ſine tædio, nullum tamen vitæ tædium ſine intercurrente quie-

Digitized by Google

te: p.503.504. Patientiæ, humanitatis, curæ Dei pro ſuis, liberalitatis in calamitoſos, exempla, p.504. Sæpius moriuntur homines, præſertim pii, p. 505. Quadrageſima Pontificia, p. 506. An rectè Paulus de re nautica conſilium dederit, & annon rectè à Julio id fuit repudiatum, p. 507. 508. Levis incommodi fugiendi causâ non ſunt ſubeunda pericula. Fortitudo & temeraria audacia differunt. Quousque Eccleſia ſe poſſit miſcere politicis, p.508.509.510. Prævalentibus conſiliis in re politica, etſi malis, patienter ſuccumbendum. Proſper ſucceſſus conſilii pravi non durat, p. 511. 512. Αὐτόχειρες, qui ſibi ipſis calamitatem inferunt ut vitam ſervent, vel animum levent, p.513. Qui verbo & Spiritu Dei duci nolunt, tempeſtatibus puniuntur, 514.515.516.517.518. Pii iiſdem impliciti malis cum impiis non ſunt ejuſdem conditionis, p.519. Poſtquam Chriſtus non in angulo ſed in propatulo apparuit, ignorantia non excuſat inobedientiam, p.520. 521. Differens modus conſolandi impios & pios, p.521.522. Liberatio promiſſa noſtris tamen curis eſt acquirenda. Pii non ſervantur niſi per naufragium corporis, p.522. Duplicatis tenebris vicina eſt lux auxilii. Timor licitus ſi non nimius, p.523. Deus cujus ſum & cui ſervio, p. 523. 524. Neceſſitas ex decreto Dei. Deus propter pios ſæpe parcit impiis, p. 524. 525. Liberatio promiſſa multis retardatur difficultatibus, p. 525.526. Dilatio divinarum promiſſionum, p. 527. Piorum preces nunquam fiunt fruſtra, p. 528. Deſideria impleta ſæpe augent ſollicitudinem, p. 528. 529. Perfidia ex diffidentia, p.529. Firmitas Conſilii & promiſſionis divinæ non tollit neceſſitatem mediorum, p. 430.531.532. Impiis deſperantibus pii exultant, p. 533. Solatium animæ juvatur etiam per refectionem corporis. Menſura cibi & potus quæ? Piis nullum poteſt inferri nocumentum, p. 534. Cœna ſub una ſpecie non celebrata. Verbum ſæpe impios perſuadet ut proſint Eccleſiæ. Media vitæ vitâ ipſa cariora eſſe non debent, p. 535. Deus miraculoſè ſervat ſine miraculis, p.536.537. Obedientia invita non placet Deo, ſed cum lubentia faciendum, dandum, patiendum, p. 538. 539. 540. Deſideria ſæpe fruſtrantur cum videntur impleta, p. 540. Decreta Dei humanâ arte & ope eludi non poſſunt. Auctoritas humana impiis terribilior quàm divina. Etiam inter impios ſunt defenſores Eccleſiæ. Promiſſiones Dei poſſunt differri ſed non fruſtrari, p.541.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXVIII.

Poſt tædioſum initium, & plenum angoris progreſſum ſequitur lætus & tranquillus navigationis exitus, quo in Inſula Melita feliciter hybernatus commodâ navigatione Puteolos Italiæ Paulus appulit, indeque Romam progreſſus à Chriſtianis humaniter excipitur, & indulgentiâ Cæſaris per biennium tranquillè habitat & regnum Dei docet.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

Cœna Domini non eſt viaticum morientium ſed viventium, p.541. 542.643. De reliquiis Sanctorum. Barbaries vitanda, p.544. Si barbari benefici, quid non Chriſtiani. Fabulæ Jeſuitarum de Melita, p.545.546. Applicatio hiſtoriæ de vipera ad Chriſtum & Cœnam Domini, p.546.547. Barbaris inſcriptus ſenſus Numinis. Præſertim deteſtatio homicidii, p.548. Judicium præceps vitandum. Ex afflictionibus non judicandum de perſona. Sex rationes cur etiam pii affliguntur, p.548. 549. 550. Chriſtus Medicus, non tantum ſpiritualium ſed & corporalium morborum, non olim tantum ſed etiamnum, p.551. Etiam irregenitorum virtutes mercedem habent, p.552. In aliorum morbis contemplanda communis miſeria & mortalitas. p.553. Officium Paſtorum circa ægros, & ejus abuſus, p.554.555.556. Honorare Sanctos. Paſtoribus debetur honor & auxilium, p.557. Finis belli melior initio. Finito uno periculo agendæ Deo gratiæ, etiamſi alterum ſit præ foribus, 558. 559.560. Communio ſalvificæ doctrinæ præcipuum firmamentum pacis inter nationes, p. 561.562. Qua in re conſiſtat vera gratiarum actio pro pace, p.562.563.564. Ex initiis divini auxilii capeſſenda fiducia continuationis, p.564.565. Deus ſuos ſervos non ſemper æquè graviter onerat, p. 566. Temerarius incurſus in pericula illicitus, p. 567. Indefeſſum eſſe in officio. Hoſtes diligendi quo amore. Chriſtianiſmus & Lex Moſis non pugnant. Patriæ decet eſſe fidelem, p. 568. Spes Iſraëlis quæ, 569. Præjudicia impediunt agnitionem veritatis. Contradictio mundi univerſalis non debet nos abſterrere à veritate, p. 570. Nec nomen hæreſeos, p.570.

Digitized by Google

571. Non tantum Sabbathum colendum, ſed etiam aliis diebus cultus publicus frequentandus. Hoſtes veritatis induſtrii, p. 571. Dogmata religionis non aliunde probanda quàm ex Scriptura. Regnum Meſſiæ ſpirituale eſt, p. 572. 573. Pii Concionatores concionantur cum conatu ædificandi. An Jeſu Nazareni aliqua mentio in libris V. T. p. 574. 575. Nunquam omnes lucrabimur. Prædicatio Euangelii diſcordiarum occaſio, 575. Cur poſt indurationem Judæorum opus eſt conatu illos convertendi. Demonſtratio Deitatis Spiritus S. p. 576. De cauſis & ſpeciebus indurationis, p. 577. 578. 579. 580. 581. Quid de Paulo factum poſt biennium Romanum, p. 582.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIUS PRACTICUS IN ACTA APOSTOLORUM,

Per Lucam Euangeliſtam deſcripta.

Actor. Caput XVII. v. 1. 2. 3. 4.

CONCIO CLXXXVI.

PAſſim monemur in ſcriptura ut ſimus imitatores Apoſtolorum Domini noſtri Jeſu Chriſti, 1 Corint. 1. 11. 1 Cor. 4. 16. Hoc non ſolum ita intelligendum, quod debeamus ſequi & imitari eorum doctrinam, ut ſemitam doctrinæ ipſorum obſervantes nihil aliud credamus & doceamus, quam quod illi crediderunt & docuerunt Act. 2. 42. Sed præcipuè, quod debeamus ſequi & imitari ipſorum vitam & fidem, acta & facta; converſationem & mores 2 Theſſ. 3. 7. Philip. 3. 17. Hebr. 13. 7. Quod ſi autem acta & facta Apoſtolorum nobis propoſita ſunt in exemplar vitæ quod imitemur, utiliſſima ſit oportet Actorum Apoſtolicorum per Lucam deſcriptorum meditatio, ad quam proinde poſt aliquam interruptionem in nomine Domini revertimur, ad finem uſque percecturi, quatenus & quantum Dominus nos roboraverit.

In ſecundo itinere Pauli vidimus hactenus 1. quomodo Paulus Antiochiâ egreſſus viſitaverit Eccleſias Aſiæ, primo itinere plantatas. 2. quomodo conatus fuerit etiam in cæteris Aſiæ Provinciis, quas primo itinere non attigerat, Euangelium prædicare & Eccleſias plantare, ſed impeditus & per nocturnam viſionem in Macedoniam vocatus ſit. 3. quomodo ex Aſia in Europam trajiciens appulerit Philippos, primam Macedoniæ civitatem, & quid ibi ipſi contigerit, quæ omnia capite decimo ſexto deſcribuntur. Hoc decimo ſeptimo capite adduntur alii tres gradus hujus expeditionis Europeæ ſcil. 1. Quid geſtum Theſſalonicæ. 2. Quid Bereæ. 3. Quid Athenis.

Philippis per Amphipolin & Apolloniam Theſſalonicam venit. Theſſalonica alia primaria urbs Macedoniæ, nomen habens à victoria Macedonum contra Theſſalos, vicinæ provinciæ incolas, qui iſto in loco devicti. Eſt illa ipſa urbs, ad cujus Eccleſiam poſtea duas epiſtolas Paulus ſcripſit. Tria autem ſunt quæ in hac provincia Paulo contigerunt. I. Docuit. II. Paſſus eſt. III. Liberatus eſt.

De doctrina Pauli notat textus. 1. Quos docuerit. 2. Quando. 3. quomodo. 4. Quid. 5. Quo fructu & effectu.

I. Quos docuit? Judæos. Atqui cap. 13. 16. dixerat ſe miſſis Judæis gentibus prædicaturum Euangelium. Cur

Digitized by Google

igitur adhuc Judæorum Synagogas frequentat? ℟. Quod cap. 13. Antiochiæ fecit, idem fecit in omnibus civitatibus, ſcil. prius Judæis prædicavit, his autem renitentibus ad gentes demum locutus eſt. Multi quoque gentiles & proſelyti Judaicas Synagogas frequentabant. Docet hoc exemplum, non ſtatim ceſſandum ab amore proximi & cura ſalutis ejus, ſi ille ingratus eſt, & amorem noſtrum odio compenſat. Quis gravius læſerat Paulum quàm Judæi, & tamen continuò pergit eorum ſalutem quærere? ſicut in morbis corporis non deſinimus ægro benefacere, etiamſi murmuret & ſit impatiens remediorum: ita &c. Gal. 6. 9. 2 Theſſ. 3. 13. Nos ſic Deo facimus, & tamen non deſinit benefacere nobis.

II. Quando? Tribus continuis ſabbathis. Docet hoc, quòd ſingulis ſabbathis conventus Eccleſiaſticos agere ad auditum verbi & invocationem Dei, ſit mos antiquus in Eccleſia, à nobis quoque diligenter retinendus. Etſi enim in N. T. Apoſtoli hos conventus tranſtulerunt à ſeptimo in primum diem hebdomadis, ut videre eſt Actor. 20. 1 Cor. 16. Apoc. 1. tamen, quantùm ad ſubſtantiam rei, hebdomadarii conventus, quarto præcepto injuncti & veteri Eccleſiæ uſitati, non ſunt abrogati.

III. Quomodo? Duobus modis.

1. Diſſeruit illis, vel docuit illos ex ſcripturis. Omnem doctrinam ſuam hauſit ex ſcripturis, non ex proprio cerebro fabulas finxit, nec ex Judæorum Cabala traditiones protulit, nec ex Philoſophia placita humana propoſuit, ſed ex Scriptura dogmata divina inculcavit. Scriptura igitur eſt ſcaturigo & puteus, ex quo haurire debent Paſtores Eccleſiæ omnem ſuam doctrinam. Eſt etiam regula, ulna & lapis Lydius, ad quem metiri & probare debent auditores omnem doctrinam, quæ à paſtoribus proponitur Iſai. 12. 3. Iſai. 8. 20. Gal. 6. 16. Non ex patribus, nec ſecundum traditiones Eccleſiæ, ſed ex Scriptura & ſecundum Scripturam docenda eſt Eccleſia.

2. Aperuit ſcripturas, & intulit ex illis dogmata. παρατίθεσθαι eſt inferre per conſequentias. Scriptura indiget interpretatione, nec omnia dogmata ad ſalutem neceſſaria verbotenus in ſcriptura proponuntur, ſed per legitimas conſequentias inde eruenda ſunt. Hoc dogma contra Veronium & alios Jeſuitas latè confirmavimus & defendimus Actor. 9. v. 22. Ratio & intellectus humanus non ſunt puteus ex quo dogmata Eccleſiaſtica haurimus, nec principia rationis & Philoſophiæ ſunt regula & lapis Lydius, ſecundum quem probamus & examinamus, ſed tamen intellectus humanus eſt urna, per quam dogmata ex Scriptura haurimus & inferimus.

IV. Quid docuit? Duo dogmata de Chriſto. Primum ex ſcriptura probavit Chriſtum debuiſſe pati ac reſurgere i. e. probavit Scripturam V. T. hoc prædicere, quod Chriſtus ſeu Meſſias ubi venerit, ſit paſſurus ac reſurrecturus. Similia loca ſunt Mat. 26. 54. Mat. 16. 21. Luc. 24. 25. 26. 44. 46. Sed quare debuit & oportuit pati? Si oportuit, non paſſus eſt volens & lubens, nec paſſio ejus fuit ſpontanea & lubens obedientia erga patrem ſuum, & ſic non eſt impletio legis. Nam lex non impletur niſi per ſpontaneam

Digitized by Google

neam obedientiam. ℟. Quod oportuit fieri, Chriſtus ſpontè & lubens fecit, & neceſſitas patiendi non ſuſtulit lubentiam patiendi & libertatem. Neceſſaria fuit Chriſti paſſio & mors, ſed non

1. Lege coactionis. Poterat enim vincere omnes qui vim inferebant, quippe eorum creator Joh. 10. 17. 18.

2. Lege naturæ ſicut nos Hebr. 9. 27. Non enim erat peccator. Humanitas non parit neceſſitatem moriendi, ſed peccatum Rom. 6. ult. Dicit quidem Paulus Hebr. 9. 28. quod ſicut nos oportet ſemel mori, ſic etiam Chriſtum, ſed etſi in neceſſitate pares ſumus, tamen non in cauſa neceſſitatis. Noſtræ & Chriſti mortis neceſſitas non oritur ex eadem cauſa.

Cur igitur oportuit Chriſtum mori? ℟. Propter tres cauſas.

1. Propter decretum Dei. Æternum quaſi pactum eſt inter Patrem & filium, quo Pater poſtulavit, filius promiſit mori pro nobis Pſal. 2. 7. 8. 9. Pſal. 40. 9. Quod autem Deus ab æterno decrevit, non poteſt non fieri. Decreta Dei, quia immutabilia & firma ſunt, pariunt rei decretæ neceſſitatem Iſai. 46. 10. Pſal. 33. 11.

2. Propter prædictiones Scripturæ. verbum Dei non eſt mendax nec fallax. Ergò quidquid in eo prædictum, neceſſariò debet fieri. Atqui tum paſſio tum reſurrectio Chriſti prædicta

. dictis Geneſ. 3. 15. Sic Iſai. 53. Dan. 9. Pſal. 22. Pſal. 16. Pſal. 110. Pſal. 118. Quæ loca ipſi Apoſtoli dicunt loqui de paſſione Chriſti Actor. 2. 30. 31. & 13. 33. Hebr. 2. 7. & 9.

.. Typis. Iſaaci ſacrificatio & receptio, quæ ad Chriſtum applicatur Rom. 8. Hebr. 11. Sic Joſephi captivitas & exaltatio: ſic ſacrificia, ſic Jonas &c.

3. Propter juſtitiam Dei. Poſtquam Chriſtus ſpontè & lubens ſe judicio Dei ſponſorem pro nobis ſtitit, & redemptionem noſtram in ſe ſuſcepit, factus eſt obnoxius legi & juſtitiæ Dei Gal. 4. Imputata enim ipſi ſunt noſtra peccata Iſai. 53. Sponſor enim eſt loco rei, & eidem juri ſubjectus cui reus. Quid autem lex & juſtitia Dei poſtulat à ſponſore reorum peccatorum? Tria poſtulat.

a Ut ſolvat. Qui debitum in ſe recipit, tenetur debitum exſolvere uſque ad ultimum quadrantem. Juſtitia neſcit condonare, ſed ſatisfactionem requirit perfectam Matt. 3. 15. Hinc neceſſitas paſſionis & mortis.

b. Ut caveat. Iuſtitia Dei non patitur ut peccator ſalvetur & juſtificetur, & tamen in peccatis pergat. Tenebræ non poſſunt communionem habere cum luce. Non vult Deus dare pacem pergentibus in rebellione. Neceſſe igitur ut Chriſtus hoc præveniat & nos emendet ac ſanctificet & Deo ſubjiciat. At hoc non poteſt mortuus ſed regnans. Vide Actor. 2. 32. 33. & 5. 31. Rom. 4. ult.

c. Ut poſt ſolutionem & cautionem liber ſit. Non patitur Iuſtitia Dei, ut ſponſor præſtitâ ſponſione maneat in carcere mortis. Ideò non poterat teneri Actor. 2. 24. ideò eduxit ex morte Hebr. 13. 20. Ideò exaltavit Phil. 2. 9. Hæc cauſa cur reſurgere oportuit. Diſce hinc:

1. Quàm inanis ſit exprobratio, quod quicunque docent nihil fieri caſu, ſed propter Dei decretum, propter Dei effi-

Digitized by Google

cacem providentiam, propter prædictiones Scripturæ, propter poſtulata Iuſtitiæ, omnia fieri neceſſariò, nec poſſe fieri aliter, illi doceant fatum ſtoicum, faciant ex homine lapidem & ſtipitem, enervent vim verbi & valorem pietatis ac precum, faciant Deum autorem peccati, & peccatoribus adimant culpam, eoſque faciant deſperatos. An quicquam horum in paſſione Chriſti locum habuit? Et tamen oportuit Chriſtum mori & à Iudæis crucifigi. Neceſſitas quam facit decretum Dei & prædictio Scripturæ non tollit libertatem hominis in ejus actionibus, ut laudis & culpæ expers ſit cum bonum vel malum facit, etſi nos non valemus exactè percipere vel explicare, quæ ſit convenientia & conciliatio inter actionum humanarum neceſſitatem quam habent reſpectu Dei, & libertatem quam habent reſpectu hominis.

2. Quod nos Chriſtianos oportet pati, mori & reſurgere. Non quidem propter eaſdem cauſas neceſſe eſt, ſed tamen æquè neceſſe. Hinc toties Scriptura dicit nos cum Chriſto pati & reſurgere, idque duobus modis 1. Spiritualiter, ſicut Chriſtum oportuit pati, mori ac reſurgere, ita nos oportet carnem crucifigere, mundo mori, & ad novam vitam reſurgere. Hanc conſequentiam multis adſtruit Paulus Rom. 6. 2. 3. &c. 2 Corporaliter. Sicut Chriſtum oportuit ſemel mori & deinde ſemper vivere, ita nos. Hoc aſſerit Epiſtola ad Hebræos cap. 9. 27. 28. & præcipuè 1 Cor. 15. 12. 13. &c. & ſicut de Chriſto dicitur Luc. 24. quod ipſum oportuit mori & in gloriam ſuam intrare per paſſiones, ita idem dicitur de Chriſtianis Actor. 14. 22. Vide explicationem hujus verſus ſuprà.

Altera doctrina quam Paulus Theſſalonicenſibus ex Scriptura inculcat, eſt: quod Ieſus ille, quem ipſe prædicet, ſit ille Chriſtus, de quo Scripturæ V. T. dicant quod ſit venturus, paſſurus & reſurrecturus. Quomodo hoc dogma ex Scripturis probari poſſit, loci communes docent.

Actor. 17. *v.* 4. *ad* 10.

Conc. CLXXXVII.

HActenus quos Paulus Theſſalonicæ docuerit, quando, quomodo & quid: ſequitur quo fructu & effectu docuerit. Is duplex. Alii eorum doctrinam Pauli receperunt; alii rejecerunt.

De receptione habes, qui receperint, & quomodo. Qui receperunt? 1. Aliqui ex illis ſcil. Iudæis. Illis primò & præcipuè prædicabatur Euangelium, ſed ex illis pauciſſimi Euangelium recipiebant. Erant enim jam maturi ad judicium indurationis propter corruptum verum Dei cultum, quem præ gentibus habebant divinitus ſibi revelatum. Plurimi qui Euangelium receperunt, fuerunt religioſi Græci i. e. naturâ gentes ſed Iudæorum proſelyti facti, vel ſaltem religioni Iudaicæ addicti. Deus Iudæos propter contemptum religionis abjecerat, & ex ira in omnes gentes diſperſerat. Et tamen per hoc ipſum ſuper Iudæos judicium operatus eſt hoc beneficium, quod per ipſos multi ethnici à genti-

Digitized by Google

gentili idololatria avocati, fundamenta purioris religionis de uno Deo colendo, deque exſpectando ſalvatore contra peccatum & miſeriam, didicerunt, & ſic ad Euangelium Chriſti tantò faciliùs recipiendum præparati ſunt, & ſic impletum illud Rom. 11. 11. Præcipuè autem notatur quod non paucæ ex honeſtioribus ſeu primariis mulieribus Euangelium receperint. Sic Deus etiam cœpit mundanam aliquam auctoritatem Euangelio conciliare, aliquos ex primoribus illi ſubjiciens, ne receptio Euangelii videretur ſolius plebeculæ quidam furor, ut calumniantur magnates Judæorum Ioh. 7. 48. 49. Etſi enim Euangelium nuſpiam magis contemtui eſt quàm apud magnates mundi 1 Cor. 1. 26. & 2. 8. tamen Deus etiam ex hoc genere hominum aliquos Euangelio ſemper ſubjecit Ioh. 12. 42. donec tandem implevit promiſſionem Eſaiæ c. 49. 23. & 60. 3. 10. 11.

Quomodo receperunt? 1. ἐπείσθησαν, perſuaſi ſunt, vel paſſi ſunt ſe perſuaderi, ſcil. quod Euangelium Pauli ſit vera & ad ſalutem neceſſaria ac utilis doctrina, & ut conſilium ejus doctrinæ amplecterentur. Receptio enim Euangelii non eſt mera paſſio, quâ homo ad Euangelium trahitur, ſed & actio hominis divinitùs effecta, quâ Euangelio lubens aſſentitur, nec tantùm aſſentitur ut vero ac utili, ſed etiam conſilio ejus obedit, & perſuadetur ad abnegandum ſeipſum & ad confidendum in filio Dei, hæc vis vocis ἐπείσθησαν. Hinc fides in Euangelium vocatur πεποίθησις Eph. 3. 12. quod non tantùm aſſenſum notat, quo Euangelium habemus pro vero, ſed etiam fiduciam, quâ in Euangelium recũbimus, & τὰς καρδίας ἡμῶν πείθομεν i.e. corda noſtra ſecura ac quieta reddimus coram Deo 1 Ioh. 3. 19. 2. προσεκληρώθησαν adjuncti ſunt Paulo & Silæ. Non tantùm intrinſecus Euangelium receperunt, ſicut illi Ioh. 12. 42. ſed etiam extrinſecùs profeſſi ſunt, ſe ethnicam ſuperſtitionem abjicere, & diſcipulos Apoſtolorum Chriſti factos eſſe, quos etiam hoſpitio recipiunt, & omni genere officii proſequuntur. Hic igitur fructus quem prædicatio Euangelii habuit apud Theſſalonicenſes, quem Paulus egregiè deſcribit 1 Theſſ. 1. 3. 4. 5. 6. 7. &c. & c. 2. 13. 14. id quod etiamnum omnibus piis miniſtris verbi debet eſſe ſolatium, quod nunquam fruſtra prædicabunt verbum Dei, quantumvis multæ fiant oppoſitiones; & auditoribus exemplum, ne patiantur fruſtra prædicari, ſed alacriter recipiant ſicut Theſſalonicenſes.

Sed ſicut quidam crediderunt, ita quidã fuerunt increduli. Verbum ἀπειθεῖν, oppoſitum verbo πείθεσθαι, non tantùm notat naturalem illam impotentiam credendi, quâ omnes homines ſunt ἀπειθεῖς Tit. 3. 3. ſed notat actualem rejectionem Euangelii prædicati & contumaciam contra Euangelium vel inobedientiam Euangelii Eph. 2. 2. quam infidelitatem non committunt niſi illi, quibus Euangelium prædicatur. Ideò hanc referimus inter effecta prædicationis, effecta ſcil. per accidens. Etſi enim Euangelium per ſe neminem facit infidelem, eſt tamen occaſio per quam multi homines fiunt infideles, & præter reatum transgreſſæ legis etiam contrahunt reatum contempti Euangelii, propter quem non

Digitized by Google

tantum ira Dei ſuper illis manet, ut eſt Ioh. 3. ſed etiam novus mortis reatus contrahitur, Marc. 16. 16. non culpâ Euangelii; ſed merito inobedientiæ contra Euangelium 2 Cor. 2. 15. 16. quam doctrinam Paulus v. 14. applicat ad ſolatium contra fruſtraneam prædicationem Euangelii, reſpectu eorum qui non credunt, quod nihilominus triumphet, & ad gloriam Dei promovendam efficax ſit. Etſi enim fideles miniſtri amant ita prædicare, ut homines per prædicationem eorum ſalventur, tamen etiam in hoc acquieſcunt, ſi per contemptum Euangelii prædicati gloria divinæ juſtitiæ promovetur, quod ſanè tantò magis debebat auditores abſterrere à rejectione Euangelii. Vos poteſtis fruſtra audire, ſed nos non poſſumus fruſtra prædicare. Si non lucramur veſtram ſalutem, ſaltem illuſtramus Dei gloriam & juſtificamus ejus contra vos judicia.

Hactenus doctrina Pauli in urbe Theſſalonica, ſequitur ejus paſſio. Quocunque pedem poſuerunt Apoſtoli, ſatanas eos ſequutus eſt, & iiſdem inſtrumentis ac artibus ſe oppoſuit ipſis, quibus Chriſto ipſi in Judæa, ut nuſquam officio ſuo potuerint fungi ſine perſecutione. Videndum hîc 1. à quibus paſſus. 2. quid paſſus.

I. A quibus? A Judæis pro religione zelantibus, & ex circumforaneis ſibi viros pravos adjungentibus. Foranei ſunt homines otioſi & voluptuoſi, qui in foris urbium tempus terunt Matth. 20. 6. ἀτάκτως incedentes, à virtute & religione alieni, quales multos fuiſſe Theſſalonicæ Paulus ſatis indigitat. 2 Theſſ. 3. 11. 12. & 1 Theſſ. 4. 11, & 5. 14. Utinam inter nos tales non eſſent! Ex his circumforaneis ſumſerunt ἄνδρας πονηρούς, viros qui inter illos erant peſſimi. Non omnes otioſi huic flagitio ſe adjunxiſſent. Poteſt enim hoc hominum genus dividi in duas ſpecies, honeſtiores ſcilicet & flagitioſos, Marckt-jonckers en Marckt-boeven. Ad priores pertinent luſores, aleatores, ludorum ſpectatores, cauponarum frequentatores, ebrioſi, ſcortatores, rixatores. Hi ſunt primi fructus otii foranei, & tamen hi honeſti ſunt, ſi cum cæteris comparentur. Etſi enim ab inferno non poſſunt pronuntiari immunes, à patibulo tamen & pœnis civilis Magiſtratûs poſſunt: & ipſi Romani ſacrificuli, qui tot meritis & operibus ſupererogationis clari ſunt, tales eſſe non reformidant. Sed ſunt inter hos circumforaneos qui planè degenerant in ἄνδρας πονηρούς. Viros flagitioſos (boeven) qui ad omne maleficium parati, & quaſi venales ſunt in foro, quales ſunt graſſatores nocturni, ſtupratores, violatores, fures, effractores ædium, crumeniſecæ, lenones, hiſtriones & ſimiles, qui ipſis legibus politicis infames ſunt. Tales ſibi adjunxerunt Judæi pro religione zelantes ad perſequendos Apoſtolos Chriſti. Undè facilè patet qualis fuerit ille zelus.

Quadruplex eſt zelus pro religione.

1. Zelus immoderatus, cum homines pii pro bona cauſa intempeſtivè præter modum & neceſſitatem, & præter limites vocationis ſuæ affectibus indulgent, ſicut Moſes præ zelo immoderato tabulas legis frangebat Exod. 32. Sicut Petrus gladium ſtrinxit in Malchum Matth. 26. vide etiam Luc. 9. 54. Talis zelus, etſi non eſt omninò condemnabilis

Digitized by Google

bilis & execrabilis, tamen eſt noxius paci Eccleſiæ, & ideò vitandus. Zelus extra modum eſt, ſicut ignis extra focum, periculoſus. Magiſtratus debet* zelari gladio, miniſtri verbo, populus precibus & querelis.

2. Zelus erroneus, cum homines negligentes inſtitutionem ſacræ Scripturæ vehementer contendunt pro traditionibus humanis & dogmatibus falſis, non alia de cauſa, quàm quod putant ſe pro veritate contendere. Talis erat zelus multorum Judæorum, ut teſtatur Paulus Rom. 10. 2. 3. etiam eorum qui ad fidem converſi erant Actor. 21. 10. Eſt hic zelus, zelus erga Deum, ſed tamen non excuſabilis coram Deo. Paulus enim propter talem zelum ſe inter maximos peccatores reputat 1 Tim. 1. & qui occidentes Apoſtolos putabant ſe Deo rem gratam facere Ioh. 16. 2. minimè immunes erant à condemnatione. Ignorantia enim prædicati Euangelii non excuſat nec juſtificat zelum.

3. Zelus hypocriticus, cum homines in peccatis viventes volunt videri defenſores boni contra malos. Talis erat zelus Iehu, qui multo zelo uſus contra Achabi domum & idololatriam Baalis, tamen non diſcedebat à peccatis Ieroboami, nec ambulabat in lege Domini 2 Reg. 10. 29. 31. ſic Iudas Iohan. 12. verſ. 56.

4. Zelus Chriſtianus, cum quis præ amore Dei & ſanctitatis malis operibus & hominibus ita iraſcitur, ut ſeipſum cruciet, & tamen alios non lædat, extra limites vocationis ſuæ 2 Petr. 2. 7. 8. Qualis autem hic zelus Iudæorum? Et erroneus fuit & hypocriticus. Sicut enim profectus eſt ex ignorantia veritatis, ita non eſt profectus ex vero amore legis. Si enim hanc verè amâſſent, cum flagitioſis circumforaneis ſocietatem non iniiſſent ad concitandum tumultus & ſeditiones. Simus nos armati contra utrumque vitium.

1. Ne fiamus otioſi ambulatores in foro. Vos juvenes & pueri, ne fiatis forane **Marckt ionckers**/ aleatores, ſpectatores ludorum, deambulatores otioſi, frequentatores cauponarum. Hic enim proximus gradus ad flagitia (**van een leegh-gaenden Ioncker is heel licht eenen quaedt-doenden boef te maecken.**) Diſcite laborare, ut ad honeſtam aliquam vocationem apti ſitis. Hæc eſt enim voluntas Domini Gen. 3. 19. Exod. 20. 9. Prov. 6. 8 Pſal. 128. 2. Epheſ. 4. 28. otium pulvinar ſatanæ. Qui non adſuevit laborare, non poteſt pati & pugnare, nec luctari luctam ad obtinendam ſalutem neceſſariam, præſertim inepti ad preces, ignavi præcari non poſſunt. Tardi ad laborandum, tardi ad precandum, credendum, benefaciendum.

Obj. 1. Non poſſumus carere luſibus & recreationibus. R. 1. Luſus & recreatio non indulgentur otioſis, ſed laborantibus. Illi ne edendi quidem jus habent 2 Theſſ. 3. 10. pro his autem ſabbathum & quies inſtituta. 2. Quod peccatum eſt, non debet tibi luſus eſſe. Si ludere vis & te recreare, elige tales luſus, qui communi orthodoxorum Doctorum conſenſu graviſſimis ex Scriptura argumentis non ſunt condemnati. Si hoc facis, potes ludere & non peccare.

Obj. 2. Non habeo quod agam aut quo tempus teram. Non omnes homines

Digitized by Google

nes habent tot negotia ac concionatores. ℞. Fac tibi negotia. Qui literas callet & ſtudia habet, illi nunquam deeſt quod agat, qui non habet, illi nunquam deeſt quod diſcat. Si non habes quod pro te labores, labora pro aliis, qui ſuo labore ſeipſos ſuſtentare non poſſunt.

2. Ne ſiamus hypocritæ in religione. Otioſi & flagitioſi foranei non magis ſunt Deo exoſi quam hypocritici templorum frequentatores, qui pietatem ſimulant & cum impiis ac impietate communionem habent, ſicut hi Iudæi. Zelus immoderatus malus, erroneus pejor, hypocriticus peſſimus, unde contra tales væ pronunciat Chriſtus Matth. 23. vide Pſal. 50. 16. 17. 18. Tales ludificantur Deum & nomen ejus uſurpant vanè, ideoque non effugient comminationem tertii præcepti. Si vultis ad Deum accedere, ſanctificate Deum in cordibus veſtris Lev. 10. Cor ſine ore aliquando placet Deo, ſed nunquam os ſine corde.

II. Videmus à quibus paſſi ſint Apoſtoli, ſequitur quid paſſi.

1. Paſſi ſunt tumultum. Per vim enim tumultuariam irruerunt in ædes ubi Apoſtoli divertebantur, ut eos protraherent ad populum ut ſcil. lapidarentur. Paſſi igitur periculum lapidationis.

2. Paſſi calumnias & falſas accuſationes. Cum enim Apoſtolos in ædibus non invenirent, hoſpitem ipſorum Iaſonem protraxerunt ad Magiſtratus, ibique accuſationem inſtituerunt contra Apoſtolos & contra Iaſonem. Apoſtolos accuſant 1. quod orbem terrarum perturbent 2. quod faciant contra mandata Cæſaris, novos prædicando Deos. 3. quod præter Cæſarem alium Regem recipiant, ſcilicet Ieſum. Iaſonem verò accuſant, quod tales homines ſub tectum ſuum receperit. His calumniis & accuſationibus tùm turbam tùm Magiſtratum ita concitant & exacerbant, ut rem judicio cognoſcere ſuſcipiant. Tales calumnias & accuſationes, taliaque pericula Apoſtoli & eorum diſcipuli ſæpiùs paſſi ſunt, ut in antecedentibus vidimus, ideoque illis explicandis non inſiſtemus. Facilis eſt reſponſio ad omnes has Apoſtolorum accuſationes. Ad 1. non alio modo turbant orbem, quàm medicus turbat corpus ſuis pharmacis. Non vitio ſuæ prædicationis, ſed vitio orbis Euangelium reſpuentis, ſicut Chriſtus Matth. 10. dicit ſe veniſſe ad ferendum gladium. Ad 2. nihil aliud quàm quod reſponderunt Apoſtoli Actor. 4. oportet Deo plus obedire quàm Cæſari. Damus Cæſari quod eſt Cæſaris, dandum etiam Deo quod Dei. Ad 3. Non docebant præter Cæſarem eſſe alium Regem terrenum, qui Cæſaris majeſtati obſit, ſed Regem ſpiritualem & cœleſtem. Solutis autem accuſationibus Apoſtolorum, accuſatio Iaſonis ſuâ ſponte cadit. Hoc unum tantum obſervemus, quod ſtatim atque per receptionem Euangelii reconciliamur Deo, incurrimus inimicitiam & perſecutionem mundi. Qui vult ſervire Chriſto, debet pati cum Chriſto, qui vult bona opera facere, maleficia debet pati, præſertim nullus Doctor Euangelii poteſt eſſe fidelis quin patiatur.

Sequitur tandem liberatio ex his paſſionibus. Iaſon ſatisfacit judicibus ac dimittitur, & Apoſtoli noctu à diſcipulis mittuntur vel deducuntur Beream. Qualis illa ſatisdatio Iaſonis & aliorum?

Digitized by Google

℞. 1. vel excuſationibus ſe juſtificârunt 2. vel mulctam ſolverunt & ea ſe redemerunt 3. vel deniq; ſpoponderunt & fidejuſſerunt ſe nihil novi molituros contra leges imperii. Multa patitur juſtus, ſed ex omnibus eum liberat Dominus Pſal. 34.20. 2 Cor. 1. 5. Nulla fidelium paſſio vel oppreſſio ſine liberatione & fine. Præſertim in Jaſone & ſociis ejus diſcendum, quantam fidelitatem fideles debeant miniſtris Euangelii. Hi enim in Euangelio laborantes Apoſtolos & hoſpitio exceperunt & contra injurias impiorum cum ſuo periculo eos defendere non recuſârunt.

Actor. 17. *v.* 10. *ad* 15.

CONC. CLXXXVIII.

THeſſalonicâ Beream Paulus venit, aliud oppidum in eodem Macedoniæ regno. Hîc deſcribitur 1. quomodo iſthuc venerit 2. quid ibi fecerit & effecerit. 3. quid ibidem paſſus ſit. 4. quomodo inde evaſerit.

I. A fratribus Theſalonicenſibus noctu iſthuc miſſus fuit. i. e. dimiſſus vel deductus ut perſequutionem Theſſalonicenſem evaderet. Diſce hinc. 1. fugâ evadere periculum perſequutionis licitum eſt Matth. 10. 23. cum ſcilicet fieri poteſt ſine deſertione vocationis. Paulus hîc opus ſuum perfecerat & fundamenta Eccleſiæ jecerat. 2. Perſequutio hoſtium eſt promotio Euangelii. Fuit enim quaſi ventus, qui Apoſtolos ab urbe ad urbem depulit, ut Euangelium curreret velociter Philip. 1. 12. 13. 3. Fideles præconibus verbi debent tutelam contra pericula. Non tantùm hoſpitium & victum ſicut Jaſon fecit, ſed & defenſionem. 1 Cor. 9. 11.

II. Quid fecit? Ingreſſus eſt ſynagogam Judæorum ſcil. ad docendum ibi Euangelium. Nulla Judæorum injuria exſtinguere potuit ejus erga Judæos benevolentiam, ut omnino verum ſit quod de ſuo in Judæos amore prædicat Rom. 9. 1. 2. 3. Quid autem ibi docuerit, facilè patet ex ſequentibus. Quoniam enim Judæi examinarent ſcripturas an res ita haberent ſicut ille docebat, facilè colligitur quod eodem modo hîc egerit ac Theſſalonicæ v. 2. 3.

III. Sed quid docendo effecit & promovit? ut multi ex Iudæis & nobilioribus vel honeſtioribus Græcis tum viri tum mulieres cum omni promptitudine ſermonem receperint, & in Scripturis an res ita haberent, inquiſiverint, & denique crediderint. Græci εὐσχήμονες ſunt qui ſupra v. 4. primores & genere nobiliores. Tres partes habet converſio horum hominum.

1. Fuerunt πρόθυμοι ſeu prompti in verbo recipiendo. Hæc vox duo notat, primò τὴν ἐπιπόθησιν ſeu famem, ſitim ac deſiderium inſtitutionis in rebus ad ſalutem pertinentibus, de quo 1 Petr. 2. 3. deinde τὴν εὐπείθειαν ſeu promptitudinem credendi de quâ Iac. 3. 17. oppoſitam tarditati ad credendum, de qua Luc. 24. 25. Statim atque audiebant Apoſtolos de ſalute animæ loquuturos, adeò erant ſalutis ſtudioſi, ut ſummo cum deſiderio arrigerent aures. Nec erant tam præſumptuoſi ut putarent ſe ſatis inſtitutos, nec poſſe in religionis notitia proficere, ſed parati erant ad diſcendum, & ad recipiendam veritatem ſi quam diſcerent. Hoc primum

Digitized by Google

ſignum cordis regeniti. Sicut infantes recentes nati ſtatim appetunt & cum delectatione bibunt lac matris, ita regeniti ſincerum lac verbi divini. Verbum eſt ſemen ex quo gignimur, & lac per quod geniti nutrimur. Dum ſumus irregeniti, curamus quæ ſunt corporis, & quæ ad corporeas pertinent commoditates ac voluptates. Sed regeniti ſtatim curamus quæ ad ſalutem animæ pertinent, & verbum ſalutis deſideramus ac avidis auribus audimus, parati ad recipiendam veritatem ubi eam invenerimus. Ubi igitur verbi appetitus non eſt, ibi regeneratio & ſpiritualis vita locum non habet, quod probè obſervent, qui nec legere nec audire verbum cupiunt.

2. Eſti fuerunt εὐπειθεῖς, obſequentes, tamen non fuerunt ταχυπειθεῖς ſeu creduli (erant **geerengeloovigh** ſed non **lichtgeloovigh**) Credulitas eſt quædam levitas in credendo (**lichtveerdigheyt**) cum nos patimur omni vento doctrinæ circumagi Epheſ. 4. 14. cum ſumus ſicut arundo quæ à vento hinc inde agitatur Matth. 11. 7. cum cuivis ſpiritui credimus, nec probamus ſpiritus an ex Deo ſint 1. Ioh. 4. 1. Hæc credulitas non fuit in Beroënſibus, ſed quantumvis verbo audito multùm delectarentur, tamen non crediderunt, donec cum ſcriptura contulerunt an res ita haberet ut à Paulo docebatur. Cum hoc exemplum objicimus Ieſuitis, qui ſuam doctrinam à populo ad ſcripturam exanimari non volunt, ſed ſimpliciter niti auditores cupiunt auctoritate ſuorum doctorum, duo ſunt quæ reſpondent:

α. Id factum eo tempore, quo doctrina fidei nondum ſatis erat confirmata nec ubique recepta, ideoque hoc tempore non opus eſſe, poſtquam ſatis confirmata & ubique recepta. ℞. ſi quid extra Scripturam veritatem confirmare poteſt, nunquam magis fuit confirmata quàm tunc, cum miracula Chriſti & Apoſtolorum tot vivos & oculatos teſtes habebant, quos nunc non habent, & tamen Beroënſes hac confirmatione non contenti certitudinem doctrinæ auditæ in ſcriptura quæſiverunt. Verbum Dei ſatis eſt confirmatum, ſed an Ieſuitarum conciones ſint verbum Dei, probandum eſt ex Scriptura. Erat & tunc Euangelium paſſim receptum, etiam à multis Iudæorum millibus in ipſa Iudæa Act. 21. 20. Et tamen Beroënſes Iudæi hac receptione noluerunt niti, ſed ſcripturas conſuluerunt.

β. Non examinârunt, inquiunt, doctrinam Pauli ad ſcripturam ex dubitatione, ſed ut magis confirmarentur. ℞. ſcilicet hoc volunt Ieſuitæ, ut prius cœcam obedientiam in verba magiſtrorum auditores jurent, & poſtquam hoc fecerunt, permittunt ſi prohibere non poſſunt, lectionem ſcripturæ, ut aliquid inveniant quod juratæ opinioni prætexant. Contrario modo agendum eſt. prius jurandum in fidem ſcripturæ, tam audiendus & ad hanc exigendus concionator. Textus aliter loquitur. Dicit enim ideò conſuluiſſe ſcripturas, ut ſcirent an res ita eſſent ut Paulus dicebat, & non crediſſe Paulo, niſi poſtquam ſcrutati ſunt ſcripturas, & quidem quotidie ac diligenter examinâſſe. Ne igitur probemus cœcam illam obedientiam papiſtarum, quâ ſine examinatione & ſcrutatione Scripturæ quidvis credunt quod à ſacrificulis docetur.

Digitized by Google

tur. Si Beroënſes Apoſtolis noluerunt credere ſine conſilio ſcripturæ, cur nos Ieſuitis credamus? Si Chriſtus ipſe juſſit ſuam doctrinam ad ſcripturas examinari Ioh.5. Cur Ieſuitæ hoc detrectant? Loquor intelligentibus, judicate vos quæ dico 1 Cor.10. Iudicium doctorum ſuorum in rebus fidei auditores non debent contemnere, ſed magnifacere, ſed eo tamen non niti ut infallibili. Sunt qui nimium tribuunt judicio ſuorum doctorum, recipientes illud ſine ſeria & ſedula collatione cum ſcripturis, & per hoc manent in ignorantia ac erroribus. Sic in papatu laici, ut vocant, datâ operâ ſunt cœci, nec cupiunt examinare doctrinam clericorum, ſed cæca obedientiâ recipiunt quicquid docent. Sunt etiam qui nimis parum tribuunt judicio ſuorum doctorum. Sic omnes qui ſpiritu Anabaptiſtico aguntur, etiamſi ſint idiotæ, ſutores, textores, lixæ & calones, ſi modò paululum ſenſus ſuos in legendis ſcripturis exercuerunt, & verba ſcripturæ memoriter tenent, capita & verſus allegare nôrunt, tantum ſibi fidunt in judicio de rebus religionis, ut contemptis omnibus doctorum interpretationibus, propriis interpretationibus indulgeant, in rebus conſcientiæ ſibi ipſis ſententias ferant, nec curent conſilia Theologorum, immò ipſi conciones habere, & ſcripturam interpretari occipiant. & nihil tam arduum ac tam magnum quod non occipiant ac defendere præſumant. Sicut priores pereunt ignorantiâ, ita hi ſuperbia & audacia ſua & animæ ſuæ periculum, & Eccleſiis ac rebuſpublicis turbas pariunt. Cum claudi nolunt ſe movere, ignavi ſunt, cum ſine fulcimento volunt incedere, ſtulti ſunt & facile cadunt, cum luſcus perſpicilia detrectat, malè legit: doctores veſtri ſunt veſtri ductores ἡγούμενοι & ὁδηγοὶ Act. 8. 21. Hebr. 13. 17. Scriptura eſt ſemita juxta quam incedere debetis in Chriſtianiſmo veſtro. Sicut igitur ſemitam Scripturæ non debetis relinquere, ſed perpetuò ob oculos habere, ita nec ductum & directionem doctorũ veſtrorum debetis contemnere in ſcrutanda & conſulenda ſcriptura ſuper rebus fidei & caſibus conſcientiæ, ſed interpretationes & deciſiones ipſorum, præſertim concordes, magnifacere ac cum ſcriptura conferre. Hæc duo extrema Eccleſiam reformatam inde à reformatione turbârunt. In Germania ſtatim ac contra cœcam prælatorum obedientiam Eccleſia inſurrexit, ab altera parte furoribus Anabaptiſticis & bello ruſtico infeſtata eſt. In his provinciis ex una parte cum prælatis, ex altera parte cum Anabaptiſtis & aliis ſectariis etiamnum perpetuò pugnandum. In Anglia prælatorum ſuperbia hoc incendium excitavit, Anabaptiſtarum & ſectariorum phantaſtica confuſio reſtinctionem ejus impedit. Caveamus utramque extremitatem, & incedamus via media. Utinam ſoli Anabaptiſtæ hoc genio agerentur & non inter noſtros quoque nimis multi eſſent, qui tum in rebus fidei, tum in rebus conſcientiæ, tum in rebus ad diſciplinam & ordinem Eccleſiæ pertinentibus nimium ſuorum doctorum & ductorum deciſiones & conſilia præ ſuis propriis contemnerent. Doctores Eccleſiæ habent ſpecialia docendi dona, ſpecialem ad docendum vocationem, ejuſque promiſſam benedictionem in bonum cæterorum. Hæc non debent ab idiotis con-

Digitized by Google

temni, ſi volunt proficere in ſapientia & Spiritum ſanctum doctorem animarum nanciſci.

3. Poſtquam doctrinam Pauli probarunt, crediderunt eam. Non fuerunt ſicuti illi, qui ſemper diſcunt, & nunquam ad agnitionem & fidem ac receptionem veritatis perveniunt 2 Tim. 3. 7. ſed re ſatis examinata veritatem, quam viderunt, amplexi ſunt & crediderunt. Quid eſt credere verbum prædicatum? Non tantùm aſſentiri, tanquam verô & bono, ſed etiam obedire & obſequi. Obedire nimirùm 1. Conſilio Euangelii in abnegando ſeipſo & amplectendo Chriſto ejuſque juſtitia. 2. Præceptis legis omnibus ac ſingulis per novam obedientiam internam & externam. En hi fuerunt fructus laboris Paulini apud Beroënſes.

IV. Sed unde hoc venit quod Pauli prædicatio apud Iudæos Beroënſes tam multum effecit, cum apud Theſſalonicenſes tam parum effecerit? Quia illi erant nobiliores, quam hi. Εὐγενέστεροι, melius nati. Hic Pelagiani triumphant & tripudiant. Vides, inquiunt, unde veniat, quod alii verbum prædicatum recipiunt, cum alii non recipiunt, quia ſcilicet illi ſunt nobilioris naturæ, indolis ac ingenii ſincerioris, civiliores, humaniores, probiores, adeoque magis dociles, magiſque capaces & prompti ad Euangelii doctrinam capeſſendam. Si hoc verum eſt, tum laus converſionis non eſt ex Deo, ſed ex homine contra expreſſa ſcripturæ dicta Rom. 9. 16. 1 Cor. 4. 7. Epheſ. 2. 5. 8. Si naturalis nobilitas & probitas cauſa eſt converſionis, qui fit quod tam pauci nobiles, ſapientes &c. ſervantur? 1 Cor. 1. 26. 27. 28. Hic igitur ſermo non eſt de εὐγενείᾳ & nobilitate naturali, nec de moralibus bonis qualitatibus, quæ eam plerumque ſequuntur, ſed de regeneratione ſpirituali per Spiritum ſanctum facta. Hinc fiebat quod apud ipſos tam fœcundum erat miniſterium Pauli, quia ſcilicet ſemen ejus cadebat in bonam terram Matth. 13. 23. id eſt in cor pulchrum ac bonum Luc. 8. 15. quod per operationem Spiritus ſancti erat præparatum & adoptatum, ad ſemen Euangelii recipiendum, & ad fructus ex eo ferendos. Hæc Iudæorum Beroënſium præ cæteris nobilitas. Habebant alium Spiritum, quàm cæteri. Ex Deo nati, divinæ naturæ participes, ideoque verè nobiles. Obj. Quomodo potuerunt eſſe regenerati, cum nondum audiverint Euangelium. Reſpond. Ante adventum Pauli non fuerunt ſine Euangelio. Erant enim Iudæi ac Proſelyti, qui habebant Moſen ac Prophetas, in quibus & lex & Euangelium deſcribitur. Etſi nondum habebant illam abundantiam Spiritus, quam per Euangelium Pauli acceperunt, tamen habuerunt aliquas Spiritus ſancti primitias. Etſi nondum habebant particularem illam notitiam, quod Ieſus Nazarenus eſſet Meſſias & Salvator mundi, tamen habebant generalem illam fidem ac notitiam, quod in ſcripturis à Deo Meſſias & Salvator animarum promiſſus erat, & erant ex piis illis Iudæis, qui adventum Meſſiæ cum deſiderio & gaudio expectabant, ſicut Simeon & Hanna Luc. 2. ideoque tam libenter de Meſſia & ejus adventu concionantes audiebant. Si quid ex hâc phraſi diſcere volumus, hoc diſcamus, quod vera nobilitas conſiſtit in cura & ſtudio ſalutis. Nec veſtes, nec opes, nec artes,

Digitized by Google

artes, nec honores, nec eruditio, nec fortia facta nobilem faciunt, ſed veræ nobilitatis indicium eſt ſtudium honorandi Deum & curandi ſalutem animæ. Nobilitas ſpiritualis in tribus conſiſtit:

I. Ut in negotio ſalutis non ſerviamus hominum traditionibus & opinionibus ſed ſoli Dei verbo nos ſubjiciamus. Dolendum eſt tot homines nobiles tam ſerviliter ſe ſubjicere dictatis ſacrificulorum, nec ſe vindicare in eam libertatem, ut ipſimet ſcripturas ſcrutentur. Vide Gal. 5. 1. 1 Cor. 7. 23. Certè non eſt generoſum cœcâ odedientiâ ſe ſubjicere hominibus, ſed proprios aperire oculos & inquirere, quid ſit juſtum nec ne, quid ſalvificum, nec ne.

II. Ut non radicemur in rebus terrenis, nec beatitudinem noſtram ponamus in voluptatibus terrenis. Hoc pecuinum potiùs, quàm nobile. Quærere quæ ſuprà ſunt, & animum habere ad cœlum erectum generoſum eſt Col. 3. 1. Phil. 3. 21.

III. Non eſſe impotentem ſui, ſed poſſe frangere ac moderari paſſiones & affectus, ne te abſtrahant ad faciendum, quod inconveniens eſt. Prov. 16. 32. & 25. 28. Non eſſe mollem ac puſillanimem, ſed in lucta contra tentationes carnis & ſatanæ ac mundi conſtantem, & in ferenda cruce ac tolerandis periculis fortem. Servire Deo regnare eſt, & Rex qui peccato ſervit, minus nobilis eſt, quàm ruſticus & mendicus, qui peccato dominantur. Hactenus quid Paulus Berœæ fecerit & effecerit: ſequitur quid ibi paſſus ſit, & quomodo inde evaſerit, quod verſ. 13. & 14. deſcribitur. Sed quia hoc planè idem eſt cum eo quod ſupra verſu 8. & 10. habuimus, ei non immorabimur.

Actor. 17. *v.* 15. *ad* 22.

Conc. CLXXXIX.

Sequitur Expeditio Athenienſis. Hiſtoria hujus expeditionis habet ſequentia membra:

1. Qui à Beroënſibus Paulo erant adjuncti ad ipſum comitandum deduxerunt eum Athenas uſque.

2. Hinc acceptis à Paulo mandatis ut Silas & Timotheus quàm celerrimè eò venirent, remeârunt ad ſuos.

3. Dum Paulus ſuos comites Athenis expectaret, civitatem peragrabat, & præcipuè contemplabatur idola ac altaria ipſorum v. 23. & animadvertebat, quod hæc urbs præ aliis eſſet valdè idololatrica.

4. Contemplatione hujus idololatriæ ſpiritus Pauli inflammabatur, ſcilicet zelo adverſus idololatriam.

5. Hoc zelo commotus conſilium capit huic idololatriæ manus injiciendi, eamque pro viribus deſtruendi. Hoc fine.

α. Ingreditur Synagogam Judæorum, ibique & Judæis & religioſis advenis Euangelium loquitur.

β. Etiam in foro ſigillatim compellat quotidiè quoſvis obvios.

γ. Hac occaſione viciſſim compellatur à Philoſophis, præcipuè Epicureis & Stoicis, & cum iis in diſputationem incidit, eorumque convitia patitur.

δ. Tandem in curiam deductus, concurrente undique populo novitatis avido, publicè concionem habet, quâ popu-

Digitized by Google

lum in veritate inſtituit & ita movet, ut aliquos convertat.

Sequemur veſtigia textus:

I. Deducitur Athenas. Non repetam nunc exemplum amoris & gratitudinis Beroënſium, quam Paulo exhibuerunt, dum ipſi honoris & ſecuritatis cauſa comites & ductores viæ adjunxerunt. Id popotius dicendum, qualis Athenæ civitas. Fuit Urbs inter Græcas celeberrima. Claritas urbis 1. ab antiquitate, quippè quæ circa tempora Moſis Regem Cecropen habuiſſe dicitur. 2. à victoriis contra Perſas paulò ante tempora Alexandri M. 3. à ſitus amœnitate, commoditate ad commercia, & fœcunditate. 4. à ſcientiarum & artium liberalium cultu. Academia fuit quam totus frequentabat orbis, ipſi etiam Romani, Aſiæ Domini facti, & barbarus ferè habebatur qui Athenis excultus non eſſet. Cum autem tot bonis abundaret hæc urbs, uno tamen bono caruit, quod ſolum bonum eſt, ſcilicet Euangelio. Erat Euangelium etiam Athenis. Nam & Biblia in Græcam linguam erant tranſlata, & Judæi in Synagogâ ſua quotidiè ea legebant; Sed erat occultum, ſubter modio, ſicut ſemen in granario, non in agro, ſaltem verus Euangelii ſenſus non percipiebatur. Apoſtolis igitur opus, qui ſemen hoc ſpargerent. Urbs quæ ſine Euangelio eſt, magis miſera quàm quæ ſine ſole. Quid juvat antiquitas, celebritas, potentia, eruditio ſine Euangelio? Nos noſtram Rempublicam, noſtras urbes florentiſſimas cum hac comparantes id potiſſimùm gaudeamus, quod nulla in re Athenis inferiores ſolo Euangelio eas excellimus, quod animas ſervat, & beatitudinem æternam procurat. Habemus expertos medicos, doctos philoſophos, eloquentes oratores, ingenioſos artifices, juris peritos acutos, prudentes politicos, glorioſos heroës, ſed hi omnes nihil ſunt, ſi comparentur cum nunciis Jeſu Chriſti, qui ejus nomine legatione fungentes verbum reconciliationis in ore gerunt. Quàm dulces ſunt pedes eorum, qui in Sione pacem annunciant Eſa. 52.7. Inter omnes prærogativas populi Iſraelitici, quas Propheta recenſet Pſal. 68. eminet illa una, quam verſu 12. exprimit. Contemnite veſtrum miniſterium quantum vultis, eſt certè orthodoxum & efficax miniſterium, ipſa corona & faſtigium omnium excellentiarum veſtrarum, qua ſemel amiſſa cætera omnia caſsâ nuce digna non ſunt, & nihil vobis expectandum præter æternum væ contra corpus & animam, & omnes veſtræ benedictiones maledicentur.

Paulo Athenas veniente urbi iſti ſalus demùm contigit, & felicior facta eſt, quàm erat cum Academia ipſorum ac Reſpublica floreret maxumè.

II. Athenas delatus dat mandatum, ut Silas & Timotheus celeriter ad ſe veniant. Magnam meſſem per ſpiritum prævidit, de laboratoribus itaque multiplicandis ſollicitus fuit. Eo fine præceptum miſit Silæ & Timotheo. Mandata dat magiſtratus ſubditis, pater liberis, herus ſervis, ſed ſunt & eccleſiaſtica mandata, quæ antiſtites dant eccleſiæ, eaque duplicia: 1. Mandata doctrinæ. Etſi miniſtri verbi ſunt miniſtri Eccleſiæ, qui doctrinam ſalutarem ipſi adminiſtrant cum omni manſuetudine & fraterna humanitate, docendo, ſuadendo, hortando, orando, tamen ſunt & miniſtri Dei, qui ejus nomine

Digitized by Google

nomine voluntatem Domini, ſacris literis comprehenſam, cum omni authoritate & ſeveritate præcipiunt. Philem. 8. Num. 5.2. 1 Tim.4.11.& 6.17. Nihil præcipiendum niſi quod Deus in verbo ſuo præcepit. Et cum hoc vobis præcipimus, præceptis noſtris debetis obedientiam. 2 Mandata ordinis. In circumſtantiis cultus Deus nihil aut parum in verbo ſuo determinavit, & tamen in his quoque vult fieri omnia decenter & ſecundum ordinem 1 Cor. 14. 40. Cum igitur in his antiſtites Eccleſiæ aliquid ſanciunt & ordinant, verbo Dei nullatenus contrarium, etſi non eſt mandatum deſpoticum & imperiale, tamen apud Eccleſiam non ſua debet carere auctoritate, nec quivis auditorum ſuo privato judicio plus tribuere debet quàm ordini publico. Nam alioquin ordini & decoro nullus foret locus. Tale igitur præceptum fuit quod Apoſtolus miſit ſuis in opere Domini collaborantibus, & Euangeliſtis.

III. Dum hos expectat, urbem contemplatur, & præſertim τὰ σεβάσματα αὐτῶν, id eſt, templa, idola, altaria, & cætera corporalia devotionis inſtrumenta. Id enim vidit, ex quo percepit, quod iſta civitas præter modum eſſet idololatrica. An benè fecit Paulus, quod idolis & idololatriæ ſpectaculo oculos ſuos pavit? ℞. Paulus hoc fecit, ut quæreret occaſionem docendi. Medico licet inſpicere morbos ægri. Hic etiam concionatori licet explorare præcipua auditorum ſuorum vitia. Alia res eſt, cum ad carnalem delectationem idola contemplamus, quæ non debent aſpici ſine deteſtatione & cordolio. Aliud item, cum qui infirmi ſunt ad peregrina ſacra excurrunt, cum non ſint ſatis inſtructi ad reſiſtendum ſeductionibus, quas ſpectando vel audiendo incurrere poſſunt. Sed præcipuè hic notandum, quod Apoſtolus hanc urbem, quæ præ cæteris urbibus ſcientia & ſapientia pollebat, præ cæteris invenit κατείδωλον, id eſt, idololatriæ planè deditam. Unde clarè colligimus, quantum diſtent ſapientia humana, quæ ex hominibus eſt & ſapientia divina, quæ ex revelatione Dei eſt, & quàm omninò ſapientia humana non ſit cauſa, per & propter quam alius alio in rebus divinis & religioſis oculatior eſt. Si uſpiam inveniri potuiſſet aliqua excellentia naturalis, quæ hominem ab homine diſcerneret, alium alio Deo magis commendaret, & ad ſalutem diſponeret & præpararet, hic certè fuiſſet quærenda & invenienda, ubi ſapientiæ humanæ & virtutis moralis illuſtris Schola erat, ubi excellentiſſimorum philoſophorum patria erat. Sed ecce quantò major hic erat ſapientia in humanis, tantò major ſtultitia in divinis, adeò, ut paulus nihil omninò boni inveniret, quo Athenienſes ad majorem gratiam ſubduceret, ſed ignorantia & ſtultitia ipſorum ſola erat, quæ ipſi ſerviret pro occaſione ad ſapientiam his hominibus inculcandam. Nihil mirum, ſi paulus in hac civitate ipſe didicit quod poſtea nos docuit Rom. 1. 21. 22.23. 1 Cor. 1. 19. 20. 21. Moveat nos hoc, ut cum intima & ima humiliatione Deo agamus gratias pro noſtra illuminatione, nec ullo pacto propriæ ſapientiæ & diſcriminationi quicquam tribuamus. Dei pura & ſingularis gratia eſt, quæ nobis revelavit quod ſapientibus hujus mundi abſconditum eſt Matth. 11. O utinam dignè hanc gratiam æſtima-

Digitized by Google

æſtimaremus, & dignè in ea ambularemus!

IV. Intuitu hujus idololatriæ Pauli ſpiritus fuit exacerbatus. Non intuetur idololatriam tanquam rem vanam & ſtultam, ſed exacerbatur per eam tanquam per rem turpem & iniquam. Zelus ſanctorum eſt quædam inflammatio & exacerbatio ſpiritus ipſorum contra peccata, tum propria, tum aliena. Non eſt exacerbatio carnis ſed ſpiritus. Non tantùm exacerbatio animæ, ſed Spiritus ſancti in anima habitantis. Spiritus ſanctus enim propriè eſt, qui peccatis exacerbatur Eſa. 63.10. Quatenus carnales ſumus, delectant nos peccata, quatenus ſpirituales, exacerbant nos peccata. Hoc apparet.

1. In peccatis propriis 2 Cor. 7. 11. peccata noſtra non tantùm triſtitiam in nobis excitant & pœnitentiam, ſed etiam nos ipſos contra nos ipſos accendunt quadam indignatione, averſione, vindicta, ut cupiamus nos ipſos quaſi condemnare & punire, quod Deum offendimus. Qui ſua propria peccata fert incommotus, & alienis peccatis exacerbatur, hypocrita eſt.

2. In peccatis alienis 1 Cor. 5. 2. 2 Petr. 2. 8. Pſal. 119. 158. Iohan. 2. 15. 16. 17. Sicut gallina exacerbatur contra accipitres pullis inhiantes, ſicut canis contra fures heri bona rapturos, ſicut filius contra eos, qui parenti ſtruunt injurias, ita fideles contra eos, qui Deum patrem ſuum contumelia afficiunt, & ubi hæc exacerbatio locum non habet, ſed blaſphemiæ in Deum & omnis generis peccata feruntur animo incommoto, ibi certo certiùs verus & filialis Dei amor non eſt. Amor enim zelum parit contra eos, qui amato injurii ſunt. Inter omnia autem peccata nullum eſt, quod Spiritum ſanctum in animis fidelium habitantem magis exacerbat, quàm idololatria. Vide exemplum Exod. 32. 19. 20. 2 Chronic. 34. 3. 45. Non allego hæc tanquam exempla, quæ modernos magiſtratus obligent ad imitationem, ſed tanquam exempla oſtendentia quantoperè idololatria irritet & exacerbet Spiritum Dei in fidelibus habitantem. Hinc omnes Prophetæ in nullum vitium gravius invehuntur quàm in hoc. Et ratio eſt, quia hæc eſt verum adulterium, quo homines Deo deſerto diabolum colunt & amant. Sicut maritus omnes uxoris defectus ferre poteſt, ſed adulterio exacerbatur ad zelotypiam, ita Deus omnibus hominum peccatis ſuccenſet, ſed idololatria exacerbatur ſpiritus ejus & fit zelotypus. Et qui ſine tali zelotypia ferre poteſt idololatriam, in eo certè Spiritus ſanctus non habitat. Utinam hoc conſiderarent, qui contra idololatriam papatus tantum zelum non adhibent, quantum cujuſq; vocatio requirit. Quantò minor eſt noſter zelus contra papatum, tanto minor noſter amor erga Deum. Non requirimus exacerbationem contra perſonas, ſed contra peccatum, ut hoc arceatur, refutetur, impediatur. Non eſt Chriſtiana manſuetudo quæ idololatriã tolerat, ſed eſt impia tarditas ad vindicandam Dei gloriam. Pertinaciſſimum & radicatum malum ſine ferventiſſimo zelo evelli non poteſt. Objicitur. At idololatria papatus non eſt tam craſſa ac ethnica. Reſpond. Imo Deo tanto magis exoſa, quod ab iis committitur, quos Deus ſibi per externum fœdus in populum adſcivit. Non tantoperè in ethnico-

Digitized by Google

nitorum, quantoperè in Iſraëlitarum idololatriam invecti ſunt Moſes & Prophetæ. Et reverà quid craſſius fuit in idololatria ethnicâ, vel in Iſraëlitico vitulo, quàm in adoratione ſanctorum, imaginum, reliquiarum, panis miſſatici? O utinam tandem deſineret inter nos perverſa illa frigiditas vel tepiditas, quâ multi utuntur in negotio religionis contra Papatum, dicentes ſe velle eſſe extra partes, utrinque aliquid boni & aliquid mali eſſe, ſe propterea nolle rumpere amicitiam cum quoquam! Hoc eſt tepidum eſſe & claudicare in utramque partem, quorum quod ſit premium indicatur Apoc. 3. 16. Quàm parum hi homines contribuunt ad ſanctificationem nominis divini, & ad adventum regni Dei, qui idololatriam Pontificiam incommoto animo ferunt, ut Eli ferebat filiorum ſuorum peccata! Si noſtri majores eo animo fuiſſent, quo pacto nos perveniſſemus ad libertatem Euangelii! Obj. Quid igitur tibi vis? an, ure ſeca? Non ſunt conſcientiæ hominum in negotio religionis cogendæ, Reſpond. Sic quidem ſenſerunt olim Donatiſtæ, hodie Anabaptiſtæ, ſed an nos Reformati his cupimus eſſe ſimiles? Quis unquam plus uſſit & ſecuit, quàm illi ipſi, qui maximè urſerunt tolerantiam omnium ſectarum? Habetis hujus rei exempla priſtina & moderna, domi foriſquè. An cupimus eſſe ſapientiores Eccleſiâ omnium temporum, quæ ſemper uſa eſt hâc diſtinctione, quod aliud ſit cogere ad fidem, aliud cogere ad externa media fidei, & tollere per vim externa impedimenta fidei, ac inſtrumenta & irritamenta impietatis, præcipuè impedire externam & craſſam idololatriam? Quàm hoc in Veteri Teſtamento fuerit uſitatum & Eccleſia Novi Teſtamenti illud ſemper imitata ſit, ſuperfluum foret oſtendere, quippè notum omnibus, qui ullo pacto habent ſenſus in ſcripturâ & hiſtoriâ exercitatos. An volumus condemnare noſtros majores, qui nobis exemplo fuerunt? An condemnare diplomata & programmata Ordinum? Præſertim cum Papatus hoc habeat præ aliis, quod ſimpliciter ſe devovent ad cœcam obedientiam, & nolunt aures ſuas patere ulli inſtructioni, quomodo aliter ei poteſt reſiſti quàm per vim?

V. Sed non tantùm indignatur animo ob hanc idololatriam, ſed ad opus ſe accingit, civitatem ab idololatriâ repurgandi & reformandi. Non fit iconoclaſta, faciens vim quæ magiſtratui mandata, ſed tantùm facit quod ſuæ vocationis eſt, alloquitur homines, exprobrat, refutat, reprehendit idololatriam ipſorum, & veram religionem eos edocet. Si cum carne & ſanguine conſulere voluiſſet, plurima erant, quæ perſuadere poterant ne hoc opus inciperet, quod peregrinus in alienâ republicâ curioſus eſſe non deberet, quod idololatria eſſet inveterata in iſtâ Republicâ, quod non ſolum vis ſuperſtitioſi vulgi, ſed & acumen Philoſophorum ſe eſſet oppoſiturum huic conatui. Sed non imitatur Moſen ac Jonam ſubterfugia quæritans, ſed divinæ vocationi obediens facit quod ſui eſt officii, & ſucceſſum Deo committit, nobis relinquens exemplum, quod bona cauſa non ſit deſerenda, nec recedendum à bonâ conſcientiâ, etiamſi totus mundus ſeſe opponat. Conatus hujus reformationis habet ſequentes gradus: 1. Paulus ingredi-

Digitized by Google

greditur Synagogam Judæorum, & ibi loquitur Judæis & religioſis, ſcilicet gentibus. Hæc via ejus ordinaria, quod per Judæos ad gentes ſe applicat. Hoc fine Deus Judæos inter gentes diſperſerat, Synagogas ipſis aperuerat, & multas ex gentibus advenas ipſis conciliaverat, qui cum Judæis Deum Iſraëlis invocabant, & perinde religioſi hoc loco appellantur, ut ſcil. per hos tanquam per januam Euangelium ingrederetur ad gentes. Quid ibi effecerit, non dicitur. Videtur quod parum. Et revera ex tota hiſtoriâ ſatis clarum eſt, quod conatus quidem Pauli in hâc civitate reformandâ fuerit major quàm in aliis civitatibus, ſed effectus minor. Quia ſcilicet nimis multum Philoſophiæ, id eſt, humanæ & carnalis ſapientiæ hic erat, quæ SS. Theologiæ cedere neſcit. Non contemno Philoſophiam, ſed pro utili ancillâ Theologiæ eam habeo, ſed hoc ſaluti noxium, cum regulas philoſophiæ opponimus revelationibus Theologiæ, nec ullam revelationem Scripturæ credimus, quæ regulis Philoſophorum contraria ſit. Hoc faciebant Athenienſes, ideò Pauli Euangelium tam parum apud eos perfecit. Omnis Philoſophia, Theologiæ non ſubordinata, eſt ſcientia inflans & veræ Theologiæ ſe opponens & cruci Chriſti inimica. Meritò igitur curare debet, ac tenetur Magiſtratus, ut in Academiis Philoſophia doceatur moderata, quæ intra ſuos limites concluſa revelationi S. Scripturæ ſeſe nôrit ſubmittere.

2. In foro compellat quoſvis obvios quotidiè. In foro Euangelium prædicare, an hoc ſatis decorum Apoſtolo? Reſpond. Si templa & cathedræ ipſi fuiſſent paratæ, non bene feciſſet ſi his prætermiſſet forum. Sed cum aliter non poſſumus, ſatius eſt aliquid agere, quàm nihil agere. Diligentia & zelus hic ſe exerit Pauli, & nobis commendat, ut quibuſcunque occaſionibus propagandi regnum Dei gnaviter invigilemus. Apparet etiam quàm parvis & privatis initiis verbum Dei ſeu Euangelium fuerit factum publicum.

3. Cum ipſe adoriretur alios, viciſſim ipſum adoriuntur Philoſophi, & ſerram diſputationis cum ipſo reciprocare ſatagunt. Duo hominum Genera erat inter ethnicos, qui religionis curam gerebant publicam:

a. Sacerdotes. Hi ubique inveniebantur, ſed plerumquè erant fratres ignorantiæ, & externis ceremoniis ac ludis in honorem Deorum adornandis erant occupati, ſicut & hodiè quicunquè ſacerdotum nomen affectant, magis ceremonias quàm ſcientiam veritatis curant, omnem apicem in eo conſtituentes, ut populum in cœca obſervatione ceremoniarum contineant. Ceremoniæ & comœdiæ ſeu proceſſiones hiſtrionicæ opera ſacerdotum.

b. Philoſophi. Hi non tantùm excolebant ſcientiam corporum naturalium, & artes circa illa tum politicas, tum œconomicas, non tantum eloquentiam & facundiam, ſed præcipuè acumen rationis intendebant in Deum & res divinas, differentes de naturâ Dei vel Deorum, de virtute & vitiis, & de iis tales proferentes doctrinas, quæ multa quidem continebant utilia, ſed ad ſalutarem Dei cognitionem neutiquam ſufficiebant, & è contrariò plurimis gravibus & blaſphemis erroribus, nec non multis con-

Digitized by Google

tradictionibus & diviſionibus erant obnoxia. Inter hos Philoſophos duæ præcipuè ſectæ erant, quæ ſe præcipuè in rebus ad religionem pertinentibus occupabant:

1. Prior erat Epicureorum. Hi non negabant eſſe Deum, ſed tamen providentiam Dei negabant, dicentes Deum otioſum obambulare cardines cœli, nec ullâ rerum mortalium curâ tangi, ſed voluptati dare operam. Ideò etiam hominis ſummum bonum conſtituebant, non in eo ut ſeſe in mundo cruciet curis obtinendi vitam æternam poſt mortem, quam nullam dari affirmabant, ſed in eo, ut homo ſectetur eas voluptates, quæ animum & corpus ſanum & tranquillum redderent. Non docebant ſequi craſſas illas & inhoneſtas voluptates, quę famam apud homines præriperent, valetudinem turbarent, invidiam & alias moleſtias conciliarent, ſed tantùm timores conſcientiæ ab irâ Dei & periculo ſalutis evellebant ex animis, ne quis per illos ſibi adimeret libertatem faciendi, quæ ad mundanam tranquillitatem ac diuturnam voluptatem corporis & animæ pertinerent. His inter Judæos ſimiles erant Sadducæi, & inter nos moderni noſtri athei in aulis, quos non vides eſſe deditos iſtis craſſioribus voluptatibus, quæ famam, ſanitatem & voluptatem tranquillam perdunt, ſed tamen hoc agunt, ne quis metus Dei & extremi judicii quenquam impediat à clandeſtinis voluptatibus, quantumvis impiis. Hi propriè non ſunt diſcipuli Sardanapali, ſed tamen Epicuræi. Epicuræi non erant Sardanapaliſtæ, ſed erant docti & acuti Philoſophi, qui probè ſtuduerant illud Ciceronis lib. 5. Tuſc. quæſt. quomodo jucunda vita poſſit eſſe, à quâ abſit prudentia, abſit moderatio animi? Docebant prudenter & moderatè eſſe impium, quantum ſtare poſſet cum voluptate. Tales & hodiè noſtri athei in aulis, quos propterea magnates nolunt credere eſſe atheos, cùm appareant tam virtuoſi. Idem ferè ſpiritus Jeſuitarum.

2. Altera Stoicorum, quæ ſtudium voluptatis damnans, ſtudium virtutis & auſteræ vitæ commendabat, & in eo ejuſque meritò felicitatem hominis collocabat. Quàm his ſimiles olim inter Iudæos fuerint Phariſæi, & hodiè ſint papiſtici doctores, præſertim qui inter monachos ſunt optimi, (pleriquè enim monachorum ſunt Sardanapaliſtæ, optimi ſtoici) ſole clarius eſt. Quomodo hi Philoſophi Paulum tractaverint, hâc concione explicari non poteſt. Concludo hâc hortatione, ut grato animo agnoſcamus, quod meliores doctores in negotio religionis nacti ſumus à Deo, qui nos verè ſapientes poſſunt reddere ad ſalutem, qui nobis verum bonum oſtendunt quod beatos reddit, videl. reconciliationem & redunitionem cum Deo per Chriſtum crucifixum Dei filium, quique oſtendunt vera media hoc bonum obtinendi, videl. contritionem cordis, fidem, & novam obedientiam legis in puro corde, qui deniquè oſtendunt originem hujus contritionis, fidei ac obedientiæ, videl. regenerationem Spiritus ſancti, necnon media à ſpiritu Sancto hæc obtinendi, ſcilicet verbum & ſacramenta. Poſtquam hoc habemus; habemus & quod in hac miſerà vità vero ſolatio nos

Digitized by Google

ſuſtentet, & quod poſteà ad meliorem vitam ducat.

Actor. 17. *v.* 18. *ad* 22.

CONC. CLXXXIX.

Diſputatio cum his Philoſophis ita deſcribitur, ut verius ſit perſecutio, quàm diſputatio. Dicuntur enim 1. cum ipſo conflictati eſſe. 2. Conviciati ipſum eſſe, vocantes ſpermologum. 3. Doctrinam ejus de Jeſu & reſurrectione pervertiſſe ac calumniatos eſſe, quod eſſet annunciatio peregrinorum Deorum. 4. Traxiſſe in curiam & ibi de hâc doctrinâ, tanquàm de crimine accusâſſe. Areopagus enim apud Athenienſes erat & Martis templum, & curia juſtitiæ adminiſtrandæ deſtinata. Juſtitiæ enim adminiſtratio apud prudentes gentes ſacroſancta erat, & præcipua pars religionis, ideoquè non mirum, quod in ipſo templo adminiſtrabatur.

I. Congrediebantur cum eo. Mitior ſignificatio vocabuli eſt: contulerunt cum eo. Sed quod non fuerit amica collatio, ſed hoſtilis, facilè patet ex iis, quæ in textu ſequuntur. Erant illi Philoſophi, qui hactenus totum orbem erudiverant, nolunt igitur doceri ab aliquo extero, ſed eum contemnunt & hoſtiliter adoriuntur, ſicut Joh. 9. 24. Nunquam quæquam Doctrina hoſtiliter eſt oppugnanda, antequam amicabili collatione fuerit explorata. Doctrinas notoriè falſas, legitimo judicio cognitas, examinatas & condemnatas explodere & deteſtari legitimum eſſe poteſt, niſi circumſtantiæ aliud requirant, ſed hoſtiliter invadere, quæ explorata non habemus, temeritas eſt, quâ poſſumus nos ipſos facile reddere oppugnatores Dei & veritatis. Probandi prius ſpiritus an ex Deo ſint 1 Joh. 4. 1. probanda prius omnia & tum retinenda bona & rejicienda mala 1 Theſſ. 5. vide Joh. 7. 51. Hoc obſervandum non tantùm in negotio religionis & doctrinæ, ſed etiam in privatis litibus cum proximo. Statim atque verbulum aliquod profert proximus quod minus videtur commodum, vel ſtatim atquè defertur hoc vel illud dixiſſe vel feciſſe, erumpimus in hoſtilitatem & convitia contra ipſum, nec prius examinamus, an res ſic ſe habeat, nec ne. Multæ lites poſſent præveniri, ſi hanc obſervaremus regulam, ut ante hoſtilem invaſionem inſtitueremus amicam collationem. Vide Joſuæ 22. 11. 12. &c.

II. Vocant ipſum σπερμολόγον, ſeminilegam. Hæc vox primò uſurpatur de avibus. Duplices ſunt aves: 1. quæ in arboribus degunt & victum in aëre quærunt, muſcas vel vermes captantes. 2. quæ plerumque humi jacent & in arvis ſemina legunt, præſertim domeſticæ illæ, quæ micas poſt prandium ex mappâ excuſſas colligunt. exempli gratiâ: Paſſeres, columbæ, &c. Deinde hæc vox transfertur ad homines, & per eam denotantur 1. garruli, qui non rationali diſcurſu delectant, ſed inani multiloquio moleſti ſunt, ſicut aves ſeminilegæ non cantant ut cæteræ, ſed moleſto ſtridore & garritu aures offendunt. 2. Mendici in foro, ſectantes eos, qui emunt vel vendunt, ut ſi quid ex ſaccis aut fiſcellis ipſorum decidat, colligant atque inde victitent. 3. Vel etiam otioſi, qui in plateis

Digitized by Google

plateis & foro aliorum ſermonibus ſubauſcultant, ut ex iis hauriant quod aliis narrent. Vocant igitur Paulum ſeminilegam: 1. quia doctrinam ejus habebant pro mero ſtridore anſerino & garritu. 2. quia videbant ipſum in foro quoſvis obvios prenſantem, & ex ipſorum alloquio occaſiones captantem, ut ſermonem veritatis ipſis ingereret. Acutè planè & Philoſophicè. Philoſophi enim acuti non tantùm in argumentando ſed præcipuè in convitiando. Jaciunt convitia docta, arguta, acuta & artificioſa in adverſarios ſuos, & eà in re magnam partem eruditionis ſuæ ponunt. Optandum foret etiam in diſputationibus Theologorum hoc non obtinere, ſed gravitatem & manſuetudinem Chriſtianam magis ibi aliquando lucere, præſertim contra eos, qui in fundamentis fidei à nobis non diſſentiunt, imò nobiſcum ejuſdem confeſſionis ſunt. Verum eſt, quod & Prophetæ ac Apoſtoli ſanctis aliquando ſarcaſmis utantur in adverſarios 1 Reg. 18:27. Job. 26.1.2. Iſai. 8.9.10. ſed tamen harum ludificationum debet in diſputationibus ſanctis eſſe juſta menſura, ne ſplendorem Chriſtianæ gravitatis & maſuetudinis obſcurent. Vident etiam concionatores, nihil novi eſſe, ſi ipſorum labor contemnitur. Multi ſunt auditores, imò multi Philoſophi adeò carnales & ſtupidi, ut ex concione benè inſtituta non plus intellectus hauriant, quàm ſi anſerem audiſſent ſtridentem. Sunt tamen qui putant gravius convitium Paulo hic dici, & ſacrilegum vocari, & eam ob cauſam in curiam duci, ut accuſetur tanquam ſacrilegus, qui novâ ſuâ doctrinâ intercipiat victum & quæſtum illis, qui altaribus ethnicorum ſerviebant & ex illis vivebant. Vide hoc problema tractatum apud Clariſſ. Cloppenburgium in ſchola ſacrificiorum.

III. Dicunt, quod annuntiatio Jeſu & reſurrectionis ſit annuntiatio novorum vel peregrinorum Deorum. Duo hic nota:

1. Paulus in conflictu cum Philoſophis non implicat ſe in ſubtiles diſputationes, ſed duplici ſectæ duplicem articulum fidei oppoſuit: 1. Sectæ Stoicorum oppoſuit articulum de adventu Jeſu Salvatoris. Si enim filius Dei in mundum venit, ut merito paſſionis & mortis ſuæ peccatores ſalvos faceret, concidit tota Stoa, totus phariſaiſmus, papiſmus, quod homo meritis & viribus propriæ virtutis ſeipſum ſalvet. Sic hic unus articulus confutat omnes ſectas propriam juſtitiam & vires naturalis arbitrii crepantes. 2. Sectæ Epicuræorum opponit articulum de reſurrectione. Si enim mortui reſurgent & comparebunt coram tribunali Chriſti, ut quilibet accipiat quod fecit in corpore, ſive bonum, ſive malum, concidit tota ſchola Epicuriſmi & impietatis, ſive Deum & ejus providentiam neget, ſive gratiâ Chriſti abutatur ad laſciviam carnis. Vide igitur, quàm artificioſè duobus verbis confundat Paulus totam ſapientiam Academicam. Recitetur hiſtoria Sozomeni de Philoſopho in Synodo Nicæâ argutè diſputante contra Epiſcopos, & tandem per ſolam confeſſionem fidei ab idiota convicto.

2. Prædicationem Salvatoris & reſurrectionis Philoſophi appellant annunciationem novorum Deorum. 1. Vox

Dæmon, ſive Dæmonium apud Chriſtianos ſignificat angelos bonos vel malos. 2. apud gentes verò ſignificat Deos minores majoribus oppoſitos. Quia enim ſciebant aliquo modò angelos eſſe, nec tamen ſciebant quid eſſent, fingebant eſſe parvos aliquos Deos, qui cum magnis diis in felicitate eſſent. 3. Tales aliquos Deos Athenienſibus incognitos & alibi creditos putabant Paulum annunciaturum. Nam reſurrectio corporum ex mortuis, & Salvator mundi per mortem & crucem, erant reverâ apud Athenienſes notiones valde peregrinæ. Ditiores civitates gentium non tantùm colebant magnos illos Deos, omnibus gentibus notos, nec tantùm proprios aliquos Deos habebant, ſed & in catalogum colligebant omnium gentium Deos, qui uſpiam apud ullas gentes colebantur, eoſque aliquo pacto colebant, ſicut Romani habebant ſuum Pantheon. Putant igitur Paulum ſibi annuntiaturum Deos aliquos nondum cognitos. Chriſtiana Religio, de ſalute per Chriſti juſtitiam in reſurrectione corporum obtinendâ, cum olim Judæis ab Apoſtolis prædicabatur, audiebat quod eſſet nova, veteri religioni contraria Actor. 6.13.14.15. Idem hoc audit apud gentes & Philoſophos: idem poſt reformationem apud Pontificios; & tamen reverâ non eſt nova ſed vetuſtiſſima doctrina. Gen. 3. & 12. Job. 19. Dan. 12. Quibus hæc doctrina nova & peregrina eſt, illis cum Eccleſiâ veteri & Catholicâ nulla communio eſt. Si annunciaremus transſubſtantiationem, indulgentios, adorationem ſanctorum, ſacrificium miſſæ, purgatorium &c. haberent Pontificii, ut dicere poſſent nos novos dæmones annunciare; ſed dum non niſi Chriſtum & reſurrectionem annunciamus, quid quæſo novi prædicamus? Tum eſſemus veri ſpermologi, ſi, ſicut illi, recolligeremus priſtinas Judæorum & ethnicorum ceremonias, quas vetus Eccleſia Chriſtiana abjecit. Tum verè garruli, ſi ſepoſitâ Scripturâ non niſi fabulas, propria commenta, & aniles quaſdam traditiones prædicaremus.

IV. Abripiunt Paulum in curiam, ut ibi novam ſuam doctrinam populo publicè exponat. Sunt, qui putant ideò in curiam traxiſſe Paulum, ut criminaliter accuſarent, ut tanquam violator religionis publicè receptæ pœnas lueret. Sed probabilius, quod præ curioſitate & ſtudio novitatis hoc fecerint, ut populo curioſo & novitatis avido ludum præberent. Hæc enim ratio expreſſè additur verſu 21. Sicut & paſſim à prophanis ſcriptoribus hoc exprobatur Athenienſibus, quod non tantùm Philoſophi ſed & plebii, inani ſapientiâ turgidi, garruli fuerint & temerarii in judiciis, nec quiſquam eſſet tam vilis, quin de rebus ſummis cum ſummis, ſibi ſapere videretur. Cum bellum eſſet, rumoribus & mendaciis ſemper omnia plena, cum pax, Philoſophi novas inventabant quæſtiones, poëtæ novas fingebant fabulas & comœdias, ut ſemper aliquid novi eſſet. Plutarch. tract. de garrulit. Semper Athenis encænia & nova ſpectacula. Hinc & in Republica nihil ſtabile, ſed ſemper innovationes. Hoc vitium & peregrini, juvenes ſcilicet ſtudiorum gratiâ apud ipſos commorantes, ſtatim imbi-

Digitized by Google

imbibiſſe textus loquitur, quod ſanè non eſt bonus fructus peregrinationis, quod juvenes imbibunt vitia aliarum nationum, & ea in patriam ſuam aſportant. Hic igitur aliquid dicendum de aviditate novitatis, an virtus ſit an vitium? In ſe nec vitium, nec virtus eſt, ſed quatenus peccat in exceſſu vel defectu, vitium eſt. Eſt triplex aviditas novitatis, ſcilicet in rebus naturalibus, civilibus, eccleſiaſticis ac ſpiritualibus.

1. In Naturalibus. Huc refer cupiditatem peregrinandi, ſtudium novi habitus & ſingularis veſtitus, ſtudium novarum inventionum & ſingularium opinionum in artibus & ſcientiis. In his certè cupiditatibus frænum requiritur, ut mediocritas & conſtantia habeat locum, nec fiat levitas & vertigo ſuperbiæ. Vetuſtas in talibus habenda in pretio, nec leviter deſerenda, etiamſi non deceat ita moroſum eſſe, ut non patiamur vetuſtatem expoliri & excoli.

2. In Politicis. Cum veteres leges ac conſuetudines incipiunt diſplicere & novæ appetuntur. Hoc non rarum in Rebuſpublicis, ut homines legum ac conſuetudinum priſtinarum jura, præſertim ſi regentium vitio paulò magis aggraventur, aſpernentur & nova quærant. Hoc bis factum inter Iſraëlitas & infeliciter ceſſit 1 Sam. 8. & 1 Reg. 12. Quod ferri ullo modo poteſt, ferendum potius eſt, quàm dandus imitationi locus Prov. 22. 28. Aliud eſt cum agitur cauſa animæ & ſalutis. Huc etiam pertinet curioſa inquiſitio rerum novarum, quæ in mundo geruntur, præcipuè in bellis. Hæc inquiſitio per ſe non illicita, quippè per quam ad animum revocatur providentia Dei, ſuper mundum & Eccleſiam, à quâ veniunt hæc nova Iſai. 48. 6. Jerem. 31. 22. ejuſque juſta judicia & beneficia ad gaudium & preces excitandas Prov. 15. 30. & 24. 25. Vide exemplum Nehem. 1. 2. 3. 4. Sed tamen hæc inquiſitio in res novas debet habere ſuum modum, ne fiat contra, ſed ſecundum vocationem uniuſcujuſque, non ad neglectum ſed in adjumentum vocationis. Nimia curioſitas punitur Ezech. 3. 26.

3. In Eccleſiaſticis & ſpiritualibus. Hic certè ſtudium novitatis ſuam culpam & ſuam laudem habet:

. Culpam. Si alibi, certè in Eccleſiâ ſtudium novæ doctrinæ, ſingularium opinionum, inſtitutionum ac ceremoniarum novarum periculoſum eſt. Nec novi & peregrini Dii, nec nova media colendi Deum verum & antiquum dierum introducenda ſunt in Eccleſiam, ſed adhærendum priſtinis in verbo Dei inſtitutis. 2 Timoth. 2. 16. Jer. 6. 16. Pontificii nos hujus novitatis reos agunt, nos verò illos. Verùm noſtra reformatio non eſt novum Deorum & novorum colendi mediorum introductio, ſed novorum Deorum & rituum ac dogmatum ejectio & antiquorum reductio. Pontificii introduxerunt novos Deos vel dæmones & ſanctos vel divos, quos antiquitas non invocaverat, novos mediatores, novam juſtitiam, nova merita novaſque ſatisfactiones pro peccatis, quos nec vetus Eccleſia nec ſcriptura agnoverat, novum verbum antiquitùs non ſcriptum,

nova

Digitized by Google

nova bona opera in verbo non præſcripta, nova Sacramenta antiquis incognita. Has novitates ejecimus & priſtinæ religionis ſplendorem ac puritatem inſtauravimus, reducentes ſtatum religionis & Eccleſiæ ad conformitatem cum ſacrâ ſcripturâ, & antiquis ac indubitatis fidei articulis. Hanc novitatis aviditatem caveant miniſtri verbi, caveant & auditores, ne omnes conciones diſpliceant, niſi ſemper aliquid novi habeant. Hic eſt pruritus aurium 2 Tim. 4. 3.

.. Laudem. Laudabile eſt novitatis ſtudium, ſi

α. Cupiamus fieri nova creatura accipere novum cos, mortificare veterem hominem, induere novum & renovari ſpiritu mentis, incedere in novitate vitæ. Col. 3. Eph. 4. Rom. 6. 2 Cor. 5. Tædium nos debet capere veteris inimicæ carnis.

β. Deſideremus novam terram, novum cœlum, novam Jeruſalem, in quam Chriſtus nobis præivit per adſcenſionem ſuam. Hìc revera nova & videbuntur & audientur, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit. In his terris reverâ nil novi, ſed omnia quæ recurrunt, antea fuerunt Eccl. 1. 9. 10. Verùm ibi & nos renovabimur ſicut aquila Pſal. 103. & omnia quæ circa nos erunt, erunt adeò nova, ut nec viſa nec audita ulli, vide Apoc. 21. 5. Hanc novitatem cupiamus, & ſatiati hoc vano mundo cupiamus eſſe cum Chriſto. Diſcamus ſapere hæc nova & cœleſtia, quærere quæ ſupra ſunt, &c.

Actor. 17. *v.* 22. 23.

CONC. CXC.

SEquitur concio Pauli in curiâ Athenienſi habita, in quâ Paulus religionem Athenienſium culpat, & veræ religionis fundamenta ipſis inculcat. Non inquiremus curioſè in ordinem ſeu methodum concionis, ſed verba ejus κατὰ πόδα explicabimus.

I. Non compellat eos illuſtri ac ſplendido titulo, ſed ſimpliciter viros Athenienſes appellat. Et reverà nullus titulus ipſis gratior erat; quippè qui ſibi nullâ in re tantoperè gratulabantur, quàm quod eſſent indigenæ & cives urbis, quæ rebus geſtis, & literarum ſtudiis tam clara erat. Tituli ab eruditione, à potentiâ & rebus geſtis magni æſtimantur in mundo, ſed nullus major, quàm qui à patriâ, genere & familia deſumitur. Multum valet in mundo, ſi quis eſt nobili prognatus ſanguine, unde homines Genealogias ſuas curioſè ſolent obſervare, ſed optimus titulus eſt, ſi quis eſt civis Eccleſiæ. Quicquid eſſent Athenienſes, erant tamen nihil aliud, quàm inquilini mundi, non pertinentes ad familiam Dei, (ſcilicet Eccleſiam, quæ civitas & Regnum Dei) ſicut Judæi, qui eo nomine multum gloriabantur, quod eſſent ſemen Abrahæ, Joh. 8. ſicut & Paulus hoc privilegium non omninò contemnit, ſed dicit, ſe eo nomine gloriari poſſe, quod eſſet Hebræus ex Hebræis &c. Phil. 3. 5. quamvis & hoc inutile & inglorium, niſi per Spiritum Sanctum regenitus inter filios Dei numerari poſſis, & niſi

Digitized by Google

ſi operam des, ut inter hos heroicâ fide & virtute excellas.

II. Exprobrat ipſis tanquam vitium, quod ſint δεισιδαιμονέστεροι. Comparativus eſt, quo Religio Athenienſium 1. comparatur cum aliarum gentium religionibus, quaſi dicat: Video vos magis deditos religioni ac Deorum cultui quàm alias gentes. 2. Notatur vitium exceſſus, quod erat in religione Athenienſium, quaſi dicat; video vos plus deditos religioni, quàm æquum eſt. Erant religioſi, ſed religione vitioſa. Nulla res pluribus vitiis eſt obnoxia, quàm religio hominum, quâ Deum colunt. Corpus hominum tot morbis non eſt obnoxium, atque Religio vitiis. Peccat in qualitate, quantitate, in exceſſu, in defectu. Quomodo quis poteſt in exceſſu peccare & eſſe religioſior quàm decet? Ne ſis nimiùm juſtus, inquit Salomon Eccl. 7. Senſus non eſt, quaſi poſſis eſſe nimis pius & bonus. Exceſſus enim religionis non eſt in genere pietatis. Non eſt ſenſus, quaſi poſſis eſſe nimis præciſus in obſervandis Dei mandatis, aut quaſi ſine ſcrupulo poſſis aliquibus peccatis indulgere, & aliquibus præceptis Dei obedientiam negare, ſi modò in præcipuis & majoribus Deo ſervias, nec quaſi non tenearis ſolicitè actionibus tuis attendere, an peccatum ſit nec ne quod facis. Hæc opinio evellit radices veræ pietatis. Qui in uno peccat, id eſt, ſibi libertatem peccandi concedit, is omnium reus eſt, id eſt, ille facilè contrahit reatum omnium, modò detur occaſio Jac. 2. Qui deſpicit autoritatem unius præcepti, totam Legiſlatoris autoritatem deſpicit. Quoniam igitur propriè loquendo non poſſumus eſſe nimis religioſi, ideò Paulus providè addit particulam ὡς, quaſi dicat, eſtis quaſi (by maniere van ſpreecken) nimium religioſi, idque in omnibus, in ſacrificiis, in precibus, in multitudine imaginum, templorum &c. Quid igitur eſt religioſiorem ſeu devotiorem & juſtiorem eſſe, quàm æquum eſt? Reſpond.

1. Qui cultum & media religionis propriis inventionibus reddunt operoſiorem & graviorem, quàm Deus eum fecit. Qui ligant onera quæ Deus non ligavit, qui præcipiunt, quod Deus non præcepit, qui prohibent, quod Deus non prohibuit, qui res medias, ſeu indifferentes faciunt neceſſarias Col. 2. 21. 22. 23. Hæc vera ſuperſtitio, quâ aliquid ſtatuitur ſupra id, quod Deus conſtituit in negotio religionis; unde Germani vocant (overgelove / bygelove.) vide Iſai. 29. 13. Quantum hujus vitii, non olim tantùm inter gentes fuerit, ſed hodieque in Papatu ſit, longum foret enumerare. Reformatio noſtra à Papatu præcipuè in eo conſiſtit, quod amputavimus & reſecuimus ſuperfluos & inutiles ramos religionis. Hæc ſuperflua religio non tantùm eſt palea, quæ frumento ſe miſcet 1 Cor. 3. 12. ſed & fermentum, quod maſſam ſanæ religionis corrumpit. Matth. 16. 6. 11. 12. imò depaſcit corpus humanum in quo eſt. 2 Tim. 2. 17.

2. Illi, qui præ timore Dei negligunt ac impediunt fidem in Deum. Deus vult timeri, ſed etiam vult fide ac amore teneri. Ideò non legem ſolam dedit, ſed & Euangelium, non tantùm juſtitiam ſuam nobis prædicari ſinit, ſed etiam

Digitized by Google

miſericordiam & gratiam ſuam,non tantum humilitatem exigit, ſed & fiduciam, non tantum triſtitiam de peccato ; ſed etiam gaudium ſuper ſalute, non tantum tremebundam reverentiam, ſed etiam filialem parrheſiam & acceſſum. Sunt igitur nimis religioſi, qui ita timent ab irâ, ut non recumbant in gratiam qui ita terrentur lege,ut non admittant ſolatium Euangelii, qui ita laudant humilitatem, ut culpent fiduciam, qui ita dejiciuntur ſenſu peccati,ut non audeant accedere ad Deum, qui ita pavent ob judicia, ut obliviſcantur omnia beneficia Dei,qui ita indignitatem ſuam reſpiciunt,ut non auſint vel Chriſto ipſi præcipienti obedire,ſicut Baptiſta Matth.3.4. & Petrus Ioh.13.6.8. Qui denique ita ſuum cor ſuſpectum habent hypocriſeos & falſitatis, ut propriæ conſcientiæ,etiam poſt ſeriam & ſedulam probationem, ſui ipſius teſtimonio nihil credant. Aliud requiritur Pſal.2.11,gaudete cum timore. Debet omninò per prædicationem legis terror & timor Dei in corda noſtra introduci,ut generet abnegationem noſtri & deſiderium Chriſti, ſed poſtquam hic terror nos ad unionem & communionem cum Chriſto adegit, per fidem & amorem Chriſti expellendus eſt 1 Ioh. 4. 18. In homine regenito eſt & timor & amor. Timor ex prædicatione legis, amor ex fide in Euangelium.Etſi autem hæc duo ſunt in uno corde, tamen ſibi invicem contrariantur, & amor nititur metum expellere, ſicut Iſaac Iſmaëlem, & quantò magis per fidem creſcit amor, tantò magis minuitur timor Dei, & cum amor in vitâ æterna reddetur perfectus, timor penitus expelletur, ut ſolus amor cor poſſideat.Quamdiu conſtruitur domus, tamdiu machinæ & tabulata architectorum neceſſaria ſunt, ſed quantò magis domus ad perfectionem accedit, tantò plus dejiciuntur & removentur machinæ artificum. Sic quamdiu ædificatio noſtra in Chriſto imperfecta eſt, neceſſarius eſt terror & timor.Sed quantò magis ad perfectionem vergit, tantò magis temperatur metus, donec tandem penitùs expellatur. Qui igitur humilitati & timori ita indulgent, ut fidei & parrheſiæ ſtudium datâ operâ negligant, illi ſunt magis religioſi, quàm par eſt.

3. Illi qui externo cultu, quem prior legis tabula præcipit,ita ſe impediunt, ut amorem ſui & proximi negligant.Exempli gratiâ, qui tanti æſtimant feriationem Sabbathi, ut malint ſine ullâ defenſione occidi, vel proximum in ſuâ miſeriâ perire, quàm die Sabbathi manus admovere ad ſe defendendum, & proximum in ſua neceſſitate juvandum, ſicut ſcimus Iudæos hoc vitio laboraſſe. Miſericordiam volo & non ſacrificium Hoſ. 6. Sic qui in jejuniis & prolixis precibus tantùm collocant æſtimii, ut ſe ſubducant omni legitimæ vocationi, & etiam vires corporis emacerent, ut jejuniis & precibus vacent ſolùm, quemadmodum monachi ſe jactant facere; ſicut & multæ mulieres rem domeſticam negligunt, ut templis & diſcurſibus de religione vacare poſſint; ſic qui Sacramentis tantum tribuunt,ut malint illegitimum uſum,quàm privationem Sacramentorum.Hi ſunt religioſiores quàm decet. Decet ita colere Deum, ut non negligas amare te & proximum.

4. Illi qui nullas poſſunt ferre cenſuras, ſed in ſuis actionibus juſtificandis adeò

Digitized by Google

eò ſeduli ſunt, ut malint eſſe contentioſi, quàm aliorum cenſum ſilentio ferre ac ſuperare. Apologiæ & juſtificationes propriarum actionum licitæ ſunt, ſed ſi ſint moderatæ. Nam facilè in talibus ſumus nimis juſti. Nunquam ita vives, ut poſſis eſſe tam juſtus in aliorum oculis atque es in tuis. Itaque in tuis juſtificandis actionibus non ſis nimis juſtus nec nimis accuratus, ſed cum moderata defenſio tuæ juſtitiæ & famæ non ſufficit aliis; ſufficiat tibi teſtimonium bonæ conſcientiæ coram Deo, ſicut talis moderatæ apologiæ, cum multo ſilentio permixtæ, ſanctiſſimum exemplum habemus in hiſtoriâ paſſionis Chriſti, qui ita calumnias hoſtium, quæ juſtum aliquod poterant dare offendiculum, refutavit, ut multas tacendo prætericrit.

5. Illi denique nimis religioſi & juſti ſunt, qui aliorum vitia & defectus ita oderunt, ut obliviſcantur omnem Chriſtianam manſuetudinem, tolerantiam, dexteritatem & curam pacis, ut per polypragmoſynen ingerant ſeſe in cenſuras aliorum etiam ultra limites vocationis, & prætexta zeli contra peccatum tranſgrediantur mandatum charitatis, in tantùm ut non vereantur non neceſſariis oppoſitionibus Rempublicam & Eccleſiam turbare. Chriſtianus debet & odiſſe & ferre poſſe peccata. Sic Deus noſtra peccata odit quàm maximè & fert quàm patientiſſimè. Hanc τροποφορίαν à Deo diſcere debemus ex Actor. 13. 18. Requiritur quædam juſtitia in proximo ob vitia verberando & redarguendo Pſal. 141. 5. Juſtus me percutiat, ſed vox juſtus ibi accipitur ut Matth. 1. 19. qui ita juſtus & ſeverus eſt contra aliorum peccata; ut non obliviſcatur æquitatem, & manſuetudinem, ut non reprehendat, niſi quod novit verè peccatum eſſe, ut non reprehendat ex irâ & acerbitate, ſed ex amore & compaſſione ad emendandum, ut ita reprehendat, ne famam lædat cum conſervari poteſt, ut denique ita reprehendat, ne ſolatium contriſtatis ſubtrahat. Qui ſuum odium, ſuamque iram contra aliena peccata non miſcet hâc æquitate & manſuetudine, ille nimis juſtus eſt, nimis ſeverus, nimis religioſus. Videtis igitur, quod exceſſus in negotio religionis etiam ſit peccatum, non minus grave & periculoſum, quàm atheiſmus, religio hypocritica, frigida, cæterique religionis defectus. Scio equidem hâc lectione hîc loci minus opus eſſe, ubi atheiſmus, irreligioſitas, conſcientiarum laxitas, devotionis frigiditas plus regnat, quàm religionis exceſſus. Sed tamen non ſumus ab hoc quoque immunes, nec referendus inter parva peccata, multò minus habendus pro pietate. Habent ejuſmodi homines magnam quidem pietatis ſpeciem, ſed æquè legem Dei tranſgrediuntur atque qui in defectu peccant. Caveamus igitur & defectum & exceſſum religionis, & demus operam, ut regulam & æquilibrium verbi ſolicitè & providè ſequamur, ne vel cæco zelo tabulas legis frangamus, vel negligenti frigiditate ac tepiditate deficiamus in menſurâ religionis ad ſalutem & ſolatium neceſſariâ. Precemur igitur ut Spiritus nos ducat per viam rectam ac planam Pſal. 143. 10. ut nec ad ſiniſtram nec ad dextram deflectamus.

III. Hoc exordio præmiſſo incipit Apoſtolus Athenienſibus oſtendere particularia vitia, quæ erant in ipſorum religio-

Digitized by Google

ligione, ſcilicet, quod colant Deum ignotum, quod putent Deum habitare in templis manu factis, quod denique putent, Deum indigere ſervitio hominum.

Primò, inquam, exprobrat, quod colant Deum incognitum. Peragravi veſtram, inquit, civitatem, inſpexi veſtra ſanctuaria, inveni inter alia altare cui inſcriptum: *Deo ignoto.* σεβάσματα noſtri tranſtulerunt Sanctuaria, Heilighdoemen/ non in rei veritate, ſed putativè, ſicut Diabolus eſt Deus. Inſtrumenta idololatriæ verè non ſunt ſanctuaria. Non tantùm unum, ſed plura ejuſmodi altaria, incognitis Diis dicata Athenis fuiſſe, teſtantur etiam Ethnici Scriptores, & interpretes multum inquirunt in cauſas & occaſionem hujus inſcriptionis, quorum conjecturas hîc referre & longum foret & inutile, cùm parum certitudinis illis inſit. Hæc una cæteris certior, quod Athenienſes adeo ſuperſtitioſi fuerint, ut putarent ſibi colendum quicquid uſpiam terrarum pro Deo coleretur, & quia timebant, ne omnium populorum Dii ſibi non eſſent cogniti, etiam incognitis altaria erigebant. Hæc certè erat nimia religio & verè cœca, dignaque illâ exprobratione Chriſti, quæ eſt Ioh. 4. 22. adoratis quod neſcitis. Verus Samaritaniſmus. 2 Reg. 17. 29. ad 34. vide etiam Ionæ 1. 6. Optandum foret hodieque inter nos non eſſe, qui ignotum Deum colant. Sed qui Dei eſſentiam, voluntatem, verbum & opera ignorant, (weeſen/ wille/ woort/ wercken:) quibus perinde eſt quacunque religione Deum colant, qui nihil in religione certi habent, qui fide implicita & cœca in Deum credunt, qui adorant ſanctos, quos ſcriptura non novit, ſaltem pro Diis non agnoſcit, &c. De illis omnibus verè dicitur, quod Deum ignotum colant. Sine cognitione Dei nulla religio. Quomodo invocabunt, quomodo credent, ſi non audiverint, cognoverint Rom. 10? Ignorantes colitis. Diſcamus quantum ſitum in cognitione Dei. Vide 2 Theſſ. 1. 8. Pronitas quædam ad religionem & cultum in natura reliqua eſt, ſed verus modus & verum cultûs objectum diſcendum nobis eſt, & liberis noſtris implantandum. Clara & omnibus erroribus deſtituta cognitio Dei eſt fundamentum & radix veri cultus, qui poſſit placere Deo, & quantum religio noſtra erroris habet, tantum habet & vitii. Exprobrat autem Apoſtolus Paulus ita ignorantiam in cultu, ut ſimul efferat inſtitutionem. Annuncio, vel annunciabo Deum, quem ignorantes colitis. Quomodo Paulus dicit Athenienſes colere illum Deum, quem ipſe ipſis annunciare volebat, an igitur apud Athenienſes jam tum erat aliquis cultus veri Dei & Chriſti? Reſpond. Non loquitur de actu, ſed de inclinatione Athenienſium. Volebant enim colere quicquid uſpiam Deus eſſet vel diceretur. Ex hac cœca inclinatione Paulus capit occaſionem eos ad veri Dei verum cultum deducendi. Vides hic officium miniſtrorum Euangelii. Sunt annunciatores ſeu præcones incogniti Dei. Deus natura omnibus hominibus incognitus Ioh. 1. 18. Eſt fateor in natura quædam cognitio Dei, ſed non ſalutaris, neque Deo digna. Vera & ſalutaris Dei cognitio quærenda eſt apud Apoſtolos & eos, qui legitimè vocati Apoſtolorum doctrinam prædicant. Hi ſunt vaſa Dei, quæ nomen Dei portant

Digitized by Google

portant coram gentibus Actor.9.15. Hi ſunt lux mundi, quæ miſſa eſt ad gentes, ad aperiendos earum oculos, eaſque convertendas à tenebris ad lucem, à ſatana ad Deum, ut accipiant remiſſionem peccatorum & hæreditatem inter ſanctos Act. 26.18. Non opus habemus aſcendere in montem & petere, ut Deus extraordinariam aliquam revelationem edat ſuæ gloriæ, ſicut Moſi Exod.33.18. Verbum Dei in ſcriptura ac ore miniſtrorum Dei eſt ſpeculum, in quo faciem Dei & non tantum poſteriora ipſius, quantum opus eſt, intueri poſſumus 1 Cor.13.12. Deus nobis natura non magis notus quàm propria noſtra facies. Sicut igitur qui faciem ſuam probè noſſe cupit, ſeipſum crebrò intuetur in ſpeculo, ita qui Deum noſſe cupit, crebrò ipſum intueatur in verbo, quod ſi facies, transformaberis de gloria in gloriam ad eandem imaginem 2 Cor. 3.18. & poſtea Deum intueberis de facie ad faciem, & Chriſtum ſicuti eſt. 1 Cor. 13.12. 1 Iohan.3.3.

Actor. 17. v. 24.

CONC. CXCI.

OMnis religio melior eſt Atheiſmo & perfecta impietate. Falſa quoque religio, ſive ſit erronea, ſive hypocritica, aliquam tamen utilitatem habet. Sic Achabi hypocritica pœnitentia ſuam utilitatem habuit 1 Reg. 21.29. Sic erroneus & cœcus zelus Iudæorum ſuam habebat laudem Rom.10.1.2. Etſi autem falſa religio laudem & aliquem uſum habet, tamen non magis prodeſt ad ſalutem conſequendam, quàm purus putus atheiſmus. Sive planè impius ſis, ſive pietate falſa in Deum feraris, perindè cares ſalute, & æquè procul es à cœlo. Idololatris enim, hæreticis errantibus, & hypocritis ſimulantibus, quantumvis operoſa religione & devotione cultum Dei capeſſentibus, non tantùm ſalus non promittitur, ſed etiam propter ipſam eorum religionem perditio annunciatur, ut vel ex ſolis ſecundi & tertii præcepti comminationibus palàm eſt. Falſa religio, ut ſupra dictum, duplex eſt, cœca & ſimulata. Cœca religio, cum colimus Deum ignotum, idque per media in verbo ipſius non probata. Simulata religio, cum labiis accedimus ad Deum, & corde procul abſumus. Non ſolum ſimulata religio ſalutem non producit, ſed neque cœca & erronea. Fateor eſſe aliquos errores, qui vim religionis ad ſalutem non impediunt, ſed aliud eſt religio cœca, aliud religio obſcura. Cœca eſt quæ ipſa fundamentalia dogmata ad ſalutem abſolutè neceſſaria non habet cognita. Obſcura religio, quæ in dogmatibus fundamento ſuperſtructis veritatem à falſitate non accuratè diſcernit. Error igitur & ignorantia religionis, præſertim doctrinarum fundamentalium de Deo, præcipuè cavendus, quia totam religionem, quantumvis operoſa & ſumptuoſa ſit, reddit inutilem ad ſalutem. Hanc ob cauſam Paulus Athenienſibus, quos tantùm ob diligentiam in religione laudaverat v.23. errores in religione acriter exprobrat, eoſque ad reſipiſcentiam ab his erroribus hortatur.

Errores Athenienſium, quos Paulus taxat, præcipuè erant hi duo: 1. Quod eſſentiam Dei ſibi imaginabantur tam exiguam, ut intra templum aliquod ab hominibus exſtructum habitet, ſicut ho-

Digitized by Google

mo habitat in domo, quam ſibi exſtruxit. 2. Quod Deum putabant magis dependere à conſilio hominum & per illud regi, quàm homines à conſilio Dei, in tantùm, ut putarent, Deum æquè indigere conſilio & auxilio hominum, quàm homines indigent auxilio Dei. Primum errorem proponit verſ. 24. & refutat hoc argumento, quia Deus creavit cœlum, terram & omnia quæ in iis ſunt. Forma argumenti talis eſt: Qui creavit mundum & omnia, quæ in eo ſunt, & proinde cœli terræque dominus eſt, non habitat in templis manu factis. Atqui Deus; Ergo. In hac argumentatione Paulus id præcipuè ſpectat, ut oſtendat idola, quæ in templis aſſervabantur, non eſſe verum Deum, quem homines debent colere. Verus enim Deus eſt, qui mundum condidit & Dominus eſt omnium. At idola non condiderunt. Ergo. Quæritur hic I. Quid eſt ναὸς χειροποίητος? Reſpond. Materialia intelligit templa, quæ homines in honorem Dei condere ſolent. Opponitur 1. cœlo, quod domus Dei ubi habitat. Iſai. 40. 22. 2. Eccleſiæ & cordibus ac corporibus fidelium, quæ templa Dei 1 Cor. 3. 16. Joh. 14. 23. Iſai. 57. 15. Quæritur II. Cur Paulus reprehendat uſum templorum in negotio religionis, cum tamen Judæi templum habuerint, quod domus Dei vocatur, ubi habitat 1 Reg. 8. 27. Pſal. 132. 5. 13. 14. Joël. 3. 17. Pſal. 83. 13. & Chriſtiani quoque habeant templa, quæ vocantur domus Dei? Reſp. Paulus vocabulum habitare hìc accipit propriè, ſed cum Deus in templis habitare dicitur, id impropriè intelligendum. Habitare propriè eſt alicubi comprehenſum eſſe, ut ibi ſis & non alibi. Sic Rex aliquis, etſi per totum regnum imperet, tamen non niſi uno in loco eſt & habitat. Sic cum Deo res ſeſe non habet. Deus & ubique imperat, & ubique eſt, & non magis poteſt dici eſſe in templo, quàm alibi, quia in uno loco æquè eſt atque in altero. Hoc ſenſu rectè negatur, quod Deus habitet in templo manu facto. Vide 1. Reg. 8. 27. Iſai. 66. 1. Actor. 7. 48. 49.

Impropriè autem habitare eſt alicubi ſe patefacere peculiari modo, & alicubi ordinariè operari. Hoc ſenſu Deus multis in locis dicitur habitare.

1. In cœlo. Ibi enim gloriam ſuam ita patefacit, ut videamus eum ſicut eſt. Sicut in terram cadunt pluviarum guttulæ, ſed in cœlo ſeu aëre ſunt cataractæ ipſæ & plenitudo aquarum Geneſ. 7. 11. Sic Deus in terram ad nos demittit aliquas guttas gratiæ & gloriæ, ſed in cœlis ipſa plenitudo gloriæ reſervatur & exhibetur filiis Dei, ſine mutatione vel ceſſatione.

2. In Eccleſiâ & cordibus ac corporibus electorum & contritorum. In his enim ſolis operatur fidem, converſionem, conſolationem. Hìc manet in perpetuum. Hìc dominatur tanquam in throno efficaciter. Hìc ei ſervitur ingenuè, hìc reſonant ejus laudes in perpetuum. In aliis hominibus aliquando operatur & apud eos quaſi divertitur, ſed per reſiſtentiam eorum ſtatim expellitur. Johan. 14. 16.

3. In templo Judaico & Chriſtianorum oratoriis, ſed tamen cum diſtinctione. Nam

α. Templum Judaicum in ſe ipſo erat habitaculum Dei. Hìc Deus dicebatur habi-

Digitized by Google

habitare, quia erat locus ſacramentalis ac typus Chriſti, in cujus nomine & per cujus merita preces & cultus hominum Deo acceptus eſt. Ideò Deus hunc locum elegerat, ut ibi fierent ſacrificia & non alibi, & ut preces Judæorum fierent in hoc templo, vel verſus hoc templum Deut. 12. 5. & 14. 24. 25. 1 Reg. 8. 44. Dan. 6. 10. 11. Hinc etiam Deus extraordinaria præſentiæ ſuæ ſigna ibi dabat 1 Reg. 8. Huc pertinet Lev. 19. 30. Sanctuarium meum revereberis, id eſt, me in ſanctuario, ſicut non Sabbathum colimus ſed Deum in Sabbatho, ita non templum, ſed Deum in templo. Vel ſic expone: Hunc locum ſacramentalem, typum Salvatoris tui, non ingredieris cum es ceremonialiter impurus, neque cum intentione aſpernandi cultum qui ibi exercetur, neque in loca hujus templi quæ tibi interdicta ſunt, Hebr. 9. 6. 7. nec ad profanos uſus adhibeas, ut fecerunt Judæi Matth. 21. 13. In hoc igitur templo Deus ita habitabat, ut ipſe locus, ipſumque templum aliquam inde haberet ſanctimoniam, ſcil. ſacramentalem, ſicut ille locus, de quo Exod. 3. 5.

β. Oratoria Chriſtianorum & ordinariæ Synagogæ Judæorum in ſe nihil habent ſanctitatis, ſed ſunt domus & habitaculum Dei, quatenus capiunt & continent corpus Eccleſiæ ibi congregatæ. Eccleſia congregata eſt domus Dei, ubi ordinariè operatur converſionem & gratiam, ubi præſens eſt & habitat Matt. 18. 20. quam congregationem propterea jubemur non deſerere Hebr. 10. 25. Locus igitur, qui hunc cœtum continet eſt locus habitationis Dei propter hunc cœtum, & ſine eo non plus eſt ſanctus quàm curia, nec precatio & congregatio in campo minus grata Deo, quàm congregatio in templo, juxta illud Chriſti Joh. 4. 20. ad 25. Diſcendum igitur hîc quomodo æſtimanda ſint noſtra templa & oratoria, ſcilicet;

1. Non ipſis locis alligandus Deus, nec ipſis locis alliganda ſanctitas, ut fit in Papatu, ubi videtis in quanto æſtimio ſit hic vel ille locus, & quantis peregrinationibus petatur, quaſi ſingularis ſit in illo loco ſanctitas, & Deus ibi peculiariter habitet, in tantùm, ut ibi pro peccato habeatur pavimentum templi conculcare ſine reverentia. Gentilitia hæc planè ſuperſtitio eſt. Locorum differentia nulla eſt in Novo Teſtamento, per quam alius locus alio ſit ſanctior.

2. Non tamen ideò contemnenda, aut profanè polluenda, ſed tanquàm ordinaria receptacula & habitacula Eccleſiæ, Deum colentis, conſervanda & frequentanda, ut partem habeamus in cultu, quem Eccleſia iſtis in locis Deo exhibet, & ſimul in benedictione, quâ Deus hunc publicum cultum remunerat. Etſi non ineſt templis noſtris ſanctitas, tamen ideò non debet ineſſe impuritas, ſed debent eſſe ædificia honeſta & Eccleſiæ digna, ac εὐσχήμονα 1 Corint. 14. 40. Eccleſia, in quâ Filius Dei habitat, & Spiritus ſanctus ſuum opus habet, digna eſt honeſto & puro loco ubi congregetur. Adferamus in hunc locum cum Eccleſia cor contritum & gratiam Dei ſincerè deſiderans, & tum Deum præſentem hoc in loco inveniemus ac ſentiemus. Ubi impii ſunt congregati, qualiſcunque ſit locus, ſi vel templum ſit, ibi diaboli præſentia ſe manifeſtat. Ubi pii ſunt congregati,

Digitized by Google

gregati, qualiſcunque ſit locus, ſi vel horreum ſit, vel ſtabulum, ibi Deus præſens ſentitur. Templa Chriſtianorum conduntur in honorem Dei, non quia ipſa templa Deum honorant, ſed quia ſunt inſtrumenta Eccleſiam, Deum honorantem, congregantia.

Quæritur III. Cur Deus dicitur feciſſe mundum potius, quàm creâſſe: Reſpond. Per mundum intelligitur macrocoſmus, quia de creatione hominis poſteà agetur ſpecialiter, hic mundus *factus eſt.* Vox hæc clarè ſuppeditat omnia præcipua dogmata circa originem mundi, ſcilicet, 1. quod mundus non ſit æternus à ſeipſo, nec fortè fortuna coaluerit, ſed habeat architectum à quo conditus & factus eſt. 2. quod non ex Deo genitus, ſed factus, conditus, ædificatus eſt. Non ex eſſentiâ Dei, vel præexiſtente aliquâ materiâ eductus, ſed cum non eſſet, factus eſt. 3. Indicat quoque vox, quod non ſola materia mundi ex nihilo producta, ſed etiam poſt productionem à Deo, ſpacio ſex dierum exornata, & diſtinctis ſuis formis induta ac veſtita ſit.

Quæritur IV. Quî Deus dicatur omnia feciſſe, quæ in mundo ſunt? Mors & peccatum etiam ſunt in mundo Rom. 5. 12. & tamen Deus non fecit peccatum, nec mortem Sap. 1. 13. 14. Reſp. 1. peccatum & mors non ſunt referenda inter ea quæ propriè in mundo ſunt, ſed quæ ſunt contra mundum & mundum deſtruunt. Non ſunt partes mundi, ſed ſunt cauſæ mundum deſtruentes, ſicut morbus non eſt pars corporis, ſed deſtructivum corporis, ſunt quaſi corrodens ærugo partes mundi creati exedens. 2. Neque tamen & hæc ita ſunt ab homine ut ſint ſine Deo. Nam & in peccato & in morte Deus manum habet, quatenus eſt juſtus judex, qui hominem peccare volentem in peccatum labi permiſit, ac propter peccatum morte punivit. Hoc ſenſu nullum malum in mundo, quod Deus non fecit Amos cap. 3. verſ. 6.

Quæritur denique V. quo ſenſu Deus dicatur dominus cœli ac terræ? In Symbolo Apoſtolico profitemur filium Dei non eſſe niſi credentium dominum, *Dominum noſtrum,* idque ſecundum Scripturam 1 Cor. 8. 6. Si ſolorum credentium dominus, quomodo dominus cœli & terræ? Reſpond. Duplex eſt dominium: Poteſtatis & proprietatis. Dominium poteſtatis ſeu potentiæ, cum quis vires habet in alium, eumque poteſt ſuperare & ad voluntatem ſuam cogere. Sic Rex victorioſus aliquis non tantùm eſt dominus ſubditorum, ſed & hoſtium ſuorum. Et ſic Deus non tantùm dominus eſt credentium, ſed & impiorum, diabolorum ac totius machinæ mundi, quia viribus illos omnes ſuperat, eaque pedibus ſuis ſubjicit, & ad nutum ſuum cogit. 1 Chron. 29. 11. 12. Dominium proprietatis eſt, cum quis aliquid ſibi vendicat tanquam ſuum, quod poſſideat & quo fruatur. Sic maritus eſt dominus uxoris, pater dominus liberorum. Et hoc ſenſu Deus Dominus ſolorum credentium. Hos enim ſibi eligit & adoptat in populum peculii Tit. 2. in quorum corda dominatur tanquam in throno, ubi fit voluntas ejus, quos nutrit, conſervat ac defendit tanquàm propriam carnem Eph. 5.

Digitized by Google

APPLI-

Applicatio.

Omnis doctrina hujus verſus nobis ſerviat 1. Ad Deum magnificandum. Athenienſes Philoſophi, de Deo ſpeculationibus ſuis indulgentes, Deum ſibi imaginabantur in formâ viri, aut alterius alicujus corporis, quod materiali imagine expreſſum in templis aſſervabant & in illud cultum ſuum dirigebant. Hoc non eſt ſanctificare, & magnificare, & glorificare Deum, ut creaturas decet, ſed hoc eſt corrumpere vel mutare gloriam Dei immortalis Rom. 1. 23. ſicut pravum ſpeculum corrumpit pulchram faciem, dum eam malè repræſentat. Si vis glorificare & magnificare Deum, propone tibi, quod ſit is, qui mundum fecit & omnia quæ ſunt in eo, qui cœli & terræ dominus eſt. Si pulchrum & magnum eſt cœlum, ſi terra, ſi quid magnum & pulchrum in cœlo & terra, quantò pulchrior & major Deus eſt qui hæc omnia fecit! Magnitudo cœli & terræ tanta eſt, ut nemo hominum vel numeros, vel menſuram ullam excogitare poſſit ad eam comprehendendam. Et tamen totius hujus magnitudinis Deus auctor atque factor eſt. Quis igitur hujus magnitudinem comprehendet? Hæc vera ſcala quâ mens adſcendit ad Deum aliquo pacto comprehendendum: Pſal. 8. 2. Iſai. 40. 22. præſertim Job. 37. & 38. Sonet igitur perpetuò hæc vox in noſtris auribus: Deus fecit mundum & omnia quæ ſunt in eo, eſtque Dominus cœli ac terræ. Hæc enim ſola vox eſt, quæ nos docere poteſt, quantum ſit gloriæ, ſapientiæ ac potentiæ in Deo, quod nos invitet ad ipſum colendum ac timendum. 2. Ad hominem deprimendum ac humiliandum. Commune eſt vitium, quod homines putant ac dicunt, quod ſint aliquid magni, ſicut Simon Magus Actor. 8. Sed heus quidquid ſis, tamen non es niſi creatura, factus à Deo, & conſtitutus ſub dominio Dei. Hæc affectio noſtra, quod ſumus creaturæ à Deo factæ & ſub Deo poſitæ, eſt prima radix omnis pietatis in Deum. Non ſufficit ad veram pietatem, neque ad verum ſolatium in hominibus generandum, quippè quod fluit ex fide redemptionis & ſanctificationis, ſed tamen neceſſaria eſt memoria creationis. Per memoriam enim creationis ponuntur fundamenta religionis. Hinc enim homo intelligit ſuam ad religionem obligationem. Eſt obligatus per redemptionem, ſed prius per creationem. Hoc fine inſtitutus dies Sabbathi, memoriale creationis. Ne obliviſcamur quod ſimus creaturæ, præſertim juvenes Eccleſ. 12. 1. Juvenes ſe gerunt ac ſi eſſent à ſeipſis & ſine dependentiâ à Deo. Terror ex peccato ceſſabit in cœlis, ſed humilitas ex memoriâ creationis etiam in cœlo durabit. Memoria peccatorum delebitur, ſed memoria creationis nunquam. Memoria creationis domat rebellionem noſtram contra Deum. Si enim hujus recordaris, facilè concludis, quod lutum inſurgat contra figulum. Qui non habet fidem & memoriam ſuæ creationis, is non poteſt habere fidem ſuæ regenerationis & liberationis ſed qui credit Deum feciſſe ex nihilo, is habet fundamentum credendi quod etiam poſſit reddere quæ noſtrâ culpâ amiſimus, &

Digitized by Google

quæ reddere promiſit in Euangelio. Hinc Chriſtus fundamentum precationis ponit: *Pater qui es in cælis*, id eſt, qui cœli terræque dominus ac conditor es. Triplex labor miniſtris circa auditores: 1. Ut ſentiant & non obliviſcantur ſe creatos eſſe. 2. ut ſentiant & non obliviſcantur ſe peccatores eſſe. 3. ut ſentiant & recordentur ſe liberatos eſſe. Si primum non benè ſentiant, in cæteris nullus ſucceſſus.

Actor. 17. *v.* 25.

CONC. CXCII.

ETſi atheiſmus & religio ſunt duo contraria, quæ in uno eodemque homine propriè loquendo ſimul & ſemel eſſe non poſſunt, tamen religioſum eſſe, & damnari, non ſunt duo contraria, ſed multi religioſi, & quidem valdè religioſi damnantur. Eſt enim non tantùm vera ſed & falſa religio, quæ ad ſalutem non plus prodeſt, quàm purus putus atheiſmus. Falſam religionem nuper diviſimus in erroneam & ſimulatam, & utramque oſtendimus eſſe ad ſalutem conſequendam inutilem. Erroneam tamen religionem diximus diſtinguendam eſſe in cœcam & obſcuram. Cœca, quæ ipſos fundamentales articulos ſalvificæ veritatis ignorat ac rejicit. Obſcura, quæ fundamentum veritatis intelligens, in iis quæ fundamento ſuperſtructa ſunt, verum à falſo non ſatis accuratè diſcernit. Videt ac comprehendit trabes veritatis, ſed non omnes feſtucas veritatis diſcernit, ut alia in re Chriſtus loquitur Matth. 6. Etſi itaque Paulus Athenienſes laudaverat, quod non eſſent athei; ſed in rebus religionis plurimùm occupati, tamen queritur, quod religio ipſorum planè cœca & errorum fundamentalium pleniſſima ſit. In tribus autem rebus religionem ipſorum redarguit: 1. In templis v. 24. 2. In ſacrificiis v. 25. 26. 27. 28. 3. In imaginibus v. 29. Poſtquam in his tribus rebus ignorantiam ipſorum redarguit, hortatur ut ab hâc ignorantiâ ſe convertant v. 30. 31. In templis, ſacrificiis & imaginibus conſiſtebat tota Athenienſium religio.

Templa ædificare ad religionem pertinet, ſed templa condere Deo, ut in illis habitet, craſſiſſima eſt ignorantia. Templa non conduntur Deo, ut habeat ubi habitet, ſed conduntur Eccleſiæ, ut habeat ubi congregetur ad colendum Deum. Quo argumento Apoſtolus errorem hunc refutet quotuplicia ſint templa, quid templum Hieroſolymitanum differat à Judæorum Synagogis & Chriſtianorum templis, & quo ſenſu Deus impropriè dici poſſit in templis materialibus habitare, nuper explicatum eſt.

Jam venit Apoſtolus ad Sacrificia Athenienſium, id eſt, ad omnia illa corporalia dona & ſervitia, quæ Athenienſes ſuis Diis exhibebant eo fine, ut Diis ſuis aliquam utilitatem adferrent. Hæc omnia intelliguntur voce θεραπεύειν. Hæc vox non rectè vertitur per colere vel honorare, quæ eſt vis vocis λατρεύειν ἢ δουλεύειν. Deus enim rectè colitur ab hominibus, non tantùm animo, ſed & manu ac corpore 1 Cor. 6. 20. θεραπεύειν ſignificat miniſtrare, ſeu

Digitized by Google

corpo-

corporale aliquod miniſterium, donum & auxilium, quo indiget, alicui exhibere, ſicut ægris ſubminiſtramus pharmaca & opem, unde & in arte medica vox eſt ſolennis ſatis. Sicut ſubditi ſuis magiſtratibus exhibent & conferunt vectigalia & tributa, dona ac ſubſidia, ex quibus vivunt & regimen ſuum administrant (Staets boeten:) Vel ſicut ſervi ſuis heris præſtant omnes utiles operas & ſervitia, quibus heri indigent. Sicut enim ſubditi indigent magiſtratu, ut poſſint tutò vivere, & ſicut ſervi indigent ſuis heris, ut poſſint victum adipiſci, ita magiſtratus non minus indigent ſubditis, ut ſtatum magiſtratu dignum gerere poſſint, nec heri minus indigent ſervis, ut horum operâ herilem ſuam dignitatem ſuſtentare queant. Sic ſe rem quoque habere inter Deum & homines putabant Athenienſes, ideoque, ſicut in neceſſitatibus ſuis omnes ſuppetias, omneque auxilium & ſolatium à Diis ſuis expectabant, ita viciſſim Diis ſuis offerebant dona & ſacrificia, quibus juvarentur & quaſi victitarent, ut ita donis hiſce obligarentur ac commoverentur ad conferendum ſuppetias, quibus indigebant homines. Sicut qui columbas & apes domi ſuæ cupiunt manere, condunt cortes, ponunt alvearia, plantant herbas odoriferas, ſpargunt grana & omnia faciunt, quibus aves & apes ineſcentur & cibentur, ita ethnici ſuis Diis eo fine ſacrificia mactabant, & dona offerebant, ut Deorum defectus ſupplerent, & ſic præſentiam Deorum ſibi conciliarent. Præſertim hoc faciebant Diis minoribus, quos factos putabant ex animabus demortuorum heroum, quos vocabant dæmonas & Deos tutelares, magnorum Deorum nuncios & miniſtros, per quos homines regerent & juvarent. Clariſſimè enim à viris doctis ex antiquis Scriptoribus probatur (Vide Voſſium de origine & progreſſu idololatriæ, item tractatum Anglicanum Joſephi Medi de Apoſtaſiâ ultimorum temporum in 1 Tim. 4. 1. 2. 3.) quod duplex Deorum genus habuerint Ethnici, videlicet Deos ſupremos & Deos inferiores. Deos ſupremos vocabant Deos cœleſtes, quia putabant, quod habitarent in cœlis, in Sole, Lunâ & ſtellis, tanquam in corporibus vel habitaculis ſuis. Hos credebant immortales, imò æternos eſſe, ſine initio ac fine, nec aliter poſſe coli quàm precibus, laudibus & obedientiâ, quos etiam credebant adeò puros eſſe, ut ad hæc terrena curanda & regenda non appropinquarent. Imò ſapientiores Ethnici non niſi unum eſſe talem Deum crediderunt. Sed credebant aliud quoddam Deorum genus eſſe, qui eſſent aliquid medium inter immortales Deos & mortales homines, eſſeque majorum Deorum nuncios ac interpretes & mediatores, per quos converſarentur cum hominibus, quippè qui hominum preces & opera adferrent ad Deos, & viciſſim Deorum dona ac remunerationes ad homines. Hos Deos vocabant Dæmonas, lares, penates, manes, lemures &c. credebantque maxima ex parte factos eſſe ex animabus heroicorum & ſanctorum hominum, quos vita functos propter merita ſua Dii ſupremi deificaverint, & conſtituerint cuſtodes, patronos & protectores

 morta-

Digitized by Google

mortalium in terris. Hos itaque Deos etiam colebant ethnici, ut haberent eos ſibi propitios. His, quoniam erant animæ ſine corpore vagantes, erigebant ſtatuas, ædificabant templa, offerebant dona, apponebant cibos, ut ita habitacula ipſis pararent, defectus eorum ſupplerent, & ſic præſentiam eorum ſibi conciliarent. Hanc craſſam & putidam opinionem & praxin colendi Deos miniſteriis humanis, tanquàm indigos, inter ethnicos graſſatam eſſe, patet non ſolùm ex hâc pauli redargutione, cum aliis in ſcripturâ huic ſimilibus, ſed cumprimis ad vivum depingitur in apocryphâ hiſtoriâ Beli & Draconis Babylonici, in adjectionibus ad Danielem. Contra hanc indigentiam Dei ſcriptura nos clarè inſtituit, cum Deum appellat El Schaddai, ſeu Deum omni ſufficientiſſimum & omnipotentem Gen. 17.1. Qui enim aliquâ re indiget omnipotens non eſt, & qui omnipotens eſt, nulla re indiget. Si Deus aliquâ re indigeret, parum fundamenti haberet iſta Chriſtianorum gloriatio, quæ eſt Pſal. 23. 1. Object. Cur igitur exigit & accipit ſacrificia ab hominibus? Utique in Veteri Teſtamento ſacrificia & dona corporalia exegit, & à nobis quoque coli vult donis & ſacrificiis ſpiritualibus Prov. 3. 9. Reſpond. Deus exigit à nobis dona, quæ nobis dedit, non quia iis indiget, ſed ut diſcamus noſtram indigentiam & obligationem. Dum enim per ſacrificia & dona Deum quærimus, nihil aliud quàm noſtram cupiditatem habendi profitemur, & quod à Deo habeamus quicquid habemus teſtamur. Noſtra itaque dona ſunt teſtimonia noſtræ indigentiæ. Noſtris enim donis non Deo proſumus ſed nobis Job. 22. 2. Iſai. 54. 17. Noſtra dona, quæ Deo offerimus, ſunt ſicut laudimium quod emphyteutes ſolvit agrorum domino in ſignum, quod non ipſe ſed dominus ſit poſſeſſor agri. Obj. 2. Atqui ſcriptum eſt Matth. 21. 3. Dominus opus habet. Reſpond. Dictum hoc de Filio Dei cum eſſet in ſtatu exinanitionis, qui reverâ erat ſtatus defectus & egeſtatis cum pauper eſſet factus propter nos ut nos in ipſo fieremus divites 2 Cor. 8. 9.

Quoniam igitur Deus nullâ re indiget, mirum certè eſt etiam in ipsâ Dei Eccleſiâ inveniri gentilem illam opinionem atque praxin, quod homines Deo offerant dona & ſacrificia ea intentione, ut ipſi proſint ac defectus ejus ſuppleant. Quòd inter corruptos Judæos fuerit hæc perverſa opinio atque praxis in ſacrificiis, quæ Deo offerebant, ſatis clarum eſt ex redargutione eorum quæ legitur Pſal. 50. 8. ad 14. qui & *Baalim*, id eſt Dæmones, lares, penates, Deos manes coluerint 1 Reg. 18. 21. ſed quod inter Chriſtianos quoque ſit, nimis proh dolor evidens in Papatu, idque præcipuè duabus in rebus.

1. Cum operibus, donis, & ſacrificiis ſuis Deo cupiunt ſolutionem præſtare pro ſuis peccatis, & cœlum ab ipſo mereri. Sic omnes, qui ſua opera habent pro cauſa ſuæ ſalutis & juſtitiæ, errorem errant qui nihil differt ab errore gentium, qui putabant Deo miniſtrari poſſe hominum manibus tanquam indigenti. An Deus ita indiget ſatisfa-

Digitized by Google

ctione hominum pro peccatis, ut non poſſit ex merâ gratia propter Chriſtum remittere peccata ſine tuâ ſatisfactione? Qui merita crepant apud Deum, quid aliud dicunt, quàm quod beneficiis ſuis Deum ſibi obligaverint, quibus Deus indigebat? Agunt cum Deo ſicut ſolent inter ſe duo mercatores. Alter mercibus alter pecuniâ opus habet. Qui nullius rei indigus eſt, apud illum nemo quicquam mereri poteſt. Et qui ſibi merita tribuunt apud Deum, Deum ſui miniſterii indigere profitentur. Quàm parum hi homines conſiderant illud Pſal. 16. 2. Job. 35. 7. Rom. 11. 34. 35. Remuneratur quidem Deus noſtra officia, verùm non ex merito & obligatione noſtrâ, ſed ex merâ gratiâ, coronans in nobis ſua dona.

2. Cum angelis & animabus demortuorum ſanctorum, nec non corporum reliquiis, templa ædificant, imagines erigunt, veſtes, cereas, ſuffitum aliaque dona, imò preces & ſupplicationes offerunt, tanquam ſuis patronis & mediatoribus apud Deum. Quid hoc aliud, quàm renovatio ethnicæ illius idololatriæ circa dæmones, ſeu Deos mediatores ac inferiores, atque ita impletio illius vaticinii Paulini quod eſt 1 Tim. 4. 1. 2. ubi magna apoſtaſia Eccleſiæ Chriſtianæ dicitur futura, conſiſtens in eo, quod homines ſint adhæſuri doctrinis dæmonum, id eſt, doctrinis de colendis dæmonibus ſeu Diis minoribus & mediatoribus, ſicut olim in gentiliſmo. Hunc enim eſſe genuinum ſenſum hujus loci, eruditè demonſtrat Joſephus Medus ſupra citatus. Huc etiam pertinet illud vaticinium, quod eſt Apoc. 11. 2. ubi civitas Dei dicitur conculcanda à gentibus, id eſt, gentili idololatriâ polluenda. Miſereatur Deus cœcorum hominum in Papatu, quorum profectò religio non minus cœca eſt, quàm ipſe ethniciſmus. Nos interim caveamus ne & nos aliquo pacto putemus Deum noſtro cultu & manuum noſtrarum miniſterio indigere. Quid enim aliud faciunt qui toties & tantopere volunt rogari ac invitari antequam ſe convertant, & aliquid boni faciant, & cum aliquid fecerunt, nec ſtatim ſentiunt remunerationem expectationi reſpondentem, indignantur & putant ſibi fieri injuriam. Putant ſe Deo & miniſtris ejus magnam præſtare operam, & quaſi ex neceſſitate quâdam eos ſublevare, cum verbo ejus aliquo pacto obediunt. Heus bone vir! Si te non vis convertere, mitte. Si te non vis convertere propter te, propter Deum non opus eſt, ut facias. Is enim tuâ converſione non indiget Job. 22. 3. Quod Deus te hortatur, invitat, orat ut te convertas, non id facit quia indiget, ſed ex abundantiâ amoris ac patientiæ & manſuetudinis, nolens, ut pereat peccator, ſed ſe convertat & vivat. Si his divitiis gratiæ non vis moveri & manuduci ad pœnitentiam, Deus pilo minus beatus non erit, & tu tibi cumulabis theſaurum iræ in diem iræ Rom. 2. Si propter te non vis bonum facere, in gratiam concionatorum non opus eſt, ut facias. Etſi enim tu verbo noſtro non ſis obediens, nos tamen fructum & premium laboris noſtri reportabimus. Itaque non veremur talibus illuſoribus reſpondere illud quod eſt Apoc. 22. 11. quaſi dicat; ſi quis vult in-

Digitized by Google

injuſtus ac impurus eſſe, ſit impurus. Quid noſtra enim refert? Etſi itaque Deus cultum ac miniſterium ab hominibus requirit, tamen cultu & miniſterio illorum non indiget. Præcipuè hic redarguitur cultus externus & ceremonialis. Hic enim eſt opus humanarum manuum. Ceremoniæ in cultu divino, non tantum quæ humano conſilio electæ ſunt, ſed etiam quæ divinitùs inſtitutæ, ſi ſeparentur à cultu interno cordis, ſunt opus manuum humanarum, quo Deus fruſtrà colitur. Requiſivit Deus ceremonias tanquam adminicula ad cultum internum magis excitandum & adjuvandum. Quod ſi quis ſine interno cultu externas tantùm ceremonias obſervat, is Deo miniſtrat operibus manuum, quod fruſtraneum eſt & ſæpè à Deo rejicitur Iſai. 1, 12, 13. Hoſ. 6. 6. Deinceps videnda ſunt argumenta, quibus Paulus hunc craſſum errorem de colendo Deo per opera manuum refutat. Ea duo ſunt. Prius petitur à communi Providentiâ Dei ſuper omnes creaturas, alterum à ſpeciali Providentiâ Dei ſuper omnes homines. Prius argumentum eſt: quia Deus omnibus dat vitam, halitum & omnia. Qui omnibus creaturis dat vitam, halitum & omnia, is non opus habet manuali auxilio & miniſterio creaturarum. Atqui Deus, &c. Ergo. Deus dat omnibus omnia, dicit hic textus. Deus operatur omnia in omnibus, dicit Paulus 1 Cor. 12. 6. Deus eſt omnia in omnibus, dicit idem 1 Cor. 15. 28. Prima phraſis loquitur de providentiâ Dei ſuper omnes creaturas. Secunda de operatione Spiritus ſancti ſuper totam Eccleſiam in terris. Tertia de ſingulari operatione Dei patris ſuper Eccleſiam triumphantem in cœlis poſt ultimum judicium. Tum enim Deus dicitur futurus omnia in omnibus, cum Chriſtus regnum mediatorium depoſuerit & patri ſuo Eccleſiam tradiderit. Tum Pater erit omnia in omnibus, id eſt, tum non erit tale diſcrimen, ut pars Eccleſiæ militet in terris, pars altera triumphet in cœlis, ſed tùm Deus Pater totam redemptam Eccleſiam, plenitudine & perfectione gloriæ ac beatitudinis implebit. At enim quomodo dat Deus omnibus creaturis vitam & halitum, cum tamen multæ creaturæ vitam & halitum non habeant, ſed ſint ſine vitâ, ſenſu & motu. Reſpond. Dat omnibus vitam & halitum, ſcilicet, quæ vitam & halitum habent. Omnia quæ habent, habent à Deo. Videmus hic, quod particula univerſalis ſæpè intelligenda ſit cum limitatione & reſtrictione. Itaque cum legimus, quod Deus omnes homines vocet, convertat, redimat, non ſimpliciter hoc intelligendum, ſed cum reſtrictione. Redimit ac convertit omnes, qui redimuntur ac convertuntur, nec quiſquam eſt alius, qui ullum hominem redimat ac convertat.

Quid autem differunt ζωὴ & πνοὴ? Reſpond. ζωὴ notat ipſam vitam & vivendi vires ac facultates, quam quomodo Deus homini det vide Gen. 2. 7. Sic & hodie creat animas & indit corporibus Eccl. 12. Imò ipſe eſt qui corpora noſtra format in utero Pſal. 139. 14. πνοὴ verò notat actuales motus, ipſaſque actiones, quas viventes creaturæ edunt & perficiunt. Deus non tantùm crea-

Digitized by Google

creaturis dat vires aliquid agendi, ſed omnes creaturarum motus operatur & gubernat, & ita cum creaturis in agendo concurrit, ut ſine eo ne movere quidem ſe poſſint, & cum ſe movent, per Deum ſe moveant, ut omnia ſint ex Deo, per Deum & ad Deum Rom. 11. 36. A Deo ſeu ex Deo creaturæ habent eſſentiam, vitam & vires quas habent. Per Deum, id eſt, per cooperationem Dei movent ſeſe, & edunt omnes ſuas actiones, idque ita, ut quicquid agunt & moliuntur, Deo dirigente cedat in ejus gloriam. Serviat hoc

1. Adhortationi, ut Deo adhæreamus, nec viribus noſtris aliquo pacto nitamur. Nam ne ſemel quidem reſpirare poſſumus ſine Deo. Utinam hoc conſiderarent qui juvenes ſani ac robuſti contemnunt omnia pericula, & viribus ſuis confiſi non curant minas morborum ac mortis! Qui plumam ore difflare non poteſt, niſi Deus det halitum, quid viribus tuis ſuperbis? Si artifex digitum retrahit, ceſſat omnis ſonus organi muſici. Si Deus halitum, liqueſcunt & pereunt omnia Pſal. 104. 29. Adhærendum igitur Deo, ut ex ipſo & per ipſum vivere & movere nos poſſimus. Vide Pſal. 73. 28. Bonum mihi eſt propè Deum eſſe. Ex illo enim vita & halitus hauriendus. Et ſi in naturalibus, etiam accepta vita & ſanitate, ne reſpirare quidem nec movere nos poſſumus, niſi Deus ipſos halitus noſtros formet & operetur, qui audent negare homines, quod ad ſpirituales pietatis operationes neceſſarius ſit efficax Dei concurſus, ſed quod homo virtute liberi arbitrii ſui poſſit agere, quod bonum eſt, etiamſi nondum ſit regenitus! Quàm hoc eſt gloriam Dei obfuſcare & hominem inflare! Vide 2 Cor. 3. 5. Phil. 2. 13. In talibus certè bonum nobis eſt propè Chriſtum eſſe Joh. 15. 4. 5.

2. Conſolationi contra tyrannos, qui ſecundum exemplum Sauli Actor. 9. 1. halitu ſuo utuntur ad ſpirandum minas ac cædes. vide Iſai. 2. 22. Deum modò habeas propitium, & non dabit tyrannis halitum quo vel minas ſpirare poſſint. Nos halitu noſtro utamur ad dicendas preces, & cantandas laudes Deo, & tyrannorum halitum Deus auferet, ut moriantur. Vide Pſalm. 150. ult.

Actor. 17. v. 26. 27. 28. part. prior.

Conc. CXCIII.

Verſamur adhuc in ea parte orationis Paulinæ, quæ fatuam illam praxin ethnicorum redarguit, quæ Deos ſuos ſacrificiis nutrire, aliiſque externis manuum miniſteriis eos juvare, iiſque aliquâ utilitate prodeſſe, & indigentiam eorum explere conabantur. Argumenta, quibus hanc inſaniam redarguit, petuntur 1. ab univerſali Providentiâ Dei ſuper omnes creaturas. 2. à ſpeciali Providentiâ Dei ſuper genus humanum. Prius argumentum nuper explicatum eſt, ſequitur alterum, quod ad hanc formam poteſt reduci: Qui totum humanum genus ex uno ſanguine fecit, qui tempora vitæ ac terminos habitationis omnibus prædeſtinat & prædeterminat, qui omnes ad ſe quærendum & fruendum invitat, in quo omnes vivimus

Digitized by Google

mus, movemur ac ſumus, is non poteſtobn oxius eſſe alicui indigentiæ, quæ hominum donis ac manibus ſublevanda ſit. Atqui Deus &c. Ergo.

Hic videmus, quod Paulus totam Providentiam Dei ſuper humanum genus diſpeſcat in quatuor partes:

1. Quod ex uno ſanguine totum humanum genus condidit, & in univerſa facie terræ habitare fecit.

2. Quod ſingulis hominibus prædefinit & præordinat terminos temporis & locos habitationis.

3. Quod omnes & ſingulos invitat ad ſe quærendum & attrectandum ac inveniendum.

4. Quod omnibus ac ſingulis ſe adeò propinquum ac præſentem exhibet, ut omnes in ipſo vivant, moveantur & ſint.

De primâ parte obſervandum, quòd non creationem humani generis hic deſcribat Paulus, ſed propagationem & diſperſionem ejus in univerſam terram. Creatio humani generis facta eſt, cum Adam formaretur ex limo terræ, & Eva ex coſtâ Adami Geneſ. 1. ac 2. In Adamo enim & Eva totum humanum genus, tota natura humana condita eſt. Propagatio fit per generationem poſterorum ex ſemine Adami. Qui enim ex ſemine Adami geniti ac nati ſunt, eos quoque Deus rectè feciſſe dicitur, non minus quàm quos immediatè condidit. Facit enim Deus ac format homines per naturam Pſal. 139. 13. in utero matris meæ me texiſti, id eſt, foviſti ſicut gallina ova fovet ad excludendos pullos. Job. 10. verſ. 9. 10. 11. nec minus ſunt opus manuum Dei qui nati, quàm qui creati ſunt Pſal. 138. 8. Non eſt ingrata obſervatio, quod quatuor modis originem ſuam habeant homines. Adam factus eſt ſine patre & matre. Eva aliquomodo patrem habuit, ſed non matrem. Chriſtus ſecundum humanam naturam matrem habuit, ſed non Patrem. Cæteri omnes patre & matre naſcuntur.

Diſperſio autem & diſpertitio humani generis in faciem univerſæ terræ facta eſt poſt Diluvium, cum Babel ædificaretur in ludibrium Domini, & deſcribitur Geneſ. 11.

At enim cur dicitur propagatio humani generis facta eſſe ex uno ſanguine vel ſemine, cùm facta ſit per conjugium duorum? Reſpond. Etiamſi ad propagationem generis humani fit concurſus ſanguinis virilis & fœminini, tamen vir manet ſola radix, ſolum principium & caput humani generis, quippè ex cujus carne & ſanguine ipſa caro & ſanguis fœmininus ortum ſuum habet. Vide 1 Cor. 11. 8. Hæc cauſa, quod etiam contagium & propagatio peccati non Evæ adſcribitur, ſed uni & ſoli Adamo Rom. 5. 12. Eva prior peccavit quàm Adam, & tamen origo & primus ortus peccati ac calamitatis, quæ eſt in toto genere humano, non eſt ex Eva ſed ex Adamo, nec duorum, ſed unius peccato mortui ſumus Rom. 5. 15. Nimirum etſi fœmina concurrit ad propagationem generis humani tanquam adjutorium & inſtrumentum viri; tamen ſolus vir eſt principium naturæ & principium peccati. Hinc oppoſitio illa inter Adamum & Chriſtum,

Digitized by Google

ſtum, tanquàm contrarios contrariarum rerum auctores Rom. 5. 19. 1 Cor. 15. 45. Hinc etiam diverſitas juris & officiorum in corporalibus & ſpiritualibus, quod vir à muliere debet honorari, mulier à viro amari & tolerari, quodque vir, ſicut eſt caput miſeriæ & culpæ, ita etiam debeat eſſe caput curarum. Epheſ. 5. 28. 29. & fulcrum fœminæ.

De diſperſione humani generis in univerſam terram quæri poteſt, quomodo hìc tribuatur intentioni creantis, cum Gen. 11. tribuatur peccato hominum, præ ſuperbiâ turrim Babel ædificantium? Si Deus ideò multiplicavit humanum genus, ut univerſa facies terræ eſſet habitata ab hominibus, quomodo nam diſperſio hominum in univerſam terram eſt pœna peccati? Reſpond. Intentio Dei & interventus humani conſilii ac peccati non pugnant, ſed opera Dei, quæ ipſe ſuo conſilio intendit ac perficit, ſæpè ſunt fructus ac pœna noſtri peccati. Quod Iſraëlitæ Reges acceperunt, eſt ex intentione Dei & decreto ipſius Deut. 17. 14. qui Iſraëlitas rexit per Reges, ut eſſent typus magni iſtius uncti & Meſſiæ, & tamen hoc factum interventu peccantis populi, & fuit vera pœna 1 Sam. 8. 6. Oſe. 13. 10. 11. Sic diſperſio humani generis ſuper univerſam terram eſt ex conſilio & intentione Dei (ideò enim adeò multiplicavit homines & adeò amplificavit terram) & tamen eſt pœna peccati humani, quia Deus bonum ſuum conſilium exequutus eſt per malum conſilium hominum. Conſilium enim divinum dominatur ſuper omne conſilium humanum tàm malum, quàm bonum, illoque utitur ut ſuo inſtrumento, quo in executionem venit, ut ita homines omni ſuo conſilio nihil aliud efficiant, quàm quod conſilium Dei definivit, ut fiat Actor. 4. 28.

Quæri denique hic poteſt, quî Deus dicatur feciſſe homines, ut habitarent in terrâ, cum tamen Petrus dicat 1 Petr. 2. 5. quod homines ſint peregrini in terris? Qui peregrinus eſt, non eſt habitator. Reſpond. Petrus non loquitur niſi de Chriſtianis & fidelibus. Impii ſunt terræ filii, nec jus habent in cœlis, ſed omne beneficium, quod à Deo accipiunt, in eo poſitum eſt, quod terra ad tempus habitanda ipſis conceditur. Hinc & corde ſuo radicati ſunt in terrâ, nec aliam patriam quærunt, ſed terræ poſſeſſione contenti ſunt; Ideò rectè vocantur habitatores terræ. Fideles autem ſciunt ſibi hic nullam patriam eſſe, ſed politiam ſuam in cœlis eſſe Phil. 3. 21. Hinc quicquid in terra poſſident, ſunt tanquam non poſſideant. Utuntur terrâ tanquam diverſorio in itinere ad patriam, anhelant diſſolvi ex terrâ & in cœleſtem patriam traduci, & dum in terris ſunt, terrena non ſapiunt, nec quærunt quæ infra ſunt, tota ipſorum vita non eſt terrena ſed ſpiritualis & cœleſtis, habentque converſationem ſuam in cœlis. Verum quidem quod nec impiis terrâ data eſt ad æternam habitationem. Migrandum enim hinc, deſcendendum in ſepulchrum, imò in gehennam Pſal. 49. 12. 13. 14. 15. ſed quia impii aliud beneficium non habent à Deo præter poſſeſſionem terræ, quia etiam aliam patriam non habent, ſed

Digitized by Google

hanc pro ſuâ patriâ habent in quâ acquieſcunt, & in quâ libenter vellent manere; fideles autem in terrâ non acquieſcentes, cupiunt ex terrâ diſſolvi & in cœlum tanquam patriam ſuam traduci, ideò rectè impii dicuntur habitatores terræ, fideles autem peregrini in terris. Sic habet confeſſio Davidis & omnium Iſraëlitarum 1 Chron. 29. 15. ſumus peregrini coram tuâ facie. Habitamus quidem in facie terræ cum cæteris, ſed coram tuâ facie ſumus peregrini, id eſt, non ſolum quia tu nos tales eſſe nôſti, ſed quia nos propter te ex deſiderio tui, tuæque faciei hæc terreſtria contemnimus, & relinquere parati ſumus. Sic Hebr. 11. 13. Ex his ita declaratis ſequentia diſcimus.

1. Diſcamus ſæpè cogitare noſtram originem, ſcilicet, quod à Deo facti ſumus, & quod ex uno ſanguine tam mirabiliter omnes facti ſumus. Mirabile eſt, quod terra condita eſt ex nihilo, & primus homo ex terrâ, & prima fœmina ex coſtâ viri; ſed non minus mirabilis & notabilis eſt generatio omnium cæterorum hominum per operationem naturæ ex ſemine unius hominis, non ſecus ac ſi Deus vim illam creatricem, quâ primum hominem ex terrâ creavit, homini communicaſſet, ut & ipſe ex ſuo ſanguine ſui ſimilem generare poſſit, idque intra certos, rarò fallentes, temporum limites, eâdem partium conformatione, multiplici lineamentorum & temperamentorum differentiâ. Reſuſcitatio & reſtauratio putrefactorum corporum ex nihilo verè ſunt mirabiles. Sed tamen quia fit immediata omnipotentis Dei manu, non tantoperè ſupergreditur captum humanæ rationis, quæ facile credit Deum omnia poſſe, ſed per ipſam naturam tam ordinato tempore & modo idem fieri quotidiè, quod ſemel fecit manus Dei, imò ex iſtius unius viri ſanguine fieri totum & numero tam amplum genus hominum, ut & myriades ejus ſint innumerabiles, id profectò magis mirabile eſt. Hominem, dum ex ſanguine unius hominis per naturam producitur, tam turpiter deformari & degenerare inquinatione & propagatione peccati, mirum quidem eſt. Sed cum cogitas, hic intervenire Dei juſtum judicium, ſubtractionem cooperantis gratiæ Dei, malitiam Satanæ, deformatio tua plus abominabilis eſt in oculis tuis, quàm mirabilis. Non enim eſt magnæ artis corrumpere quod Deus bonum fecit. Verùm hoc verè mirabile, quod toti naturæ communicatur à Deo vis, & quod Deus naturæ tam inſenſibiliter aſſiſtit, ut per naturam ex pauco ſanguine producantur homines adeò per omnia ſimiles in ſubſtantiâ, vitâ & facultatibus illi, quem Deus ſuâ manu ex terrâ creavit. Si Magi Ægyptiaci, cum viderent ex pulvere fieri pediculos, exclamârunt, hic eſt digitus Dei Exod. 8. 19. quantò magis nos, cum cogitamus ex uno ſanguine per naturam plures homines factos, quàm ſunt arenulæ in littore maris! Conſidera quæſo quid David dicat Pſal. 139. verſ. 14. Laudo te quod mirabiliter factus, & novit hoc anima mea valdè benè. Mirabiliter factum eſſe hominibus & beſtiis commune eſt, ſed beſtiarum anima hoc non novit, at hominum noviſſe debet. O ſi anima noſtra

valdè

Digitized by Google

valdè benè nôſſet & conſideraret, quàm mirabiliter ſimus facti, plus revereremur & laudaremus noſtrum creatorem qui nos fecit. Allega hiſtoriam de bubulco, qui viſo bufone ſeipſum deteſtatus eſt, quod nunquam Deo gratias egerit, quod non factus ſicut bufo. Imò ſi probè nôſſet anima noſtra, quàm mirabiliter eſſemus facti, ſe ipſam & ſuum corpus melius cuſtodiret. Cum habemus vas fictile, quod artificiosè factum eſt, etſi materia ejus non ſit prænobilis, quàm arctè cuſtodimus ne frangatur! Cur igitur tam facile permittimus, ut Satan corpus & animam noſtram, quæ tam artificiosè facta ſunt, ut non tantùm nulla ars humana quicquam ſimile poſſit præſtare, ſed nec totum ædificium cœli & terræ comparandum cum illis ſit, pro lubitu inhabitet & fœdè corrumpat? Deus in Euangelio ſeipſum offert, ad illuſtre hoc δημιούργημα, per peccatum tam fœdè deturpatum, per ſanguinem filii ſui repurgandum, & per Spiritus ſancti operationem refingendum ad ſuam imaginem, cur tam multi ſunt, qui hanc gratiam rejiciunt, & opus Dei impediunt, ut manere poſſint in deformatione & impuritate ſuâ? Saltem cur tam multi ſunt, qui hoc opus curant tam negligenter ut non ſufficiat? Opus Dei deſtruere eſt phraſis. Rom. 14. 20. Hoc de proximo dictum, quid ſi de te? Hoc de ſcandalo, quid ſi de directo peccato? In ornando corpore per veſtes diligentes ſumus, ſed corporalis pulchritudinis plus ſatis habemus, modò hoc pulchrum opus purgemus à ſordibus ſpiritualibus.

2. Diſcendum quoque hinc, quod amorem debeamus omnibus hominibus. Sumus enim omnes ex uno ſanguine facti. Obligat ad amorem omnium, quod unus Deus omnes fecit Malach. 2. 10. ſed multò magis obligat, quod ex uno ſanguine omnes facti. Cum proximum odimus, quid aliud odimus, quam ſanguinem ex quo facti ſumus? Non debet inter homines extingui amor & reverentia ſanguinis ex quo facti ſumus, quantacunque ſit inter homines differentia. Non dicas: Ille eſt mendicus, pauper, ruſticus, ego dives, nobilis, Princeps; Eſt tamen ex eodem ſanguine. Diverſitas ſtatuum non tollit identitatem naturæ. Ergo non debet parere contemptum, non dicas: Ille eſt barbarus, neque tam politæ nationis ac ego. Eſt tamen ex eodem tecum ſanguine natus. Ne dicas: eſt impius, nec Chriſtianus ſicut ego. Eſt tamen ejuſdem tecum ſanguinis. Nec dicas: Eſt hoſtis meus, qui mihi fecit injuriam; eſt tamen ejuſdem tecum ſanguinis, ideò non licet odiſſe. Obj. At licet odiſſe impios Pſal. 139. 21. 22. Fratres amare jubemur, qui nobiſcum ſunt filii Dei, ex Deo geniti, Eccleſiæ inditi, à Chriſto redempti, vitæ æternæ hæredes. Si hos amamus, ſatis eſt. Quis poſſit amare Turcas, barbaros, impios? Reſpond. Non ſufficit amare fratres, ſed etiam hoſtes amandi ſunt Matth. 5. 44. Benefacito omnibus hominibus Gal. 6. 10. Si vel Samaritanus ſit, tamen eſt proximus, quem Iudæus tenetur diligere Luc. 10. 36. 37. & ratio in textu eſt. Sumus enim omnes ex uno ſanguine. Licet homines aliquo modo odiſſe propter impietatem ſuam,

Digitized by Google

ſed non tanto odio quod tollat omnem amorem, omnem compaſſionem, omnem humanitatem. Feras beſtias ſe invicem lacerare & devorare non eſt mirum, quamvis & hic quædam ſit reverentia ſanguinis, ut lupus lupum non facile devoret, ſed apud homines certè locum debet habere humanitas erga omnes qui ſunt homines, etiamſi ſint hoſtes & impii, & qui hanc obliviſcuntur erga quenquam hominem, deſinunt eſſe homines. Sunt, fateor, amandi fratres & domeſtici fidei præcipuè Gal. 6. 10. ſed tamen etiam omnes amandi, & omnibus benefaciendum ſicut Deus facit Matth. 5. 45.

At quomodo poſſumus amare impios & hoſtes, ſi eos tenemur odiſſe? Reſpond. Diſtinguendum eſt inter ἀγάπην & φιλαδελφίαν 2 Petr. 1. 7. Quid quæſo ἀγάπη & φιλαδελφία? Reſpond. Communis amor, quem φιλανθρωπίαν poſſis appellare, eſt

1. Amor Juſtitiæ, quo nemini facias injuriam ſed ſuum cuique tribuas, hoſtes & impios ames ſicut teipſum, & quod tibi non vis fieri, illis non facias, vindictæ cupiditatem abneges, & in Dei vindicta acquieſcas. Hæc enim juſtitia ex amore proximi debet profluere, & ſi inde non profluit, non eſt obedientia legis. Rom. 13. 8. 9.

2. Amor compaſſionis, in eo conſiſtens, ut miſeria eorum nobis ſit cordolium, & ut omni manſuetudine converſionem proximi expectem, & omnibus officiis eam promoveam, ipſi quoque parcam quantum fieri poteſt. Hos duos gradus amoris etiam barbaris, impiis & hoſtibus debeo, quia mecum ſunt facti ex eodem ſanguine, & cum hoc amore poteſt conſiſtere odium ac deteſtatio, quam ipſis debeo propter impietatem, poteſt etiam conſiſtere ſeveritas & oppoſitio ac oppugnatio, quæ mihi conceſſa eſt, ad eos pudefaciendos & emendandos, nec non ad me contra ipſos defendendum. Putant multi, ſi quem impium aut hoſtem præ manu habent, ſe non poſſe committere peccatum, quantumvis ſint in ipſum crudeles, barbari, maledicentes, acerbi &c. non eſt exuenda humanitas quocunque cum homine tibi res ſit, & malum à bono, quod in hoſtibus eſt, diſtinguendum eſt.

Quid igitur peculiare habet ἡ φιλαδελφία? Reſpond. Hoc genus amoris tripliciter differt à priori.

1. Oritur ex alio fundamento. Fundamentum amoris communis eſt communio naturæ, quia ſumus ex eodem ſanguine facti. Hinc in lege dicitur: Ama proximum ſicut teipſum: quia te amas, ama quoque proximum, qui ex eodem tecum ſanguine factus eſt. Sed Chriſtiana φιλαδελφία fundatur in alio ſanguine, ſcilicet in ſanguine Filii Dei. Hinc Chriſtus Chriſtianam Philadelphiam nobis commendaturus dicit, ſe nobis novum mandatum dare, diſtinctum à veteri legis mandato, ama proximum ſicut teipſum Joh. 13. 34. Joh. 15. 12. Hoc meum, hoc novum præceptum, ut vos invicem ametis ſicut ego vos amavi. Lex dixit: ama proximum ſicut te amas. Eſt enim tecum ex eodem ſanguine factus. Ego dico: ama fratrem ſicut ego te amavi. Ego enim vos omnes eodem ſanguine redemi, eo-

Digitized by Google

dem ſpiritu imbui, ejuſdem patris filios reddidi, nec non ejuſdem patrimonii hæredes. Ex hoc novo fundamento nova obligatio.

2. Oritur ex alia cauſa. Amor communis oritur ex naturâ & locum habet etiam in ethnicis, ſed Chriſtianâ Philadelphia oritur ex ſpiritu regenerationis, & non habet locum niſi inter Chriſtianos & regenitos. Alter eſt amor naturalis, alter ſpiritualis. Hinc recenſetur inter fructus ſpiritus Gal. 5. 22. & inter dona ſpiritualia 1 Cor. 12. & 13. Amor communis etiam aliquo modo eſt in publicanis erga publicanos Matth. 5. 46. 47.

3. Eſt amor alterius generis & celſioris gradus, ſupergreditur amorem communem, imò amorem conjugum, amorem corporalium fratrum & conſanguineorum. Facit enim tantoperè amplecti & deperire fratres, ut vitam pro illis ponere non dubitemus, ſicut Chriſtus vitam pro nobis poſuit 1 Joh. 3. 16. Cum Eccleſia eſt in afflictione & perſequutione, Philadelphia, quam gerimus erga illam & membra ejus, torquebit noſtra corda, ut in media noſtra pace & proſperitate nec pacem, nec quietem nobis indulgere poſſimus, imò, ut nec patris, nec matris, nec conjugis amore, nec propriæ vitæ periculo retineri poſſimus, quin ad liberationem Eccleſiæ conferamus quicquid eſt in noſtra poteſtate, & intra limites noſtræ vocationis. Vis exempla? Vide Moſen Exod. 2. 11. 12. non poterat frui deliciis aulæ & ſpectare onera fratrum, ſic Exod. 32. 32. Vide Nehemiam cap. 1. v. 3. 4. & c. 2. v. 3. Ipſi adeò benè erat in aula, ut nunquam fuerit triſtis c. 2. v. 1. ſed cum per triſte nuncium reviviſceret in corde ipſius Chriſtiana Philadelphia, nullis ipſum parcere permiſit periculis, ut fratres juvaret. Vide Davidis Philadelphiam Pſal. 122. 6. 8. Vide Paulum Rom. 9. 2. 3. erga Eccleſiam Judaicam, cujus rejectionem verebatur. Et 2 Cor. 11. 28. 29. erga Eccleſias Chriſtianas, in quibus videbat aliqua ſcandala. Imò ſi quandò Deus ipſe revelaverat, quod in hac vel illa urbe populum haberet electum, ſed nondum converſum, quæ non ſubiit pericula, ut hos fratres converteret? In ſummâ, quantò tenerior eſt amor & compaſſio quæ eſt inter membra ejuſdem corporis, quàm quæ eſt inter corporales fratres & conſanguineos, tantò tenerior eſt ἡ φιλαδελφία, quàm amor communis, ut patet ex 1 Cor. 12. 25. 26. Alias notas characteriſticas hujus Philadelphias vide egregiè concatenatas 1 Cor. 13. 4. 5. 6. 7. Et contra hanc Philadelphiam pugnat amicitia mundi, quâ impiis & veritatis hoſtibus eadem familiaritas & protectio quæſtus cauſâ exhibetur, ac piis & veritatis diſcipulis.

Quid ſi jam applicatio hujus doctrinæ mihi inſtituenda, quanta erit occaſio querendi de noſtro defectu! Textus noſter requirit amorem erga omnes homines, quia ſunt ex eodem ſanguine nobiſcum facti, & noſtrum multi nullum habent amorem erga fratres eodem ſanguine nobiſcum redemptos, eodem ſpiritu regeneratos! Scriptura non eſt contenta, ut fratribus Chriſtianis exhibeamus amorem communem, ſed Philadelphiam erga ipſos requirit, & nos

Digitized by Google

ipſis noſtris fratribus nobiſcum per Chriſti ſanguinem redemptis, & ſpiritu regenitis illum non exhibemus amorem, quem debemus omnibus, qui nobiſcum ex uno ſanguine facti ſunt, imò quem ipſis hoſtibus noſtris debemus! Tempore neceſſitatis cibare ac potare officium eſt quod noſtris hoſtibus debemus Rom. 12. 20. & nos noſtra bona profundentes ſinimus fratres noſtros fame ac ſiti perire. Si vera & ardens Philadelphia, imò ſi amor communis inter nos eſſet, quid non ſæpè poſſemus conferre ad alias Eccleſias liberandas, etiam ad hoſtes noſtros Euangelio beandos? Mandatum nobis, ut omnibus benefaciamus, & nos domeſticos fidei deſerimus Gal. 6. Mandatum nobis eſt, ut pacem colamus cum omnibus hominibus Rom. 12. 18. & nos cum fratribus lites & jurgia ſerimus, ſuper rebus nullius momenti, imò ſuper verbulo non ſatis aptè prolato. Mandatum, ut perſequutiones hoſtium patienter feramus, nec locum demus propriè vindictæ, malum malo compenſantes, & nos fratrum infirmitates ad extremum ulciſcimus, nec tantillam injuriam remittimus, donec ad ultimum quadrantem ſatisfecerit! Imò fratres & conjuges ſeinvicem tractant ut hoſtes. Si Chriſtiana charitas nobis deeſt, ubi eſt igitur Chriſtianiſmus? Vide 1 Cor. 13. 1. 2. 3. Imò homines non ſumus, quia ſanguinem noſtrum odimus. Docemus quidem contra Papatum, quod fides in Chriſtum ſit illud unicum, quod ad juſtitiam & vitam conſequendam neceſſarium eſt: ſed & docemus, quod fides ſine charitate non ſit fides, verùm carnalis ſecuritas & ἀναισθησία cordis non fracti.

3. Denique diſci hinc quoque poteſt, quod beatitudo non ſit ponenda in poſſeſſione & habitatione terræ. Hæc enim impiis & piis communis eſt, quippè Deus totum humanum genus fecit habitare ſuper univerſa facie terræ. Scythis & barbaris, Turcis & gentibus æquè hoc beneficium à Deo contingit. Eſt æquè portio Eſavi ac Jacobi. Sol oritur, pluvia cadit æquè ſuper injuſtos ac juſtos, cibus & lætitia cordis ex cœlo æquè datur impiis ac piis Matth. 5. Actor. 10. Hoc ideò tantùm annoto, ne exilio & paupertate terrena nimium dejiciamur. Si enim totum mundum lucraremur, ideò impiis nihil beatiores foremus. Si vel totam terram poſſideremus, peregrini tamen eſſe deberemus in terris, ſi Chriſtiani eſſe vellemus & corde à terris abeſſe. Fruamur itaque hic habitaculis noſtris in facie terræ, ut non obliviſcamur in terris perficere, quò tandem recipiamur in æterna tabernacula.

Actor. 17. *v.* 26. 27. 28.

CONC. CXCIV.

SEcunda pars divinæ Providentiæ ſuper genus humanum conſiſtit in eo, quod definit hominibus tempora præordinata & terminos habitationis.

1. Definit tempora præordinata habitationis, id eſt, vitæ. Habitatio enim hìc ſumitur pro commoratione hominum in terris, pro manſione & duratione. Quod præordinatum eſt; jam definitum eſt, quomodo igitur poteſt definiri? Quid differunt ὁρίζειν καιροὺς & προτάττειν καιροὺς? Reſpond. Prius factum

Digitized by Google

ctum eſt in æterno Dei decreto, poſterius fit in actuali temporum diſtributione. Æterno ſuo conſilio Deus præordinavit quamdiu hominum quiſquè vivere debeat in hoc mundo. Verùm in tempore, cum Deus hominem quemque in mundum introducit, velut clepſydrâ & horologio ipſi admetitur ſuum tempus, ſuos dies, menſes, annos, quos ab æterno illi præordinavit, ita ut termini & tempora noſtræ temporalis vitæ in terris planè dependeant à conſilio Dei, & tam diu durent, quamdiu Deus durare facit, nec ultrà, nec terminus vitæ noſtræ moveri poſſit per ullas creaturas aut creaturarum motus. Non enim loquitur de temporibus& terminis ſimpliciter prævíſis, ſed præordinatis & definitis ab ipſo Deo. Veram eſſe hanc doctrinam, non ſolùm ex generali doctrina de Providentia Dei, omnia regentis & determinantis, ſed & ex aliis ſcripturæ teſtimoniis clarum eſt. Vide Pſal. 139. 16. Job. 14. 5. Si tota noſtra vita à Deo eſt, ut v. 26. dictum, etiam tempus vitæ à Deo eſt, quo durat. Si omnes noſtri greſſus à Deo determinantur Job. 31. 4. Si omnes pili noſtri numerantur, ut non cadant, niſi volente Deo Matth. 10. an dies vitæ non eſſent numerati? Uſus hujus doctrinæ eſt, ut nos reddat alacres & fortes contra omnia periculæ vitæ, quæ in bonis viis nobis obveniunt. Quantacunque ſint pericula vitæ, tamen vita non peribit niſi adſit terminus vitæ à Deo conſtitutus. Si hæc eſt hora, quâ Deus animam meam vult evocare è corpore, quo fugiam, ut manum Dei effugiam, cur non potius gaudeam & libenter Deum vocantem ſequar? Si non eſt hora, quid nocere poterunt pericula, quantacunque ſint, cur non intrepidè pergo in viis juſtis?

1. Objectio. Atqui homines poſſunt vitam ſuam prolongare per obedientiam, & decurtare per inobedientiam Prov. 10. 27. Reſpond. Decurtatio & prolongatio, per quam mors hominum redditur tempeſtiva vel intempeſtiva, ſicut in tempore fit, ita etiam ab æterno decreta eſt, & ſic decretum Dei non mutat.

2. Objectio. At hæc doctrina largitur excuſationem homicidis, ut poſſint dicere: Si non fuiſſet terminus ejus vitæ, non potuiſſem ipſum occidere. Reddit etiam homines temerarios, ut in non neceſſaria pericula ſe præcipitent & Deum tentent. Reſp. Bonus Chriſtianus non utitur decretis Dei ad tranſgredienda præcepta Dei. Quod impii doctrina de decretis Dei abutantur ad excuſandam inobedientiam erga præcepta, dolere potiùs quâm negare poſſumus, ſed pii hoc non faciunt, quippè qui ſciunt conſilia & decreta Dei ſe invicem non tollere. Utuntur doctrinâ de firmo & immutabili Dei conſilio, tum ſuper vitam, tùm ſuper ſalutem ſuam, ad ſe conſolandos contra pericula quæ obveniunt in viis juſtis & bonis, ſed non ad dandam pedibus ſuis licentiam, ut evagentur extra limites obedientiæ.

2. Definit etiam terminos, id eſt, limites habitationis. Quod unus homo habitat ſub hoc climate cœli, alius ſub alio, unus in Europâ, alius in Aſiâ, Africâ, Americâ, quod unus tantùm agrorum & domorum poſſideat, alius plus,

Digitized by Google

plus, alius minus, non fit caſu, ſed à Deo definitur. Cùm Deus homines diſpergeret ſuper univerſam faciem terræ Geneſ. 11. non arbitrio & caſui permiſſum quò quiſque perveniret, ſed divino ductu & diſtributione Dei omnia peracta, in tantùm ut putetur angelorum miniſterium interveniſſe, qui quoſdam tranſportaverint in loca à cætero orbe planè diviſa, ac proindè inacceſſa hominibus antiquis, navigandi non peritis. Sicut Deus terram Canaan tempore Joſuæ Iſraëlitis per ſortem diſtribuit, ut quantum quiſque poſſideret à Deo eſſet, ita non minus à Dei definitione ac diſtributione eſt, in quâ parte orbis quis habitet, & quantum terræ poſſideat. Joſuæ 14. 2. & alibi. Vide Deut 32. 8. Hic locus loquitur non de diſtributione quæ facta eſt in tempore, ſed quæ ab æterno. Tum enim & totius & præcipuè Iſraëliticæ terræ diſtributio conjunctim facta eſt.

Objectio. Atqui videmus diſtributionem terræ, & collocationem limitum habitationis & imperiorum fieri plurimùm per injuſtitiam, & violentiam hominum, per bella, per migrationes & inundationes populorum, per fraudes, perjuria, furta & alia injuſta media. Reſpond. Hòc non impedit, quin eadem fiat à Domino. Domini enim conſilium & voluntas dominatur etiam ſuper injuſtitiam & violentiam hominum, & per illam efficit quod decrevit, ita ut injuſta imperia, injuſti limites habitationum non minus ſint à Deo quam juſta. Deus dilatat populos & ducit eos Job. 12. 23. æquè Eſavi ac Jacobi portionem dimenſus eſt Deus Deut. 2. 5. Serviat hoc ad refrænationem intempeſtivam illam, immoderatam, injuſtam ac violentam curam, litigationem, pugnam & belligerationem de finibus & limitibus imperiorum, agrorum & domorum, quæ mundum adeò turbant. Unde bella, pugnæ, lites, quàm ex herciſcunda terrâ? Quis verò conſtituit regionum, urbium, platearum, domorum limites niſi Deus? Quod ille tibi appoſuit & adjecit, id obtinebis ſine vitioſa illâ curâ ac pugna, quod non adpoſuit, non obtinebis ſi vel pugnes ut rumparis. Sitis igitur contenti eâ curâ cuſtodiendorum limitum poſſeſſionis, quæ ſtare poteſt cum juſtitia, cum charitate, & cum cultu Dei. Talis cura limitum ac poſſeſſionum terreſtrium neceſſaria eſt & utilis, quia & mandata eſt & habet promiſſionem divinæ benedictionis, ſed quæ contra juſtitiam, charitatem & cultum pugnat, ea damnatur Pſalm. 127. v. 1. 2. Prior poteſt ſubſervire decreto & providentiæ Dei, ut per eam accipias quod tibi appoſitum eſt, ſed poſterior non poteſt evertere decretum Dei, ut accipias quod tibi negatum eſt.

Antequam ab hac ſecunda parte diſcedam, verbulo annoto, quod docti Interpretes putent, Paulum hac parte pungere voluiſſe Athenienſium ſupercilium, qui ſe negabant aliundè in ſuam terram tranſlatos & ex ſanguine Adami derivatos eſſe, ſed ſe vocabant *αὐτόχθονας*, id eſt, terrâ ſua prognatos.

III. Sequitur tertia pars providentiæ Dei ſuper genus humanum, ſcilicet univerſalis omnium hominum invitatio ad Deum quærendum, attrectandum

dum & inveniendum. Eo enim fine Deus omnes homines, ex uno ſanguine factos in univerſam terræ faciem diſpertivit ad habitandum, ut Deum quærerent, ſi fortè attrectarent & invenirent. Dedit omnibus hominibus terram conculcandam, contemplandam, fodiendam paſtinandam, arandam, non tantùm ut cellam promptuariam in qua victum quærerent, & ventrem paſcerent, ſed ut librum & ſpeculum in quo Deum quærerent & mentem paſcerent. Non loquitur de invitatione ad cognoſcendum Deum quæ fit per verbum. Ea enim omnibus hominibus non contingit Pſal. 147. 19. 20. Multò minus de illuminatione per Spiritum ſanctum, quæ ſolis electis contingit Matth. 11. 25. 26. Sed loquitur de univerſali omnium hominum invitatione ad quærendum Deum, quæ fit per opera naturæ. Ideò enim Deus hominem in terra collocavit, ut fabricam univerſitatis ob oculos habens obſervet & perſpiciat inviſibilia Dei, tanquam in ſpeculo lucentia, videlicet, æternam ejus potentiam & divinitatem, ad notitiam Dei in animabus ſuis magis magiſque excolendam Rom. 1. 20. & ad intelligendum ſua in Deum officia. Hoc eſt attrectare & invenire Deum, id eſt, ſentire & percipere Deum in creaturis præſentem. Sicut enim præſentiam animæ in corpore percipimus per attrectationem venæ cardiacæ, ita Deum percipimus per inſpectionem mundi. Hic jam quæſtio movetur, an in eâ invitatione ad Deum quærendum ſit quædam ſufficientia ad Deum inveniendum? An ædificium & opificium cœli & terræ tantùm luminis de Deo in ſe contineat, quantum ſufficit ut homo ad veram Dei notitiam perveniat? Paulus videtur hoc affirmare, videtur etiam in dubium vocare, dum ait. Si fortè attrectent & inveniant. *Reſpond.* Paulus hoc annectit per voculam dubitativam, ut indicet, hominem per inſpectionem naturæ poſſe pervenire ad aliquam, ſed non ad perfectam & ſalutarem cognitionem Dei. Hæc enim haberi non poteſt, niſi per revelationem filii Dei in verbo & ſpiritu Joh. 1. 18. Hic igitur finis; cur Deus hominem in terris vivere & habitare ſinit, ut per continuam conſiderationem operum Dei ad aliqualem cognitionem Dei perveniret, quaſi dicas, ut Deum ſaltem aliquo pacto ſentiret & agnoſceret.

Objectio. S[illegible] quo fine Deus à cœcis ethnicis requiſivit aliqualem ſui cognitionem, ſi per hanc aliqualem non potuerunt aſſurgere ad totalem, perfectam & ſalutarem cognitionem Dei? *Reſpond.* Si ex verbo Dei conſtat, quod fuerit officium ethnicorum, ut per contemplationem creaturarum aſſurgerent ad aliqualem cognitionem Dei, quemadmodum ex hoc loco certò conſtat, nec non ex Act. 14. 17. tum non eſt neceſſe cum quoquam deſcendere in prolixam diſputationem de fine & de cauſis hujus officii ethnicorum, ſed utilius eſt, ut illud nobis applicantes ita ratiocinemur: Si ethnici debuerunt per ſolam contemplationem naturæ ad aliqualem Dei notitiam pervenire, & hoc non facientes coram Deo facti ſunt ἀναπολόγητοι & graviſſimum contraxerunt reatum juſtamque condemnationem,

Digitized by Google

tionem, quid non contrahent athei noſtri temporis, qui in mediâ luce revelationis Euangelicæ Deum ignorant, & cognitionem Dei quaſi à ſe repellunt, oculos claudunt, per crapulas, commeſſationes, contemptum verbi, indulgentiam libidinum, curas ſeculi, ſuperbiam vitæ ſeipſos excœcant, & ſic notitiam Dei violenter à ſe repellunt. Cogita quæſo quantum reatum & quam juſtam condemnationem hi homines ſibi attrahant, & cave eorum viis inſiſtere. Talis ratiocinatio ſalubrior eſt, quàm ſpinoſa de poſſibilitate vel impoſſibilitate, quæ ethnicis fuit ad ſalutem, vel de ſufficientia aut inſufficientia univerſalis gratiæ diſputatio, quæ ad nihil prodeſt, & in quâ curioſitati tuæ nunquam ſatisfacies, ſed in abyſſum inpenetrabilem te conjicies. Committas hoc divinæ ſapientiæ & juſtitiæ, & adhæreas verbo revelato, ac indubitata tua officia exſequaris.

IV. Quarta & ultima pars providentiæ Dei ſuper totum humanum genus eſt propinqua Dei præſentia, & efficax ejus operatio in ipſis hominibus, ita ut homines in Deo vivant, moveantur & ſint, quaſi dicas: Neque opus eſt ut Deum quærant extra ſe, in opificio cœli & terræ. Habent enim Deum intra ſe ipſos, & poſſunt in ſe ipſis attrectare & invenire Deum, quippè in quo vivunt, moventur & ſunt. Si hæc verba pro dignitate vellemus explicare, nos ipſos immergere deberemus in ſpeculationes plùs quàm metaphyſicas, quas ipſi Philoſophi vix caperent. Sed ſcientes quale nobis ſit auditorium, ſenſum verborum breviter ſic accipite: Duplex eſt eſſe hominum in Deo, ſpirituale & naturale: ſpirituale, de quo Luc. 17. 21. regnum Dei intra vos vel in vobis eſt Johan. 15. eſtis in me ſicut palmes in vite, per me omnia poteſtis, ſine me nihil poteſtis 1 Cor. 15. Deus omnia in omnibus. Johan. 17. 21. Sicut tu in me, ego in te, ita illi in nobis unum ſint. Unde vocamur templa in quibus ſpiritus Dei habitat, & omnia in omnibus operatur 1 Cor. 3. & 6. & 12. De hoc ſpirituali ineſſe hominum in Deo non loquitur hic textus, quippè quod non competit niſi ſolis regenitis, cum hic textus loquatur de providentiâ Dei ſuper totum genus humanum. Intelligendus igitur hic textus de naturali Dei præſentiâ & operatione in omnes homines, quæ tam propinqua, tam efficax eſt, ut homines omnes dicantur:

1. In Deo vivere. Sicut embryo in utero matris, propria anima adhuc carens, dicitur vivere per animam matris, ſicut fiſtula, proprio halitu deſtituta, ſpirat per halitum muſici, ita nos vivimus per perpetuam ἐπιχορηγίαν & ſuppeditationem divinæ vitæ, & ſicut Muſico halitum ſuum continente extemplò ſilet fiſtula, ita Deo halitum ſuum ad momentum retrahente nulla in nobis vita eſt. Etſi in nobis habemus vitam creatam, tamen illa ad momentum non duraret, niſi per increatam Dei vitam continuò quaſi aleretur, ſicut ignis alitur per ligna.

2. In Deo moveri. Sicut Muſicus non ſolum halitum ſuppeditat fiſtulæ, ut ſonet, ſed etiam motu ſuorum digitorum ſonum iſtum variat, ut fiſtula

ſonet

Digitized by Google

ſonet ſonum articulatum & muſicalem, ita Deus non tantùm nos vivificat, ſed & totam noſtram vitam ita regit, ut nullum vitalem motum edamus, quem non Deus in nobis formet, ſive ſit internus, ſive externus. Nec cogitationes, nec paſſiones affectuum, nec verba oris, nec opera manuum ita fiunt à nobis, quin à Deo in nobis efficiantur. Sicut horologium, etſi appellatur αὐτόματος, non moveretur niſi tractum per appenſa pondera, ita nos non movemur ſine Deo.

3. In Deo eſſe. Fiſtula, etſi ſine muſico nec ſonare, nec canere poteſt, tamen ſine muſico eſſe & exiſtere poteſt, ſed nos, Deo halitum & virtutem ſuam paululum à nobis retrahente, non tantùm deſinimus moveri & vivere, ſed etiam eſſe, & in nihilum recidimus.

Objectio. Si hoc ita eſt, ſi Deus omnes noſtros motus operatur, tum etiam operatur omnia noſtra peccata. *Reſpond*. Verum eſt. Sequitur omninò hinc, quod manus Dei etiam inveniatur in noſtris peccatis, id eſt, in illis noſtris motibus, cogitationibus, paſſionibus, verbis & operibus, quæ à lege Dei declinant, & à Deo puniuntur. Si enim ſine Deo nec vivere, nec moveri, nec eſſe poſſumus, ſequitur etiam quod ſine Deo & ejus providentia peccare non poſſumus, & quod etiam efficax providentia Dei ſuper peccata noſtra ſe extendit. Verum hic prudenter ſeparandum eſt opus & motus à declinatione operis & motus. Quòd movemur & operamur ex Deo eſt, ſed quod inter operandum & movendum declinamus à lege, & aliter operamur ac movemur quàm lex requirit, ex nobis eſt. Applica ſimile de equite equitante ſuper equo claudo. Quod in motibus & operibus noſtris naturale eſt, Deus ipſe in nobis operatur per providentiam ſuam communem ſuper totum humanum genus. Quod verò morale eſt, & per quod naturales noſtræ actiones legi Dei vel repugnant vel conſonant, id vel noſtro arbitrio adſcribendum, vel Spiritui ſanctificationis. Oſtende hoc in exemplo furis, homicidæ, adulteri &c.

Diſcamus hinc, quàm propinquus & quàm neceſſarius nobis ſit Deus.

1. Si Deus nobis tam propinquus, ne ſimus oſcitantes in Deo obſervando, & præſentia ejus animadvertenda, ut geramus nos dignè tam propinquâ Dei præſentiâ. Si quis Rex aut Princeps tibi tam propinquus eſſet, quantoperè ipſum venerareris & ſuſpiceres! Quantò magis ſi Deus? Si omnia in te operatur, an non omnia videt? Cave igitur ne offendas Deum tam propinquum. Habe ſemper ob oculos eum qui tibi tàm propinquus eſt, ut reverentia perpetua te teneat. Si Deus tibi tàm neceſſarius, ut ſine eo nec eſſe, nec vivere, nec moveri, nec videre nec audire, nec edere, nec bibere &c. poſſis, etiamſi habeas ſanas aures, oculos, manus &c. quid magis neceſſarium, quàm tenere Deum ne abs te diſcedat?

2. Si totam hanc præſentiam Dei habes, potes adhuc à Deo deſertus eſſe. Ergo præcipuè quære præſentiam ſpiritualem, quâ vita ac motus tui regantur ad conformitatem cum lege Dei. Naturalis Dei præſentia etiam in impiis,

Digitized by Google

piis, etiam apud inferos non deſinit. Ne igitur in hâc acquieſcas. Etiamſi in Deo vivas, movearis & ſis, tamen per hoc non es beatus. Non in naturali ſed in ſpirituali unione, & communione cum Deo ſitum eſt ſummum bonum hominis. Hanc igitur quæramus per abnegationem noſtri, per fidem Chriſti, per ſtudium ſanctitatis. Diſce porrò: 1. Si Deus tàm propè adeſt omnibus, etiam illis, qui eum non quærunt, quid non erit quærentibus & colentibus? 2. Si omnes in Deo movemur, quid proderit contra Deum inſurgere & rebellare? Inſurgimus enim contra illum ſine quo movere nos non poſſumus. 3. Si in naturalibus non poſſumus vivere, moveri, eſſe, niſi in Deo, quid poterit liberum arbitrium in ſpiritualibus.

Actor. 17. *v.* 28. 29.

CONC. CXCV.

FIlius Dei, qui per Spiritum S. regenitus ſpiritualem vitam accepit, accepit ſimul famem, & ſitim ac deſiderium duarum rerum: 1. Obedientiæ mandatorum Dei, ſeu famem juſtitiæ Matt. 5. 6. Quamdiu filiis Dei deeſt vel unius præcepti divini obedientia, deſiderio & conatu hujus obedientiæ tanquam fame ac ſiti torquentur donec deſiderium eorum expleatur. 2. externorum mediorum ſalutis, videlicet verbi & ſacramentorum, per quæ Spiritus ſanctus nos roborat in ſpirituali vitâ. Sicut infans vix natus ſtatim appetit lac matris quo nutriatur, ita regenitus ſtatim appetit verbum & omnia Dei ſacra inſtituta ac Spiritûs ſancti inſtrumenta; per quæ nos roborat in ſpirituali vita 1 Pet. 2. 2. Pſal. 27. 4. Et ubi hac fames, ac ſitis juſtitiæ verbi & ſacramentorum non ſunt, ibi deſunt ſigna, ex quibus de regeneratione conſtare poſſit. Etſi autem hæc fames & ſitis per ipſam regenerationem nobis implantatur, tamen habet ſuum languorem, nec ita robuſta eſt, quin opus habeat ſuis incitamentis, quibus acuatur. Sicut corpus languidum ac infirmum exercitiis & motibus aliquibus famem ac ſitim ſuam concitare opus habet, ita nos regeniti, propter regenerationis imbecillitatem & reliquæ carnis abundantiam, non ita vividè & fervidè eſurimus ac ſitimus juſtitiam, verbum Dei, & ejus ſancta ſacramenta, quin indigeamus aliqua exercitatione, qua hæc fames ac ſitis ſpiritualis in nobis roboretur. Et eo fine hæc concio adminiſtrationi ſacræ cœnæ præmittitur, ut in ea famem atque ſitim opponent, qui ſe ad edendum ac bibendum in menſa Domini accincturi ſunt. Sed quid magis conducere poteſt ad famem atque ſitim erga hanc cœnam concitandam, quàm bona commendatio cibi ac potus, qui in hac cœna comedendus ac bibendus exhibebitur? Si enim excellentiam hujus cibi atque potus probè intellexeritis, ſpontè ſe aperiet veſtrum os, ſpontè vobis ſurget fames atque ſitis. Qualis autem cibus atque potus hic dabitur? Dabitur nobis cibus ac potus, in quo guſtabimus noſtrum ſummum bonum. Quodnam noſtrum ſummum bonum? Quod ſumus Dei genus. Videtis itaque quod ad

Digitized by Google

inveniendum bonam commendationem ſacri cibi ac potus, qui in hâc cœnâ Domini præbebitur, non opus ſit recedere ab ordinario noſtro textu, qui hac vice venit declarandus, quippè in quo præclara eſt expreſſio iſtius ſummi boni, cujus cœna Domini ſacrum ſymbolum eſt, & quod in cœna nobis guſtandum exhibetur. Textus præcipuè deſumtus eſt ex Poëta ethnico Arato, & ſcopus ejus eſt refutare Athenienſium ſtultitiam, quam committebant in fabrica & cultu religioſarum imaginum. Poſtquam enim laudaſſet Athenienſes ob diligentiam in religione, reprehendit eoſdem ob cœcitatem & ignorantiam in religione, taxatque ipſorum abuſus circa templa, circa ſacrificia & circa imagines. Taxationem priorum duorum abuſuum vidimus. His verbis continetur abuſus tertius, qui eſt circa imagines.

In taxatione hujus abuſus duo habemus:

1. Fundamentum vel argumentum, quod Apoſtolus præmittit: Aliqui ex Poëtis veſtris dixerunt: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Tam propinqui ſumus Deo, ut etiam genus ejus rectè appellari poſſimus.

2. Concluſionem, quam huic præmiſſæ ſuperſtruit: Non igitur debemus putare, divinum eſſe ſimile auro, argento, lapidi, ſculpturæ artis ac inventionis humanæ.

Quod ad prius, duo quæruntur: 1. Cur hoc dictum pluribus Poëtis tribuat Apoſtolus, cum ſit unius Arati? *Reſpond.* Verba hujus dicti ſunt ſolius Arati, ſed res ac ſenſus illius apud plures Poëtas gentiles invenitur, ſicut docti nôrunt, quod ſimilia dicta extent apud Homerum, Heſiodum, Virgilium, Ovidium: Hominum ſator atque Deorum, igneus eſt ollis vigor & cœleſtis origo. Natus homo eſt, ſive hunc divino ſemine fecit ille opifex rerum &c. 2. Cur Apoſtolus ſuam doctrinam probet potius ex Poëta, quàm ex Propheta? Nonne probationes veritatis religioſæ ex ſola ſcriptura petendæ? *Reſpond.* Veritas Religionis duplex eſt; 1. Veritas naturalis, quæ ex lumine naturæ hauriri, & per intellectum hominis indagari poteſt. Lux naturæ, præſertim uti in intellectu virorum doctorum exculta eſt, multa præbet inſignia teſtimonia veritatis, tùm de natura Dei, tùm de officiis hominum erga Deum. 2. Veritas myſtica, quæ in myſteriis conſiſtit, quæque omni homini naturali abſcondita eſt, & non niſi ex revelatione divinâ ſciri poteſt, 1 Cor. 2. 7. exempli gratiâ: Myſterium Trinitatis, de Origine peccati, de abyſſo corruptionis, de perſonâ & officio Chriſti, de purificatione, regeneratione, reſurrectione carnis &c. quæ veritas propriè appellatur Chriſtiana fides, conſiſtens in certis articulis. Quod attinet ad veritatem naturalem, ea non tantùm ſuaderi & inculcari hominibus poteſt per teſtimonia & auctoritatem ſcripturæ, ſed etiam per communem conſenſum omnium hominum, præſertim per teſtimonia virorum doctorum aptè & concinnè expreſſa, ut memoriæ ſerviant, qualia ſunt gravium Poëtarum dicta, exempli gratia: quod ſit Deus, quod ſit omnipotens,

Digitized by Google

nos in Chriſto, imò ut ſimus unus ſpiritus & unum corpus cum Chriſto Eph. 1. 23. concorpores Chriſto Eph. 3. 6. 1 Corinth. 6. 17. Hæc certè teſtimonia Scripturæ arguunt veram ac realem unionem inter pios & Chriſtum. Si quæris quomodo hoc fieri poſſit, cùm Chriſtus ſit in cœlis & nos in terra, *Reſpond.* quod ſit myſterium μέγα Eph. 5. 2. quod credendum eſt, etſi non intelligatur modus ipſius. Unum de hoc unionis modo rectè dicunt Theologi, quod illa unio ſit per inhabitationem ejuſdem ſpiritus in Chriſto & in nobis, qui ambos inhabitat ac vivificat, non ſecùs ac ſi una anima duo corpora inhabitaret & animaret.

β. Conjunctio animorum. Sicut inter cognatos & conſanguineos eſt quidam amor ſanguineus (Bloedt-liefde) qui appellatur στοργὴ, quique animos cognatorum illorum ſtrictius conglutinat, ita quoque inter pios & Chriſtum. Anima Davidis & Jonathanis erant conglutinatæ per amorem amicitiæ, 1 Sam. 18. 1: Sed nos cum Deo & Chriſto longè arctius. Nullus ſponſus ſuam ſponſam tam fervidè amat & amplectitur atque Chriſtus ſuam Eccleſiam Eph. 5. 27. &c. Nullus pater, nullave mater tam teneriter amat ſuos liberos atq; Deus ſuos fideles Iſai. 49. 15. Jer. 31. 20. Viciſſim nulla ſponſa ſuo ſponſo adhæret tanta fide & tanto amore atque Eccleſia Chriſto, ut patet ex toto Cantico canticorum. Nullus filius ſuo patri tanto amore agglutinatus eſt ac pii ſuo Deo. Clamant Abba Pater per ſpiritum filiationis Rom. 8. Gal. 4. & cùm à Deo abſunt anhelant ejus præſentiam, plus quàm filius patriam domum peregrè abſens deſiderat. En hæc vera unio inter Deum & pios. Continentur uno ſpiritu, prehenduntur amore, prehendent, complectuntur & tenent fide, adhærent & agglutinantur amore. Et ubi tanta unio, an ibi nulla cognatio?

2. In Communione cum Deo. Non tantùm unio ſed & ex hâc unione profluens communio inter Deum & pios eſt. Habent communionem cum patre & filio 1 Joh. 1. 3. & cum Spiritu ſancto. 2 Cor. 13. ult. Nec poteſt fieri aliter, quin ex tam ſtricta unione cum Deo ſequatur communio bonorum, quæ ſunt in Deo. Quænam illa communio? *Reſpondemus* Triplex eſt:

1. Communio juſtitiæ. Sicut propter naturalem cognationem cum Adamo peccati & culpæ ipſius ſumus participes, ita propter hanc unionem & cognationem cum Chriſto juſtitiæ ipſius ſumus participes. Sicut uxor communionem habet propter conjugium cum dignitate mariti, ita nos cum dignitate & meritis Chriſti, in tantùm, ut non obſtantibus peccatis noſtris coram Deo tam juſti ſimus, ac ſi nunquam peccâſſemus Rom. 5. 18. 19.

2. Communio ſanctitatis. Sanctitas inter omnia Dei bona optimum & præſtantiſſimum eſt. Neque ullum bonum eſt, quod illi, qui Deum amant magis deſiderant, quàm ſanctitatem. Ubi eſt maritus qui bonus cum ſit & ſanctus, non præ omnibus cupiat uxorem ſuam reddere talem? Sic Deus eos, qui ſibi tam firmiter uniti ſunt, ante omnia ſpiritu ſanctificationis non deſtituit, ſed

purgat

Digitized by Google

purgat & rectificat Joh. 15. v. 2. ſicut filii, qui unitatem naturæ cum ſuo patre habent, per ſanguinem participes quoque ſunt ejuſdem indolis malæ, ſi pater malus, bonæ, ſi pater bonus: Ita qui cum Deo uniti ſunt, bonæ indolis, ſeu bonitatis & ſanctitatis ejus ſunt participes, & renovantur ad imaginem Chriſti ac ſimilitudinem cum ipſo, ut & ſic divinæ naturæ ſint participes.

3. Communio crucis & gloriæ. Sicut conjugibus damnum ſunt & emolumentum communia, ſicut qui alicujus filius eſt, eſt ejuſdem hæres, ita nos cum Chriſto patimur & cum Chriſto glorificamur. Patimur in terris, glorificamur in cœlis, & dum patimur, ipſe nobis conpatitur & condolet, dolores noſtros ſentit & ſublevat. Et communio quam cum Chriſti cruce habemus non debet nobis cognationem cum Chriſto reddere adverſam, quia ſicut crucis, ita & ſolatiorum ipſius ſumus participes 2 Cor. 1. 5.

Jam fiat brevis applicatio ad rem præſentem: Cœna Domini eſt communio Chriſti 1 Cor. 10. id eſt, eſt ſignaculum unionis, communionis & cognationis quam habetis cum Chriſto, & per Chriſtum cum Deo. Ideò Deus vobis porrigit hunc panem & hoc vinum, ut obſignet quod vos recipiat in ſuos domeſticos, ut ſitis de ejus genere & familiâ. Vos etiam eo ipſo fine hunc panem accipitis, editis & vinum bibitis, ut profiteamini, quod ſitis Dei domeſtici, de ipſius genere & familiâ. Quod ſi hoc fine & cum hâc confeſſione ad cœnam Domini acceditis, videte ut rem hanc non tantùm faciatis libenter, & cum gaudio, ſed etiam ſincerè, & date operam, ut confeſſio veſtri oris non refutetur per veſtra opera. Libenter & lætè utendum eſt cœnâ Domini. Quid enim lætius, quam unionem & communionem habere cum eo, qui eſt fons omnis boni & remedium omnis mali? Si in regiam adopteris familiam, quantùm gaudii! Sed ecce in divinam adoptaris. Quid jam deeſſe tibi poteſt? Verùm non tantùm libenter ſed & ſincerè hic agendum. Si verè creditis quod confitemini, vos eſſe genus Dei, Dei cognatos, conſanguineos, uxores, filios, domeſticos, amicos, hæredes, hoc ipſum

1. Domet veſtra peccata, & faciat ut vos geratis dignè eo genere quo cum eſtis conjuncti, eaque familia in quam adoptati eſtis. In mundo quivis vult ſe gerere ſecundum genus & familiam ex quâ oriundus eſt. Hæc regula totius œconomiæ. Si eſtis Dei genus, eſtote ſancti ſicut Deus ſanctus eſt, nec communionem habete cum mundo & diabolo. Quo cum habetis unionem, cum eodem debetis habere communionem. Quantò propiores Deo eſtis, tantò graviora ſunt veſtra peccata. Si eſtis Dei ſponſa, peccata veſtra ſunt adulterium. Si Dei filii, rebellio veſtra eſt parricidium. Si eſtis Dei amici, peccata veſtra merentur querelam Chriſti Pſal. 55. 13. 14. 15. Si eſtis Dei domeſtici, peccata veſtra merentur querelam Chriſti quæ eſt Pſal. 41. 10. Homines ægrius ferunt injurias à cognatis & domeſticis quàm à peregrinis illatas. Annon Deus ægrius feret peccata filiorum & convictorum ac domeſticorum ſuorum,

Digitized by Google

rum, quam eorum qui ad ſe nihil pertinent? Penſitate hoc probè antequam ad cœnam Domini acceditis. Vide 1 Joh. 1. 6. 2 Cor. 6. 14. 1 Petr. 2. 9. Si vultis cum mundo, cum beſtiis & cum diabolis vivere, non debetis cum Deo edere. Non feret tales convivas in ſuâ menſâ, ſed dicet iis: amice quomodo huc intraſti, & ejiciet in extremas tenebras ubi erit ſtridor &c. Luc. 14.

2. Temperet veſtras curas tum ſuper peccatis, tum ſuper defectibus veſtris. Quis eſt, qui habet parentes, maritum, cognatos divites, qui curis immoderatis de victu ſe torqueat? An ideò Deus vos invitat ad ſuam menſam, porrigitque panem & vinum, ut ſint ſymbola iræ & parcitatis quæ vos doceant diffidentiam? annon potius, ut ſint ſymbola gratiæ & liberalitatis, & vos doceant fiduciam? Doceat vos hoc argumentum canere pſalmum vigeſimum tertium. Cur curas, cur metuis? An metuis ne Deus non remittat infirmitates poſt primam reconciliationem reliquas? An metuis ne non perſeveret in gratia quâ te amare cœpit? An, ne det corporalia quantum ſufficit? Annon verè hæc tria ſunt illa ipſa res quam cœna Domini obſignat? Cœna datur poſt reconciliationem. Ergo obſignat abſolutionem malorum quæ poſt reconciliationem reliqua ſunt, & metum incutere poſſunt. At ea ſunt hæc tria, quæ dixi, ſcilicet 1. Infirmitates. Si peccata remiſit, annon infirmitates? 2. Relapſus. Si initia dedit, annon dabit continuationem & perſeverantiam & erectionem ex relapſibus? 3. Temporalium penuria. Si dedit æterna, annon dabit temporalia?

Actor. 17. *v.* 29. 30.

Conc. CXCVI.

Sequitur concluſio argumento ſuperſtructa. Nos ſumus Dei genus. Ergo Deus non eſt ſimilis auro, argento &c. Hic duæ quæſtiones explicandæ:

I. Quænam erat opinio gentilium de imaginibus? An putabant imagines eſſe Deos vel Diis ſimile quid? *Reſpond.* Si reſpiciamus excuſationes & opiniones philoſophorum, illi quidem dicunt ſe ſciviſſe quod imagines non eſſent ipſi Dii, ſed aliqua repræſentatio inviſibilium Deorum, per quam nobis illi ponantur ob oculos, ut mens noſtra in illos poſſet eſſe attenta. Nam ſi homo nihil ob oculos habet, cogitationes ipſius diſſipari putabant, nec poſſe figi in Deum inviſibilem. Verùm ſi ſpectes praxin vulgi, illi vix diſcrimen noverant inter idola & Deos, ſed idola lignea vel argentea tanquam ipſos Deos colebant. Daniel. 5. 23. Laudaſti Deos qui non ſunt niſi aurum, argentum &c. Unde & expreſſiones idololatrici populi Iſraëlitici ita ſonant Exod. 32. v. 1. & 4. Surge & fac nobis Deos, qui nos præcedant. Ecce enim Iſraël hi Dii tui, qui te eduxerunt ex Ægypto, vel ut eſt Nehem. 9. 18. faciebant ſibi vitulum fuſum, & dicebant, hic eſt tuus Deus. vide ſimile 1 Reg. 12. 28. Non eſt dubium, quin Aaron & prudentiores Iſraëlitæ hoc tantùm intenderint; ut vitulus ille

eſſet

Digitized by Google

eſſet externum & viſibile memoraculum illius Dei, qui Iſraëlem liberaverat ab Ægyptiis, & fortè ideò elegerunt formam vituli, quia Ægyptii erant vitulolatræ. Apis enim formam vituli vel bovis habebat. Hanc formam fortè ideò elegerunt, ut eſſet memoraculum quod ab Ægyptiis idololatris & vitulolatris eſſent liberati, adeoque non tam ad imitationem quàm ad deteſtationem Ægyptiorum. Verùm ſi ſpectes praxin populi & æſtimationem Dei, hoc opus fuit craſſiſſima idololatria. Populus enim hunc vitulum pro Deo ſuo habebat, & ut Deum colebat, Pſal. 106.19.20.21. Exod. 32.8. ſacrificabant vitulo Actor. 7. 41. & Deus illud pro verâ idololatria reputabat 1 Cor. 10.7. Cur quidam tantùm dicuntur facti eſſe idololatræ, cùm totus populus accuſetur? *Reſpond.* 1. Sine dubio multi fuerunt, qui genua non flexerunt vitulo. 2. Ipſe Aaron & prudentiores potius ἐθελοθρησκείαν commiſerunt quàm idololatriam, ſed ſuâ ἐθελοθρησκείᾳ populo dederunt occaſionem idololatriæ. Ideò Jeroboam toties dicitur Iſraëlem feciſſe peccare. Non quia ipſe non peccaverit & tantùm alios peccare fecerit, ſed quia ipſe directam idololatriam non intendit, & tamen ſuâ ἐθελοθρησκείᾳ communi populo anſam dedit, ut fierent idololatræ, & vitulos adorarent.

II. Quænam eſt ratio conſequentiæ hujus argumentationis: Nos ſumus Dei genus. Ergo Deus non eſt ſimilis auro &c. *Reſpond.* Ratio conſequentiæ eſt: quia inter nos & idola nulla ſimilitudo. Si nulla ſimilitudo eſt inter idola & nos, qui tantùm ſumus quædam imago Dei, multò minus erit inter Deum ipſum & idola aliqua ſimilitudo. Atqui cur non eſt ſimilitudo inter nos & idola? Utique pleraque idola habent formam viri vel fœminæ. *Reſpond.* Externa & corporalis forma non facit ſimilitudinem, ſed internæ vires & qualitates. Homo factus eſt ex animâ & carne, idola ex auro, argento, lapide, quæ ſimilitudo? Homo factus eſt ab ipſo Deo, idola fiunt per manus hominum, quæ ſimilitudo? Homo vivit, videt, audit, ratiocinatur, loquitur, idola ſunt muta, ſine omni ſenſu & motu Pſal. 115, quæ igitur ſimilitudo? Quod ſi homo non poteſt pingi, nec anima & vita hominis ullâ ſimilitudine repræſentari poteſt, quis repræſentabit aut pinget & ſculpet Deum? Iſai.40.18.&c. Si hæc applices ad modernos noſtros Papiſtas, quæſo quô pacto ſe poſſunt extricare ne ſint idololatræ? Faciunt imagines Dei & hominum, incurvant ſe imaginibus, adorant imagines, ſacrificant illis omnis generis dona, & tamen nolunt vocari idololatræ. Ajunt ſe ſcire, quod imagines non ſint Deus, ſed quædam ſimilitudo Dei, Deum repræſentans & ob oculos ponens, ut tantò attentiùs coli poſſit. Sed 1. quis juſſit Deum repræſentare per ſimulacra, poſtquam ſe revelavit in verbo & ſimulacra prohibuit? Exod. 20. 2. Quid reſpondebant Paulo, dicenti, quod inter τὸ θεῖον & idolum argenteum nulla planè ſit ſimilitudo? Imò quod imagines gloriam Dei mutent, Rom. 1. dum Deum ſub forma creaturæ repræſentando viles de Deo conceptus animis inſtillant. 3. Annon philo-

Digitized by Google

ſophi Athenienſes & Iſraëlitæ eâdem excuſatione uſi ſunt, & tamen declarantur idololatræ? Idololatria Papatûs talibus excuſationibus non tollitur. Quicquid enim doctiores diſtinguunt, populus non diſtinguit, ſed eadem devotione fertur in idolum atque in Deum, ut ſi doctiores non ſint idololatræ, ſaltem faciant populum peccare & idololatriam committere, ſicut Jeroboam. 4. Imò ipſi doctiores Papiſtæ multi in ſcriptis ſuis docent, & populum inſtituunt, quod non tantùm Deus in imagine, ſed & ipſa imago propter ſimilitudinem cum archetypo ſuo perfectâ adoratione ſit adoranda. Ne itaque confidamus quicquam talibus excuſationibus, ſed perfectè recedamus à communione cum his idololatris, nec patiamur nos aut liberos noſtros per conjugia & alios modos implicari huic idololatriæ. Scitis enim quantum idololatria peccatum ſit & quàm periculoſum ſaluti. Verbum habemus, ibi Deus pingitur & revelatur.

Hactenus Paulus Athenienſes laudavit ob diligentiam in religione, & reprehendit ob ignorantiam ac cœcitatem in religione. Nunc ſubjungit adhortationem, ut ſe ab hac ignorantia convertant, confirmatque illam adhortationem argumento deſumpto ab adventu Chriſti ad judicium. Deus poſtquam ad tempora ignorantiæ connivit, nunc mandat omnibus, quaſi dicat: etſi in prioribus temporibus Deus hanc ignorantiam ſui & religionis veræ & hos craſſos errores in vobis & aliis gentibus patienter tulit, tamen nunc tam patienter non feret, ſed vobis & omnibus mandat ut vos ab illis convertatis. Et ſi non feceritis, conſtituit vobis ſeveriſſimum judicem, qui vos graviſſimè puniet.

1. Quid tempora ignorantiæ? Cur ignorantia temporibus adſcribitur, cum non ſit temporis, ſed hominum vitium? *Reſpond.* Ignorantia quidem eſt vitium hominum, ſed non omni tempore æquè vitioſum, vel æquè grave vitium. Ætate puerili ignorantia tantum vitium non eſt, atque virili ætate 1 Cor 13. 11. Tempore V. Teſtamenti, cum Eccleſia per umbras & vaticinia tantùm erudiretur, ignorantia multorum myſteriorum non erat tam grave peccatum Gal. 4. 1. Sic tempore ethniciſmi ignorantia Euangelii minus peccatum fuit. Tempora igitur ignorantiæ ſunt, quibus & rara ac tenuis fuit Euangelii notitia ac doctrina, & quibus etiam ignorantia tantoperè non fuit punita.

2. Sed cur dicitur Deus tempora ignorantiæ ſupervidiſſe. Annon punivit Deus ethnicorum errores & ignorantiam? Contrarium utique patet ex Rom. 1. 24. *Reſpond.* Senſus non eſt, quaſi ethnicorum ignorantia & error non meritus ſit condemnationem, neque quod per ignorantiam ſuam non perierint ethnici. Sed dicitur Deus ſupervidiſſe ethnicorum ignorantiam propter duas rationes:

α. Quia Deus nullum remedium adhibuit contra gentium ignorantiam. Non vocavit eos per verbum Pſal. 147. 20. ſed ſivit eas ire ſuis viis Actor. 14. 16. Deſtituti fuerunt ethnici externa vocatione, quæ fit per prædicationem verbi. Eam ſoli Iſraëlitæ habebant.

Digitized by Google

2. Quia ethnicorum ignorantiam tam graviter non punivit. Quum primum Iſraëlitæ committebant idololatriam & ethnicos errores in religione, Deus extemplò eos ſubvertit & totali tranſmigratione & excidio illos punivit, ſed gentium idololatriam tam evidentibus judiciis temporalibus non punivit, & quantum ad pœnam æternam, Chriſtus expreſſè teſtatur, quod pœna, quæ in ultimo judicio veniet ſuper ignorantiam ethnicorum, longè erit tolerabilior, quàm quæ veniet ſuper ignorantiam & errores Judæorum Matth. 11, 20. 21. 22. &c.

3. Sed cur jam dicitur mandare omnibus hominibus converſionem, cùm & hodiè multi populi æquè deſtituantur externa vocatione, quæ fit per prædicationem verbi, atque olim ethnici ea deſtituebantur? *Reſpond.* Comparativè hoc intelligendum reſpectu Veteris Teſtamenti. Etſi non omnibus annunciat, tamen pluribus quàm olim, & quidem pleriſque populis, & vix populus eſt, in quo non invenitur candelabrum verbi & Scriptura in linguam cognitam tranſlata, ut nihil deſit ad cognitionem Euangelii conſequendam, præter pertinaciam populorum; in quâ etiam multi propter priſtinam Euangelii contemptum divinitus indurati ſunt.

4. Quid παραγγέλλει μετανοεῖν, annunciat convertere? Apoſtolus indicat, quod gratia externæ vocationis tanta eſt, ut non tantùm Deus mandet ut nos convertamus, ſed & doceat atque inſtruat à quibus peccatis nos debeamus convertere, ad quem nos debeamus convertere, unde vires converſionis adipiſci, per quæ media quærere, quomodo converſionem noſtram rectè inſtituere, ut habeat omnes ſuas partes, quomodo eam, non obſtantibus infirmitatibus, Deo gratam & acceptam reddere debeamus, & quam mercedem habitura ſit noſtra converſio. Hæc omnia Deus nobis annunciat, ut non opus habeamus expoſtulare cum Deo converſionem mandante Rom. 10. 6. 7. 8.

Diſcamus hinc:

1. Quod omnis ignorantia religionis ſit peccatum à ſalute excludens & converſioni repugnans. Jubemur enim nos ab ignorantia convertere, & paſſim homines ſtolidi jubentur fieri ſapientes Prov. 1. 22. Solent dicere homines: Quod neſcio, Deus à me non exiget. Sed exigit Deus ut te convertas ab ignorantia, præſertim ab ignorantia Euangelii, quæ in ethnicis erat. Poteſt objici: Ethnici non poterant ſcire, quia nemo mittebatur, ut prædicaret Rom. 10. *Reſpond.* Etſi ethnici non poterant ſcire Euangelium, tamen ignorantia Euangelii & errores de Deo ac ejus voluntate in ethnicis erat peccatum & juſta cauſa condemnationis, quia per prævaricationem legis ſe ipſos ineptos reddiderant & ad legis & ad Euangelii cognitionem & obedientiam. Erat quidem judicium & pœna Dei, quod ſedebant in tenebris & umbra mortis ſine cognitione Dei & ſalutis, ſed prævaricatio legis, quam ethnici commiſerant, & cujus per Adamum quoque rei erant, erat cauſa hujus judicii, & pœnæ. Nec erat ſine culpa quod non plus de Deo ſciebant. Deus enim ſe

Digitized by Google

non relinquebat ἀμάρτυρον Actor. 14. 17. ſed talia de ſe præbebat teſtimonia, per quæ ad altiorem Dei cognitionem debuiſſent & potuiſſent aſſurgere, etſi non haberent vocationem per verbum. Nec erat ſine culpâ quod non tantùm notitiâ carerent, ſed & deſiderio cognitionis carerent, & in ignorantiâ ſuâ ſibi ipſis ſummoperè placerent.

II. Præcipuè diſcimus hinc, quod ignorantia & rejectio Euangelii, quæ fit temporibus & locis quibus Euangelium prædicatur, ſit graviſſimum peccatum. Ei enim textus noſter minatur ultimum judicium, niſi quis ab eo ſe convertat. Hæc cauſa propter quam Chriſtus civitatibus Judææ & Galilææ tam graviter minatur Matth. 11. 22. Et hiſtoriæ comprobant, quod nunquam graviores vaſtationes venerint ſuper ullam terram, quàm ſuper eas, quæ Euangelium habuerunt & contempſerunt. Et Paulus iis, qui nunc Euangelium ignorant & rejiciunt, graviſſimè minatur 2 Theſſ. 1. 8. Rationes hujus rei ſunt.

1. Quia Euangelii prædicati ignorantia & rejectio, eſt rejectio remedii contra prævaricationem legis ordinati. Grave eſt, quod per prævaricationem legis nos in miſeriam præcipitavimus, ſed gravius quod etiam remedium contra miſeriam reſpuimus.

2. Quia eſt ignominioſa repudiatio Dei & Chriſti ſe nobis offerentis & nos ad gratiam ſuam invitantis Matth. 22. & Luc 14. indignum æſtimant filium Dei quem oſculentur Pſal. 2.

3. Quia eſt ingratitudo pro beneficio. Teſtatur Deus in Euangelio ſe tantum pro nobis feciſſe. Si hoc ſpernimus, quanta eſt ingratitudo? Malle cæcum eſſe quàm videre, quàm inſana hæc eſt, ingratitudo!

4. Præcipuè, quia eſt ignorantia & inobedientia voluntaria & pertinax, quæ non profluit ex merâ impotentiâ naturæ per peccatum corruptæ, ſed ex voluntaria malitia, quam Deus non poteſt non graviſſimè odiſſe & punire. Etſi enim impotentia naturæ tanta eſt, ut non poſſint homines ſe ſalutariter convertere, niſi ad externam vocationem verbi accedat interna tractio ſpiritus, tamen impotentia naturæ eos non neceſſitat, ut etiam contra lucem conſcientiæ in omnibus horrendis peccatis ſe volutent, & quaſi elata manu tam pertinaciter Euangelium prædicatum rejiciant & à ſe repellant. Applica hoc nobis. Nulli populo clarius prædicatur Euangelium quàm nobis. Ergo ignorantia & inobedientia Euangelii nullibi gravius & periculoſius peccatum eſt, quàm apud nos. Habemus tam multos auditores & communicantes, qui per Euangelii continuam prædicationem tam bene ſunt inſtituti, ut aliis poſſint eſſe in religione doctores, & tamen ſunt ebrioſi, & vi ebrietatis impudici, rixatores, propriæ familiæ afflictores. Quàm gravia putatis eſſe horum peccata! Conſiderent hoc quoque qui ideò manent in Papatu, quia parentes & majores eorum in iſtâ religione ſalvati ſunt. Si Deus tempora iſta ignorantiæ ſupervidit, an ideò tibi quoque parcet, cui lucem largitur tam claram? Nunc non eſt dies ignorantiæ quam Deus ſupervidet, ſed eſt ille dies ſalutis acceptus,

Digitized by Google

ceptus, de quo 2 Cor. 6. 2. Nunc eſt illud hodie, de quo Pſal. 95. 7. 8.

Denique non licet ſilentio præterire, quod converſio deſcribitur per voculam μετανοεῖν ſeu reſipiſcere. Per corruptionem peccati ſumus facti inſipientes, errantes Tit. 3. 3. per converſionem reſipiſcimus. Officia converſionis, quæ Deus à nobis requirit, non ſunt actiones ſtultæ, ſed verè ſapientes, id eſt, creaturam rationalem decentes, & cum recta ratione congruentes. Non ſunt quidem hæc officia per rationem excogitata, verùm per Scripturam revelata, ſed tamen rationi non contraria. Homo quidem corruptus & in ſtultitiâ impiæ vitæ induratus abnegationem ſui ipſius, fidem in Chriſtum crucifixum &c. habet pro ſtultitia 1 Corinth. 1. 23. ſed cum ratio humana officia converſionis à Deo requiſita, penitiùs examinat, ipſa ea juſtificat, & agnoſcit, quod nihil requiratur ſtultum & humanâ naturâ indignum aut Deo indecens, & ſic ſapientia juſtificatur à filiis ſuis Matth. 11. 19. Patet hoc ex inductione trium partium Converſionis:

1. Ex humiliatione. Quid æquius & rationi ſanæ convenientius, quàm ut creatura rationalis revereatur æternum & infinitum Deum, quàm ut peccator contremiſcat à facie tanti judicis & diſcat comprehendere, quod offenſione tanti Dei meritus ſit condemnationem mortemque temporalem & æternam, nec habeat in ſe quo reſtaurari poſſit. E contrario quid ſtultius, quàm quod teſta inſurgit contra figulum, creatura contra Deum, imò peccator, meritò æternæ condemnationis onuſtus, incedit imperterritus, ſuperbus, ſecurus & ἀναίσθητος, ſine pudore, metu, triſtitiâ & pœnitentia, ſe ipſum juſtificans & in ſeipſo confidens?

2. Ex fide in Chriſtum. Poſtquam Euangelium nos inſtituit, quod Deus unigenitum filium miſit in mundum, qui homo factus per ſacrificium ſui corporis peccata humani generis expiavit, & requirit ut omnes ſeipſis abnegatis ad hunc confugiant, hunc pro uno & ſolo mediatore & redemptore agnoſcant, eique dent gloriam perfectæ redemptionis, quid ſapientius & rationi ſanæ convenientius, quàm ut hanc gratiam non recuſemus, ſed ad mandatum Dei cum fiduciâ accedamus, obſignantes quòd Deus ſit verax. E contrario, quid ſtultius, quàm vim & ſufficientiam ſanguinis filii Dei in dubium vocare, & malle niti ſatisfactionibus propriis, meritis aliorum hominum, vel novum aliquod ſacrificium filii Dei inſtituere, vel in dubitationibus fluctuari?

3. Ex novâ obedientiâ præceptorum Dei & legis. Quod rationi convenientius, quàm creaturam non ſibi vivere ſed ei qui ipſam fecit, & tanto dolore proprii filii redemit, abnegare ſuam voluntatem, & ſe ſubjicere voluntati ejus cui omnia debet ſua bona? E contrario quid ſtultius, quàm tot beneficia oblivиſci, irritare petulantibus peccatis illum, qui ſolus nocere & benefacere poteſt, injuſtis mediis ſeipſum juvare, libidinibus indulgere ad propriam perniciem, vel etiam hominum ſe facere mancipium, eorumque mandatis & inſtitutis ſe ſubjicere. Applica

illud

Digitized by Google

illud Deut. 4. 5. 6. Non eſt certè ulla ſapientia ſed mera ſtultitia in converſione Papiſtica, quam diſtinguunt in contritionem, confeſſionem auricularem & ſatisfactionem propriam.

Actor. 17. *v.* 31. 32. 33. 34.

CONC. CXCVII.

Hiſce ultimis hujus capitis verſibus deſcribitur

1. Argumentum, quo Paulus ſuaſionem & adhortationem ſuam confirmat.

2. Fructus & effectus totius concionis qui fuerint.

Argumentum duplex eſt, primum ac principale, quo adhortatio Pauli confirmatur, ſecundarium ac minus principale, quo argumentum primum confirmatur.

Argumentum primum ſumptum eſt ab ultimo judicio. Convertite vos ab ignorantiâ, quia Deus conſtituit diem, quo judicabit terrarum orbem in juſtitiâ, idque per virum quo definivit, i. ei per quem judicare decrevit. Ignorantia Euangelii hactenus quaſi immunis & indemnis fuit inter ethnicos, dum Deus tempora ignorantiæ patienter tulit & quaſi diſſimulavit, ſed imposterùm non ita erit. Poſtquam enim Deus gentilibus Euangelium miſit, dedit eis quoque judicem, qui recipientibus det premium, rejicientibus pœnam. Nota. 1. An ultimus dies tum demùm fuit conſtitutus poſtquam gentibus Euangelium prædicatum eſt. Utique ab æterno conſtitutus? *Reſp.* Non dicit, quod tunc demùm diem judicii Deus conſtituerit, cum gentibus Euangelium prædicari cœperit, ſed indicat, quod terror ultimi judicii ignorantiam gentium in religione nunc tantò magis debeat conſtringere & compeſcere, poſtquam Euangelium ipſis revelatum eſt, & filius Dei, ex mortuis ſuſcitatus, actualiter conſtitutus eſt in ſolium judicii. Antehac ignorantia ethnicorum habebat quandam excuſationem & quaſi quoddam privilegium contra hoc judicium, quia poterant prætexere ſonticam ignorantiæ cauſam, quod non habuerint qui docerent. Sed nunc non habent prætextum Joh. 15. 22. Poſtquam Chriſtus factus eſt noſter Propheta, qui cœcitatem noſtram per prædicationem verbi vult curare, factus eſt quoque noſter judex, qui ignorantiam noſtram vult punire, ſi eam emendari non patimur.

2. Amplus hic mihi campus foret diſſerendi de ultimo judicio. De judice, de accuſatore, de patrono, de teſtibus, de reis, aliiſque judicii hujus perſonis. Item de loco, de tempore, de norma, de forma, aliiſque circumſtantiis hujus judicii, nec non probare, quod revera talis dies veniet, & ad quid prodeſſe debeat fides hujus diei. Sed non ſolemus noſtro huic Commentario inſerere prolixos diſcurſus de locis Communibus & articulis fidei, quippè qui in concionibus Catecheticis proprium locum habent. Non negligimus hoc dogma inculcare ſuo loco. Eſt enim præcipua pars prædicationis noſtræ, ut patet ex loco parallelo Actor. 10. 42. ubi hanc materiam excuſſi.

3. Dicit, quod hoc die terrarum orbem

Digitized by Google

orbem judicabit. Non ædificium terræ intelligit. Etiamſi enim hæc quoque illo die ſuum patientur judicium 2 Pet. 3. 7. tamen judicium illud terræ non habet rationem judicii, niſi reſpectu hominum. Purgabitur à vanitate cui propter hominum peccata fuit ſubjecta Rom. 8. 20. 21. per orbem igitur hîc intelligitur totum humanum genus, ſeu omnes homines qui unquam aut uſquam in orbe fuerint. Sicut enim omnibus hominibus conſtitutum eſt mori, ita omnibus quoque judicium Hebr. 9. 27. nec quiſquam ſibi aliquod privilegium poteſt promittere.

4. Dicit, illo die orbem terrarum judicatum iri in juſtitia. Quid hoc eſt dicere? An Deus unquam aliter judicat quam in juſtitiâ? *Reſpond.* Ita eſt. Judicium ultimi diei, & judicia quæ Deus exercet in hoc mundo tùm ſuper impios, tùm ſuper pios, in hoc differunt, quod illud fit in juſtitia, hæc non fiunt in juſtitiâ. Nemo hoc ita capiat, quaſi Deus in terris injuſtè judicet. Aliud enim eſt injuſtè judicare, quod in Deum cadere non poteſt Geneſ. 18. 25. Aliud non judicare in juſtitia, ſeu ſecundum poſtulatum legis & juſtitiæ. Aliud eſt tranſgreſſio juſtitiæ, aliud defectus juſtitiæ. Deus in judiciis ſuis nunquam tranſgreditur limites juſtitiæ, ut faciat quod injuſtum eſt. Sed tamen in judiciis, quæ Deus in hoc mundo exercet, non eſt iſta plena menſura juſtitiæ, quæ erit in judicio ultimi diei. Judicia Dei in hoc mundo non ſunt plenè juſta, id eſt, non implent plenum poſtulatum legis & juſtitiæ, neque ſuper impios, neque ſuper pios:

α. Non ſuper impios, 1. quia his in hac vita nunquam tantum retribuit, quantum merentur, & quantum juſtitia poſtulat, ſed præcipua illorum pœna reſervatur in diem judicii ultimi. τότε. tunc reddetur ſecundum facta Matth. 16. 27. 2. quia impiis in hac vitâ ſæpè melius eſt quàm piis, & levius puniuntur ac rarius quàm pii Pſal. 73. Hebr. 12. Adeò ut Deus impios in hoc mundo potiùs judicet in patientiâ quàm in juſtitiâ.

β. Non ſuper pios, 1. quia præcipuum judicium, quod Deus in hoc mundo exercet ſuper pios, ſcilicet judicium juſtificationis, non fit in juſtitiâ ſed in gratiâ. Non enim ſecundum rigorem & poſtulatum legis juſtificamur, ſed gratis ex merâ gratia Dei, ſine ullâ juſtitiâ quæ in nobis ſit Rom. 3. 25. 2. quia piis in hac vitâ non ſemper adminiſtratur jus contra injurias quas patiuntur, ſed coguntur multas devorare injurias, quas nec ipſi ulciſci permittuntur, nec Deus ulciſcitur, ut ſæpè per totam vitam fruſtra precentur illud Pſalmi 43. 1. 2. Bona ipſorum opera non tantùm à Deo in hac vita non accipiunt plenam ſuam mercedem, ſed etiam ab impiis injuſtam ſæpè afferunt retributionem. Verùm judicium quod fiet die ultimo, fiet in juſtitia, quia tum accipiet quiſque quod facta ſuæ merentur: Impii tunc accipient plenam illam pœnam quam peccatis ſuis meriti ſunt, pii accipient plenam illam gloriam, quæ ipſis in judicio juſtificationis propter Chriſtum adjudicata eſt, & propter hanc juſtificationem debetur. Ideò rectè dicitur quod hoc judicium ſit futurum in juſti-

Digitized by Google

juſtitiâ, vel, ut alibi dicitur, ſit juſta retributio ſecundum opera cujuſque Pſal. 62. 12. & paſſim. Judicium juſtificationis non fit ſecundum opera, ſed ſecundum fidem. Qui credit, eum juſtificat, ſed in ultimo judicio non in fidem inquiretur, ſed in opera Matth. 25.

5. Dicit denique judicium hoc futurum per virum à Deo ordinatum. Quod Chriſtum intelligat, ex ſubjectis patet. Cur autem Chriſtum appellat potius virum, quàm Deum? Eſt Chriſtus vir ſed & Deus eſt. Cur igitur judicium potius adſcribitur humanitati quàm Deitati Chriſti? Imò adhuc alia quæſtio eſt, ſcilicet, cur Filius potiùs hominum judex, quàm Pater? Pater utique magis propriè & primariè ille judex contra quem peccavimus. Quomodo conciliari poſſunt duo illa loca, quæ ſunt Joh. 5. 22. & Joh. 12. 47. dedit omne judicium Filio, & Filius neminem judicat? *Reſpondeo* diſtinctè ad tria:

α Quod Pater judex mundi & Filius judex mundi, non pugnat. Pater enim Filio omne judicium dedit, idque in premium ſuæ exinanitionis, ut qui ſanguinem ſuum pro mundo fudit, cultoribus ſuis mercedem gratiæ retribuat, & hoſtibus ſuis mercedem meritorum. Joh. 5. 23. Phil. 2. 9. 10. 11.

β. Quod Chriſtus dicit ſe non veniſſe ad judicandum, ſed ad ſalvandum, per hoc non negat ſe judicem mundi eſſe conſtitutum à Patre, ſed tantùm negat condemnationem hominum eſſe præcipuum finem ſui officii judicialis. Sicut Rex aliquis præcipuè conſtitutus eſt propter ſubditos, ad eos defendendos, & non niſi ſecundariè propter hoſtes ad eos damnandos, ne pacem ſubditorum impediant: ita Chriſtus conſtitutus Rex & Judex mundi, non præcipuè propter hoſtes ſuos & Eccleſiæ, ut eos puniat, ſed præcipuè propter Eccleſiam, ut eam ſalvet: Præterea intelligendus eſt ille locus de adventu primo.

γ. Quod Paulus Chriſtum hoc locò potiùs appellat virum quàm Deum, id facit propter duas cauſas: 1. Ne per intempeſtivam mentionem myſterii de Trinitate philoſophos offenderet. Philoſophis enim articulus de Trinitate præcipuè ſuſpectus eſt & magno offendiculo. 2. Ut indicet, quod Filius Dei ultimum judicium adminiſtrabit cum corporali apparitione humanæ ſuæ naturæ in nubibus 1 Theſſ. 4. 17. Etſi enim ſecundum utramque naturam Chriſtus eſt Judex mundi, tamen placet Deo ut mundum judicet quatenus eſt viſibilis, & ut videant impii illum, in quem noluerunt credere, ad majorem pudefactionem & convictionem. Judicium juſtificationis eſt inviſibile; hoc judicium erit viſibile. Viſibile autem judicio quadrat viſibilis judex.

6. Additur nunc proſyllogiſmus, argumentum principale confirmans: πίστιν παρασχὼν πᾶσιν ἀναστήσας αὐτὸν, propriè ſic vertitur: Certitudine hujus judicii datâ omnibus, excitando Chriſtum ex mortuis, πίστιν παρασχών. Non eſt ſenſus quod omnibus fidem in Chriſtum dederit, ſed quod omnibus argumentum dederit, ex quo concludere poſſint, Chriſtum à Deo conſtitutum eſſe judicem & vindicem ſuper receptionem vel rejectionem Euangelii, quia ſcilicet

ex

Digitized by Google

ex mortuis eſt ſuſcitatus. Non tractabo hic locum communem de reſurrectione Chriſti, ſed tantùm quæram, quomodo reſuſcitatio Chriſti ex mortuis ſit argumentum demonſtrans, quòd Chriſtus ſit futurus mundi judex? Lazarus & alii etiam ſunt ſuſcitati ex mortuis, nec tamen hoc ſignum eſt, quod ſint conſtituti judices mundi. *Reſpond.* Chriſtus non fuit mortuus morte naturali ſicut Lazarus & alii, ſed violenter occiſus eſt per malitiam ſuorum hoſtium. Quod ſi Deus voluiſſet, ut Filius ſuus hanc mortem ſuam in hoſtibus non ulciſceretur, reliquiſſet eum in ſepulchro. Poſtquam autem eum ex mortuis ſuſcitavit, in cœlum aſſumpſit, ad dextram ſuam poſuit, hoc certum ſignum eſt, quod & illi hoſtes, qui eum occiderunt, & illi qui Euangelium ejus oppugnant, in illo ſint habitúri judicem & ultorem. Applicationem hujus materiæ dedimus in Actor. 10. 42.

De fructu & effectu totius concionis hujus Lucas teſtatur, quod quidam auditores doctrinam Pauli, præcipuè eam de Reſurrectione ludificati ſint, quidam de eâ dubitaverint volentes audire denuò, quidam ipſi adhæſerint & crediderint, & quod Paulus tutus ac quietus ſine periculo ex medio eorum evaſerit. Totuplices auditores experiuntur omnes verbi Dei concionatores, videlicet

1. Manifeſtos illuſores & contemptores, qui nihil magis prædicatione verbi moventur quàm lapides, aut ſi moventur, imitantur ad perſequendum. Hi pauci illi, de quibus Matth. 7. 6.

2. Dubitatores & hæſitatores, qui verbo Dei multum moventur, ſed non permoventur ad credendum. Tales ſunt, quorum corda pulſantur ut verbum Dei admirentur Actor. 2. 12. & cum Agrippa parum abſint, quin fiant Chriſtiani Actor. 26. 28. Imò quidam horum eò uſquè moventur, ut fide temporariâ verbum recipiant, imò magnam ſortiantur illuminationem, magnumque guſtum ac gaudium in verbo Luc. 8. 13. Hebr. 6. 4. 5. Sed tamen, quia malitia cordis non frangitur, nec præcepta verbi, carni contraria, ipſis allubeſcunt, non credunt toto corde, ſed reſiliunt ac deficiunt, imò ex amicis fiunt inimici verbi, illudque malitioſè blaſphemant ac perſequuntur.

3. Fideles, qui toto corde ſe verbo ſubmittunt & Eccleſiæ Chriſti adhærent, ac diſcipulis ſe conjungunt. Hi non niſi pauci, ſi cum cæteris comparentur, ſed tamen ſemper aliqui, ne fruſtra fiat prædicatio verbi. Inter hos nominatur Dionyſius Areopagita, id eſt, ſenator Curiæ Athenienſis. De hoc multa habentur in hiſtoriis vel potiùs fabulis, quorum præcipuum eſt, quod dicitur patiente Chriſto Lunam vidiſſe locum ſuum deſerere, & ſub Sole conſiſtere ad efficiendam miraculoſam illam eclipſin, dixiſſeque: Naturæ patitur Deus, aut natura periculum. Quantum præter hoc fabularum ſit de ipſo in Papatu, vide Jeſuitam à Lapide in hunc locum. Præſertim de libris ipſi adſcriptis acris diſputatio videatur in Riveti Critico ſacro ſub initium. Nos cum fructu hinc diſcimus, quod Deus etiam magnates mundi ad fidem poſſit convertere, ut Eccleſia habeat patronos & nutri-

Digitized by Google

nutricios. Precemur Deum, ut multos Areopagitas, id eſt, ex ordine regentium Eccleſiæ addat. Notetur denique, quod, etſi non defuerunt ludificatores & perſequutores, tamen Paulus ſalvus & incolumis, protegente Deo, è turba exceſſerit. Sic novit Deus ex periculis eripere timentes ſe.

Actor. 18. *v.* 1. 2. 3. 4. 5. 6.

CONC. CXCVIII.

IN ſecundo itinere Pauli pervenimus ad ultimam metam hujus itineris, à qua regredi cœpit verſus Syriam unde egreſſus erat, videl. Corinthum. Hujus urbis ſubactio ſub obedientiam Euangelii ab ipſo Paulo habetur pro nobiliſſimâ parte ſui Apoſtolatus, ſuper quâ maximè triumphat, vocans illam Eccleſiam ſigillum ſui Apoſtolatus 1 Cor. 9. 1. 2. quia ex ædificatione hujus Eccleſiæ maximè conſtat, quàm præſens & efficax fuerit Spiritus S. cum Paulo & per illum, q. d. improbabilia media & robuſta impedimenta, quæ apud vos inveni, & felix eorum ſuperatio ac florentis Eccleſiæ ædificatio obſignant & confirmant, quod Deus mecum fuerit, & quod ejus ſim miniſter ac Apoſtolus. Sita hæc urbs in Iſthmo, qui Peloponneſum peninſulam cæteræ Græciæ conjungit. Tribus nominibus hæc civitas famoſa eſt: 1. priſca clade, quam paſſa eſt à Romanis. Cum enim Romanorum Legatos contemptim habuiſſet, nec non propter potentiam, quâ Romam ferè æquabat, Romanis inviſa eſſet, per Lucium Mummium fuit obſeſſa, expugnata, & tota combuſta ac ſolo æquata, unde à Cicerone in epiſtolis proponitur in exemplum communis corruptibilitatis omnium rerum humanarum. Ab Auguſto autem fuit reſtaurata, & brevi ad priſtinum ſplendorem rediit. 2. Opulentiâ & divitiis. Fuit enim emporium, non tam ſapientiæ & militiæ ſtudio excellens, ſicut Athenæ, quàm mercatoribus opulentis, unde multæ merces Corinthiacæ in veteribus hiſtoriis ſunt celebratiſſimæ, κορίνθια σκεύη, vaſa Corinthia. 3. Vitiis. Luxus enim & libidines ac mollities Corinthiorum in proverbium abierunt. Κορινθιάζεσθαι enim dicebantur ii, qui ſcortationibus ac luſtris indulgerent, unde & Paulus nullibi, quàm in epiſtolis ad Corinthios contra ſcortationem magis invehitur. 1 Corinth. 5. & 6. 2 Corinth. 12. 21. Præſertim, ut in emporiis & inter mercatores ſolet, avaritia apud Corinthios admodùm graſſata eſt, ut nihil iis gratum eſſet, quod quæſtum interverteret, quæ unica videtur fuiſſe cauſa, ob quam Paulus neceſſarium putavit Corinthiis τὸ εὐαγγέλιον ἀδάπανον θῆσαι 1 Corinth. 9. 18. Cum ab omnibus Eccleſiis ſtipendium acciperet pro Euangelizatione ſuâ, à ſolis Corinthiis & Achaicis accipere noluit, ſed obfirmatè recuſavit. Vide quomodo loquatur 2 Corinth. 11. 7. 8. 9. &c. & 12. 13. 14. &c. *Quare hoc fecit?* Dicit 1 Cor. 9. *quia non ædificat*, & 2 Cor. 11. *quia non vult amittere gloriationem.* Multa ſuper hâc re diſputantur, & Pontificii hinc volunt probare opera ſupererogationis, ſed breviter res ita

Digitized by Google

ita habet: 1. Corinthii præter modum erant avari, adeoque Euangelium iis non poterat obtrudi & inſinuari niſi gratuitò. Si enim mercedem exegiſſet, avaritia eos impediiſſet ne venirent ad Paulum & Eccleſiam. 2. Venerant ad hanc quoque Eccleſiam Pſeudoapoſtoli illi, qui in Synodo Hieroſolymitana condemnati per invidiam ubique obſiſtebant Pauli conatibus, & hoc fine ſe paſſim offerebant ad gratis docendum. Quod ſi Apoſtolus pro prædicatione accepiſſet mercedem, & illi ſe obtuliſſent ad docendum gratis, quàm facilè à Paulo ad ſe pertraxiſſent imperitum vulgus, & ſchiſmata, quibus plus ſatis Eccleſia iſta erat repleta, auxiſſent, Paulum calumniantes, quod eſſet ventris miniſter & doctrinæ cauponator. Erant igitur cauſæ propter quas neceſſarium erat Paulo apud Corinthios non uti ſuâ libertate in accipienda mercede, ſed Euangelium Corinthiis ἀδάπανον prædicare, nec fuit hoc opus ſupererogatorium, quia ad tollendas graves Euangelii remoras ſuâ libertate abſtinere non eſt res ultra præcepta verbi Dei aſſurgens, ſed in præceptis verbi expreſſè comprehenſa, ut Paulus hoc expreſſè docet 1 Corinth. 8. & 9. Quod ſi quis ex profanis me interroget, annon eadem neceſſitas gratis prædicandi Euangelium, etiam hodie incumbat miniſtris Euangelii? *Reſpond.* Si vos æquè vultis eſſe avari ac fuerunt Corinthii, ut potius velitis Euangelio carere, quàm annunciatoribus Euangelii ſtipendium ſolvere, tum præconibus incumbit neceſſitas, quantùm fieri poteſt, gratis potius prædicare, quàm non prædicare. Sed an par eſt, vos adeò eſſe avaros? An decet in Republicâ tam divite miniſterium Euangelii tam viliter haberi? Nihil habetis quod minoris vobis conſtet quàm Euangelium. Non eſt ſumptus Euangelii, nec magiſtratuum vectigalia, quæ vobis oneri ſunt, ſed ſi quicquam vos onerat, luxus veſter & ſuperbia veſtra incuſanda eſt.

De Expeditione Pauli in hac urbe duo ſunt in textu: 1. quid egerit apud Judæos. 2. quid apud ethnicos Corinthiacos. De Judæis agitur verſu 1. ad 7. De Ethnicis verſu 7. ad 18.

I. Hic ante omnia conſideratu dignum eſt, quod Paulus dicitur χωρισθεὶς ἐκ τῶν Ἀθηνῶν. Non dicitur diſceſſiſſe proprio motu & conſilio, ſed paſſivè ſeparatus & ſubductus. Non certè expulſus per vim Athenienſium v. 33. Ergo Dei inſtinctu & impulſu ab Athenienſibus ſublatus eſt. Sicut Paulum Corinthi juſſit manere v. 9. 10. ita eundem Athenis abſtraxit. Deus dat præcones Euangelii & aufert quoque. Infelices ſunt quibus non dat, ſed infeliciores, quibus aufert. Nam cum recuſat dare, hoc facit jure libertatis, quia non debet. Cum aufert quos dedit, hoc facit jure juſtitiæ vindicativæ, ad puniendum contemptum eorum, quos dederat. Athenienſes, in propriis oculis nimium ſapientes, Euangelizationem Pauli contempſerant, Deus igitur in ira ſua eum ab ipſis abripit, & per hoc declarat ſuam erga illos indignationem. Hoc eſt auferre regnum cœlorum Matth 21. 43: *Nobis datum eſt regnum cœlorum*, dati præcones Euangelii. Caveamus, ne auferantur. Non enim au-

Digitized by Google

ferentur ſine noſtrâ culpâ, ſed tum demùm, ſi contempſerimus, & fructus Euangelio dignos non tulerimus.

II. Paulus Corinthum appulſus, divertitur apud quendam Judæum. Hic hoſpes Pauli deſcribitur 1. à nomine ſuo & uxoris. 2. à genere, quod fuerit Judæus Ponticus; id eſt, in Ponto Aſiæ provincia, natus. 3 à Statu quod fuerit exul Romanus, cum cæteris Judæis Romæ habitantibus, in exilium pulſus per Claudium Cæſarem. 4. ab opificio. Erat σκηνοποιος. Et poſtremum, allegatur ut cauſa propter quam apud hunc hoſpitem diverterit, quia ſcil. ipſi erat ὁμότεχνος. 1. Hic Aquila nondum fuit Chriſtianus, cum Paulus apud illum diverteret, ſed poſtea Chriſtianum factum eſſe, & quidem egregium & exemplarem, patet ex v. 18. 19. & 26. hujus capitis, item ex 2 Tim. 4. 19. præcipuè Rom. 16. 3. 4. 1 Cor. 16. 19. Exemplum fortis agoniſtæ pro Eccleſiâ Dei tempore periculoſo. 2. Hunc hoſpitem Paulus dicitur inveniſſe v. 2. quod non factum caſu, nec per ſolam inquiſitionem Pauli, qui aliquem ſibi quærebat ὁμότεχνον, ſed ſingulari directione Dei, qui ſolus ſciebat, quâ in domo Corinthi habitaret aliquis, qui Paulo futurus eſſet fidelis hoſpes & cooperator in opere Domini, ita ut hoc ſit egregium exemplum ſingularis & efficacis præſentiæ & directionis divinæ, circa omnes illos, qui ſecundum vocationem ſuam faciunt opus Domini, nec ſciunt quo pacto aut quibus mediis ad ſcopum ſuum pervenire poſſint, ut diſcant ſolicito & ſciſcitanti ſuo animo reſpondere illud Abrahami: *Dominus providebit* Geneſ. 22. 8. 3. Sed quare huic hiſtoriæ inſeritur mentio iſtius exilii, quod Aquila paſſus eſt, cum unâ cum cæteris Judæis Româ expelleretur? *Reſpond.* Spiritus S. vult occaſione hujus exulis, de quo mentio erat facienda, nobis indigitare in quàm miſero ſtatu Judæi fuerint, poſtquam lapidem angularem in Sion rejecerant, Dominum gloriæ crucifixerant, & verbum regni repulerant, ſcil. quod nuſquam terrarum locum tutum haberent, ſed perpetuo exilio eſſent obnoxii. Erant ſicut Cain Geneſ. 4. 14. & implebatur in illis cominatio Dei Deuter. 28. 65. 66. Quæ Claudio cauſa fuerit hujus exilii non certò conſtat. Alii putant, quod quoſdam nobiles Romanos ſolicitaverint ad Judaiſmum. Suetonius, quia auctore Chriſto tumultuati ſint jugiter, ex quo falſo teſtimonio Suetonii alii colligunt, quod propter fervidas diſputationes de Meſſia ſeu Chriſto, quæ erant inter Judæos Chriſtianos & non Chriſtianos, fuerint ejecti à Claudio, aliquid mali à Chriſti regno ſibi metuente. Sed quæcunque Claudio fuerit cauſa hujus exilii, certum eſt, quod divinitùs hæc conturbatio Judæis fuerit immiſſa, ad puniendum eorum contumaciam contra Chriſtum & ejus Euangelium, unde & hæc Judæorum conturbatio & concuſſio, poſtquam Romæ cœpiſſet, Paulò poſt per totum Romanum Imperium graſſata eſt, ut nullibi locorum à perſequutione immunes eſſent, præſertim poſtquam arreptis armis ſeditionem movere cœperant contra Romanos circa annum Chriſti 64. Horrendum exemplum,

Digitized by Google

emplum, omnibus Euangelii contemptoribus metuendum. Deo exoſi & hominibus contrarii, 1 Theſſ. 2. 15. Chriſtiani quoque eodem tempore & pauló poſt una cum Judæis graves paſſi ſunt perſequutiones. Sed hi hominibus exoſi, Deo erant grati, & gravia patientes lætabantur in ſerenitate conſcientiæ. Nulli ſunt miſeriores homines, quàm qui extrinſecùs verbum Dei amplectuntur, & intùs illud negligunt vel contemnunt. Nam propter externam profeſſionem verbi divini ſunt exoſi mundo & ejus perſequutioni obnoxii. Propter internum contemptum ſunt exoſi Deo & ejus vindictæ ſubjecti. Qui verbum Dei extrinſecùs non profitentur, ſed mundo per omnia ſimiles vivunt, etſi ſunt exoſi Deo, tamen fruuntur amicitiâ mundi. Qui ſub profeſſione veritatis piè vivunt, etſi ſunt exoſi mundo, tamen fruuntur amicitiâ Dei. Sed qui verbum Dei extùs profitentur, & intùs contemnunt, Deo & hominibus inviſi ſunt. Tales erant Judæi, tales nos, ſi ſecundum verbum, quod profitemur, non vivimus nec credimus. Si volumus eſſe religioſi, ſimus extùs & intùs pii. Si tum nobis odium mundi ſuſtinendum eſt, ſaltem præſtò nobis adeſt gratia Dei. 4. Præcipuè annotatu dignum eſt, quod Paulus hic dicitur fuiſſe tabernaculorum textor, quod aliqui vertunt, quod fuerit ſutor. Tabernacula enim tùm fiebant ex corio, quod ſuendum erat. Paulus educatione non erat opifex, ſed vir literatus Actor. 22. 3. Probabile igitur eſt, quod hoc opificium didicerit poſtquam ad Apoſtolatum fuit vocatus, ut mediante hoc opificio tantò melius ſe ſuſtentaret & inſinuaret inter peregrinos, nec opus haberet cuiquam eſſe gravis Actor. 20. 33. 34. 2 Theſſ. 3. 8. 1 Cor. 4. 12. Hoc extraordinarium exemplum Pauli non evincit, opus miniſterii non eſſe opus peculiaris vocationis, ſed cujuſvis textoris & ſutoris opus. Paulus enim prolixè teſtatur, & ſe à Deo ad miniſterium vocatum ac ſeparatum eſſe Gal. 1. 15. & ſibi conceſſum ex Euangelii annunciatione vivere 1 Cor. 9. Quod autem opificium manuarium addidicit, & ex eo aliquando vixit, hoc ideò fecit, ut in neceſſariis ſuis peregrinationibus non careret remedio adverſus incidentes neceſſitates. Quod ſi quid inde diſcere volumus, diſcamus, quàm ſit utile ſibi proſpicere de mediis etiam ad extraordinaria tempora ſuſtinenda neceſſariis. Paulus vult, ut hâc in parte ſimus ſui imitatores 2 Theſſ. 3. 8. Noſtri juvenes adoleſcunt in inertiâ, nec quicquam diſcunt, unde victum ſibi comparare poſſint, ſed dicunt, ſe vel divites eſſe & ex reditibus ſuis vivere poſſe, vel officium aliquod publicum adminiſtraturos & inde victuros eſſe. Hoc quidem fortè ſuccedet, ſi reſpublica in flore eſt. Sed ſi incidet reipubl. vaſtatio, quid tum reditus, quid officia proſunt? Adſuefacite liberos veſtros laboribus. Qui non poteſt laborare, ſed pigritiæ adſueſcit, & in eâ adoleſcit, ad omnia inutilis eſt. Nam nec precari poteſt, nec luctari, nec pati. Nihil laborioſius, quàm in precibus aſſiduum, in lucta contra peccatum fervidum & conſtantem, & ſub cruce tranquillum ac manſuetum eſſe. Qui in pigritiâ

Digitized by Google

tiâ adolevit, nihil horum poteſt. Inertia & laboris imperitia eſt ordinationi Dei contraria. Gen. 3. 19. Exod. 20. 9. 1 Theſſ. 4. 11. 2 Theſſ. 3. 7. 8. 9. &c. & proinde non poteſt ſtare cum bonâ conſcientiâ, quantumvis ſis dives, & non indigeas victum quærere per laborem, tamen non licet eſſe inertem & ſine labore. Qui in pigritiâ & inertiâ adoleſcit, fit diſcipulus vanitatis, & nihil agendo malè agere diſcit. Hinc illi diſcurſus: Si non frequentem ſpectacula, compotationes, ſaltationes, quid agam, quomodo tempus teram, & longas hybernorum dierum veſperas tranſigam? Et ſic qui cum Diabolo ſcholam frequentat, cum eodem infernum inhabitat. Hi fructus inertiæ. Nam hæc ſocietas ſemel inita, tam facilè non rumpitur.

III. Paulus Corinthi hoſpitium adeptus quid ibi egit?

1. Ivit in Synagogam κατὰ πᾶν σάββατον. *Quæ Deus conjunxit homo ne ſeparet.* Didicerat Paulus ſex diebus laborare, ſed & didicerat ſeptimum diem ſanctificare. Nec erat ſicut illi, quibus ſatis eſt aliquando comparere in templo, nec ſingula ſabbatha obſervant. Noſtri homines per ſex dies otiantur, die autem ſabbathi luxuriant in conviviis & profanis ſocietatibus plus quam ullo die. Vel, ſi non ſunt helluones, avaritia eos conſtringit ad ſabbathum cæteris diebus exæquandum in labore. Scimus quantis comminationibus præceptum de ſanctificatione ſabbathi in V. T. fuerit ſancitum Num. 15. 32. Ezech. 20. 13. 16. 21. 24. Et ſicut præceptum quartum de ſanctificatione ſabbathi, etſi in circumſtantiis mutatum, tamen in ſubſtantiâ non eſt abrogatum in N. T. ita etiam comminationes non ſunt abrogatæ, nec ceſſant violationis pœnæ.

2. Quid in Synagoga egit? Quid Chriſtiano cum Synagoga? Eccleſia Chriſtiana erat egreſſa à Judæis obduratis, nec communionem habebat cum illorum ſacris. Cur igitur Paulus ſuum ſabbathum celebravit in Synagogis Judæorum? *Reſpond.* Paulus ibi non comparebat ut auditor pabulum puræ doctrinæ ibi quærens, ſed ut doctor ad puram doctrinam inferendam. Hoc licitum illi, qui ad hoc erat vocatus. Quomodo autem Paulus docuit in Synagogâ Judæorum? Textus indicat, quod gradus obſervaverit in docendo. Ante adventum Silæ & Timothei διελέγετο καὶ ἔπειθε Ἰουδαίους τε καὶ ἕλληνας. Diſſerebat ſeu diſcurrebat & hortabatur. πείθειν ſimpliciter eſt docere Gal. 1. 10. Sed poſt adventum horum ſpiritu correptus eſt Paulus ad teſtificandum Judæis Jeſum Chriſtum. Senſus videtur eſſe, quod Paulus ſub initium de Jeſu Chriſto Mariæ filio nihil dixerit in Synagoga, ſed generaliter ſit hortatus ad pietatem, concionans de magnitudine miſeriæ ac injuſtitiæ naturalis, de neceſſitate ſpiritualis redemptionis per Meſſiam Patribus promiſſum, & per hoc animos auditorum ad devotionem excitans, & ad audiendum de Chriſto Euangelium præparans. Sed poſtquam ex Macedoniâ venerunt Timotheus & Silas, & de incremento iſtius Eccleſiæ lætum tulerunt nuncium, Pauli Zelus pro gloria Chriſti ita efferbuit,

Digitized by Google

buit, ut, ſui officii, ſuæque miſſionis memor, oſtenderet ſe teſtem Jeſu Chriſti Nazareni, & nominatim teſtaretur Judæis, hunc eſſe Meſſiam patribus promiſſum, & ſine fide in hunc neminem poſſe ſalvari. Diſcamus hinc prudentiam boni miniſtri, quæ in eo conſiſtit, ut primò lac præbeat antequam ſolidum cibum. Generalis doctrina de neceſſitate & beneficiis Meſſiæ erat lac & prima elementa Chriſtianiſmi & Euangelii, quæ in V. T. ad ſalutem ſufficiebant. Sed articulus de adventu veri Meſſiæ infirmis adhuc erat durus cibus. Hunc igitur non dat, niſi benè præparatis. Hoc eſt verbum ὀρθοτομεῖν, rectè dividere, & unumquodque ſuo tempore apponere 2 Tim. 2. Non ſunt tacenda altiora & ſublimiora religionis capita, ſed tamen non apponenda niſi illis, qui per prima rudimenta Euangelii præparati ſunt. Reprehenduntur, qui in ſpeculatione ſublimium quæſtionum occupati prima elementa Chriſtianæ fidei ignorant. Diſcendum quoque hinc, quod ſucceſſus Euangelii auget zelum & fervorem miniſtrorum. Cum ſe vident nihil proficere, labaſcit zelus. Sed cum Paulo adferretur nuncium, quàm alacriter Macedones labori ipſius reſponderent, excitatur ſpiritus ejus ad abundantiùs laborandum.

IV. Effectus laboris fuit exiguus. Non fuiſſe omninò nullum apparebit ex v. 8. ſed tota multitudo nil aliud, niſi reſiſtebat & blaſphemabat, non tantùm Paulum ſed & Jeſum. Non tantùm contradicebant & in contrarium diſputabant ratiocinando, ſed ἀντιτασσόμενοι, obturabant aures, vi reſiſtebant. Non dicit quod inobedientes fuerint, Chriſtum non receperint, nullos motus ex concionibus Pauli hauſerint, vel etiam Pauli conciones contempſerint. Hoc fecerant Athenienſes, ſed Judæi Corinthiaci ſupergrediuntur hæc omnia, & bellum gerunt adverſus Dominum Jeſum. Hi ſunt peſſimi omnium auditorum, non tantùm alieni à Chriſto, & extra ejus communionem, ſed etiam hoſtes Chriſti, & hi quoque Chriſtum hoſtem & vehementiſſimum ultorem experientur. Et tales tamen hodieque inter nos ſunt, qui teſtificationem veritatis & reprehenſiones peccatorum non tantùm non recipiunt, ſed neque ferunt, verùm iis reſiſtunt & blaſphemant. Si obedire verbo non vultis, ſaltem ferte verbi adhortationes, præſertim Papiſtæ hac in parte imitantur Judæos.

V. Reſtat quod Paulus in hos excuſſerit pulverem veſtium ſuarum, & proteſtatus ſit, quod ſit immunis ab illorum perditione; & quod velit tranſire ad gentes. Eſt eadem proteſtatio & ceremonia, quâ uſus eſt cum Barnaba adverſus Judæos in urbe Antiochiâ Piſidiæ Actor. 13. 46. 51. 52. Eſt ceremonia inſtituta à Chriſto Matth. 10. 14. Marc. 27. 24. 25. Fundatur hoc totum in eo quod legimus Ezech. 3. 18. 19. Finis eſt, ut ſit teſtimonium contra illos Matth. 10. 14. ex quo ſciant ſuâ culpâ ſe perire & neceſſe habent juſtificare Deum in judiciis ejus, cum ſuper ipſos venerint. Ne ſinite res veſtras eò devenire, ſed cavete & obſervate illud Hebr. 13. 17. Date miniſtris veſtris potius cauſam benedicendi vo-

Digitized by Google

bis & beneprecandi, quàm proteſtandi contra vos. Ita vivite, ut miniſtri veſtri ſine ſcrupulo & angore conſcientiæ vobis poſſint applicare & obſignare promiſſiones ſalutis.

Actor. 18. *v.* 7. *ad* 12.

CONC. CXCIX.

SEquitur quid Paulus egerit & effecerit apud ethnicos Corinthiacos, poſtquam apud Judæos fruſtrâ laboraverat. Ubi quatuor ſunt res conſideratione dignæ: 1. Mutatio loci. 2. Succeſſus prædicationis in hoc novo loco. 3. Alloquium Chriſti ad Paulum. 4. Velitatio quædam inter Chriſtianos & gentes coram Gallione præſide Romano. Digreſſus ex Synagogâ Judæorum venit in domum Juſti. An hoſpitium mutaverit & ex domo Aquilæ in domum Juſti migraverit, an verò Aquilæ convictor manens Juſti domum ſibi elegerit in auditorium in quo doceret, non definivero. Poſterius tamen probabilius. Quoniam enim in labore opificii toto manſionis ſuæ tempore continuavit, & à nemine ſtipendium accepit, probabile eſt, quod domum Aquilæ non deſeruerit.

Hic novus hoſpes deſcribitur 1. à nomine, Juſtus. 2. à Vitâ. Timebat Deum. 3. ab habitatione. Domus ejus contermina Synagogæ. Ipſum nomen indicat ſatis, quod non fuerit hic Juſtus Judæus, ſed ethnicus. Ideò enim ad hunc tranſiit, ut deſertis Judæis ethnicos doceret. Sed cur elegit domum Synagogæ tam vicinam? *Reſpond.* Quia non ita abalienatus affectu à Judæis, ut eorum curam planè abjiceret. Etſi juſſu Dei contra ipſos proteſtatus erat, tamen amore gentis adhuc ſtimulabatur ad ſalutem eorum cupiendam. Manet igitur illis vicinus, ut captare poſſit occaſionem docendi, & fortè ut per confluxum gentium eos ad zelum provocaret & æmulationem. Vide Rom. 11. 14. Severitas diſciplinæ in miniſtris non debet extinguere amorem & curam peccantium 2 Theſſ. 3. 14. 15. Etſi autem hic Juſtus fuit ethnicus, tamen Deum timuit. Quomodo ethnicus potuit habere timorem veri Dei? *Reſpond.* Etſi fuit ethnicus nativitate, tamen potuit eſſe Judæus religione. Aut, ſi religionem Judaicam apertè non fuit profeſſus, tamen potuit fuiſſe talis, qualis erat Cornelius Actor. 10. cui ſcil. per converſationem cum Judæis ſacra Scriptura innotuit, & per hujus diligentem lectionem initia Spiritus S. contigerunt, quorum vi cor ejus ſenſu miſeriæ fractum & ad ſincerum deſiderium reconciliationis cum Deo excitatum, etiamſi interim doctrina de Meſſiâ ejuſque perſona & officio nondum diſtinctè ipſi innotuerat. Tales religioſi multi erant tum temporis, tum inter Judæos, tum inter proſelytos, tum etiam inter Ethnicos Judaiſmum non profitentes, ſed tantum inter Judæos viventes, vel cum Judæis converſantes. Et hæc exempla nobis largiuntur ſpem, quod Deus in medio Papatu apud multos ita operetur per converſationem cum Euangelicis, ut, quamvis ad profeſſionem publicam puræ doctrinæ, & ejurationem Papatus non aſſurgant, tamen aliquam veritatis cognitionem & cordis ſince-

Digitized by Google

ſinceritatem hauriant, cui Deus cæteras infirmitates condonet.

In hoc novo auditorio felicior fuit ſucceſſus laboris Pauli. Nam Criſpus princeps Synagogæ (ille ipſe Criſpus de quo 1 Cor. 1. 14.) cum totâ familiâ credidit in Dominum, & multi ex Corinthiis, Paulum ibi audientes, non tantùm crediderunt, ſed & extrinſecùs religionem Chriſtianam profeſſi ſunt per receptionem Baptiſmi. Diſce hinc.

1. Quod ſevera diſciplina contra impios eſt medium lucrandi impios. Paulus Judæos quaſi excommunicaverat & abſciderat, & excluſerat ex communione Eccleſiæ, denuncians illis, quod ſanguis ſeu pœna eorum ſit ſuper ipſorum capite, & quod Euangelium ab illis ſit auferendum & transferendum ad ethnicos. Per hanc ſeveritatem ipſe Doctor ac Rector Synagogæ (& ſine dubio plures cum illo) commotus fuit, ut Paulum è Synagoga abeuntem ſequeretur, & doctrinam veritatis amplecteretur. Sic Paulus hos homines abſcindendo attraxit ad Eccleſiam. Noſtri homines ſæpè ſunt ſoliciti, ne acrioribus reprehenſionibus & ſeveriori diſciplina homines abſterreantur à templo. (uyt de kercke preecken.) Sed vide hic contrarium exemplum Deus nos juſſit contra contumaces ſeveritate uti Judæ. 22. 23. nec dubium eſt, quin huic quoque medio ſit benedicturus. Simile exemplum eſt in inceſtuoſo Corinthiaco 1 Corinth. 5. Non eſt cum diſciplina Eccleſiaſtica ſicut cum ſuppliciis magiſtratûs politici, quæ peccantem tollunt è medio ne peccet amplius. Verùm hæc diſciplina non deſtructionis, ſed emendationis cauſa data eſt. 2 Corinth. 10.

2. Quæ ſit natura veræ fidei. Criſpus credidit Domino. Dominus non loquebatur Criſpo, ſed Paulus, & tamen Criſpus dicitur non Paulo, ſed Domino credidiſſe. Fideles credunt miniſtris Chriſti ut ipſi Chriſto, & verbum, quod ſecundum ſcripturam ipſis loquuntur, recipiunt, non ut verbum hominum, ſed, quod revera eſt, ut verbum Dei 1 Theſſ. 2. 13. Applica hic illud Luc. 10. 16. Aliis in locis dicimur credere εἰς vel ἐπὶ τὸν κύριον (in / of op den Heere) ſed hîc credere τῷ κυρίῳ. Hæc diverſitas phraſium nihil aliud indicat, quàm quod in vera fide hæc duo neceſſariò concurrant videl. 1. notitia intellectûs, quâ ſcio quis ſit, & quid promiſerit Dominus, adeoque verbum ejus pro vero habeo. Vera fides non eſt cœca aut implicita, ſed audit quid Dominus loquatur, & auditis ac intellectis credit. Hoc eſt credere Domino. 2. Fiducia cordis, quâ in Dominum reclinamus & recumbimus tanquam in fulcrum, quo ſuſtentatur cor noſtrum, ſenſu iræ divinæ gravatum & dejectum. Hoc eſt credere in Dominum. Hoc præcipuum opus fidei per hoc enim Chriſtus & fideles ſibi invicem uniuntur, Chriſtus apprehenditur, tenetur, induitur, & homo Chriſto inſeritur & agglutinatur. Ubi hoc non eſt, ibi non creditur toto corde, nec efficitur illa communio cum juſtitiâ & ſpiritu Chriſti, quæ eſt fructus fidei.

3. Rector Synagogæ credens ſecum ad fidem adducit totam familiam. Propagatio fidei non ſolùm fit per mi-

Digitized by Google

niſtros verbi, ſed præcipuè per patresfamilias. Conciones miniſtrorum publicæ ſunt quidem pro omnibus, ſed ſunt præcipuè pro patribus & matribus familias, ut hi inſtructi inſtruant & ad fidem adducant domum ſuam, eamque totam, non tantùm liberos, ſed ſervos & ancillas. Hæc vera methodus propagandi regnum Dei. Quantumvis nos in publico docemus, & interim non curatur inſtructio familiæ, remoram patitur regnum Chriſti. Qui familiæ non proſpicit, pejor eſt ethnico. Si hoc verum in temporalibus, quid non in ſpiritualibus? Familiarum inſtitutio non tam miniſtris quàm patribusfamiliàs commiſſa eſt Epheſ. 6. & alibi. Vitium primæ concoctionis non corrigitur in ſecunda. Quod in ædibus negligitur, in templis & plateis per miniſtros & magiſtratus non emendatur. Dolendum, quod tot familiæ præceptis & bonis exemplis patrum & matrum deſtitutæ ſunt. Hæ veræ remoræ, quòd non propagatur regnum Chriſti. *Obj.* Scholæ ad hoc ſunt conſtitutæ. *Reſp.* Non nego. Sed tamen præcipuum opus ſcholarum eſt artes docere potiùs, quàm ad ſalutem erudire, nec familia, ſed ex familiis ſoli liberi ad ſcholas mitti ſolent. Quid igitur fiet ſervis.

4. Non ſufficit in Chriſtum credere, ſed etiam apertè confitendus eſt Chriſtus. Qui per prædicationem Pauli convincebantur, quod Jeſus eſſet Meſſias in V. T. promiſſus, potuiſſent corde in Chriſtum credere, & ad effugiendas perſequutiones fidem ſuam celare. Sed ecce non tantùm credunt, ſed etiam ſacramentum Chriſtianiſmi recipiunt, & Chriſtum apertè profitentur, ne incurrant in illud Chriſti Matt. 10. 32. 33. Nimium huic exemplo contrarii ſunt mores noſtri ſeculi, ubi homines, fidem & confeſſionem ſeparantes, in occulto dicunt ſe Deo ſervire, ſed in publico mundo per omnia ſunt ſimiles ac conformes, ut opprobria & odia mundi evadant. Conſiderent hi illud Rom. 10. 10. Imprimis hodiè multis hominibus hoc eſt in more poſitum, quod Baptiſmum quidem recipiunt, quo ſe Chriſtianos eſſe profitentur. Sed alterum Sacramentum, per quod teſtentur communionem ſuam cum Eccleſia pura, & diſceſſum ab impura, negligunt, ut evitent temporalia incommoda & odia, quæ hanc confeſſionem ſequuntur, donec videant, cum qua Eccleſia communionem colere temporalia commoda ſuadeant vel diſſuadeant: Quaſi verò Cœna Domini non æquè ſit inſtitutum Dei ac Baptiſmus. Et quaſi Baptiſmus infantiæ ſufficiat ad neceſſariam Chriſti confeſſionem. Deprehendet Deus hos aſtutos in ſua aſtutia.

Etſi Pauli prædicatio incipiebat ſortiri aliquem ſucceſſum, tamen Paulus videtur aliquid humani paſſus, & præ metu Judæorum, ſe opponentium, abitum ex hac urbe meditatus eſſe. Itaque Deus per viſionem nocturnam ipſum alloquutus eſt, & ibi manere juſſit v. 9. 10. cui mandato Paulus etiam paret v. 11. Tales apparitiones & talia alloquia Paulo ſæpè contigerunt Actor. 23. 11. & 27. 23. In genere hinc vides, quod ne Apoſtoli quidem caruerint ſuis in-

Digitized by Google

infirmitatibus, ſed indiguerint continuo influxu divinæ roborationis, & ſæpè paſſi ſint aliquos lapſus. Ne igitur ſimus ſecuri, nec in nobis ipſis confidentes. Particularia hic ſunt ſequentia.

1. Deus Paulum alloquutus eſt per viſionem nocturnam. Deus hominibus loquitur πολυτρόπως Hebr. 1. Quatuor tamen potiſſimum modis: 1. per externas apparitiones in aſſumtâ aliquâ ſpecie Gen. 18. 1. vel ſaltem formatâ aliquâ voce Gen. 3. 8. 2. per externum verbi miniſterium, tum ipſius Chriſti, tum Prophetarum, Apoſtolorum & ordinariorum miniſtrorum. Cum enim hi loquuntur, Dominus nobis loquitur. 3. per ſpiritum propheticum, ſive hæc immediata eſſet inſpiratio 2 Tim. 3. 8. 2 Petr. 1. ult. ſive impreſſio per ſomnia & viſiones nocturnas, qualis hic. 4. per ſpiritum adoptionis, per quem teſtimonium dat, quod ſimus filii Dei Pſal. 35. 3. Dicitur etiam reſpondere ad preces noſtras, cum dat quod precati ſumus, ſed hoc improprium.

2. Prohibet Paulo metum. Jubemur paſſim metuere Deum, jubemur etiam metuere magiſtratum tanquam Dei miniſtros Rom. 13. jubemur *in timore & tremore ſalutem noſtram operari* Phil. 2. Ergo non omnis metus prohibitus eſt, ſed ille metus prohibetur, qui impedit fiduciam in Deum, & liberum curſum in mandatis officiis. Trepidationes quidem tum in fide, tum in functione officiorum à fidelibus abeſſe non poſſunt, quamdiu caro apud ipſos reliqua, & fides eorum infirma eſt, ſed tamen ſpontè ſibi non debent in illa trepidatione indulgere, & dubitationes ac trepidationes datâ operâ fovere, multo minus eas laudare, ut faciunt Pontificii. Ideò enim prohibetur hæc trepidatio Pauli. *Objectio.* Non poſſumus eſſe ſine hâc trepidatione, cum gravia pericula nos obruunt. *Reſpond.* Poſſumus tamen in media trepidatione meticuloſitatem noſtram condemnare ac deteſtari, & Deo oſtendere ſeriam luctam contra illam. Ubi Deus hoc videt, ibi aderit auxilio & ſolatio.

3. Jubet Paulum loqui & non ſilere; Eſt mos loquendi qualem Johannes ſæpè uſurpat, ut Johannis 1. 20. Concionatores poſſunt ita loqui, ut loquentes taceant. Sic Paulus prudenter ante adventum Silæ & Timothei ita loquebatur, ut tamen taceret nomen Jeſu Nazareni, ut nuper dictum. Sic multi loquuntur & concionantur delectabiliter & magna cum gratia, ſed toto ſermone tacent vitia auditorum, nec tangunt ulcera eorum, ne incurrant indignationem eorum. Hoc eſt, quod hic prohibetur, ne ſcil. Paulus nomen Jeſu amplius taceat, ſed liberè de eo teſtetur, & ut non reformidet Corinthios ab idololatriam & libidinoſam vitam acriter reprehendere, & judicia Dei ipſis denunciare niſi ſe convertant. Poſſumus facilè horam terere dicendo, & aliquid ejicere quod caput veſtrum tranſvolet, & favorem veſtrum nobis conciliet. Sed non debemus ita, verùm ſicut naves benè onuſtæ profundè ſcindere pelagus, ut etiam petras & ſaxa, ſub aquis latentia tangamus & dejiciamus. Audiant hanc vocem omnes

Digitized by Google

concionatores : *Loquere & non tace.*

4. Promittit ſe fore cum Paulo, nec quemquam ipſi impoſiturum, ſcil. manus ad nocendum. Omnes miniſtri habent promiſſionem quod Deus ſit futurus cum ipſis uſque ad finem mundi Matth. 28. 20. ſcil. eò uſque ut non fruſtrà laborent, ſed benedictio Dei laborem eorum comitetur. Verùm Paulo hic datur ſpecialis promiſſio ſecuritatis, qua ipſi cavetur de vita ſicut Actor. 27. 23. Hanc ſpecialem promiſſionem omnes miniſtri non habent, nec Paulus ſemper & ubique habuit, neque tamen ideò debent eſſe minus intrepidi in officio. Sufficit generalis promiſſio, quod non laboraturi fruſtrà, & quod mercedem laboris habituri in cœlo. Sic Deus eſt cum omnibus piis, & iis omnibus eſt Immanuel, etſi non perſonali unione, tamen paterna cura. Hâc phraſi ſæpè Deus animare ſolet pios Joſuæ 1. 5. 9. & reverâ nihil eſt ad conſolandum efficacius, quam meditatio ſanctæ iſtius præſentiæ, quâ Deus adeſt piis etiam in his terris. Oculus Dei, manus Dei ſuper piis eſt. Habitat in iis, gerit & portat illos, protegit, roborat, conſulit, ducit &c.

5. Dat rationem cur velit Paulum hic manere : *quia in hâc civitate mihi populus multus eſt.* Non dicit, quia in hâc civitate multus populus eſt. Deus non reſpicit multitudinem, ſed in parvis civitatibus ſæpè plus operatur, quàm in magnis. Sed dicit, *quia mihi multus populus*, id eſt, quia in hac urbe multi ſunt homines, qui ſunt meus populus, meæ oves, meum peculium. Non intelligit eos Corinthios, qui jam tum converſi erant v. 8. Horum cauſa non neceſſe erat manere, ſed eorum, qui nondum erant converſi & tamen convertendi, ſicut ethnici nondum converſi & tamen convertendi ſuo tempore appellantur oves Chriſti Joh. 10. 16. Triplici reſpectu homines ſunt Dei populus: 1. reſpectu electionis æternæ. 2. reſpectu redemptionis per ſacrificium Chriſti ſemel peractum. 3. reſpectu vocationis & converſionis. Hi homines nondum erant converſi, neque per vocationem à cæteris peccatoribus ſeparati, & tamen erant Dei populus, populus ſcil. electus & redemptus. Hoc evidens argumentum, quod electio æterna non facta eſt propter fidem vel bona opera, ſed liberè ſecundum εὐδοκίαν. Hi enim dicuntur populus Dei antequam credentes. Non ſimus populus Dei, nec facimus noſmet populum Dei per fidem & converſionem, ſed ante fidem ſumus populus Dei, & ideò ad fidem à Deo convertimur, quia ſumus ejus populus. Sic Chriſtus dicitur redemiſſe populum ſuum Matth. 1. 21. *Except.* Dicuntur populus Dei quia prævidit eos fore ſuum populum per converſionem. *Reſpond.* Textus non dicit; habebo populum, ſed habeo populum, eſt mihi populus. Erat jam tum aliqua relatio inter Deum & hos homines, per quam erant Dei populus. Et quid boni poterat Deus in illis prævidere, niſi quod decreverat in illis efficere? In ſe enim erant cæteris peccatoribus æquales, nec quicquam ſingulare habebant, propter quod poterant dici Dei populus. Si igitur Deus præ-

Digitized by Google

prævidit eos ad fidẽ aptos & pronos, nec prius decrevit eos tales facere, tum homo ex ſeipſo ad fidem ac converſionem aptus ac pronus eſt, quod abſurdiſſimum. Diſcamus hinc, quæ ſit origo noſtræ ſalutis, ut ſciamus, quod laus ejus debeatur Deo & non nobis. Nihil enim magis acuit noſtram erga Deum dilectionem & gratitudinem, quàm ſi nos cum cæteris peccatoribus inconverſis comparando, invenimus diſcretionem noſtram non eſſe ex nobis, ſed ex ſingulari Dei gratia. Singularis amoris conſideratio ſingulares nos reddit in modo vivendi, & ſegregatos à communi more hominum. Sæpè tibi ipſi dicas illud Pauli, *quis te diſcernit?* 1 Cor. 4. 7. hoc quoque moderabitur contemptum aliorum.

6. Paulus huic mandato obediens Corinthi manet, & docet per annum unum & ſex menſes. Dicitur ibi ſediſſe, unde Paparum & Epiſcoporum vox deſumpta videtur, quod tot vel tot annis ſederint in hac vel illa Eccleſia. Sed hoc ſenſu Apoſtoli nuſquam ſederunt, quia non fuerunt ordinarii alicujus Eccleſiæ miniſtri, ſed ubicunque fuerunt, ibi tantùm commorati ſunt. Et hoc ipſum redarguit hos homines & evincit, quod non ſint ſucceſſores Apoſtolorum. Illi ſedent otioſi, Paulus modò commoratus continuò docuit ſermonem Domini. Miracula quoque multa feciſſe Paulum Corinthi patet ex 2 Cor. 12. 12.

Actor. 18. *v.* 12. *ad* 18.

CONC. CC.

PRomiſſiones Dei ſæpè videntur irritæ, & tamen nunquam ſunt irritæ. Paulus acceperat promiſſionem à Deo v. 10. neminem ipſi injecturum manus Corinthi ad nocendum. Sed ecce nunc Judæi injiciunt ipſi manum, & violenter eum rapiunt ad tribunal politicum. Quis non dixiſſet promiſſionem Dei eſſe irritam? & tamen non eſt irrita, ut apparebit, ubi hanc velitationem, qua Paulus infeſtatus fuit, conſideraverimus. Habet hic inſultus formam proceſſus judicialis, in quo habemus, 1. judicem, 2. actores & motum agendi. 3. accuſationem, 4. reum & ejus conatum. 5. ſententiam. 6. conſequentia & eventum.

I. Judex eſt Gallio, Proconſul Achaiæ. Achaia hic ſumitur pro tota Græcia, ſicut omnes Græci vocantur Achivi, cùm alioquin ſit particularis provincia ſeu regio Peloponneſi, in qua Corinthus ſita. Hiſtórici annotant, hunc Gallionem fuiſſe fratrem magni & celeberrimi iſtius Philoſophi L. Annæi Senecæ, qui fuit Præceptor Neronis Imperatoris, qui etiam in ſuis ſcriptis hunc Gallionem valde laudat à multis virtutibus. Hinc putant quidam, quod hic Gallio Paulo faverit, & notitiam ipſi conciliaverit cum Seneca fratre ſuo, unde & literæ circumferuntur, quas ad ſe invicem ſcripſerint Paulus & Seneca. Sed paucæ hiſtoriæ horum temporum de rebus Eccleſiaſticis, quæ extrà ſcripturas ſunt, ſunt ſine fabulis. Seneca quidem de moralibus virtutibus, & quibuſdam etiam dogmatibus Theologicis inſigniter ſcripſit, nec videtur omninò ignarus fuiſſe Sacræ Scripturæ, ſed tamen Euangelici & Chriſtiani nihil habuit ipſe, nec habent

Digitized by Google

habent ipſius ſcripta. Doctrina Pauli, & doctrina Senecæ toto cœlo differunt, etiamſi homines, non percipientes quæ ſunt ſpiritûs Dei, hanc ſæpè præ illa laudare ſoleant. Sic ſunt hodieque, qui dicunt, ſe inter conciones Reformatorum & Pontificiorum non nôſſe diſcrimen. Diſcrimen eſt defectus Euangelii & myſteriorum ſalutis. Conciones morales, ſine Euangelio & myſteriis fidei non ædificant.

II. Actor & modus agendi: Judæi unanimiter inſurrexerunt adverſus Paulum, & duxerunt eum ad tribunal. Actores ſunt Judæi, reus eſt Chriſtianus, judex eſt ethnicus, cauſa eſt religio, qualis hic futurus proceſſus? Non ſecus ac ſi Papiſtæ & Reformati coram Turcarum Imperatore contenderent de controverſiis religionis. Aut ſi diſſidium de colore ſubmittatur cœco judici. Diſputando veritatem Dei vincere non potuerunt. Ergo ad tribunal politicum confugiunt & vim deſiderant. Sciendum enim, quod non tam judicem, quàm exequutorem voluerint eſſe Gallionem. Sicut cum Chriſtum Pilato traderent, non cognitionem cauſæ ipſi ſubmittebant, ſed ſuæ ſententiæ exſequutorem eſſe volebant. Johan. 18.29.30. Sic Clerus Romanus quemcunque decreverit hæreticum, magiſtratus politicus tenetur occidere ſine cognitione cauſæ. Magiſtratus non debet eſſe cæcus judex, ſed debet cognoſcere cauſas, antequam judicet perſonas. Job.29.16. Johan.7.51. Actor. 25.21. At enim quomodo hoc convenit cum promiſſione, quam Deus Paulo fecit Actor. 18. v. 10. Utique hic Judæi injiciunt Paulo manus & eum rapiunt ad tribunal? *Reſpond.* Deus non ſimpliciter promiſerat neminem injecturum manus, ſed addiderat: τοῦ κακῶσαι. Paulus quidem hoc habuit peculiare, quod immunitas vitæ temporalis ipſi promiſſa & præſtita, ſed non fuit ſine periculo vitæ. Sic omnibus piis promiſſa vita æterna, & tamen non ſunt immunes à periculis hujus vitæ. Sic interpretandæ omnes promiſſiones fidelibus factæ; exempli gratia Pſal 91. 4.5.6.7.10.12. promittitur piis immunitas ab omni malo, & tamen nil eorum eſt, quod pios non corripiat. Corripit quidem, ſed non nocet. Nam non ſeparat à charitate Chriſti, ſed potius promovet ſalutem. Superant fideles omne malum, & cum ſalute evadunt. Etiamſi moriantur, tamen ſalvantur. Quod igitur intervenit feramus, & ſufficiat nobis certitudo boni exitûs. Immittit pericula, ut ſimus cauti & pugnemus. Non arguamus promiſſiones Dei mendacii, cum aliquid eis contrarium videtur eſſe, ſed expectemus eventum.

III. Accuſatio, quàm contra Paulum adferunt, eſt hæc: quod ſuadeat hominibus Deum colere contra legem. Eſt revera Doctrina Euangelii legi contraria. Lex enim prædicat iram, Euangelium gratiam: Lex condemnat omnes peccatores, Euangelium beatos pronunciat peccatores contritos. Hinc etiamnum doctrina Euangelii patitur hanc calumniam, quod tollat legem ac neceſſitatem bonorum operum, & faciat homines diſſolutos. Verùm hic eſt paralogiſmus. Etſi Euangelium contradicit ſen-

Digitized by Google

ſententiæ legis, quâ peccatoribus contritis & credentibus maledictionem intonat, tamen ideò non eſt legi contraria, quia non tollit præcepta legis, ſed hominem tantò magis ad obedientiam legis obligat, dum gratiam Dei ipſis annunciat. Euangelium non ſe opponit legi, ſed legem ſibi ſubordinat tanquam pædagogum ad Chriſtum. Vide Gal. 3. Euangelium docet veram impletionem legis per Chriſtum, & Spiritûs effuſionem. Judæi legem annihilaverant per traditiones, ſed Euangelium non tollit legem. Veruntamen mens horum accuſantium videtur eſſe, quod Paulus doceat cultum legibus Romanis contrarium. Nam Senatus Romanus condiderat legem, ne quis inconſulto ſenatu aliam religionem doceret vel amplecteretur, & præſertim Judæis conceſſerat, ut ſuâ & non aliâ Religione viverent. Hâc accuſatione contra Paulum uſi quoque ſunt cives Philippenſes Actor. 16. 21. & Judæi Theſſalonicenſes Actor. 17. 7. Leges magiſtratus ſunt ſuſpiciendæ, ut vincula juſtitiæ ac pacis temporalis, ſed non ut impedimenta divinæ veritatis. Vide quæ diximus in Actor. 16. 21.

IV. Reus os aperit ad loquendum, niſi fuiſſet impeditus & interruptus. Quid loquuturus? An Gallionem agnovit pro legitimo judice coram quo ſe & ſuam doctrinam defenderet? *Reſpond.*

1. Paratus eſt ad ſe defendendum. Etſi enim Gallionem non agnovit aptum judicem controverſiæ, quæ erat inter ipſum & Judæos de doctrinâ & religione, tamen poterat ſe purgare à crimine ſeditionis, oſtendendo quod non doceat doctrinam paci publicæ & auctoritati magiſtratûs contrariam, quod non prædicet Regem, cujus regnum ſit de hoc mundo, & à quo mundani Principes aliquod ſuæ poteſtatis præjudicium poſſint metuere. Poterat ſe referre ad verba & exemplum ſui magiſtri Chriſti Johan. 18. 36. & 6. 15.

2. Captat occaſionem docendi. Etſi Gallionem non habuit pro tali judice ſuæ doctrinæ, ut ipſi committeret judicium definitionis, tamen pro tali habuit, ut ipſi judicium diſcretionis committeret. Tales judices doctrinæ prædicatæ ſunt omnes intelligentes auditores, & tale examen & judicium doctrinæ prædicatæ illis omnibus committitur 1 Cor. 10. 15. Sic decet nos paratos eſſe ad reddendam rationem doctrinæ & confeſſionis noſtræ unicuivis exigenti 1 Petr. 3. 15. Duorum vitiorum ſolet accuſari noſtra doctrina: 1. quod ſit ſeditioſa & pacem mundi impediat. 2. quod non ſit ſufficiens ad ſalutem, & pacem animæ impediat. Videte igitur ut ita intelligatis doctrinam quam profitemini, ut utrumque crimen poſſitis diluere. Egregium eſt, poſſe defendere ſuum Salvatorem & ejus Euangelium contra calumniatores.

V. Sequitur ſententia judicis, non deciſiva, ſed declinatoria. Dicit, hanc cauſam non pertinere ad ſuum tribunal. Dat rationem, quia tribunal ejus non ſit niſi ad judicandum de injuriis & criminibus, nec eſſe vel cathedram Academicam, vel Suggeſtum eccleſiaſticum, ubi diſputetur de nominibus & quæſtionibus circa legem. Dat igitur con-

Digitized by Google

ſilium, ut ipſi videant, id eſt, ut per pacificum aliquod pactum cum Paulo tranſigant, & doctrinam ejus tolerent, vel argumentis eum inter ſe convincant. Se nolle eſſe judicem ſuper hâc materiâ. Nota: 1. Cauſæ quæ in curiâ coram judicibus aguntur, dividuntur hic in duo capita, ἀδικήματι καὶ ῥᾳδιουργήματι, injurias & crimina. Poteſt enim hæc periodus legi per ἀσύνδετον. Hinc etiamnum juriſdictio curiarum in duo capita ſolet dividi, civilem & criminalem. 2. Vide judicium politicum de litibus Theologicis. Totam litem Theologicam nil aliud putant eſſe, quàm λογομαχίαν, quæſtionem de vocibus & nominibus legis, & lites curiales putant eſſe ponderoſiores quàm controverſias Eccleſiaſticas. Nec videntur ſibi ſine ratione ita putare. Nam reverâ multæ quæſtiones inutiles de ceremoniis, de genealogiis magnis contentionibus agitantur in Eccleſiâ. Sed non debebant de hâc re judicare ſine diſcrimine, ſed diſtinguere inter eos, qui decertant pro articulis fidei & puritate religionis ſecundum Scripturam, & eos, qui certant pro regulis & maximis Philoſophorum, pro traditionibus hominum, pro phantaſmatis & conceptibus quibuſdam nullum uſum præbentibus ad ædificationem in pietate & ſolatio. Tales lites in Reformatâ eccleſiâ non probantur. Controverſiæ autem de articulis fidei ad ſalutem & pietatem neceſſariis, ſunt graviſſimæ omnium controverſiæ, pro quibus, qui decertant, obediunt admonitioni Judæ v. 3. 3. Præcipuè quæritur, an Gallio rectè fecerit, quod cognitionem hujus cauſæ à tribunali ſuo rejecit? An magiſtratui politico non competit judicare de doctrinâ religionis, & decidere controverſias circa eam agitatas? Non loquor nunc de regimine Eccleſiæ, quæ ſint magiſtratûs in illa partes, ſed de judicio circa doctrinam, an illud totum à ſe ablegare debeat magiſtratus & ad Epiſcopos remittere, ut illi videant quæ ſit vera Religio nec ne? *Reſpond.* Ad hanc quæſtionem ritè decidendam, ſciendum eſt, quod triplex ſit judicium de doctrinâ religionis. 1. deciſivum, quo definitivè & cum auctoritate pronunciatur, cui ſententiæ ſtandum ſit, nec ne. Hoc judicium nec Papæ Romano, nec magiſtratui politico permittimus, nec nobis ipſis ſumimus, ſed ſoli Spiritui S. in Scripturis loquenti tribuimus. Hic ſolus & ſupremus controverſiarum de religione Judex Iſai. 8. ſecundum legem & teſtimonium. 2. Judicium miniſteriale & demonſtrativum, quo ex Scripturâ educitur, oſtenditur & probatur quæ ſit vera ſententia Spiritûs S. nec ne. Hoc officium doctorum Eccleſiaſticorum, tum ſingulorum, tum in conventibus Eccleſiaſticis congregatorum Malach. 2. 7. Actor. 15. 3. Judicium diſcretionis, quo ſpiritus Prophetarum probantur, an ex Deo ſint, 1 Joh. 4. quo inquiritur, an res ita habeat, ſicut à doctoribus docetur Actor. 17. Hoc judicium omnibus mandatum eſt 1 Cor. 10. 15. & præſertim magiſtratibus Deut. 17. 18. 19. Is cuſtos legis, non tantum ut ſecundum legem vivat, ſed etiam ut ſubditos ſecundum legem vivere faciat. Hoc fine debet in Religionem inquirere, & demon-

Digitized by Google

monſtrationem veræ religionis ex verbo Dei à miniſtris Eccleſiæ petere, ut ſciat cujus religionis ſit nutricius. Non ſatisfecit igitur Gallio officio boni magiſtratus. Hortamur noſtros auditores, qui filios educant ad regendam Rempublicam, ut eos in religione inſtitui curent, ut ſuo tempore Eccleſiæ præſtare poſſint eam opem, quam debent ad religionis puritatem conſervandam. Non exigimus nos cœcam obedientiam ab ullo auditore, præſertim non à magiſtratu, ſed quod petimus à magiſtratu defendi ac permitti, id parati ſumus ex Scripturâ demonſtrare magiſtratui noſtro, quod ſit licitum, juſtum ac neceſſarium. Etſi autem rectè fecit Gallio, quod in veritatem religionis Chriſtianæ non diligentius inquiſivit, interdictum tamen habuit à Cæſare, ne ſe religionibus populorum immiſceret, ſed unumquemque in ſua religione tutum præſtaret. Vide quæ dicentur infrà in cap. 23. 29. & 25. 19.

VI. Conſequentia & eventus. Abegit Judæos à tribunali, & cum omnes Græci Soſthenem Judæorum Archi-Synagogum coram ipſo tribunali percuterent; Gallio hoc non curavit. Videntur Judæi non acquieviſſe in hâc declinatione Gallionis; ſed importunius ipſum urſiſſe, ut Paulum ſupprimeret. Ideò Gallio vim adhibuit, & per lictores abegit. Et cum ne ſic quidem cederc vellent, Græci, civitatis incolæ gentiles, irruerunt in eos, præſertim in ducem eorum, qui ſine dubio verba fecit & impotentius ſe geſſit, ipſumque percuſſerunt. Poſt Criſpum converſum ſucceſſit hic Soſthenes in officium. An poſtea converſus ſit, & ſit idem qui nominatur 1 Cor. 1. 1. in medio relinquimus. Iudæus certè nunc fuit, & Iudæorum in hâc causâ patronus & cauſidicus. Vide nunc felicem exitum hujus periculi, quod Paulo videbatur imminere contra promiſſionem Dei. Deus in hoſtes & auctores periculi derivat periculum. Reus diſcedit immunis, actores percutiuntur. Quàm egregiè hic impletur illud Proverb. 11. 8. & 21. 18. Prov. 5. 22. Pſal. 7. 15. 16. Pſal. 9. 16. & 10. 2. Ne quicquam confidamus conſiliis injuſtis, quantumvis aſtutis. Videbatur irrita promiſſio Paulo facta, ſed eventus contrarium docet. Sic & nobiſcum erit. Stemus & expectemus horam Domini!

Actor. 18. *v.* 18. *ad* 23.

Conc. CCI.

His verſibus deſcribitur poſterior pars ſecundi itineris Paulini ſcil. regreſſus ejus ex occidente in orientem & Judæam. Exierat Hieroſolymâ Antiochiam, inde peragratâ Syriâ & Ciliciâ rediit ad Eccleſias Aſiæ minoris, primo itinere plantatas, iiſque viſitatis & confirmatis conatus eſt in cæteris quoque Aſiæ provinciis Euangelium prædicare. Sed impeditus à Spiritu S. & per viſionem nocturnam in Macedoniam vocatus transfretavit ex Aſiâ in Europam, & Euangelium annunciavit primò Philippis, deinde Theſſalonicæ, Berœæ, Athenis, denique Corinthi, in qua urbe annum unum & menſes ſex moratus nunc regreditur Epheſum,

Digitized by Google

Epheſo in Syriam, ex Syria in Judæam, ubi paululum commoratus iterum deſcendit Antiochiam, & ſe ad tertium iter accingit.

Eſt hic textus, quem prælegimus, ſic ſatis ſterilis, nec amplam differendi materiam nobis ſuppeditat. Neque tamen fruſtra conſignatus eſt, nec decet eum præterire, ut de ordine itineris Paulini conſtet. Quatuor ſunt materiæ in textu, de quibus utiliter ad vos dicere poſſumus: 1. De Virtute amicitiæ. 2. De religioſis votis. 3. De obſervantia feſtorum, 4. De ſalutationibus & valedictionibus.

De amicitia differendi occaſionem præbet amicitia, quæ fuit inter Paulum & Aquilam ac Priſcillam, quorum animi adeò inter ſe erant conglutinati, ut poſt diuturnum convictum etiam per diſceſſum Pauli ſeparari non potuerint, ſed Paulus hoſpites ſuos ſecum Epheſum uſque duxerit, & eos ibi reliquerit, quia conſtitutum ipſi erat ex Judæa ſtatim redire, & Epheſi aliquandiu morari, ac ſic priſcorum ſuorum hoſpitum convictu denuò uti. Hoc certè exemplum magnæ & conſtantis amicitiæ, non poſſe ſatiari mutuo convictu. Si certum ſignum amicitiæ fuit, quod Damon & Pythias tam fidi ſibi invicem fuerunt, ut alter alterius vades factus pro altero vitæ periculum adiret, non minus laudanda eſt fides & amicitia horum duorum erga Paulum Rom. 16. 3. 4. Amorem humanitatis & compaſſionis debemus omnibus hominibus. Amorem concordiæ & Philadelphiæ debemus omnibus Chriſtianis & piis, ſed amorem amicitiæ fidæ cum paucis colimus. Nam nihil rarius eſt in toto mundo quàm amicitia vera & conſtans, etiam inter affines & conſanguineos. *Quæritur*, Quid ſit amicitia, quis ejus finis, quouſque ſe debeat extendere & non extendere, quibus mediis impediatur & promoveatur? Quid amicitia? Amicitia eſt ſummus gradus amoris, quo ſe invicem complectuntur, qui indole, ætate, ſtatu & moribus ſibi invicem ſimiles ſunt. Fundamentum amicitiæ eſt ſimilitudo morum. Qui moribus differunt ſe invicem poſſunt ferre, concorditer inter ſe vivere, propter utilitatem aliquam ſibi invicem blandiri, ſed in veram amicitiam non coëunt. Imò interdicta eſt amicitia cum talibus Iac. 4. 4. Qui autem moribus ſimiles ſunt, eorum animi ſummo amoris gradu conglutinantur & connectuntur. Vide deſcriptionem veræ amicitiæ 1 Sam. 18. 1. Coloſſ. 2. 2. Induite illum amorem, qui eſt perfecta colligatio Col. 3. 14. Omnis amor eſt vinculum colligans homines, ſed amor amicitiæ eſt vinculum perfectum. Non abſolutè perfectum, qualis erit in alterâ vita, ubi erimus omnes perfecti amici, ſed comparativè, quod perfectius uniti quàm cum aliis, quos tamen etiam amamus. Quò fine contrahitur hæc amicitia? Ut in neceſſitatibus corporalibus ac ſpiritualibus ſibi invicem ſint auxilio. Oritur ex ſimilitudine morum, & auxilium mutuum habet pro fine. Sic Paulus & Aquila ideò contrahunt amicitiam & unà victitant, ut ſibi invicem ſint auxilio & ſolatio. Nullum dulcius auxilium, quàm quod ex amicitiâ eſt.

Dan-

Digitized by Google

Dantur auxilia pro precio, dantur ex miſericordiâ, ſed quæ ex amore profluunt gratiſſima ſunt, unde inter conjuges præcipua amicitia Ier. 3. 20. Oſe. 3. 1. Sicut nullæ injuriæ acerbiores, quàm quæ ab amicis veniunt. Sic nulla auxilia gratiora, quam quæ veniunt ab amica manu. Nec tantùm gratiora ſunt, ſed & certiora. Tempore enim neceſſitatis & adverſitatis ceſſant auxilia peregrinorum, ſæpè etiam conſanguineorum, quæ tempore proſperitatis erant ſatis multa Prov. 14. 20. & 19. 4. 6. ſed amicorum auxilia tum demum ſe exſerunt, & hic eſt proprius finis amicitiæ, ut tempore adverſitatis habeas qui te juvent & quos viciſſim juves, nam amicitia debet eſſe reciproca. Vide Prov. 17. 17. & 18. 24. Hic proprius finis amicitiæ, ut in adverſis & periculis habeas, cui te & tua fidas & committas. Etſi enim amicitiam utilitate metiri non debemus, tamen mutua confidentia in periculis eſt finis amicitiæ. Hinc amicos habere, habetur pro magnâ felicitate Prov. 27. 9. 10. At enim qui ſunt limites amicitiæ? Omnis virtus conſiſtit in mediocritate; Sic & amicitia. Qui illi limites? Ne nimiùm confidas. Non quidem indulgendum ſuſpicionibus contra amicos (nam ſine bona confidentia, non poteſt eſſe amicitia) ſed tamen nec obliviſcendum, quod cum homine tibi res ſit. Fide, ſed cui vide. Ier. 9. 4. Mich. 7. 5. Soli Deo perfectè & ſine ſcrupulo confidendum. Is non ſinit nos pudefieri Pſal. 25. 1. 2. Ne nimium indulgeas. Hic magnus abuſus amicitiæ, quod ſæpè malumus offendere Deum, quàm amico negare poſtulatum. μέχρι βωμοῦ, uſque ad aram gratificandum amicis. Non probatur amicitia commorientium, quæ eâ lege ſanciebatur, ut altero amicorum moriente, alter ſe quoque occideret. Vide quid contra hoc dicatur Deut. 13. 6. 8. Et hæc cauſa, propter quam conſultum eſt paucos habere amicos quia multis amicis ſine offenſione Dei raro potes ſatisfacere. Quæ denique impedimenta amicitiæ? 1. Moroſitas. Tales homines non ſunt apti ad amicitiam Prov. 18. 24. 2. Mordacitas Eccleſiaſt. 22. 23. 25. 3. Avaritia & impudentia Prov. 25. 16. 17. Hæc ſunt præcipua, quæ de hâc virtute nobis ſcriptura ſuppeditat. Philoſophi morales, & exempla & dicta de amicitiâ nobis ſuppeditant ſatis egregia. Sed ſufficit nobis Scriptura, quæ etiam præcipuè duos amicos nobis commendat. 1. Deum. Hujus enim amicitia utilis nobis eſt, etiam ad alios amicos conciliandos Actor. 2. 47. Vide Iſai. 41. 8. Iac. 2. 23. 2. Pauperes. Hi enim nobis conciliati per beneficia conciliant nobis Deum per preces Luc. 16. 9. Vide etiam quæ de hâc virtute diximus in Actor. 3. 1. Dicit textus porrò, quod Paulus & Aquilas Corintho abituri cum eſſent, Paulus vel Aquilas (de utroque enim intelligi poteſt) caput ſuum totonderit Cenchreis (qui eſt portus Corinthiacus verſus orientem) quoniam votum habebat. Votum ſcil. Nazireatûs, quod deſcribitur Num. 6. Naziræi erant, qui proprio & libero voto ſe ſeparaverant à communi libertate vitæ, voverantque abſtinentiam ab omni vino, à tonſurâ capitis, & à contactu

Digitized by Google

tactu mortuorum, idque vel ad certum tempus, vel per omne tempus vitæ. Qui ad certum tempus voverant, finito illo tempore caput tondebant, & ad communem libertatem vitæ redibant, idque cum ceremoniis quæ Num. 6. præſcribuntur v. 18. 19. quæ tamen ceremoniæ in peregrinis oris non potuerunt omnes obſervari. Simile exemplum habebimus Actor. 21. 23. Erant & alia genera votorum in V. T. Num. 30. 23. Judic. 11. 30. 31. 1 Sam. 1. 11. 2 Sam. 15. 7. Geneſ. 28. 20. Pſal. 75. 3. Pſal. 132. 2. *Quæritur*, Annon talia libera vota, quibus Deo promittimus quod non mandat, ſint mera ἐθελοθρησκεία, & an in N. T. etiam ſint licita? *Reſpond.* Non ſunt ἐθελοθρησκεία, quia nominatim à Deo ſunt permiſſa, & certis regulis circumſcripta, imò ſunt quædam vota, quæ non tantum permiſſa, ſed etiam mandata ſunt à Deo Pſal. 76. 12. & quod in N. T. etiam licita ſint, vel ex ſolo vaticinio Iſaiæ patet Iſai. 19. 21. Veruntamen multi abuſus in his votis poſſunt committi, idque tribus præcipuè modis:

I. Si vota fiant illi, cui non debent. Soli Deo vovendum. Votum enim eſt ſpecies religioſæ invocationis, & pars precum, ergo ſoli Deo facienda Pſal. 76. 12. Pſal. 50. 14. Papiſtæ verò ſicut ſanctos mortuos religiosè adorant, ita etiam vota iis nuncupant. Hic error nobis vitandus Jer. 44. 25.

II. Si voveantur res illicitæ Actor. 23. v. 14. Duplices res poſſunt voveri:

1. Res neceſſariæ & à Deo præceptæ. Etſi enim per beneficia creationis & redemptionis, nec non per auctoritatem legis & verbi, obligati ſumus ad præcepta Dei obſervanda, vult tamen Deus, ut propriis quoque votis nos Deo ad hanc obedientiam obſtringamus, & per hæc ipſi quaſi homagium præſtemus Pſal. 119. 106. Hæc ſunt vota neceſſaria & non libera, & tamen liberè & libenter facienda. Tale eſt votum Baptiſmi. Baptiſmus enim non tantùm eſt ſigillum, quo Deus ſuam gratiam nobis obſignat, ſed etiam votum, quo nos Deo conſecramus, & devovemus ad perpetuam fidelitatem 1 Petr. 3. 21. Tale etiam votum fieri debet in uſu Cœnæ. Ideò vocatur poculum εὐχαριςίας 1 Cor. 10. 16. id eſt, gratitudinis, ut alludatur ad illud Pſal. 116. 13. & 14. Tale votum debent habere omnes noſtræ preces. Nihil enim æquius & efficacius quàm petere cum promiſſione gratitudinis, unde & concluſio orationis Dominicæ in vocula Amen videtur habere formam voti. Præſertim jejunia publica debent fieri cum voto emendationis. Nehem. 10. 29. Pſal. 80. 19.

2. Res indifferentes & mediæ e. g. ſi quis voveat nunquam redire in locum ubi ad grave aliquod peccatum illectus fuit, ſi quis cum Hanna voveat filium præcibus impetrandum, ſtudio Theologico dedicare, ſi quis voveat diem, quo magnam aliquam liberationem accepit, quotannis jejunio fieri &c. In talibus votis faciendis habemus quidem noſtram libertatem, attamen providè hìc agendum & parcè, ne nos obligemus ad ea, quæ ſunt ultra noſtras vires. Quod in poteſtate noſtra non eſt, non eſt

Digitized by Google

eſt vovendum, ne videamur Deo illudere. Vide 1 Cor. 7. 37. Hinc peccant vota Monachorum. Non promittunt ac vovent res indifferentes, ſed vel illicitas vel ſaltem impoſſibiles. Nam 1. Votum paupertatis eſt res illicita, quia Deus mandavit, ut laboremus, & aliquid habeamus, quod & demus illis, qui laborare non poſſunt. 2. Votum cœlibatûs promiſſum, ſine electione perſonarum continentium vel incontinentium, eſt potius votum impudicitiæ quàm caſtitatis. Eſt enim. q. d. voveo me nunquam uſurum ſancto tuo remedio contra impudicitiam, quantumvis tenter & urar. 3. Votum obedientiæ eſt potius votum inobedientiæ. Dum enim prioribus ſuis cœcam vovent obedientiam, Deo jurant inobedientiam, quoties regulæ ordinum religioſorum pugnant contra verbum Dei. Sic etiam non quadraret hodie facere tale votum Nazireatûs, quale Paulus vel Aquila tunc fecerunt. Illud enim fuit ſacramentale ac typicum, adeoque per Chriſti adventum abrogatum, & tempore quoque Pauli non licitum, niſi ratione charitatis, ad vitanda infirmorum ſcandala, dum Synagoga nondum erat ſepulta, poteſt etiam fieri, ut hoc votum voverit cum adhuc Iudæus eſſet, ſed dabitur occaſio plura de hoc voto dicendi Actor. 21. 24. Hoc autem an Pauli vel Aquilæ votum ſit, dubium eſt.

3. Si vota non ſerventur. Hoc grave peccatum. Eccleſ. 5. 4. 5. Deut. 23. 21. Deus non patitur ſibi illudi Gal. 6. 7. Itaque ſimus providi ne plus voveamus quàm præſtare poſſimus, & quod vovimus, ſive ex præcepto ſive liberè, id exquiſitè præſtemus, ſæpè cogitantes illud Pſal. 66. 13. Cum negligimus quod jure creationis, redemptionis & præcepti debemus, ſumus rebelles, ingrati & inobedientes, ſed cum proprium votum acceſſit, non negligitur officium ſine perjurio. Et hoc tantò plus gravat conſcientias noſtras coram Deo, & Deo juſtam cauſam reddit nos gravius puniendi. *Obj.* Annon igitur ſatius eſt, abſtinere à votis baptiſmi & cœnæ quàm ea non ſervare. *Reſpond.* A liberis votis ſatius abſtinent, qui non libenter ſolvunt vota Actor. 5. 4. Sed à præceptis votis non magis liberum eſt abſtinere, quàm à totâ pietate & omnium mandatorum obedientia.

Paulus Epheſum appulſus, docuit quidem in Synagoga Iudæorum, ſed quamvis rogatus, manere ibi diu non voluit. Viſitat hanc urbem ὡς ἐν παρόδῳ. Sic & nos præteribimus, quæ de ſitu & conditione hujus urbis dicenda forent, donec cum Paulo iſtuc redibimus. Sed cur non manet? quia omninò oportebat feſtum inſtans celebrare Hieroſolymæ. Quale hoc feſtum, an Paſchatis, an Pentecoſtes, an Tabernaculorum? Ignoratur. Cur hoc oportebat? Quid Paulo cum feſtis, ad quæ Chriſtianos dicit non eſſe obſtrictos. Gal. 4. 10. Col. 2. 16. Rom. 14. 5. *Reſp.* Non fuit neceſſitas Religionis & mandati. Nullum eſt mandatum, quod nos poſt adventum Chriſti, adſtringat ad obſervationem ullius feſti, præterquam ſabbathi. Feſta, quæ nos celebramus, dicimus eſſe licita & utilia, ſed non neceſſaria, imò tum illicita, cum putantur neceſſaria,

Digitized by Google

ceſſaria, & diei divinitùs inſtitutæ præferuntur. Cur igitur Paulus dicit, quod omninò neceſſarium ſit ποιῆσαι τὴν ἑορτὴν celebrare feſtum. *Reſpond.* 1. Erat neceſſitas charitatis, quâ tenebatur ſe accommodare infirmis Judæis, qui de ipſo inaudierant, quod à Judæis ſe omnimodo ſepararet, & nullam cum illis vellet habere communionem. Ad hoc tollendum ſcandalum ſemel voluit feſtum cum Judæis celebrare, ſicut eodem fine votum exſolvit Actor. 21. 2. Erat neceſſitas ædificationis, quia abſens, tandem aliquando voluit rationem reddere ſuæ expeditionis Eccleſiis in Judæâ, cujus rei faciendæ optima occaſio fuit feſtum Judæorum, ad quod etiamnum Judæi Chriſtiani facti, præſertim infirmiores, confluebant. Hæc ſunt, quæ probabiliter de hâc re dici poſſunt. Alioquin fatemur incertum eſſe, quid Paulus hâc vice Hieroſolymæ egerit. Sequentis itineris finis patet ex Rom. 15. 25. 26. Actor. 19. 21. & 24. 17. Sed quis hujus itineris proprius ſcopus fuerit, non eſt in propatulo, nec quicquam dicitur niſi quod Eccleſiam Hieroſolymitanam ſalutaverit. Niſi fortè audire velimus Jeſuitam celebrem (Cornel. à Lapide in hunc locum) qui ait, Paulum ideò Hieroſolymam iviſſe, ut ſalutaret B. Virginem Deiparam, Eccleſiæ matrem & principem (**een Bedvaert tot ons Lieve Vrouwe gedaen**) conſilia ſua cum eâ communicans, eamque viciſſim in dubiis conſulens, & poſcens ejus opem ac preces apud filium in tantis ſuis laboribus, difficultatibus ac perſequutionibus. Unde hoc patet? Uti, inquit, par eſt credere. Putares fieri non poſſe ut homines docti tam ſtultos ſermones ebuccinent. Sed hæc eſt merces idololatriæ, ut homines cum ratione inſaniant. Quantò ſatius eſt ignorare, quæ Deus non revelavit? Duo reſtant in textu de quibus aliquid dici poſſit:

1. Limitatio promiſſionis, quam edit Epheſinis. Redibo ad vos, ſi Deus volet. Propoſita & conſilia noſtra debent eſſe conditionata, ut agnoſcamus, quod non ſimus independentes, ſed omnia noſtra dependeant à Deo Jac. 4. 14. 15.

2. Valedictiones & ſalutationes. Bis dicitur ἀποταξάμενος v. 18. & 21. & ſemel ἀσπάσας. ἀποτάσσεσθαι eſt valedicere, ſeu bene precari, cum ordinatione, quid velimus factum in noſtrâ abſentiâ. Eſt quaſi parvum teſtamentum Luc. 14. 33. Sed de his dictum alibi.

Actor. 18. *v.* 23. 24. 25.

CONC. CCIII.

Superiori Concione abſolvimus ſecundum capitale iter Pauli, ſcil. iter Græcum, quod duravit ab ultimis verſibus cap. 15. uſque ad 23. verſum hujus 18. capitis. Accedimus igitur in nomine Domini ad iter tertium, quod appellamus iter Epheſinum. Non quod ultra Epheſum non fuerit egreſſus, ſed quia propter Epheſos præcipuè ſuſceptum, & iis expreſſè promiſſum erat v. 21. quia etiam potiſſimum hujus itineris tempus Epheſi tranſactum fuit cap. 19. 10. Ad alia autem loca ulteriora egreſſus eſt, cum jam deſtinâſſet

in

Digitized by Google

in Judæam redire cap. 19. 21. Dividimus hoc iter eodem modo, ſicut duo priora, ſcilic. in Egreſſum & Regreſſum. Egreſſus deſcribitur à v. 23. cap. 18. ad v. 3. cap. 20. Regreſſus, & quæ in illo & in Judæâ ad quartum uſque iter acta ſunt, deſcribitur inde ad cap. 27. In reliquo hujus capitis duo habentur:

1. Initium itineris tertii verſus Epheſum v. 23.

2. Digreſſiuncula quædam, quâ Lucas ab hiſtoriâ Pauli paululum declinans, interſerit hiſtoriam celeberrimi cujuſdam Euangeliſtæ, cui nomen Apollos, qui poſt Paulum Corinthi Euangelium docuit, dum Paulus Epheſi fuit, ad finem capitis 18. Initium itineris fuit ex Antiochiâ per Galatiam & Phrygiam ex ordine. Nec fuit egreſſus otioſus, ſed occupatus in confirmatione omnium diſcipulorum. Galatiæ & Phrygiæ hîc peculiaris mentio fit, fortâſſis, quia, cum cæteræ Aſiæ minoris Eccleſiæ, quæ erant in Provinciis Piſidiâ, Lycaonia &c. in primo itinere plantatæ, & in ſecundo itinere confirmatæ eſſent, ut audivimus cap. 15. 41. ad cap. 16. v. 5. Eccleſiæ in his duabus Provinciis, ſecundo domum itinere plantatæ, confirmatione præcipuè indigebant. Verſu ſexto enim cap. 16. dicitur, quod poſtquàm Phrygiam & Galatiam peragrâſſent, tum demum Spiritus S. interdixerit porrò & ulteriùs prædicare in Aſiâ verbum Dei. Ergo in his duabus adhuc Provinciis ſub initium itineris ſecundi verbum Dei loquuti ſunt. Nam alioquin in hoc tertio itinere nullos hic inveniſſent diſcipulos, quos confirmare potuiſſent. Cæteras igitur Provincias leviter tranſiit, ſed Galatiam & Phrygiam peragravit καθεξῆς, id eſt, de loco in locum. Decet hoc annotare ad obſervandam Apoſtoli prudentiam, qui in multitudine occupationum ſemper hoc ſpectavit, ut infirmioribus & minus confirmatis operam ſuam præcipuè impenderet, & quantoperè Galatæ hac confirmatione indiguerint, patet etiam ex apoſtaſiâ & nutatione ipſorum in Euangelio, quam poſt hanc confirmationem Paulus ipſis exprobrat Gal. 1. & 3. Prætèrit eos, qui confirmati erant, & apud eos potiſſimum moratur, qui nondum confirmati. Vox ἐπιστηρίζειν τοὺς μαθητὰς, *roborare diſcipulos*, ſæpius occurrit. Habuimus eam Act. 14. 22. & 15. 41. Eſt phraſis à medicis deſumpta, qui habent pharmaca ſua corroborantia, quibus corpora infirma corroborant. Sic *miniſtri corroborant animas* Act. 14. 22. Anima quoque habet ſuos morbos ſuaſque infirmitates, & indiget ſuis medicis, qui corroborent. Anima certè hominis immortalis eſt ac ἄφθαρτος, nec obnoxia infirmitatibus ac morbis, ſcil. quantum ad ſubſtantiam & facultates naturales, quatenus à corpore non dependent. Sed tamen habet ſuas infirmitates ratione ſpiritualis vitæ, quæ per regenerationem ipſi infuſa eſt. Sicut Luna non eſt viciſſitudinibus ac deliquiis obnoxia ratione ſubſtantiæ, ſed tantùm ratione luminis, quod à Sole accipit, ita anima regenitorum infirmitatibus & mutationibus eſt obnoxia non ratione ſubſtantiæ & facultatum naturalium, ſed ratione lucis & vitæ per Spiritum S. ingeneratæ.

Digitized by Google

ratæ. Fatemur quidem, quod ſolus Dei Spiritus S. ſit is, qui corroborare animas poteſt, nec in poteſtate hominis id ſitum 1 Theſſ. 3. 13. 2 Theſſ. 3. 3. Hinc Spiritus S. propriè eſt conſolator & refector animarum Joh. 16. Luc. 22. 32. & hoc loco & Rom. 1. 11. & 8. 26. 1 Theſſ. 3. 2. 3. 10. Sed tamen ſicut Deus ſanitatem ac vires corporis roborat per cibum, potum, pharmaca; & Medici, qui diætam ac pharmaca præſcribunt, dicuntur ſanitatem corroborare, imo etiam qui cibo, potu & pharmacis utuntur: Ita miniſtri Euangelii, qui verbum Dei rectè ſecant, dicuntur corroborare noſtras animas in ſpirituali robore. Imò etiam unuſquiſque ſuam propriam animam dicitur corroborare, cum ſolatia & adhortationes ac inſtitutiones ex verbo Dei per miniſtros ſuppeditatas ſibi applicat Jac. 5. 8. Sciendum autem quod non quævis animæ corroboratione hâc indigent, neque ejus capaces ſunt, ſed animæ diſcipulorum, id eſt eorum, qui converſi ſunt. Qui inconverſi ſunt, duri ſunt corde, non ſentientes dolores miſeriæ ſuæ, ſed imaginatione propriæ juſtitiæ ſecuri, & voluptatum uſu læti ſunt ac vividi. Tales comparantur cum ſanis, qui medico non indigent Matth. 9. 12. Non quod ſani ſint, ſed quod morbos non ſentiunt, & ſanitatem non appetunt; ſed in duricie & ſecuritate cordis ſui omnem ſuam miſeriam, quam meriti ſunt, contemnant, & in malitia ſua pertinaciter & lætè pergant, donec ex mundo præcipitentur in infernum & omnis miſeriæ abyſſum. Hi non confirmandi ſunt, vel corroborandi, ſed frangendi, conterendi, dejiciendi, vulnerandi, compungendi & purgandi à ſordibus ſpiritualibus, donec convertantur & fiant Diſcipuli Chriſti. Si miniſterium verbi in his hominibus hoc non poteſt obtinere, tum eos Deus indurat, occœcat, cor eorum incraſſat ac indurat, ne unquam convertantur & ſanentur Iſai. 6. 10. Aut, ſi optimè res cadit, à Deo ipſo franguntur per plagas & vibices, & ſic deturbantur ab imaginaria ſua ſanitate Iſai. 1. 5. 6. Sed qui diſcipuli Chriſti & verè converſi ſunt, illi ſunt infirmi & corroboratione miniſterii indigent. Converſio non relinquit homines in illâ duricie, ſecuritate, lætitia, amore peccati & ἀναισθησίᾳ malorum, in qua erant ante converſionem. Neque tamen eas traducit ad illam ἀναισθησίαν malorum & perfectam lætitiam, puritatem ac inperturbatam quietem, quam in cœlis habebunt. Quid igitur pro talibus poteſt eſſe reliquum, præterquam mollities cordis, malorum ſenſus, ac metus perpetuus? Præſertim quoniam converſio homines pios inducit in odium impii mundi, à quo erant immunes, dum erant inconverſi, quid aliud hic ſupereſt, quam ut tales corroborentur, ne vel deſperent in malo, vel deficiant à bono? Ante converſionem non indigemus corroboratione, quia tum ſumus duri & ſecuri ſine ſenſu & metu malorum. In cœlo non indigebimus, quia tum non tantùm erimus ſine ſenſu & metu miſeriæ, ſed etiam ſine cauſa miſeriæ. Ergo confirmatio propria eſt eorum, qui converſi ſunt. Hi enim ſoli ſunt infirmi. Neque tantùm ſoli ſunt infirmi, ſed & omnes

Digitized by Google

omnes ſunt infirmi. Paulus, inquit textus, corroborabat omnes diſcipulos. Nemo putet ſe eò uſque profeciſſe in ſtatura novi hominis, ut corroboratione miniſterii non indigeat. Multi ſunt, qui ab uberibus SS. Miniſterii penitùs ſeſe ablactant, aut raró iis utuntur, quia putant, ſe ſatis robuſtos in notitia & viribus ſpiritualis luctæ. Errant hi homines, non intelligentes Scripturas: Nam

1. Quamdiu in hâc vita ſumus, ſumus in ſtatu incrementi. Non eſt cum ſtatura novi hominis ſicut cùm ſtatura corporis. Statura corporis perfectionem ſuam aſſequitur intra certos annos, poſt quos corpus non amplius creſcit. Sed ſtatura novi hominis in hâc vitâ non venit ad perfectionem, ſed ſemper manet imperfecta, & indiget incremento mediiſque per quæ creſcit Eph. 4. 12. 13. Non eſt cum Chriſtianis ſicut cum Scholaſticis, qui intra ſpacium certorum annorum curſum ſtudiorum ſuorum abſolvunt, poſt quos annos pudor foret ſcholas frequentare & Academias. Sed nos ſumus diſcipuli quamdiu in hâc vitâ vivimus, imperfecti in cognitione, & indigentes incremento donec in cœlum venerimus 1 Cor. 13. 12. Phil. 3. 12. 13. 14. Non abjiciendum igitur ſpeculum vel ſpecillum dum hic ſumus. Semper nobis dicitur: *Creſcite in gratiâ* 2 Pet. 3. 18. ergo ſemper uſurpanda media incrementi.

2. Poſito quod non opus haberemus incremento, tamen obnoxii ſumus perpetuo decremento. Sicut corpus etiam poſtquam adolevit, & ad perfectam ſtaturam pervenit, vivere tamen non poteſt, ſed ad mortem uſque decreſcit, niſi continuo cibo atque potu nutriatur & roboretur: Ita anima hominis, etiam poſtquam regenita eſt, & novus homo ad mediocrem adolevit ſtaturam, perpetuò decreſcit, labaſcit, ita ut etiam moreretur, niſi continuò roboraretur per ſuppeditationem ſpiritus in uſu verbi Apoc. 3. 1. 2. Non eſt, quod quis hic objiciat cuſtodiam Dei ſuper regenitos, quâ fit, ut mori non poſſint. Hæc enim cuſtodia non fit ſine verbo, ſed per continuum uſum verbi, tanquam per medium. Sicut per verbum, tanquam ex ſemine, geniti ſumus Iac. 1. 18. ita per verbum tanquam per lac & cibum vivimus, ac ſine verbo morimur & decreſcimus 1 Pet. 2. 2. Verbum Dei etiam eſt armatura noſtra, ſine quâ conſiſtere non poſſumus in lucta & pugna, quam habemus, *non cum carne & ſanguine, ſed contra poteſtates mundi* Epheſ. 6. 13. &c. præſertim v. 17. Vellem hoc conſiderarent multi, qui uſum SS. Miniſterii contemnunt atque negligunt, inter quos præcipui ſunt magnates mundi, qui tam raró interſunt ſacris conventibus, ut vix partem unius vel alterius dominicæ huic rei impendant, idque ideo, quia propter eminentiam ſuam ſupra alios putant ſe parum indigere. Si digniores, non ideò ſapientiores, ſi prudentiores in rebus politicis, non ideò ſapientiores in rebus ſalutem concernentibus, & ſi vel ex optimis eſſetis; tamen non eſſetis niſi diſcipuli & infantes, adoleſcentes, qui omnes indigeretis corroboratione verbi, & ſine verbi continuo uſu non magis poſſetis in ſpirituali vita

Digitized by Google

perſeverare, quàm ſine victu in corporali. Et dum rarò ſacris conventibus intereſtis, quid aliud facitis, quàm quod vos ipſos oneratis juſtâ ſuſpicione hypocriſeos, quod ſcil. ad templum venitis, non ſenſu alicujus indigentiæ, quaſi putetis opus vos habere corroboratione Dei per verbum (tum enim crebrò veniretis) ſed tantum ad captandam ſpeciem aliquam religionis & favorem hominum, ne audiatis impii & excludamini ab hominibus. O utinam noſſetis veſtras infirmitates! Præſumemus de vobis, quod optimum eſt, ſcil. quòd non ſitis in peccatis mortui, ſed regeniti Chriſti diſcipuli, infirmitatibus obnoxii. Utinam, inquam, ſciretis, quantæ ſint hæ veſtræ infirmitates. Tum enim ſentiretis, quàm neceſſaria vobis ſit continua corroboratio Dei per verbum, nec inter nos foret tam impia profanatio ſabbathi ad hanc confirmationem animarum inſtituti, quæ nunc adeò frequens eſt inter magnates, qui ſuo exemplo alios debebant corrigere! Infirmitates animæ piæ ſunt quatuor:

1. Imbecillitas cognitionis. Quàm difficulter comprehendimus myſteria profunda ſalutis, quàm debilis eſt memoria ad retinendum; quàm ſumus ἀστήρικτοι, dubitationibus obnoxii, quàm facilè circumducimur omni vento doctrinæ Eph. 4. 2 Petr. 3. Quid ſi non roboremur, annon peribit noſtra notitia, ſicut lumen lampadis deficiente oleo?

2. Robur carnis, & robuſtus appetitus peccati. Hoc robur eſt noſtra infirmitas, ſicut robuſta febris eſt infirmitas & morbus corporis. Sicut enim robuſta febris dejicit robur corporis, ita robuſtæ libidines carnis pugnant contra animam 1 Pet. 2. & vires animæ dejiciunt, uſque ad mortem, & extinguunt vim ſpiritûs, ſicut aqua flammam exſtinguit. Quis veſtrûm eſt, qui non in ſe ſentit robuſtos motus impudicitiæ, iræ, vindictæ, impatientiæ, invidiæ, triſtitiæ? Quis non ſentit impotentiam & infirmitatem animæ hos motus comprimendi, & ſedandi ſicut vult? Quis non ſentit neceſſitatem corroborationis divinæ per verbum, niſi qui planè hoſpes eſt in proprio ſenſu, & propriis præcordiis?

3. Tarditas ad ſpirituale bonum. Sicut nullum certius ſignum ægritudinis corporalis, quàm dejectus appetitus cibi unde vivimus, ita ſignum eſt animæ infirmæ, quod tam tarda voluptas nobis audiendi verbum, fundendi preces, cœleſtia meditandi, faciendi voluntatem Domini, currendi viam præceptorum cum alacritate & gaudio.

4. Puſillanimitas in periculis. Quis debebat eſſe fortior & magis imperterritus, quàm qui credit Deum ſibi propitium, & omnia ceſſura in bonum? Et tamen quanta noſtra hic eſt infirmitas, quoties uni alterive periculo implicamur, quis non ſentit ſæpè ad deſperationem uſque deprimi animum? Si has omnes infirmitates in vobis ſentitis, ut reverâ ſentiunt, qui paululum ſibi ipſis attendunt, annon judicatis neceſſariam vobis eſſe continuam roborationem per verbum Dei? Sed ſcio quid objici ſoleat. Alia, inquiunt nobis ſunt media roborandi. Nam

Digitized by Google

1. Sunt

1. Sunt qui ſe roborant per modum ſuperſtitionis circa ſacramenta. Sic qui Papam ſapiunt, vivunt in omni luxu ſine curâ animæ, niſi quod miſſæ ſacrificium & ſacramentum ſæpè recipiunt. Et inter noſtros multi ſunt, qui toto tempore ab Eccleſiâ abſunt, niſi cum ſacramentum Cœnæ diſtribuitur. Hæc robur animæ, hic panis vitæ, ſuſtentaculum ægrorum, viaticum morientium. Fatemur ſacramenta eum in finem propriè eſſe inſtituta ut roborent animas diſcipulorum Chriſti in fide & ſanitate, eaſque confirment in vitâ ſpirituali. Ideò enim ſacramenta vocantur ſigna & ſigilla juſtitiæ Rom. 4. 11. quia per obſignationem promiſſionis roborant noſtram fidem, & per fidem charitatem, & per charitatem obedientiam, & per obedientiam certitudinem ſalutis. Verùm hæc corroboratio fidei in verbum præſupponit uſum verbi, initiumque fidei & vitæ ſpiritualis. Qui verbum non diſcit, eum ſacramenta in verbo non confirmant, qui initia fidei non habet, per ſacramenta in fide roborari non poteſt. Sacramenta non ſunt niſi adminicula verbi, quæ ſine verbo nihil poſſunt, ſed verbum in ſuo opere adjuvant. Sicut ſigillum ſine literis nihil poteſt, ita ſacramenta ſine verbo nihil poſſunt, ſed tantummodo adjuvant corroborationem animæ quæ fit per verbum. Ubi igitur contemptus & neglectus verbi eſt, ibi ſacramentorum nulla vis eſt. Verbum aliquid poteſt ſine ſacramentis, poteſt fidem inchoare, poteſt fidem roborare. Sed ſacramenta nihil poſſunt ſine verbo. Ergo qui ſacramentis utitur & verbum negligit, perindè facit, ac ſi corpori mortuo panem daret ad roborandum. Anima prius debet per verbum vivificari, antequàm per ſacramenta poſſit roborari & nutriri.

2. Sunt, qui ſe roborant per ſubſidium voluptatis. Cum per melancholiam, per curas, per adverſitates dejectus eſt animus, quid occipiunt ad eum roborandum & reficiendum? Proficiſcuntur peregrè & locum mutant, frequentant convivia, ingurgitant corpus ad ebrietatem, audiunt ſuavem muſicam, ſpectant delectabiles comœdias & nugas. Hoc roborat eorum animos. *Reſpond.* 1. Facit hoc aliquid ad roborandum animum, cum anima dejecta eſt difficultatibus levibus, quæ vento difflari poſſunt, & vanitatibus curari. Sed cum anima vulnerata ac dejecta eſt per ſenſum peccati, iræ Dei, inferni, & gravata angoribus mortis, adhibe tum itinera, convivia, muſicam, ſpectacula, nugas, quid proderunt? Faciunt hæc fateor aliquid ad animæ exhilarationem contra corporalem metum ac angores, ſed an etiam faciunt ad animam ſanctificandam contra libidinoſos motus carnis, & contra tarditatem ac imprudentiam in ſpirituali bono? Annon potius fatendum, quod hæc ipſa exercitia ſuâ naturâ nil aliud poſſint, quàm animam indurare, incraſſare, infatuare (verpoelen) mortificationem veteris hominis impedire, ſatanæ acceſſum recludere ad intima animæ penetralia, ad vitam animæ exedendam, ad verbum Dei ex animo tollendum, & ſic ad animam penitùs

Digitized by Google

occidendam ac perdendam? *Obj.* At enim neceſſe eſt habeamus corporales recreationes, per quas nos roboremus ac reficiamus, quia ſine his citò periret vita, ſicut arcus ſemper intenſus frangitur. *Reſpond.* Sicut Medici ægris non prohibent cibum ac potum, ſed tantùm diætam ipſis præſcribunt, id eſt, delectum ac temperamentum cibi & potiis (**reglement**) ne per cibum impediatur operatio & vis pharmacorum: Ita Theologi infirmis animabus non prohibent corporales recreationes, ſed tantùm diætam præſcribunt, ut ſeligant talia exercitia, quæ Deo non diſplicent, pios non contriſtant, infirmos non ſcandalizant aut ſeducunt, Diabolo locum non parant, & vim verbi in animabus ædificandis non impediunt, & ut in licitis quoque modum obſervent. Si talia forent exercitia veſtræ recreationes, non eſſent contra Theologiam, nec noſtras cenſuras incurrerent. Sed proh dolor quantum diſcrepant ab hâc regulâ, & quàm parum differunt ab impietate ethnicorum! *Except.* Medicè vivere eſt miſerè vivere. Quàm parum nos ſubjicimus ſub diætam Medicorum, tam parum curamus regulam Theologorum in hoc negotio. *Reſpond.* 1. Medicorum diæta nititur conjecturis & experientiâ incerta, ſed noſtra fundatur in Scriptura infallibili. 2. Si velletis theologicè vivere, non opus haberetis medicè vivere. Unde enim eſt, quod cogimini medicè vivere? Quia noluiſtis vivere theologicè, id eſt, temperanter, ſobriè, caſtè. 3. Dolendum certè eſt, homines adeò voluptatis breviuſculæ avidos eſſe, ut ejus explendæ gratiâ etiam vitam & ſanitatem adducant in periculum. At ſi omninò temporalis vitæ adeò prodigi eſtis, cujus finis? non obſtante omni diæta, tandem tamen aderit & effugi non poteſt, an decet homines rationales non plus curare animam, & eam ab æterni exitii periculo cautè & circumſpectè eruere. O quàm aliquando dolebitis, vos contra ſinceras commonefactiones propriam animam perdidiſſe! Non peccatis certè contra nos, ſed contra propriam animam. Quæ onera vobis imponimus? quâ in re Chriſtianam veſtram libertatem circumcidimus, quid aliud quàm ſalutem veſtram quærimus, quid obſtat, cur regulis Reformati Miniſterii, Scripturæ teſtimoniis ſatis clarè fundatis, & omnium piorum ac orthodoxorum Theologorum conſenſu firmatis in negotio corporalium recreationum parere non poſſitis, & tamen frui recreationibus ad vitam ac vigorem conſervandum ſufficientibus? Deus ſit Judex inter nos & vos ſuper illa lite, quam de hâc materia tot annis tanto cum tædio animarum noſtrarum vobiſcum litigavimus fruſtrà.

Actor. 18. *v.* 24. 25.

CONC. CCIV.

SEquitur digreſſiuncula, qua Lucas Hiſtoricus ab hiſtoria Pauli paululùm divertens, interſerit hiſtoriam celebris cujudam Euangeliſtæ, qui eodem tempore in iſtis oris cum Paulo in Euangelio laboravit. Tres partes habet hæc digreſſio: 1. Qualis hic homo fuerit,

Digitized by Google

fuerit, antequam ad Aquilam & Priſcillam venit. 2. Quid Aquila & Priſcilla ipſi fecerint. 3. Quid poſt converſationem cum Aquila & Priſcilla de ipſo factum ſit.

Quantum ad primum, deſcribitur hic Euangeliſta

I. A Nomine Apollos.

II. A Patria, Alexandrinus.

III. A Qualitatibus bonis, quibus ad miniſterium idoneus fuit. 1. Vir eloquens. 2. Potens in Scripturis 3. Catechumenus in via Domini. 4. Fervens ſpiritu. 5. Accuratus in docendo. 6. Imperterritus in loquendo.

IV. Ab imperfectione ſua; intelligebat ſolùm Baptiſmum Johannis.

I. Nomen eſt Apollos. Non Apollo, Apollinis, quod erat nomen idoli, ſed Apollos indeclinabile, vel Apollus, Apolli. Eſt ille ipſe Apollos, cujus mentio fit 1 Cor. 1. 12. 1 Cor. 3. 4. 5. 6. 22. 1 Cor. 16. 12. ubi dicitur, quod Corinthii adeò hæſerint in donis ejus externis, & eorum excellentia adeò capti ſint, ut moverint inutilem illam & ſcandaloſam quæſtionem ſchiſmaticam, utrum Paulus an Apollos melius concionaretur? Bona dona in Concionatore ſunt laudanda & deſideranda, ſed non eſt iis ita hærendum, verùm reſpiciendus nucleus verbi, quod concionantur omnes. Sicut ſaccharum non nutrit infantem, ſed puls, attamen pulti additur ſaccharum, ut infans pultem lubentius edat. Ita non dona miniſtri, ſed verbum veritatis nutrit animas & paſcit, attamen iis, qui verbum concionantur, dat Deus bona, & vivida dona, ut tædioſæ noſtræ aures verbum veritati lubentius recipiant & imbibant. Hinc modus concionandi diverſus eſt, ſed materia eadem. Concionamur enim omnes idem verbum veritatis, & auditorum non eſt attendere, quo modo quis concionetur, ſed quid. Cum doctores in Academiis vel Paſtores exercitati veniunt ad audiendas conciones alicujus tyronis, eorum eſt attendere, non tantum ad materiam quid doceat, ſed etiam ad modum docendi, ut is corrigatur. Sic etiam cum Antiſtites Eccleſiæ audiunt & diſpiciunt, quem eligant & Eccleſiæ præficiant. Sed cum vos ad templum venitis audiendæ concionis gratia, ex iis quos Deus vobis legitimè dedit, non eſtis huc vocati præcipuè, ut ſitis judices concionum, ſed ut ſitis factores Jac. 4. 11. Veſtrûm non eſt præcipuè attendere quomodo concionetur Concionator, ut diſtinguere poſſitis, quis melius concionetur cæteris, ſed veſtrum eſt præcipuè attendere, quid dicatur. Nam qui ſic non faciunt, ſunt ſicut qui ſaccharum ex pulte exſugunt & pultem ipſam reſpuunt. Nemo noſtrûm tam malè concionatur, quin multa dicat bona. Ne ſitis infantes nimium inſipientes. Etiamſi non ſemper æquè multum ſacchari ineſt, ne ideo pultem reſpuite. Non ſemper optimè nutriunt conciones, quæ optimè ſapiunt.

II. Patria eſt Alexandria, Ægypti civitas. Judæus Alexandrinus, id eſt, ex Judaicis parentibus vel majoribus Alexandriæ natus, id quod poſt diſperſionem Judæorum non rarum eſt. Spiritus S. non eſt alligatus locis, quaſi non aliundè, quàm Hieroſolymis aut

Roma

Digitized by Google

Roma venire poſſint legitimi doctores veritatis. Quando & quâ occaſione Alexandriâ Epheſum venerit, non dicit Spiritus S. Non dubium, quin ſingulari ductu Spiritûs S. iſthuc venerit, qui unicuique Eccleſiæ proſpicit de miniſtris.

III. Prima qualitas eſt. Ἀνὴρ λόγιος, id eſt, plenus rationis, plenus doctrinæ, & plenus ſermonis. Hæc vox tres bonas qualitates in ſe comprehendit:

1. Acrimoniam judicii naturalis. Omnis homo eſt rationalis, ſed non omnes ſunt rationis compotes & uſu ejus pollentes, dantur enim ſtolidi, & qui non ſunt compotes, non ſunt æquè perſpicui judicii, nec indolis æquè bonæ, nec temperamenti æquè commodi, dantur enim hebetes. Sicut non omnia ſpecula æquè clara, nec omnes adamantes æquè puri, nec omnes lampades æquè coruſcæ, ita omnis anima humana eſt lampas vel candela perſpiciens & perſcrutans res omnes Prov. 20. 27. ſed non omnes animæ æquè ſunt perſpicaces. Et tamen ad bonum miniſtrum conſtituendum requiritur anima perſpicacis judicii & bonæ indolis. Qui enim alios illuminare & bonos reddere debet, neceſſe eſt, perſpicax ſit ipſe & bonus. Non malè huc applicatur illud Chriſti Matth. 6. 22. 23. Dolendum eſt, in conſecratione juventutis ad ſtudium Theologicum, non haberi delectum ingeniorum, ſed ingenia omnia elevata mundanis ſe occupare ſtudiis, & Theologicum ſtudium iis ferè relinqui, qui ſicut ſtatu & educatione tenues ſunt, ita & plerumque ingenio minus valent. Poteſt certè Deus etiam per mediocria vel tenuia ingenia promovere regnum filii ſui, & plerumque facit. Interim valet regula 1 Corinth. 12. 21.

2. Eruditionem & doctrinam bonarum artium & ſcientiarum. Præſertim ἀνὴρ λόγιος eſt vir Logicus ſeu Dialecticus, qui artem meditandi & diſſerendi benè didicit, Omnes homines poſſunt ratiocinari, meditari & diſſerere, & inter idiotas acuta ſunt ingenia, quæ non malè diſſerunt de re quavis. Hinc inferunt Mennonitæ & qui horum ſpiritu ducuntur, quod ad SS. Miniſterium non opus ſit eruditione & doctrina, ſed quemvis idiotam acutioris ingenii & expeditioris linguæ poſſe in hoc opus involare, etiamſi ſit ruſticus, aut opifex, & nimis apertum eſt, quantoperè multi ſine eruditione ſe cupiant in hoc opus intrudere. Sed tota Scriptura docet, quod ſemper moris fuerit in Eccleſia ſcholas habere, in quibus candidati Theologiæ & Prophetarum filii imbuerentur cognitione liberalium artium & peregrinarum linguarum & hiſtoriarum, ut ingenia eorum ultra idiotarum capacitatem ſublimarentur Actor. 6. 9. Actor. 22. 3. Et experientia teſtatur, quantam opem conferant liberalia ſtudia ad verbum Dei rectè ſcindendum, in tantùm, ut qui ſine his inſtrumentis ſe accingunt ad verbum Dei ſcindendum, interpretandum, applicandum, perinde faciant ac ſartores & textores, qui ſine forpice & textorio apparatu ſuo ſe accingant operi. Conſtat etiam, quàm facilè cauſam Dei hoſtibus prodant, qui ſine his adminiculis in

arduum

Digitized by Google

arduum hoc officium involant. Deus nos liberavit ab indoctis & aſininis ſacrificulis, ne quæſo in eorum locum ſubſtituamus ruſticos & opifices, præſertim cum nulla neceſſitas poſtulat. Satis miſeriæ eſt, quod etiam ſtudioſi noſtri cum ſtudiis nimis crudis ad hoc arduum negotium properant. Nihil tam utile Reipubl. & Eccleſiæ, quàm ſcholæ bonarum artium & literarum.

3. Eloquentiam, quæ conſiſtit in pura ac perſpicua dictione nec non in clarâ, delectabili & flexanima voce. Hæc vita concionis, per quam concio differt à mortuis libris, qui etiam quidem in ſe habent vim lectorem ſuum inſtituendi & movendi, ſed longè minorem eâ, quæ fit per vivam eloquentiam. Lingua vocatur gloria hominis Pſal. 16.9. & 30. 13. quare? 1. quia per linguam homo oſtendit gloriam illam internam & inviſibilem ſcil. rationem & ſapientiam, per quam ſupra cæteras creaturas excellit. 2. quia eſt præcipuum inſtrumentum, per quod aſſequitur præcipuum ſuum finem, propter quem conditus eſt, ſcil. laudationem & glorificationem Dei. Cœli etiam enarrant gloriam Dei Pſal. 19. ſcil. objectivè, quia homini ſuppeditant materiam enarrandi per ſuam linguam laudes Dei. Cœli ſunt ſicut teſtudo vel cythara, ex quâ plectrum, artificis manu gubernatum, conficit & excitat ſuavem cantum. Sic lingua plectrum eſt, quâ ex cœlis excitatur laus Dei. Præcipuè itaque lingua eſt gloria Concionatoris, & qui eloquio potens non eſt, is caret præcipuo inſtrumento hujus ardui officii. Debet Concionator habere linguam, quæ ſit ſicut calamus expediti ſcribæ Pſal. 45. 2. *Object.* Atqui Paulus eloquentiam in Concionatoribus videtur condemnare 1 Cor. 1. 17. & 2. 1. 4. *Reſpond.* Paulus in his locis non ſimpliciter condemnat eloquentiam in Concionatoribus. Aliàs enim ſeipſum condemnaret & cæteros Apoſtolos, in quorum ſcriptis quanta ſit orationis majeſtas nemo non videt. Condemnat igitur affectatam illam eloquentiam, & artificioſam orationis pompam, quâ nativa orationis ſimplicitas expellitur, ut ſermo ſit ſupra captum vulgi, & non niſi illorum aures titillet, qui in aulis, vel alibi, turgido & adulatorio dicendi genere adſueti ſunt, qualis eſt oratio Tertulli Actor. 24. 1. &c. & eorum omnium, qui juſtitiæ cauſæ diffidentes pompam verborum in ſubſidium vocant, cumque bona & juſta Logica deſtituuntur, ſolâ Rhetoricâ militant. Interim eloquium bonum, delectabile, flexanimum &c. eſt deſiderabile in miniſtro, & à Deo petendum Epheſ. 6. v. 19.

II. Secunda qualitas eſt, quod fuit δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, potens in ſcripturis. Extra & citra ſcripturam nemo ſapiens ad ſalutem, vel ſuam conſequendam, vel aliorum promovendam, quantumvis ſit judicioſus, doctus vel eloquens. Etſi nulla eſſet Scriptura in mundo, cæteræ omnes facultates, Medica, Politica, Juridica &c. poſſent aſſequi ſuum ſcopum, ſed Theologia ſuum ſcopum aſſequi non poteſt ſine Scripturâ. Hinc ethnici quidem habebant Theologiam, Sacerdotes Pontificii habent Theologiam quandam, ſed

Digitized by Google

quia eſt ſine Scripturâ, vel Scripturæ non ſubjicitur, neminem poteſt reddere ſapientem ad ſalutem. Scriptura theſaurus ſapientiæ, ex quo omnis ſermo de Deo depromendus eſt. Sed quis ille modus loquendi, potens in ſcripturis? *Reſpond.* 1. Multâ Scripturarum lectione exercitatus, & habens γεγυμνασμένα αἰσθητήρια in Scripturis Hebr. 5, 14. ut non ſint ſicut Sacrificuli Romani, qui nullum librum minus legunt, quàm Scripturam. 2. Scripturarum ſenſum probè intelligens, & ſciens eâ dexterè uti ad veritatem defendendam, vitia & errores oppugnandos. Eſt ſimile à militibus, qui non tantum benè armati ſunt, ſed in uſu armorum periti, ut arma poſſint regere. Sicut David benè quidem armatus erat armis Sauli, ſed non poterat iis uti 1 Sam. 17. 38. 39. non erat potens in armis; Ita multi textores Anabaptiſtici adeò ſunt periti in Scripturarum lectione, ut & verba poſſint recitare, & capita ac verſus citare, idque perfectius quàm exercitatiſſimus quiſque Theologus. Sed cum ad uſum ventum eſt, Scriptura ipſis eſt ſicut gladius in manu infantis, adeò infirmi & pueriles ſunt in uſu Scripturæ, ut hæreant in externa cortice verborum, quidvis ex quovis concludentes, ſimiliter & impiè Scripturam torquentes. Is demùm potens eſt in Scripturis, qui clara & indubitata fidei & religionis principia, in Scripturis revelata, fortiter retinet, & pro iis tanquàm pro aris & focis pugnat, nec ullis ſophiſmatibus movetur ad excidendum ex proprio firmamento 2 Petr. 3. 17. ſed poteſt in Scripturæ teſtimoniis hæc dogmata firmiter fundare, quique ſophiſmata adverſariorum hujus veritatis, ex dubiis ac obſcuris Scripturæ locis petita, feliciter poteſt diſcutere, oſtendendo ſenſum Spiritus S. ex ſcopo, cohærentia, verborum uſu ac proprietate, locis ſimilibus &c. Hoc eſt potentem eſſe in Scripturis, & verbum Dei rectè ſcindere 2 Tim. 2. Qui hoc deſtituitur, ne præſumat eſſe doctor aliorum, ſed potius ſit diſcipulus, peritiorum manuductione utens. Bonum eſt & neceſſarium etiam idiotas ſenſus ſuos in Scriptura exercere, ſed interpretationem & applicationem Scripturæ non debent in ſe ſuſcipere ſine manuductione eorum, qui potentes ſunt in Scripturis.

III. Tertia qualitas Apollo, quod erat κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου. Via Domini eſt religio Chriſtiana. Hæc vocatur via Domini, quia eſt illud medium, à Domino præſcriptum, cujus uſu atque praxi venimus ad Dominum, & communionem cum illo habemus. Sicut enim viator per calcationem viæ pervenit ad metam itineris, ita Chriſtianus per praxin Religionis pervenit ad unionem cum Deo, imò tandem ad cohabitationem cum Deo in cœlis, unde nomen à religando habet, quia religat & unit Deo. In hâc Religione Apollos erat κατηχημένος. Aliud eſt κατηχημένος in religione, aliud μεμυημένος, quo verbo utitur Paulus Phil. 4. 12. Illud ſignificat in initiis Chriſtianæ religionis & rudimentis, ac primis ejus elementis inſtitui, quæ Paulus comparat cum lacte, quo infantes nutriuntur, qui ſolidum cibum ferre non poſſunt Hebr. 5. 12. 1 Cor. 3. 2. Sed hoc ſigni-

Digitized by Google

ſignificat in faſtigio Theologiæ quaſi inauguratum eſſe, & perfectionis teſſeram accepiſſe, ſicut cum quis inauguratur in doctorem alicujus facultatis. Paulus enim iſto in loco non gloriatur de parvis quibuſdam initiis, ſed de magnâ ſuâ perfectione, ad quam ſupra alios profecerat in Chriſtianiſmi cognitione & praxi. Primus gradus neceſſarius eſt omnibus Chriſtianis, poſterior ſolis Theologis. Apollos tantùm erat catechumenos, ſed nondum μεμυημένος. Hoc enim à Priſcillâ & Aquilâ demum accepit, ſed catecheticam inſtitutionem accepit antequam ad hos pervenit, fortè à Petro vel Marco ajunt quidam qui in oris iſtis Alexandrinis videntur præcipuè docuiſſe, quamvis hoc non ſit probabile, quia ita fuit catechiſatus, ut non niſi baptiſma Joannis noverit, quod Petrus vel Marcus non feciſſet. *Object.* At quî poteſt tantùm catechiſatus fuiſſe, cùm fuerit adeò potens in Scripturis? *Reſpond.* Erat potens in Scripturis V. T. ut ſciret & probare poſſet eſſe Iſraelitis promiſſum aliquem Meſſiam cujus juſtitia eſſent juſtificandi. Sed in doctrina N. T. ſcil. quis & qualis ille Meſſias, & quomodo factus noſtra juſtitia, hic non habebat niſi exigua quædam rudimenta, ex doctrina Joannis Baptiſtæ petita, ut poſtea audiemus. Vox κατηχεῖν ſæpius in Scriptura invenitur, ſed hic præſtans locus præcipuè facit, ut hæc vox in Eccleſia ſit tam uſitata, quia hic illa vox notoriè uſurpatur de inſtitutione in rudimentis religionis. Habetur eadem vox Luc. 1. v. 4. Actor. 21. 24. 1 Cor. 14. 19. Gal. 6. 6. ſed ibi poteſt generaliter ſumi de quavis inſtitutione, etiam quæ ſit per conciones. Sed hic ſumitur de inſtitutione in principiis, quales rudioribus ſolet fieri per quæſtiones & reſponſiones. Talis inſtitutio in rudimentis & fundamentis religionis ſemper fuit uſitata in Eccleſia, non tantùm publica, ſed præſertim privata & domeſtica. Hæc eſt illa ὑποτύπωσις ſanorum verborum 2 Tim. 1. 13. epitome præcipuarum doctrinarum, ſicut mappæ geographicæ ſunt compendium orbis. Sic Paulus diſtinguit inter ipſa λόγια τοῦ Θεοῦ & inter στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων Θεοῦ, inter lac & cibum ſolidum, inter fundamentum & domum Hebr. 5. 12. 13. 14. & 6. 1. 2. item inter plantationem & rigationem 1 Cor. 3. Catechetica doctrina eſt illa ἀναλογία πίστεως, ſecundum quam prophetandum eſt Rom. 12. Talis catechiſatio fuit tempore Patriarcharum Gen. 18. 19. Scio quod Abraham filiis & familiæ ſuæ ſit mandata daturus de viis meis obſervandis. Fuit tempore Prophetarum. Ideo Deus omnem doctrinam moralem comprehendit decem verbis, & mandat ut liberis inculcetur Deut. 6. 6. 7. Levitæ in omnibus urbibus habebant ſcholas. Sic David & Batſeba catechizârunt Salomonem 1 Chron. 28. 9. Prov. 31. Fuit tempore primitivæ Eccleſiæ, unde Catechiſtæ & Catechumeni, qui erant converſi recens ex gentibus, & infantes Chriſtianorum, quibus & peculiaris locus in templo erat aſſignatus. In ipſo Papatu, cum Scriptura hactenus eſſet erepta, per compendia catechetica, orationem Dominicam, Decalogum, Articulos fidei, Euangelium aliquo

Digitized by Google

pacto in populo fuit conſervatum. Ne ſimus nos deſides hâc in parte. Sine prævia catechizatione cæteri modi docendi, præcipuè, qui per conciones fiunt, non aſſequuntur ſuum fructum. Qui multum legunt, & in principiis non ſunt radicati per catechizationem, ſunt homines ἀστήρικτοι.

Actor. 18. *v.* 25.

CONC. CCV.

QUæſtio eſt inter Chriſtianos, an concionari Verbum Dei ſit res facilis, an res difficilis? Qui non experti ſunt, putant eſſe rem facilem, in tantùm, ut ſæpè putent Concionatorum vitam eſſe vitam otioſam, ſi comparetur cum cæteris vitæ generibus, imò putent, munus concionatorium non requirere totum hominem, ſed poſſe conjungi cum quovis opificio, & textorem in textoriò ſedentem inter texendum poſſe meditari concionem. Et adeò proni ſunt ad concionandum multi homines, ut nî publica honeſtas prohiberet, ne fœminæ quidem abſtinerent, ut patet ex triſti hiſtoriâ temporis noſtri. Qui verò & rectè concionari poſſunt, & multùm concionati ſunt, ſemper clamitant eſſe rem difficilem, & quodvis munus facilius æſtimant quàm concionatorium. Vide Exod. 4. 10. & 6. 11. 29. Jerem. 1. 7. 2 Cor. 2. 16. & 3. 5. 6. Utra pars hic rectè ſentiat optimè nos docebunt requiſita & qualitates ad bonum Concionatorem conſtituendum neceſſariæ, quæ nobis in exemplo Apolli proponuntur, quarum nuper tres priores declaravimus, cæteras nunc, cum bono Deo, aggreſſuri.

IV. Quarta itaque qualitas Apolli fuit hæc: ζέων τῷ πνεύματι, fervidus ſpiritu. Per ſpiritum hic non intelligitur anima, quod habuerit animam naturâ fervidam & alacrem. Nam naturales animæ qualitates expreſſit Lucas per vocem λόγιος. Sed per ſpiritum hîc intelliguntur dona Spiritus ſancti; Hic enim præcipuè neceſſarius eſt concionatoribus 1 Cor. 12. 3. & quidem non tam dona Prophetiæ, quàm dona gratiæ & regenerationis, humiliationis, & ſanctificationis. Homo naturalis, qui Spiritum S. non habet, & ſpiritu regenerationis non eſt imbutus, quantumvis ſit perſpicax & judicioſus, doctus, eloquens, imò *quantumvis habeat donum & ſpiritum Prophetiæ, ut noſſet omnia myſteria, & omnes ſcientias, loqueretur omnes linguas, poſſet transferre montes*, tamen non eſt idoneus miniſter N. T. *ſed æs reſonans & tinniens* 1 Cor. 13. 1. 2. Rationes hujus rei ſunt ſequentes:

1. Quia talis homo theſaurum verbi Dei non portat ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσι, in vaſe teſtaceo vel fictili 2 Cor. 2. 7. Verbum Dei non vult portari vel geſtari niſi in vaſe teſtaceo. Sicut vinum, vel alius pretioſus liquor non in quovis vaſe poteſt cuſtodiri à corruptione, ſed corrumpitur in ſtanneo, ſervatur in vitreo &c. Ita verbum Dei non cuſtoditur incorruptum, niſi in tali corde, quod eſt ſicut vas fictile. Quid eſt ὀστράκινον σκεῦος? *Reſp.* ὄστρακον ſignificat 1. Teſtam ex terrâ figulinâ confectam. 2. Teſtam & cruſtam ovorum. 3. Teſtam piſcium

Digitized by Google

piſcium quales oſtrea, ex quibus quædam ſpecies calcis conficitur, & ex calce teſtacea vaſa, quæ ſunt infirma & fragibilia, diſſimilia iis, quæ ex lapide & metallis conficiuntur. Çur cum talibus teſtaceis vaſis comparantur concionatores verbi? *Reſpond.* Propter duas cauſas: 1. Ratione corporis. Corpus eſt vas & domus terrea 2 Cor. 5. 1. quia eſt fragile, mortale, caducum, multis infirmitatibus obnoxium. Non robuſtis heroibus angelis Deus hunc theſaurum concredidit, ſed infirmis & terreis hominibus, ut intelligatur, quod virtus & operatio verbi non ſit ex robore concionantium, ſed ex benedictione Dei, qui in infirmis potens eſt. 2. Ratione cordis. Quod concionatores habent corpus teſtaceum, id cum omnibus hominibus habent commune, ſed id, quod præcipuè ad gloriam Dei facit, & ad bonum concionatorem requiritur hoc eſt, ut cor ejus non ſit lapideum, & inſtar metalli durum, ſed ut ſit ſpiritu ſervitutis fractum ac contritum, tenuitatis, fragibilitatis, & caducitatis ſuæ conſcium, ſentiens ſuam indignitatem, corruptionem & maledictionem, nec ſit turgidum & inflatum fermento hypocriſeos & ſuperbiæ, quærens magis ſuam, quàm Dei gloriam. In tali enim corde corrumpitur theſaurus verbi Dei. Sicut frumentum vitium contrahit ex putredine ſacci vel vaſis in quo eſt, ut nec ad ſementem, nec ad panem faciendum utile ſit, ita ſemen verbi in corde ſuperbo & hypocriſeos fermento infecto, nec per inhabitationem Spiritus S. purgato & ſanctificato, amittit vim generativam, ut non poſſit eſſe ſemen regenerationis. Non tantum in cordibus auditorum, qui ſine ſpiritu ſunt, corrumpitur & ſuffocatur Luc. 8. 14. ſed etiam in corde Concionatorum, quorum cor non eſt rectum coram Deo, & ſuperbiæ fermento tinctum, qui ideò jubentur myſteria fidei cuſtodire in purâ conſcientia 1 Tim. 3. 9. & qui hoc non faciunt, detinent veritatem in injuſtitia Rom. 1. 18. *Obj.* At verbum Dei eſt ſemen incorruptibile 1 Petr. 1. v. 23. *Reſpond.* Hoc intelligendum de verbo poſtquam mediante Spiritu S. cordi implantatum eſt. Sicut fructus, qui facilè putreſcunt, tamen non putreſcunt poſtquam ſaccharo vel ſale conditi ſunt, ſicut frumentum, quod in granario vel ſacco facilè corrumpitur, non tamen corrumpitur, vel media hyeme, poſtquam in bonam terram conſitum eſt. Ita verbum Dei, ſemen ſpiritualis regenerationis, poſtquàm per Spiritum S. cordi implantatum eſt, & poſtquam eſt συγκεκερασμένον τῇ πίστει, id eſt, ſpiritu fidei receptum & quaſi conditum Hebr. 4. 2. nunquam corrumpitur, ſed fert fructus abundantes, ſed cum in corde jacet inconditum ſine ſpiritu, flacceſſit & corrumpitur, imò non tantùm corrumpitur, ut bonos fructus non ferat, ſed fit ſemen mali fructûs. Cum enim intellectus noſter verbo Dei conſitus eſt, & cor illud per ſpiritum non recipit, tum verbum fit odor mortis ad mortem, & per verbum in corde accenditur ignis ille inextinguibilis, & ex verbo generatur vermis ille rodens, qui nunquam moritur, ſcil. mala conſcientia, quæ nos torquebit in æternum,

Digitized by Google

plus multùm quàm illi torquebantur, qui verbi Dei notitiam in Corde ſuo non habuerunt 2 Cor. 2. 16. Iſai. 66. 4. Sicut lac purum in ubere morbido corrumpitur & infanti venenum fit; ita bonum verbum Dei in malo corde miniſtri & auditoris corrumpitur, & parit vermem malæ conſcientiæ. Tales Concionatores nil ſunt, niſi nubes ventoſæ, quæ non fœcundas guttas in terram deſtillant, ſed grandines & nivem dejiciunt cum pruinâ, ad impediendam fœcunditatem terræ Judæ 12. Facile admodùm percipitur & perceptum ac obſervatum valde conducit ad ædificationem, ſi concio aliqua procedit ex corde mortificato ac contrito, quod ſpiritu humilitatis imbutum ex ſenſu miſeriæ loquitur, & eundem ſenſum aliis cupit imprimere. Hic non ſunt ampullantia & tornata verba Tertulli, aliaque artificia ſeipſum ornandi, ſed in naturali ſimplicitate verborum ſancta quædam & ornata majeſtas cor aliorum maximè afficiens. Ubi verò hoc non eſt, ibi facilè percipitur, quid quærat Concionator, ſcil. non præcipuè gloriam Dei, & ædificationem aliorum, ſed ut admirationem populi ad ſe trahat, & tanquam aliquid magnum & ſingulare adoretur, ſicut Simon Magus Actor. 8. 9. 10. 18. 19. Superbus Concionator difficulter poteſt facere humiles auditores.

2. Secunda ratio, cur homo ſine ſpiritu non eſt idoneus miniſter N. T. eſt hæc: quia qui ſpiritum non habet, non poteſt eſſe miniſter ſpiritûs. Officium miniſtrorum N. T. eſt, ut ſint miniſtri, non literæ, ſed ſpiritûs 2 Cor. 3. 6. Ideò enim Deus, qui ex tenebris lucem produxit luxit in cordibus miniſtrorum, & agnitionem Chriſti in iis accendit 2 Cor. 4. 6. ut inde hæc lux propagaretur in auditores. At quomodo propagabunt illum ſplendorem ſpiritûs ex cordibus ſuis in corda aliorum, ſi in cordibus ſuis eum non habent? Candela, quæ accenſa non eſt, quomodo poteſt accendere candelam aliam? Miniſter, qui Spiritum S. ipſe non habet, quî poteſt eſſe miniſter ſpiritûs, qui aliis Spiritum S. ſubminiſtret & ſuppeditet? Non ex ſeipſo habet miniſter, quod auditoribus det & ſubminiſtret, ſed ex Dei benedictione. At qui impius eſt, & ſpiritu caret, annon etiam carebit benedictione Dei ſuper ſuum miniſterium? Benedictionem enim ſuam Deus non dat ſuis hoſtibus, ſed amicis. Qui vitâ refutat, quod verbis docet, is non eſt idoneus ad ædificandos alios. Qui impius eſt, non poteſt facere alios pios. At qui ſpiritum non habet, eſt impius; Ergo. *Objectio.* At enim videmus, quod Deus ſæpè per impios miniſtros, qui ſpiritum non habent, faciat bonos ac pios Chriſtianos Spiritu S. plenos, ut patet in exemplo Judæ, & Paulus videtur parum curare, quales ſint Concionatores, pii vel impii, modò Chriſtum prædicent Phil. 1. 15. 16. 17. 18. Quàm parum vis Sacramentorum dependet ab intentione vel pietate miniſtri, ut contra Papatum credimus, tàm parum etiam adminiſtratio verbi ab eâ dependet. Si benè docet & legitimè vocatus eſt miniſter, eſt miniſter ſpiritûs, ſive pius, ſive impius ſit. Poteſt prædicare

aliis

Digitized by Google

aliis & ipſe fieri reprobus 1 Cor. 9.27. *Reſpond.* Diſtinguendum eſt inter ordinarium curſum, & extraordinaria facta divinæ providentiæ ſuper diſpoſitione verbi. Sicut Deus in natura ſæpè facit per miraculum & vim extraordinariam, quod ſecundum ordinarium naturæ curſum fieri non poteſt, ita etiam in diſpenſatione gratiæ. Sicut aliquando ſine miniſterio verbi externè aliquem regenerat, ſic idem aliquando facit per miniſtros ſpiritu deſtitutos. Sed hoc non eſt ordinarium, & in talibus non eſt hærendum, nec iis nitendum, quippè qui non habent promiſſionem Dei, de ejus ſuper ſuum miniſterium benedictione. Poteſt quidem Deus per impios miniſtros Eccleſiam ſanctificare, facit etiam aliquando, ſed ideò non eſt putandum, quod nullum ſit diſcrimen, nec quicquam referat, ſive miniſter ſpiritum Dei habeat, ſive non habeat. Verum optandum eſt miniſterium tale, quod ſit ordinarium miniſterium ſpiritûs, non turgidum vento ſuperbiæ & vanitatis, ſed plenum virtute ſpiritûs, ut ſit ſicut Actor. 4. 29.30.31. Non ſumus certè in eâ opinione, quaſi virtus verbi & ſacramentorum ita pendeat à ſanctitate miniſtrorum, ut Deus non poſſit etiam per impios miniſtros virtutem ſuam perficere, ſed interim verum eſt, quod impiorum miniſterium plerumque ſit ſterile ac infœcundum, & quod neceſſarium ſit, ut Eccleſia tales quærat miniſtros, qui pii ſunt & Spiritum ſanctum habent. Impietas, & prava intentio miniſtri non impedit, quin verbum & ſacramentum, quod ſecundum Scripturam adminiſtrat, ſit verum verbum, verum ſacramentum. Interim tamen multum obeſt non tantùm ejus ſaluti, ſed etiam ejus miniſterio, tum in verbo, tum in ſacramentis. Verùm cur textus non dicit, quod Apollos fuerit plenus ſpiritu, ſed ζέων fervens ſpiritu? *Reſpond.* Nihil novi eſt in Scripturâ, quod dona Spiritûs S. comparantur cum igne, qui cor hominis facit fervere & ardere. Non dicit ardentes ſpiritu, ſed ferventes. Ardere eſt proprietas ignis, ſed fervere eſt proprietas ollæ, vel aquæ potius & liquoris in ollâ. Sicut aquà in ollâ, ſubdito igne calefacta, efferveſcit, & vapores ſurſum mittit, qui in nubes uſque adſcendunt, ita cor hominis igne ſpiritûs calefactum ſurſum emittit, & quaſi evaporat preces, laudes, & omnia bona opera quæ nubes perrumpentes in altiſſimum uſque cœlum penetrant. Sicut ſtomachus calore naturali benè conſtitutus, ex cibo, quem accepit, ſurſum verſus cor & cerebrum, emittit vapores gratos, exhilarantes, recreantes, & ſuaviſſimè reficientes; ita cor hominis, per Spiritum S. accenſum, ex verbo, quod audivit ſurſum mittit ſuavem odorem gratitudinis & pietatis, qui Deum afficit & quaſi delectat, id eſt, Deo gratus eſt. Similitudo hæc invenitur Pſal. 45. 2. *Cor meum ebullit ſermonem bonum.* Aliud & ferè ſimile habetur Pſal. 19.8. dies effundit ſermonem. Sicut fons bonns perpetuò ſcaturit aquam, ita cor ſpiritu accenſum ſcaturit preces & bonos ſermones de Deo vel ad Deum. Vide quæ diximus in Actor. 1.2. ad vocem ἐντειλάμενος διὰ τοῦ πνεύματος; Aliud eſt

fervere

Digitized by Google

fervere carne, aliud ſpiritu. Caro animam æquè poteſt accendere & fervidam reddere ac ſpiritus. e. g. ambitio, arrogantia, audacia, iracundia, vindictæ cupiditas poſſunt accendere Concionatorem, ut ſplendidam & in ſpecie efficacem eructet concionem. Verùm à tali fervore atque zelo non abeſt vitium, ſive in materia, ſive in menſura & modo, ut non ſint, quod eſſe videntur, turbantes magis, quàm ædificantes. Cum autem ſpiritus animam ad fervorem ac zelum accendit, is zelus ſecum fert ſuam lucem & menſuram, ut neque in materia, neque in modo limites excedat. Ideò igitur Apollos, dicitur fuiſſe fervens ſpiritu, quia non tantum Spiritum S. in corde ſuo habuit, ſed etiam, quia per Spiritum S. cor ſuum perpetuò excitavit ad ſanctum zelum loquendi, quæ ad regnum Dei pertinebant. Et hoc demum reddit bonum concionatorem, cum quod ex ore ejus procedit, protruditur per internam operationem Spiritus S. in corde reſidentis. Sunt qui benè concionantur ex alio principio & cauſa movente, ſtimulante ſcil. ambitione, lucri cupiditate, contentione Phil. 1. 16. Sed illi demùm verè efficaces, & boni Concionatores, qui per Spiritum S. præcepta dant, & verbum Dei annunciant. Non eſt putandum, Auditores, quod hac tota concione nihil diximus, niſi quod ad Concionatores pertinet. Quod enim hic de Apollo dicitur, id omnibus Chriſtianis totidem verbis mandatur Rom. 12. 11. & quantopere Deus tepiditatem cordis deteſtetur, in omnibus Chriſtianis, fervorem autem requirat, patet ex Apoc. 3. 15. 16. Ubi vox ζεϛὸς à ζέω derivata. Verbum ſine ſpiritu auditoribus non prodeſt Hebr. 4. 2. etiamſi verbum per pium Concionatorem prædicetur, & non cadat in auditorem, qui ſpiritum habet, & bona terra eſt, corrumpitur. Omnibus igitur Chriſtianis incumbit curare, ut habeant hanc qualitatem, quam habuit Apollos, ſcil. ut ſint ferventes corde. Concionatores præcipuè debent fervere ſpiritu, ut verbum Dei aliis cum efficacia poſſint eructare & inſpirare, ſed omnes Chriſtiani debent fervere ſpiritu, ut preces, laudes, & omnia bona opera Deo poſſint ſacrificare, & tanquam gratas dapes ei apponere.

At enim, cur hoc à nobis requiritur? Cui Deus ex ſingulari gratia dat ſpiritum abundanter, is fervet corde, ſed quid nos ad hoc poſſumus conferre, ut cor noſtrum per ſpiritum ferveat? *Reſpond.* Noſtrum eſt per ſpiritum, quem Deus nobis dedit, cor noſtrum calidum & fervens reddere. Non debemus ignem gratiæ Dei accepiſſe fruſtrà, ſed eo uti ad cor calefaciendum 2 Cor. 6. 1. Sicut jubemur per Spiritum S. carnem mortificare Rom. 8. 11. ita jubemur per Spiritum S. cor noſtrum calefacere. Spiritûs dona ac initia, quæ Deus nobis dedit, nos debemus uſurpare, arripere, & per ea carnem mortificare, cor ad fervorem excitare. Quomodo hoc fieri poteſt à nobis? *Reſpond.* 1. cum ignem ſpiritûs, quem Deus nobis dedit, non extinguimus 1 Theſſ. 5. 19. Spiritus extinguitur voluntariis peccatis, & uſu mediorum peccandi. Sicut ebrioſi, qui potum avidè ingurgitant, calidum

Digitized by Google

calidum naturale extinguunt, & abſumunt, ut vivere non poſſint; ita qui peccatum avide committunt Epheſ. 4. 19. & injuſtitiam imbibunt, ut aquam Job. 15. & ſeipſos tentationibus diaboli exponunt in frequentatione converſationis pravæ, aliiſque peccatorum illecebris ſe ſponte involvunt; ii extinguunt ſpiritum, id eſt, repellunt ſpiritum, reſiſtunt ſpiritui, exacerbant ſpiritum Dei, ut nolit in ipſis operari ad emendationem cordis, & unde talibus foret cor fervidum? Qui igitur vult eſſe fervens ſpiritu, caveat voluntaria ac petulantia peccata, peccatorumque occaſiones & illecebras.

2. Cum per media divinitùs inſtituta ignem ſpiritûs, in corde latentem, vivificamus & excitamus. Sicut qui focum vult ſtruere, ignem per ignitabulum ſuſcitat, vel carbones inflando inflammat, ita qui cor cupit fervidum ſpiritu, is per diligentem uſum verbi, & ſacramentorum ſpiritum in ſe ſuſcitat. Vide 2 Tim. 1. 6. Vocem ἀναζωπυρέω. Præſertim cum verbum Dei audimus, audiamus cum invocatione Spiritus S. Deus vult ſpiritum dare per verbum, ſed tantùm precantibus Luc. 11. Qui in his mediis non ſunt continui, non poſſunt eſſe fervidi, ſicut qui rarò ad Solem vel ignem accedunt, non poſſunt eſſe calidi.

3. Cum conamur & luctamur per ſpiritum acceptum enixè ad efficiendum, quod nobis mandatum eſt. Homines queruntur, ſe non poſſe facere quod jubentur. Sed cur non poſſunt? quia non conantur, non luctantur, manum operi non admovent. Qui Chriſtiani ſunt, qui verbum Dei, & ſpiritum habent, an illorum eſt dicere, non poſſum? Quo ſine ſpiritus gloriæ & roboris quieſcit ſuper te, quo ſine regenitus es in novam vitam, ſi æquè impotens es poſt regenerationem ac ante? Vos ebrioſi, iracundi, invidi, melancholici, frigidi ac tepidi auditores verbi & precatores, qui cauſamini, quod non poſſitis eſſe ſobrii, manſueti, læti ac fideles, admovete manum operi, fugite occaſiones peccandi, adhibete preces & verbum, luctemini contra vitia, ſectemini officia, & labor veſter non erit fruſtrà in Domino. Fateor quod non poteſtis facere perfectè, ſine omni lapſu, & ſine difficultate ac reluctatione carnis ac ſanguinis, ſed ſicut ægri, qui non poſſunt uti pharmaco, cibo ac potu ſine nauſeâ & reluctatione ſtomachi; tamen ſeipſos cogentes & ſuperantes faciunt, quod dicunt ſe non poſſe, ita & vos. Concludo hanc materiam voto Pauli, quod eſt 2 Theſſ. 2. 16. 17.

Actor. 18. *v.* 25. 26.

CONC. CCVI.

V. QUinta bona qualitas Apolli eſt, quod fuit accuratus in dicendis & docendis iis, quæ ad Chriſtum pertinent. Erat judicioſus, doctus, eloquens, potens in Scripturis, fervens ſpiritu. Sed etiam erat accuratus in dicendis & docendis rebus Domini. Quid eſt, quæſo, in hac voce, quod non fuit in prioribus? *Reſpond.* His verbis deſcribitur prudentia, quæ ad bonum Concionato-

Digitized by Google

rem requiritur. Quantumvis ſis judicioſus, eruditus, eloquens, expertus in Scripturis, fervidus ſpiritu, & plenus zelo, tamen ſi imprudens ſis, non es bonus Concionator. Si zelus & prudentia in Concionatore non concurrunt, ſæpè plus diruit, quàm ædificat. Per ἀκρίβειαν in docendo non intelligitur ἀκρίβεια Logica, conſiſtens in eo, ut in docendo nihil obliviſcaris quod ad rem pertinet, & omnia quæ dicis, dicas methodicè, probes ſolidè, exornes graviter, loquaris patheticè, id enim ſuprà in voce λόγιος comprehenſum fuit. Sed intelligitur ἀκρίβεια Ethica, conſiſtens in eo, ut ſis in docendo prudens, doceaſque ſecundum intelligentiam & captum auditorum, ſecundum circumſtantias temporum & locorum, ne vel inutilis ſit labor, vel offendat potius auditores, quàm ædificet. Dicitur in regula Logica, quod recipiens non recipit ſecundum modum infundentis, ſed ſecundum modum recipientis. Concionator non debet loqui, quod, & quantum ipſe poteſt loqui, ſed quod & quantum auditores poſſunt capere. Sicut in lagenam anguſti colli potes urnas effundere, & guttam unam non infundere, ita Concionator poteſt multa dicere, & auditor pauca capere. Sicut accuratus medicus non tantùm debet intelligere vires ſingulorum medicamentorum, quibus morbis curandis proſint, ſed etiam debet nôſſe conſtitutionem ſingulorum membrorum corporis, differentiam aëris & temporis, ut poſſit præcavere ſymptomata, & in medicamentis adminiſtrandis ſe accommodare ad cujuſque infirmitatem & vires, ita ars ac prudentia accommodandi ſe neceſſitatibus ac viribus & ſtatibus auditorum præcipuum boni Concionatoris requiſitum eſt, ut ſubminiſtret doctrinam, quæ proſit contritis, ſecuris, infantibus, adultis, tenuibus, magnis, triſtibus, lætis, infirmis, petulantibus, ut omnibus omnia fiat ſicut Paulus 1 Cor. 9. 19. 20. 21. 22. Et quis idoneus ad hanc menſuram ita inveniendam, ut non taceat quæ dicenda ſunt, & non dicat, quæ tacenda, ut non plus offendat, quàm ædificet? Vel ex hoc ſolo requiſito patet, quod non ſit cujuſvis, eſſe Concionatorem verbi: Multa ſunt τὰ περὶ τοῦ Χριστοῦ. Multa ſunt, quæ de Christo dici poſſunt, quod Deus, quod homo, quod exinanitus, quod exaltatus, quod gratioſus, quod ſeverus, quod juſtus, quod miſericors. Sed ſelectum harum doctrinarum rectè inſtituere pro modo & captu auditorum, ac temporum & locorum, non exigua eſt prudentia, quam tamen hoc loco plenius deſcribere nec poſſibile eſt, nec utile. Rogandus Deus, ut hanc prudentiam largiatur iis, qui eâ indigent Jac. 1. 5. Poteſt etiam per hanc ἀκρίβειαν Apolli intelligi diligentia ipſius in docendo, qui labori non pepercit, ſed indefeſſus diu noctuque, tempeſtivè intempeſtivè doctoris muneri incubuit. Is enim rectè accuratus dicitur, qui in officio diligens eſt, & tempus non negligit.

VI. Sexta bona qualitas Apolli fuit παρρησία. Cœpit liberè loqui in Synagogâ. Niſi fervorem ac zelum paſtoris temperet prudentia, degenerat in ignem conſumentem. Niſi prudentiam Concio-

natoris

Digitized by Google

natoris obſepiat parrheſia, degenerat in teporem, qui zelum extinguit. Quid Parrheſia? Eſt fortitudo in dicendo, quæ Concionatorem animat, ut periculis & oppoſitionibus non cedat, tacens quæ dicenda ſunt neceſſariò. *Loquere & non tace* ſuprà v. 9. Concionator eſt miles Chriſti, qui pro Chriſto, ejuſque Eccleſiâ & Doctrinâ pugnat 2 Tim. 2. 3. Eſt advocatus veritatis, qui pro fide ſanctis tradita litigat & contendit contra multos adverſarios, Judæ 3. Eſt Pater, præfectus Chriſti familiæ, Pædagogus, præfectus Chriſti diſcipulis, ad eos reformandos, redarguendos, caſtigandos. Quas hîc putas eos non experiri oppoſitiones & moleſtias, partim ab irâ hoſtium, partim à protervia liberorum & diſcipulorum! Vide explicationem & querelas Jeremiæ, Jerem. 15. 10. & 20. 7. 8. 9. 10. Sunt miniſtri ſicut candela, quæ aliis lucendo conſumitur, ſunt ſicut ſerra & ſecuris, quæ lignum & lapides findit & ſcindit cum jacturâ proprii acuminis. Quod ſi deeſt parrheſia, fortitudo, & conſtantia, quâ ſeipſos contra hæc omnia induant & obfirment, quomodo fungentur officio? Sed ſi hanc habent, poſſunt aliquando labaſcere, ſed interim non cedunt. Vide Jerem. 20. 9. Hæc illa compreſſio Spiritûs, de quâ ſuprà v. 5. Duplex eſt parrheſia, ut diximus Act. 4. verſ. 13. & 29. præcipuè in Actor. 13. verſ. 46.

1. Erga Deum, cum per robuſtam fidem habemus magnam certitudinem ſalutis, & virtute illius triumphamus in cruce, ac alacres ſumus in precibus & gratiarum actione ad Deum. Eph. 3. 12.

2. Erga homines, cum, de reconciliatione cum Deo & ſalute noſtra certi, non reformidamus confiteri veritatem Euangelii propter pericula ab hominibus eo nomine expectanda. Et hæc iterum duplex:

α. Parrheſia Confeſſorum. Hæc omnibus Chriſtianis neceſſaria, ut ad abnegandum Chriſtum vi hominum coacti, Chriſtum non abnegent, ſed confiteantur liberè Matth. 10. 32. 33.

β. Parrheſia Concionatorum. Concionatores ſunt conſtituti ad dicendam veritatem, ad oſtendenda hominibus ſua vitia & vitiorum remedia. Hoc officio nunquam poſſunt fungi ſine oppoſitione, perſequutione, ſaltem ſine indignatione & illuſione auditorum. Hîc igitur parrheſiâ opus eſt, id eſt, conſtantia & fortitudine, ut confiteantur & non negent Joh. 1. 20. ut loquantur & non taceant Actor. 18. 9. Hæc parrheſia Concionatorum non eſt παῤῥησία, id eſt, impudens audacia dicendi quidvis. Impudens audacia procul abeſſe debet à bono Concionatore, & tamen debet eſſe παῤῥησιάζων. Et quis ad hoc idoneus, ut neque ad dextram neque ad ſiniſtram hîc deflectat? Vidimus itaque hactenus perfectiones & bona requiſita boni Concionatoris, ex quibus facile eſt intelligere, quod Concionatorem & idoneum miniſtrum N. T. eſſe, non ſit res adeò facilis ut plerumque habetur, Debet enim eſſe vir naturalis judicii acumine præditus, vir doctus & eruditus, vir eloquens & facundus, potens in Scripturis, non tantùm recitandis, ſed præcipuè uſurpandis & interpretandis, vir immotus & στηρικτὸς in via Domini,

Digitized by Google

id eſt, in doctrinâ catecheticâ & fundamento, vir particeps Spiritûs S. non tantùm ſpiritûs Prophetici, ſed ſpiritûs regenerationis, ut theſaurum verbi portet in vaſe puro, humili & ſancto, utque per eundem ſpiritum ferveat ſancto & inculpato zelo, debet præterea eſſe vir accuratus in docendo, id eſt, non tantum diligens & induſtrius, ſed præcipuè prudens & circumſpectus in applicando & diſpenſando verbo Dei ſecundum indigentiam & capacitatem auditorum, debet denique eſſe præditus dono parrheſiæ, ut ab impudenti audacia immunis nihilominus neceſſariam veritatem non taceat propter pericula & indignationem audientium. Quis, iterum dico, ad hæc idoneus? Quàm inique faciunt, qui tales miniſtros contemnunt? Quàm neceſſariæ preces Eccleſiæ ad Deum, ut tales laboratores in meſſem ſuam extrudat? Quàm parum intelligunt, qui quodvis munus facilius eſſe putant, quàm munus Concionatorum?

Quantumvis autem hic Apollos magnis fuit præditus dotibus & perfectionibus, tamen non fuit angelus, labe carens, ſed homo imperfectionibus obnoxius. Fuit enim imperfectus in doctrina, & proindè ſine dubio imperfectus in vitâ. Qui enim doctrinam ſalutis non intelligit perfectè, in vita perfectus eſſe non poteſt, quia doctrina eſt ſemen ſanctitatis in vitâ. Sicut itaque veritas ſecundum pietatem eſt, ita pietas ſecundum veritatem eſt proportionata. Imperfectio Apolli in eo poſita eſt, quod ſolùm novit baptiſmum Johannis. Videtur igitur hic Apollos, tempore Johannis Baptiſtæ, fuiſſe in Judæâ, Johannis diſcipulus, ab ipſo inſtitutus ac baptizatus, poſteà verò Alexandriam in patriam rediiſſe, & nec ab ipſo Chriſto, nec à quoquam Apoſtolorum vel Euangeliſtarum inſtitutus eſſe. Non caret hic locus ſuâ difficultate. Apollos erat catechizatus in via Domini, erat potens in Scripturis, & de eâ accuratè & libere loquebatur in Synagogâ Judæorum, & tamen non noverat niſi baptiſmum Johannis. Imò, ſi rectè rem conferamus, videbimus, quod ne Johannes quidem baptiſmum omni ex parte intellexerit. Per baptiſmum enim Johannis ſine dubio intelligitur illa doctrina de Chriſto, quam Johannes Baptiſta prædicabat, & diſcipulis ſuis per baptiſmum obſignabat. Doctrina autem Johannis, quam baptiſmo confirmavit, fuit duorum graduum:

1. Docuit & baptiſmo obſignavit, quod adventus Meſſiæ, patribus promiſſi & dudùm ſperati, ſit ad manum, & quod proinde tempus ſit, ut populus ad hunc adventum ſe præparet per pœnitentiam & fidem, ut remiſſionem peccatorum per ipſum accipiant. Ideò dicitur prædicâſſe baptiſmum pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum Marc. 1: 4. quia prædicavit & per baptiſmum obſignavit, tempus adeſſe, quo promiſſus Meſſias veniens remiſſionem peccatorum largiturus eſſet omnibus, qui per pœnitentiam ſinceram ſe à peccatis converterent. Judæi Meſſiam quidem ſperabant, ſed tempus inſtare non animadvertebant, nec remiſſionem peccatorum & Spiritum S. ab ipſo exſpectabant, ſed mundanum Regnum,

Regnum, abolitionem Romanorum, & reſtitutionem libertatis Judaicæ. Johannes itaque hunc errorem corrigens, eos præparavit ad veram receptionem adventantis Meſſiæ.

2. Digito monſtravit Meſſiam, & teſtatus eſt Jeſum Nazarenum eſſe illum Meſſiam, in quo remiſſio peccatorum eſſet quærenda Joh. 1. 29. 30. En hæc doctrina ſeu baptiſmus Johannis. Cum jam Apollos dicitur ſciviſſe & prædicâſſe baptiſma Johannis, mihi non ſit probabile, quod jam tum ſciverit, Jeſum Nazarenum, qui poſt Johannem necatum crucifixus, mortuus & ſepultus eſt, reſurrexit, & ad cœlos adſcendit, eſſe illum Meſſiam, de cujus adventu concionabatur. Id enim Corinthi quidem prædicavit, ſed poſtquam ab Aquilâ & Priſcillâ didiciſſet. Hoc illud de quo Epheſi accuratius edoctus fuit. Nam ſi antea hoc ſciviſſet, quid opus habuiſſet diſtinctius inſtitui. Quod autem ante hanc accuratiorem inſtitutionem ſcivit, & in Synagogâ Epheſinâ docuit, fuit prior illa pars doctrinæ Johannis, ſcil. quod adventus Meſſiæ ſit præ manu, & quod ſit tempus, ut Judæi ad illum adventum ſe præparent, quod finis Meſſiæ adventantis non ſit alius, quàm remiſſio peccatorum & reconciliatio cum Deo, quod medium hunc finem obtinendi ſit pœnitentia de peccatis, & fides in adventantem Meſſiam. Baptiſmata Moyſis, quæ plurima erant, ſignabant Chriſtum aliquando venturum. Baptiſma Apoſtolorum ſignabat Chriſtum veniſſe. Baptiſma Johannis ſignabat Chriſtum jamjam venturum, adventum ejus præ manu eſſe. Ignorabat igitur Apollos, quod Meſſias jam tum venerit, opus redemptionis perfecerit, idque per mortem & reſurrectionem. Forte tempore Johannis Jeſum vidit, & monſtrante Johanne hunc eſſe Meſſiam aliquo pacto credidit, ſed eodem Jeſu per mortem ſublato, cruce ejus offenſus, hanc partem fidei abjecit, eatenus tamen in doctrinâ præceptoris conſtans manſit, quod adventus Meſſiæ præ manu eſſet, & quod in Meſſia non eſſet quærenda corporalis libertas, ſed remiſſio peccatorum & reconciliatio cum Deo per veram pœnitentiam cordis cum fide, & hanc doctrinam accuratè docuit, accuratius tamen inſtituendus fuit in alterâ parte doctrinæ Euangelicæ, ſcil. quod Meſſias jam tum venerit, quod Jeſus Nazarenus crucifixus, mortuus & ſepultus, ſit ille Meſſias. Diſcimus hinc, quod nemo ſanctorum in terris tam accuratus & perfectus ſit, quin poſſit habere ſuas infirmitates, & indigere accuratiore inſtitutione in viâ Domini. Non loquor nunc de imperfectionibus in vitâ & obedientiâ. De eâ enim loquendi proprius hic locus non eſt, ſed de imperfectione in notitiâ religionis. Ignorantiam & imperfectionem in notitiâ religionis peccatum eſſe, patet ex 2 Theſſ. 1. 8. & ex reprehenſione, quæ eſt Hebr. 5. 12. Et tamen hæc res admodùm difficilis. Videmus enim homines propter quamvis ignorantiam in religione ſe invicem odiſſe ac damnare, & viciſſim alios ob ullos errores quenquam nolle damnare, ſed dicere, quod in omni religione ſalus ſit. Ut itaque rectum de hâc re formemus judicium, ſciendum eſt, quod duplex

Digitized by Google

duplex ſit ignorantia religionis:

1. Ignorãtia legis. Legem, & quæ lege Dei docentur, nemo debet ignorare, ſed omnes tenentur perfectè ſcire, & qui ignorant, per hanc ignorantiam merentur mortem. Scientia enim legis erat prima, & præcipua pars imaginis Dei, humanæ naturæ concreata, & proinde homines eâ non carent ſine ſua culpa, & maledictus eſt non tantùm omnis, qui non facit, ſed etiam qui non novit legem Dei, inſcriptam cordibus primorum parentum. Hæc illa inſipientia, & hi illi errores in religione, quam Apoſtolus omnibus Chriſtianis adſcribit, tanquam peccatum à quo per Chriſtum purgati & liberati ſunt Tit. 3. 3. Et hæc ignorantia eſt prima cauſa, propter quam pereunt, qui pereunt. Ex hac enim legis ignorãtia oritur omnis rebellio tum contra legem, tum contra Euangelium, qua homines condemnationem ſuam merentur & accelerant. Qui per Euangelium non vocati ſunt, non damnantur propter ignorantiam & inobedientiam Euangelii, ſed propter ignorantiam & inobedientiam legis, ut patet ex Rom. 2. 14. 15. 16. ubi Apoſtolus indicat, quod qui legem non habent, id eſt, qui per externam prædicationem verbi Dei vocati non ſunt, & ſic propter contemptum verbi vocantis damnari non poſſunt, damnabuntur tamen juſtè in die Chriſti propter ignorantiam & inobedientiam legis, natura cordibus inſcriptæ. Nemo hominum planè ignarus legis, quia per bonitatem Dei etiam poſt lapſum omnes gerunt aliquam legis notitiam in conſcientia. Damnantur autem juſtè, tum quod legem Dei ſua culpa non ſciant perfecte, tum quod iis, quæ ſciunt, non obediunt, ſed contra lucem propriæ conſcientiæ avide peccant.

2. Ignorantia Euangelii. Ignorantia legis damnabilis eſt, ſed damnabilior ignorantia Euangelii. Illa enim eſt ignorantia, quæ vitio ſolius corruptæ naturæ eſt in homine, ſed ignorantia Euangelii eſt peccatum actuale & voluntarium cujuſvis, qui Euangelium ignorat. Et tamen ſciendum, quod non omnis ignorantia Euangelii eſt damnabilis. Ignorantia legis in omnibus hominibus eſt damnabilis, quia lex humanæ naturæ in prima creatione fuit inſcripta, ſed ignorantia Euangelii in omnibus hominibus non eſt damnabilis. Nam

α. Qui ſunt extra Eccleſiam, nec prædicationem Euangelii habent, aut habere poſſunt, nec prædicationem Euangelii pertinaci contemptu à ſe expulerunt, illi non damnantur propter ignorantiam Euangelii, quia ſimpliciter impoſſibile eſt, tales Euangelium nôſſe Rom. 10. 14. Damnantur tales, & juſte damnantur, verùm non ideò, quia Euangelium ignorant, ſed ideò, quia legem ignorant, & tranſgrediuntur, quam jure creationis ſcire & ſervare tenentur, & ex parte ſciunt, ſed non obſervant.

β. In Eccleſia quoque eſt quædam ignorantia Euangelii, quæ non eſt damnabilis, nec imputatur pro peccato. Non dicam nunc de infantibus in Eccleſia natis, qui per ætatem prædicationem Euangelii capere nondum poſſunt,

(ſi

(ſi qui damnantur infantes, non damnantur per inobedientiam Euangelii, ſed quia ſunt ſub maledictione legis) ſed de adultis loquor & rationis uſu pollentibus, qui ſunt in Eccleſia & externæ vocationis per Euangelium participes. In his poteſt quoque eſſe aliqua ignorantia Euangelii, quæ non eſt damnabilis, nec rationem peccati habet. Eſt certè quædam ignorantia damnabilis in Eccleſiâ. Verùm hoc eſt, quod dico, imperfectionem in notitiâ Euangelii etiam in vocatis Eccleſiæ membris non ſemper eſſe peccaminoſam & damnabilem. Eſt aliquando hæc ignorantia vel imperfectio notitiæ

1. Nec peccaminoſa nec damnabilis.

2. Et peccaminoſa & damnabilis.

3. Peccaminoſa quidem, ſed non damnabilis.

Eſt, inquam, ignorantia Euangelii, aut potius quædam imperfectio in notitia Euangelii, quæ nec peccaminoſa, nec damnabilis eſt. Sic quod Patres V. T. non ſciverunt omnes illos articulos fidei, quos nos ſcimus, id ſine peccato fuit, quia non niſi exiguam revelationem Euangelii habuerunt, nec fuerunt partes Euangelii præcipuæ adhuc impletæ, ideoque non fuerunt obligati ad totum Euangelium ſciendum. Sic quod Eccleſia in terris militans non habet tantam notitiam myſteriorum Dei, ac habet Eccleſia in cœlis triumphans, non eſt peccatum, quia non habet tam perfectam illuminationem. Sic quod juvenes, mulieres & idiotæ, ad manuarium laborem vocati, tantam non habent religionis notitiam, ac doctores & paſtores ad alios illuminandos vocati, & ad hoc ſingularibus dotibus ac diſcendi occaſionibus divinitùs inſtructi, id nec peccatum, nec damnabile eſt. Sic quod Patres noſtri & majores ſub tenebris Papatûs, clericorum vitio inductis, tam claram Euangelii notitiam non habuerunt, ac hodiè inter nos eſt, non fuit peccatum, quia notitia Chriſtianorum non poteſt habere majorem menſuram, quàm habet vocatio & prædicatio verbi illuminantis. Hæc igitur eſt ignorantia innocens.

Eſt etiam quædam ignorantia & imperfectio in notitia Euangelii, quæ & peccaminoſa eſt, & damnabilis. Si enim ſola ignorantia legis, quæ ſine vocatione eſt, eſt damnabilis, quid non erit ignorantia Euangelii contra tam claram illuminationem in media Eccleſiâ? Huc igitur pertinent

1. Qui per Euangelium vocati Euangelium totaliter ignorant. Totalis ignorantia Euangelii in vocatis non poteſt eſſe indemnis, quoſcunque prætextus adferant. Sive occupationes, ſive juventutem, ſive tenuitatem intellectûs & memoriæ, ſive quicquid prætexas, qui per Euangelium vocatus es, & tamen totum Euangelium ignoras, hæc ignorantia te damnabit, tum quia ſine aliquâ notitiâ Euangelii nulla ſalus, tum quia hæc ignorantia non oritur ex ſimplici impotentiâ, ſed ex voluntariâ negligentiâ. Volentes ignorant 2 Petr. 3. 5. ſicut accenſa candela non poteſt latere eum qui habet oculos ad videndum, ita Euangelium prædicatum non poteſt latere eum, qui habet intellectum naturalem, & rationis compos eſt. Etſi enim

enim intellectu naturali, ſine illuminatione Spiritus S. ſalutariter comprehendi Euangelium non poteſt, tamen rationalis ſcientia Euangelii, quæ eſt ſemen regenerationis; deeſſe non poteſt iis, qui ſana cum ratione prædicatum Euangelium audiunt. Hodiè neſcire, quid, & quod ſit Chriſtus, quis & quod ſit Spiritus S, reverà damnabile eſt. Talis ignorantia in medio Papatu fuiſſet damnabilis, quia adhuc reſtabat aliqua inſtitutio, ex quâ ſciri fundamenta Euangelii poterant.

β. Qui non tantùm aliquo modo vocati ſunt, ſed media diſcendi habent in abundantia, & tamen tenues ſunt in notitiâ. Quos Deus abundanter inſtituit, ab iis abundantem exſpectat notitiam & obedientiam. Vide Hebr. 6. 7. 8. Sunt certè apud nos abundantia diſcendi media, & tamen tenuis apud multos ſcientia, & quidem ſæpè apud eos quoque, quibus abundans otium eſt his mediis utendi. Quàm difficile nobis erit rationem reddere Deo de raritate notitiæ, quæ apud nos eſt in tam clarâ luce Euangelii.

γ. Qui juxta ſcientiam veritatis, quam habent, retinent & mordicus fovent errores directè contrarios. Papiſtæ quidem ſolebant eſſe contenti fide implicitâ, credentes, quod credit Eccleſia, & totum quod credunt ignorantes, ſcientiaque Sacerdotum ſe ſalvatos putantes. Attamen hodiè cum converſantur inter noſtros, & cum pudore obſervant notitiam quæ eſt inter noſtros, non volunt ampliùs videri adeò cæci eſſe; ſed ajunt, ſe quoque ſcire, quod Chriſtus ſit filius Dei & verus homo, quod paſſus pro noſtris peccatis, ſe quoque credere in Chriſtum, ſe quoque à Sacerdotibus ſuis inſtitui & catechizari. Verùm quantò major eſt horum hominum notitia, tantò damnabilior eſt eorum ignorantia, quam habent juxta notitiam. Si enim nôrunt & credunt Chriſtum eſſe unicum & perfectum Salvatorem mundi, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, & cœlum nobis meritus eſt, cur alios quærunt mediatores, vel cur propriis ſatisfactionibus & meritis cupiunt ſalvari, cur non repudiant Miſſæ Sacrificium, Paparum indulgentias, purgatorii pœnas? cur laudant dubitationes contra fidem pugnantes? Quid hoc aliud eſt, quàm eodem ore Chriſtum confiteri & Chriſtum abnegare? An tantùm rationis non habent, ut poſſint concludere, quod Catholica fides & Romana Religio ſint directè contraria, ut qui huic adhæret, illam abneget? Damnabilis eſt ignorantia, cum catholicam fidem ſcientes, inſtitutiones hominum, fidei directè contrarias, non rejicimus & execramur, ut patet ex epiſtolis Pauli, in quibus Romanis, Galatis, Philippenſibus & aliis Chriſtum confitentibus, & nihilominus propria merita crepantibus, ſalutem negat.

Eſt denique aliqua ignorantia peccaminoſa quidem, ſed non damnabilis. Si quis enim ſincero corde ſedulò in veritatem inquirit, & tamen, quantum optat, non proficit, vel etiam aliquos errores retinet, fundamentum ſalutis non evertentes, is quidem ſine culpâ & pœnæ merito non eſt, ſed tamen hanc culpam, quantumvis non agnitam,

Deus

Digitized by Google

Deus non imputabit, ſi cæteroquin cor eſt rectum coram Deo. Diſtinctè dico, quod duplex ignorantia peccaminoſa quidem eſt, ſed tamen non damnatur: 1. Cum ſeduli Chriſti diſcipuli non proficiunt quantum volunt. Sunt enim, qui diligenter diſcunt, & tamen magna cum triſtitia cordis ſentiunt, ſe non ita clarè comprehendere myſteria Dei, nec tam promptè retinere verbum Dei atque volunt. Hæc ignorantia eſt infirmitas contra voluntatem, quæ agnoſcitur ac deploratur & proinde non imputatur 1 Joh. 1. 9. 2. Cum diſcipuli Chriſti non proficiunt, quantum ſe profeciſſe putant. Sunt multi diſcipuli Chriſti, imò totæ Eccleſiæ, quæ fundamentum fidei retinent ſalvum, doctrinamque de peccato originali, de juſtificatione & de regeneratione non admodùm vitiant, & tamen habent aliqua dogmata, quæ Apoſtolus 1 Cor. 3. appellat fœnum & ſtipulas, errores non contra fundamentum, ſed præter fundamentum. Horum certè error ac ignorantia peccatum eſt, & quidem peccatum, quod ipſi non agnoſcunt nec deplorant. Et tamen judicio charitatis tenemur de talibus benè ſperare, nec eos damnare, ſi alioquin vivant ſecundum veritatem fundamentalem. Rom. 14. 1. &c. Hoc etiam patet ex diſcipulis Chriſti, quos Chriſtus patienter tulit, etiamſi multa ignorantes & multipliciter errantes in iis, quæ Chriſtus ſatis clarè revelaverat. Hæc tamen ignorantia non eſt laudanda. Tenuis ubi eſt ſcientia, ibi tenuis plerumque zelus, tenuis quoque conſolatio. Sicut ignis parum lucens, parum calefacit, ita exigua ſcientia non niſi tenuem parit ſanctimoniam & conſolationem. Scientia Euangelii eſt ſemen regenerationis. Cum ſcimus, tamen abſumus à ſalute, niſi per ſcientiam regeneremur. Quantò plus igitur abſumus, dum etiam ſcientia caremus, per quam regenerari poſſumus?

Actor. 18. *v.* 26. 27. 28.

Conc. CCVII.

Scriptura eſt liber, ex quo & Doctores, & auditores in Eccleſia diſcere debent. Doctores Eccleſiæ non ſunt αὐτοδίδακτοι, ex ſeipſis ſcientes, quid docere debeant. Neque ſunt θεοδίδακτοι eo ſenſu, ſicut Apoſtoli, ſed debent eſſe diſcipuli Scripturæ, antequam poſſint eſſe doctores Eccleſiæ. Multæ ſunt in Scriptura lectiones pro doctoribus Eccleſiæ, ſed inter alias eminet hiſtoria Apolli, quæ omnibus miniſtris proponitur in ſpeculum, ex quo proficiant. Hanc hiſtoriam diviſimus in tres partes, ſcil. 1. Deſcriptionem Perſonæ. 2. Quid factum ipſi in urbe Epheſo. 3. Quid ipſe fecerit in Achaia. Hactenus deſcriptio Apolli, indicans, qualis fuerit, antequam Epheſum veniret. Sequitur 1. quid Epheſi ipſi factum. 2. quid in Achaia ipſe fecerit. In primo deſcribitur ejus vocatio à Judaiſmo ad Chriſtianiſmum, & ad miniſterium Eccleſiæ. In ſecundo ſucceſſus miniſterii. Epheſum cum veniſſet & in Judæorum Synagoga doceret, duo ipſi contigêre: 1. Ab Aquila & Priſcilla aſſumptus, & in via Do-

Digitized by Google

mini accuratiùs inſtitutus eſt. 2. ab Eccleſia Chriſtiana, quæ Epheſi erat, admonitus, & Eccleſiis in Achaiâ commendatus eſt.

I. Aquilas & Priſcilla illum audiverunt. Aquilas ante paucos annos fuerat Judæus Chriſtianiſmi ignarus, & quidem idiota, opifex, tabernaculorum ſutor, & tamen ex converſatione cum Paulo adeò profecerat in notitia Theologiæ, ut jam factus eſſet doctor aliorum, & doctiſſimum ac literatiſſimum Apollum, ex Academia Alexandrina recens venientem, pro diſcipulo haberet. Qui Spiritum S. pro magiſtro habet, facilè fieri poteſt eruditus. Sed cur Aquila in Synagogam Judæorum auditum ivit, cum ipſe eſſet Chriſtianus? *Reſpond.* Ivit auditum, ivit etiam concionatum. Synagogæ tum temporis plenæ erant ſchiſmatum & diſſenſionum, nec doctores habebant ejuſdem doctrinæ. Alii Chriſtum & ejus conſummatum ſacrificium apertè prædicabant, & abrogationem ceremoniarum urgebant. Alii baptiſmum Johannis prædicabant, avocantes populum à fiducia in ceremonias, & corda ejus dirigentes per pœnitentiam in Meſſiam jam jam adfuturum. Alii denique mordicùs defendebant Judaiſmum corruptum, ſcil. juſtificationem per opera & ceremonias legis, nec non per traditiones antiquorum, alium non expectantes Meſſiam, quàm qui terrenam adferret pacem ac libertatem. Apollos erat ex mediis, & cum utilitate poterat audiri.

II. Auditum aſſumunt, ſcil. in domum ſuam, hoſpitio excipiunt, ac charitatis officia ipſi exhibent, & exponunt ei viam Dominum accuratiùs.

1. Quod Aquila illum docuerit, non eſt mirum, ſed cur Priſcillæ id tribuitur, an fœminæ etiam admittendæ ad docendum, annon hoc eſt contra 1 Cor. 14. 34. & 1 Tim. 2. 12? *Reſpond.* 1. Sub initium Euangelii Deus aliquando etiam ſpiritum Prophetiæ dedit quibuſdam mulieribus, ut poſſent prophetare, id eſt, non tantum ut poſſent futura prædicere, ſed ut poſſent Scripturam cum ædificatione exponere. Vide Actor. 21. 9. Talis ſine dubio etiam Priſcilla fuit. Sed hæc ſunt exempla extraordinaria, quæ in imitationem trahi non poſſunt. 2. In privata converſatione de articulis Chriſtianæ fidei cum aliquo conferre, & errantem reducere, non eſt contra officium fœminarum. Publicè in templis docere, Eccleſiam regere, & cæteris miniſterii partibus defungi prohibitum fœminis eſt, ſed in privata converſatione de rebus fidei colloqui, & errantes reducere, omnium eſt privatorum, præſertim, ſi ſint exercitatiores. Sic Abigaïl Davidem correxit 1 Sam. 25. Vide Prov. 31. 26. Tit. 2. 3. 4.

2. Per viam Domini intelligitur religio, ſeu modus colendi Deum. Viæ Domini duplices ſunt:

α. Viæ per quas ipſe venit ad nos. Vide Iſa. 55. 8. 9. Hæ viæ ſunt Dei æterna decreta. Providentia in tempore, ſecundum hæc decreta in exſequutionem venit ſuper omnes res, & præcipuè ſuper creaturas rationales, maximè verò ſuper Eccleſiam. Modus, quem

Digitized by Google

quem Deus ſequitur in gubernando mundo & Eccleſiâ, eſt via Domini, ab æterno decreta. Deus non accipit legem & formam regendi aliunde, ſed ipſe ſibi ab æterno conſtituit. Sequitur quidem regulam juſtitiæ, ut nihil decernat, nec faciat, niſi quod juſtum eſt, ſed legem, & formam juſtitiæ non accipit aliunde, ſed ipſe eſt ipſa juſtitia, & libero ſuo beneplacito ab æterno decrevit modum illum & viam juſtam, ſecundum quam vult regere homines.

β. Viæ Domini, per quas nos venimus ad Deum. Deus non vult homines regere & ſalvare ſine hominibus, ita ut ipſi nihil agant, ſed vult, ut homines per certorum officiorum obſervationem, tanquam per viam, ambulent ad Deum & ſalutem. Et hanc viam non ipſi debent eligere, nec propriis viis incedere, ſed Deus ipſis oſtendit & præſcripſit viam, in qua debent ambulare. Hæc via mandatorum Pſal. 119. 32. quibus modus colendi & inveniendi Deum præcipitur. Hæc quoque via Domini, quia à Domino præſcribitur, & ad Dominum ducit. Utraſque vias Dei Aquilas expoſuit Apollò, ſcil. quid Deus fecerit ad liberandam & ſalvandam Eccleſiam, & quid idem velit fieri ab hominibus ad ſalutem conſequendam.

3. Accuratiùs expoſuerunt. Apollos propriè nondum erat Chriſtianus, ſed Judæus. Non tamen erat Judæus in religione adeò corruptus, ut tum temporis erant plerique, ſed erat Judæus à Johanne Baptiſta meliuſculè edoctus, ut non ſicut Phariſæi, hæreret in cortice ceremoniarum, & in operibus legis juſtitiam quæreret, ſed ut more veterum & genuinorum Iſraëlitarum per veram pœnitentiam cordis in venturo Meſſiâ remiſſionem peccatorum quæreret. Pervenerat etiam per inſtitutionem ejuſdem eouſque, ut ſciret tempora Meſſiæ inſtare, & adventum ejus quotidiè eſſe expectandum. Quod igitur nullus Iſraëlitarum in V. T. ſcire potuit, id Apollos ſcivit. Sed hoc non amplius ſufficiebat. Sufficiebat in V. T. cum amplior & largior revelatio non obligabat ad majorem notitiam religionis. Sed poſtquam oriens ab alto nos viſitavit & phoſphorus illuxit, & Sol Euangelii exortus eſt, obligamur ad accuratiorem notitiam religionis. Heb. 2. 1. 2. 3. q. d. ſi doctrina per angelos revelata Iſraëlitas obligavit ad ſcientiam, multò magis obligat, quæ per filium revelata eſt. Quid igitur illud erat, quod Apollos de religione ignoravit, & quod Aquilas ipſi expoſuit? *Reſpond.*

1. Articulum de Trinitate explicitè confiteri docuit. In baptiſmo enim Johannis non fuit expreſſa & explicita mentio Patris, Filii & Spiritus S. ſicut in baptiſmo Apoſtolorum. Inculcavit itaque ipſi, quod diſtinctè credendum & baptizandum ſit in nomen Patris, Filii & Spiritûs S. ſicut Chriſtus mandaverat. Non fuit hic Articulus in V. T. planè incognitus, ſed ex ſcriptis V. T. probari poteſt, ſicut in catecheticis concionibus auditis. Attamen non fuit toti populo tam diſtinctè notus, atque nunc eſſe debet, poſtquam ſingulæ perſonæ Trinitatis ſuas proprietates per proprium ſuum opus mundo mani-

Digitized by Google

manifeſtârunt. Perſonales Proprietates, quæ in unitate eſſentiæ divinæ Trinitatem faciunt, per os Prophetarum aliquando obſcurè & per modum ὑπαινίζεως ſubindicabantur Geneſ. 1. Eſai. 63. Pſal. 33. ſed tamen notitia earum in Eccleſia nondum erat adeò communis ac vulgaris atque nunc eſt, quia per opera ſua mundo nondum apparuerant. Poſtquàm autem apparuit abundanter charitas Patris in datione Filii, gratia Filii in redemptione, communio Spiritûs S. in ſanctificatione, neceſſe eſt, ut mundus diſtinctè in tres has perſonas credat. Hoc igitur Apollum Aquila docuit.

2. Docuit ipſum adventum ac nativitatem Meſſiæ, nec non Myſterium unionis perſonalis. Sciebat quidem Meſſiam venturum, ſed jam neceſſe erat ſcire, quod Meſſias veniſſet, quod Jeſus Nazarenus eſſet ille Meſſias, quod ex ſemine Davidis natus eſſet verus homo, & tamen plus quàm homo, ſcil. Deus manifeſtatus in carne per unionem hypoſtaticam. Fuit hoc quoque Myſterium in V. T. diverſis figuris & vaticiniis ſubindicatum, ut Chriſtus docet Matth. 22. 42. &c. Sed tamen paucis ſolidè cognitum.

3. Docuit Apollum effuſionem Spiritus S. & ex illâ exaltationem Chriſti in cœlis. Legimus Actor. 19. quod erant quidam, qui diſcipuli, id eſt, Chriſtiani erant, & tamen non audiverant, quod Spiritus S. eſſet. Doctrina certè de officio & effuſione Spiritûs S. ad regeneranda, ſanctificanda & conſolanda corda electorum præ cæteris fuit nota Joël. 2. Pſal. 51. Jer. 31. ſed tamen neceſſitas omnipotentis operationis Spiritus S. accuratiùs fuit comparanda cum agnatâ hominis corruptione, & ſic Chriſtianis inculcanda, ut diſcerent non tantùm juſtitiam, ſed etiam ſanctitatem extra ſe quærere in fœdere gratiæ, & Deo ſuas laudes pro illa tribuere, ac proprii arbitrii vires abnegare. Præcipuè illa notabilis & ſolemnis effuſio Spiritûs S. in die Pentecoſtes non debuit eſſe incognita Chriſtiano doctori.

4. Docuit apertiùs Myſterium juſtificationis & redemptionis. Sancti V. T. & diſcipuli Johannis habebant baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, id eſt, ſciebant Meſſiam non eſſe futurum Regem terrenum, qui terrenam daret pacem & libertatem, & more terreno temporalibus donis & officiis coli deberet, ſed eſſe Salvatorem ſpiritualem, in quo remiſſio peccatorum quærenda per ſpiritualem pœnitentiam cordis. Sciebant etiam ex Iſai. 53. & aliundè, quod per paſſionem & ſacrificium expiationis, opus redemptionis eſſet perfecturus Meſſias. Interim multa erant in hoc myſterio diſtinctiùs ſcienda, quid paſſus ſit corpore & anima, quo fine & fructu, à quo &c. & præcipuè natura fidei diſtinctiùs inculcanda, per quam redemptio applicatur ac recipitur.

5. Senſum Decalogi, in cujus obedientia ambulandum erat, ipſi expoſuit. Scimus ex Matth. 5. & 6. quantoperè Phariſæi Decalogum corruperant, internam obedientiam negligendo, traditiones miſcendo, per gloſſas ſenſum pervertendo. Hanc igitur viam præ-

Digitized by Google

præceptorum Dei Aquilas Apollo accuratius expoſuit ſecundum exemplum Chriſti Matth. 5.

6. Docuit vocationem gentium, & abrogationem ceremoniarum, nec non ſubſtitutionem & uſum novorum Sacramentorum, à Chriſto inſtitutorum, item vocationem & officium paſtorum, & regimen Eccleſiæ à Chriſto probatum. Erant, qui Chriſtum profitebantur, ſed adhuc hærebant in ceremoniis, & partim per legem partim per Chriſtum volebant juſtificari, cum gentilibus converſis communionem habere recuſabant, nec Euangelium illis prædicare volebant. Ab hoc quoque errore purgandus vel præſervandus erat Apollos, ſecundum decreta Synodi Hieroſolymitanæ Actor. 15.

7. Denique articulum de extremo judicio diſtinctiùs declaravit. Etſi enim hic quoque in V. T. non fuit incognitus, Pſal. 50. & alibi, tamen reditus ejuſdem Chriſti ad judicium, qui mortuus erat, reſurrexerat, in cœlum aſcenderat præcipuè inculcandus fuit Chriſtiano doctori.

Hæc ſunt, quæ Aquila Apollum docuit, unde non ſolùm habemus exemplum charitatis in Aquilâ, ſed & exemplum docilitatis in Apollo, qui tantis donis præditus, tam diu in ſtudiis verſatus & bonis literis, nihilominus adeò docilem ſe præbuit idiotæ opifici, & uxori ejus. Libenter corrigi ab aliis præcipua laus tum diſcipulorum, tum doctorum in Eccleſiâ. Pſal. 141. v. 5. Qui cupiunt eſſe pulchri, non libenter carent ſpeculo, per quod de maculis poſſunt commonefieri. Sic quibus cordi eſt in pietate proficere, libenter audiunt ſuos defectus.

III. Apollos in via Domini melius inſtructus ilicò vult proficiſci in Achaiam, & hoc videntes fratres ipſum adhortantur, & fratribus in Achaia commendant. His verbis deſcribitur quaſi vocatio Apolli ad miniſterium in Eccleſiâ Chriſtiana. Hactenus non docuit niſi in ſynagogâ Judæorum. Nunc deſcribitur, quomodo ad Eccleſiam Chriſti docendam vocatus ſit. Non tantùm enim dona, ſed & vocatio requiritur ad miniſterium N. T. conſtituendum Heb. 5. 1. ſine donis nulla vocatio, & ſine vocatione non proſunt dona. Vocatio autem miniſtrorum duplex eſt:

1. Interna, cum per Deum & ejus ſpiritum incitantur ad voluntatem laborandi in vineâ Domini, & quaſi extruduntur in meſſem Domini Joh. 4. Hoc Apollo contigit. Accepit varia dona, & in iis roboratus eſt per Aquilam, ſed & voluntatem nactus eſt eundi ubi erat laboratorum inopia, & dives meſſis. Pauli miniſterium in Achaiâ multos concitaverat, ut Euangelium reciperent, vel Euangelio ſe opponerent. Verùm Paulo digreſſo pauci erant laboratores, qui confirmarent fideles, & obſiſterent hoſtibus. Huc igitur migrandi nactus eſt voluntatem Apollos per internam vocationem.

2. Externa, quæ fit per adhortationem & commendationem vel approbationem Eccleſiæ. Hæc χειροτονία miniſtrorum N. T. ſine qua non decet quenquam involare in officium miniſterii Actor. 13. 3. Hæc quoque vocatio conti-

Digitized by Google

contigit Apollo per Eccleſiam Epheſinam. Ab hac enim non tantùm inſtitutionem ; ſed etiam exhortationem, & teſtimonium vitæ ac donorum accepit. Non eſt Papæ & Epiſcopis alligata hæc vocatio, ſed fit per fratres, id eſt, Eccleſiam.

IV. Denique ſucceſſus Apolli deſcribitur, quid ſcil. in Achaiâ effecerit. Hic duplex fuit:

1. Eccleſiæ profuit. Multum juvit eos, qui per gratiam crediderant, ſcil. eos in fide confirmando. Non dicit textus πολλοὺς συνεβάλετο, quaſi ad Eccleſiam conſtitutam multos alios adduxerit, quod ſine dubio verum, ſed πολὺ ἐβάλετο, multum profuit credentibus. Miniſtri non habent aurum & argentum, ideoque vulgò contemnuntur, ut inutiles, & ex quibus nullum emolumentum. Sed aliud indicat textus. Non eſt utilior mercatura, quàm veritatis. Sumus ſervi Eccleſiæ valde utiles, & poſſumus vos divites facere in fide. Gratia Dei eſt objectum fidei, quod creditur, & eſt cauſa fidei quâ creditur. In eo enim conſiſtit fides, quod credo ac confido, Deum mihi propter merita Chriſti gratioſum ac propitium patrem eſſe. Et tamen credere hoc non poſſum, niſi Deus paterna illa gratia, quam credo, commotus mihi largiatur Spiritum ſuum S. qui non tantum det vires ut credere poſſim, ſed & faciat, ut actu credam. Per gratiam crediderunt. Eph. 2. 8.

2. Judæis obfuit. Hos enim publicè in facie Eccleſiæ & omnium adſtantium confudit efficaciter, & penitus eos convincendo per Scripturas, quod Jeſus Nazarenus eſſet ille Chriſtus ac Meſſias, Patribus eorum promiſſus. Tam efficaciter & tam penitus Judæi fuerunt de veritate Euangelii convicti (**deur en deur overtuyght**) & tamen non fuerunt converſi. Hæc verè obſtinata & malitioſa inobedientia contra Euangelium, quam utinam multi inter noſtros auditores non imitarentur. O quàm multi ſunt hodieque, qui à Concionatoribus, per Scripturas, hoc vel illud grave eſſe peccatum, penitùs convicti ſunt, & tamen nolunt ſe ab illo convertere. Sunt in hoc verſu tres inſignes doctrinæ, quæ cum fructu latè poſſent deduci, antequam clauderetur Commentarius in hoc caput, ſcil. 1. quod Miniſtrorum officium eſt, non tantùm docere Eccleſiam, ſed etiam convincere & oppugnare hoſtes veritatis. Debent eſſe ſicut illi, de quibus Nehem. 4. 17. 2. quod Miniſtri non pugnant, neque docent, niſi ex Scripturis & per Scripturas. 3. quod præcipua doctrina Euangelii eſt, Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam Patribus promiſſum. Sed quia hæc partim Catechetica ſunt; partim alibi tractata, non inſiſtemus largiori deductioni. En breviter percurrimus hiſtoriam Apolli. Ingenuè fateor me non ſatis poſſe mirari, cur Spiritui S. placuerit hunc virum tantis cumulare laudibus. Ingentem vim verborum conquiſivit Lucas ad hunc virum commendandum. Nimirum hoc voluit Spiritus S. ut in ejus exemplo exemplar exiſteret & idea perfecti & exquiſiti Concionatoris, ad cujus imitationem contenderent omnes, qui Chriſto fideliter in Eccleſia ſervire volunt.

Digitized by Google

ſunt, & ut Eccleſiæ ſcirent, quantum bonum habeant cum tale habent miniſterium. Non eſt meum dedecorare noſtrum ordinem, ſed nec vitiis noſtris parcere meum eſt. Non loquor nunc, quod multi ad Euangelium docendum vocati, fabulas docent, & traditiones hominum, nec quod multis conciones non creſcunt ex corde proprio, per ſpiritum illuminato, ſed quod ſpecioſè concionando ore mentiuntur angelum lucis & vitâ Satanam ſe oſtendunt, in ſuggeſtu ſtant ut deaurati aſini, aliorum pietate & eruditione ſe ornantes. De ſinceris Chriſti ſervis loquor, qui myſteria fidei ſervant in pura conſcientia; & pro veritate ſanctis tradita acriter contendunt. Hi quoque ſuos habent nævos, tum in modo docendi, tum in modo vivendi. Hoc igitur ſpeculum exquiſiti Concionatoris ipſis exhibuit Spiritus, ut diſcant non ſuperbire, ſed videntes in hoc ſpeculo, quantum ſibi deſit, ſecundum illud ſpeculum quotidiè ſe magis emendare ſtudeant, & ut Eccleſia ſuos Miniſtros propter hanc infirmitatem non tam judicet ac contemnat, ſed potius pro iis orare diſcat, ut Deus eos in iſtis ſummis & excelſis donis magis magiſque promoveat.

Actor. 19. *v.* 1. *ad* 8.

Conc. CCVIII.

AGgreſſi ſumus tertium iter Pauli c. 18. v. 23. Et vidimus, quomodo Paulus Antiochia egreſſus Galatiam & Phrygiam peragraverit, ut ſecundum promiſſionem ſuam, cap. 18. v. 21. factam, Epheſum rediret. Verùm deſcriptio hujus itineris interrupta fuit per quandam digreſſiunculam, quâ interſeritur hiſtoria Apolli c. 18. 24. ad finem. Finitâ hâc digreſſione redit Lucas ad Paulum, deſcribens, quomodo peragratis ſuperioribus partibus Aſiæ Epheſum tandem devenerit, vel redierit potius, ibique ultra biennium commoratus inde ſecunda vice in Macedoniam & Græciam perrexerit, &, negotiis ibi expeditis, tandem Judæam verſus regreſſus ſit. Hoc capite deſcribitur quid geſtum eo biennio, quo Paulus Epheſi commoratus eſt. Hæc hiſtoria habet tres partes: 1. Quomodo ibi docuerit. 2. Quem ſucceſſum doctrina ejus ibi habuerit. 3. Quid ibi paſſus ſit. Quæ & qualis civitas Epheſus fuerit prolixè non exponam. Erat metropolis Joniæ, clara conditoribus Amazonibus, gravi diluvio quod paſſa eſt, templo Dianæ ejuſque incendio, viris doctis, & artificibus inde ortis, arte magicâ ibi uſitatâ, epiſtolâ Pauli ad eam ſcriptâ, nec non diuturna Johannis Euangeliſtæ in hâc urbe reſidentiâ, epiſtolaque ad eam ſcripta Apoc. 2. 1. Docuit triplici modo. 1. Docuit aliquos diſcipulos, qui baptizati quidem erant, & crediderant, ſed Spiritum S. nondum acceperant. 2. Docuit Judæos in Synagogâ per tres menſes. 3. Docuit Ethnicos extra Synagogam, in ſchola cujuſdam tyranni. Hâc vice de Primo.

I. Inveniebat quoſdam diſcipulos, numero duodecim, ſicut erant 12. diſcipuli Chriſti, ut eſt v. 7. Non fecit eos diſcipulos, ſed factos invenit. Non erant

Digitized by Google

accurate ſcire, etſi mihi probabile ſit, quod illis ipſis verbis fuerit uſus, quæ ſunt Matth. 3.11.

2. Quod attinet ad ſingularem modum baptizandi Chriſtum, certum quidem eſt, quod confeſſionem peccati & fidem in Meſſiam ab ipſo non exegerit, ſed qua formula in eo baptizando uſus ſit, non eſt quod curioſè inquiramus. Chriſtus non eſt baptizatus, ut certificaretur quod converſionem & remiſſionem peccatorum accepturus eſſet, ſed quod converſionem & remiſſionem peccatorum Iſraëli daturus eſſet Actor. 5.31. Ad hunc finem baptiſmi Chriſti exprimendum Iohanni non fuit difficile invenire verba.

V. Denique dicitur quod Paulus his diſcipulis manus impoſuerit, & quod Spiritus S. ſuper ipſos venerit, in tantum ut linguis loquerentur & prophetarent. Etſi Paulus ignorantiam horum diſcipulorum circa Spiritum S. aliquo pacto excuſatam habuit, tamen eos in illa ignorantia non reliquit. Sine dubio ad eos dixit: Etſi Iohannes non uſus eſt illa diſtincta expreſſione trium perſonarum in Deitate, ſed præcipuè in nomen Meſſiæ baptizavit, tamen Myſterium Trinitatis, & præcipuè doctrinam de Spiritu S. non tacuit Matth. 3.11.16.17. Ioh. 1.32. Hoc non debebatis eſſe obliti. Et poſtquam eos de Spiritu S. inſtituiſſet, participes quoque Spiritûs S. eoſdem reddidit, præſertim Spiritûs Prophetiæ, ut eſſent idonei doctores aliorum, idque fecit per impoſitionem manuum. En hic ordo & ſenſus verborum! Iam aliquæ quæſtiones ſuper hoc textu ventilandæ ſunt:

1. An baptiſmus Iohannis fuerit idem cum baptiſmo Apoſtolorum? id eſt, an fuerit ejuſdem efficaciæ, an verò fuerit vacuum ſignum, gratiam non exhibens ſicut Sacramenta N.T.? Pontificii, qui Sacramenta V. T. habent pro nudis ſignis & inefficacibus umbris, Sacramenta autem N. T. ſuperſtitioſè extollunt, & gratiam juſtificationis ac regenerationis ipſis incluſam putant, & per ea ex opere operato conferri, baptiſmum Iohannis non habent pro Sacramento N. T. nec ejuſdem efficaciæ cum illis, ſed pro vacuo ſigno, & umbra inefficaci. Nos aſſerimus contrarium, & judicamus omnium Sacramentorum eſſe eandem naturam ac efficaciam, & ſpecialiter baptiſmum Iohannis eſſe eundem cum baptiſmo Chriſti. Probamus. 1. Quia objectum baptiſmi Iohannis, quod per illum obſignatum eſt, eſt idem atque baptiſmi Apoſtolorum ſcil. converſio & Chriſtus. 2. Quia utrobique eſt eadem formula, quæ in baptiſmo Apoſtolorum. Etſi enim non habuit expreſſam mentionem Trinitatis, tamen habuit eam formulam, qua Apoſtoli uſi quoque Actor. 2.38. Utrumque probatur ex hoc noſtro textu. *Object.* 1. At baptizavit in Chriſtum venturum. *Reſpond.* 1. Hoc non facit ſubſtantiale diſcrimen, ſed tantùm accidentale & circumſtantiale, nec minuit efficaciam baptiſmi aut Sacramentorum V. T. 2. Imo baptizavit in Chriſtum præſentem & digito monſtratum. Quod autem dicit ſe baptizare in nomen poſt ſe venientis, ejus ſenſus eſt, quod Chriſtus ſublato miniſterio Iohannis demùm

Digitized by Google

mum ſit manifeſtandus ; & miniſterium ſuum ac munus mediatorium inchoaturus & conſummaturus. *Object.* 2. Baptizavit ſola aqua Matth. 3. 11. Actor. 1. 5. *Reſpond.* Id etiam fecerunt Apoſtoli, & faciunt omnes miniſtri N. T. Etſi autem illi ſola aqua baptizant, ideò tamen baptiſmus eorum non eſt ſine ſpiritu, quia baptiſmo aquæ, à miniſtris nomine Chriſti adminiſtrato Chriſtus ipſe, vi promiſſionis ſuæ, conjungit baptiſmum ſpiritûs. *Object.* 3. Fuit repetitus à Paulo in his duodecim diſcipulis v. 5. *Reſpond.* Hoc non patet ex textu. Verba enim verſûs 5. non ſunt verba Lucæ, de Paulo loquentis, ſed ſunt verba Pauli, de Iohanne & diſcipulis ejus loquentis, q. d. Diſcipuli Iohannis, ab ipſo inſtituti de pœnitentia & adventu Meſſiæ, poſt Johannem manifeſtandi, baptizabantur ab eodem in nomen ejuſdem Ieſu, in quod nos baptizamur.

2. An liceat rebaptizare baptizatos? Anabaptiſtæ rebaptizant qui ex Papatu veniunt, & qui in juventute baptizati ſunt. Nos putamus, Sacroſanctum baptiſma non eſſe iterandum, poſtquam ſemel collatum eſt, niſi collatum ſit à talibus qui vocationem non habent, vel ab hæreticis, qui fundamenta fidei labefactant & ſimul Catholicam formulam baptiſmi non adhibent. Ubi enim externa inſtitutio baptiſmi retinetur, non eſt baptiſmus in ſe malus. *Object.* At hic repetitus. *Reſpond.* Negatur, ut ſupra.

3. An hæc impoſitio manuum ſit tertium Sacramentum Papiſtarum, ſcil. Confirmatio? *Reſpond.* Non magis, quàm unctio ægrorum, de qua Iacobi 5. 14. Fuit enim Sacramentum miraculorum, quod ceſſat cum ipſis miraculis. *Obj.* At etiamnum in quibuſdam Reformatis Eccleſiis impoſitio manuum adhibetur in miniſtris ordinandis, ſicut hic. *Reſpond.* Non tanquam Sacramentum promiſſionis fœderis, ſed tanquam externus geſtus publicarum precum, & votorum ac benedictionum, adeoque res indifferens & non neceſſaria.

Applicatio.

I. Habemus hic exemplum magnæ ruditatis & infirmitatis in notitia religionis ac myſteriorum Euangelicorum, inventæ in talibus, qui erant Chriſtiani. Erant diſcipuli in Chriſtum Ieſum baptizati, & tamen ignorabant, nec audiverant quod eſſet Spiritus ſanctus. Veruntamen hoc exemplum nullum uſum habet noſtris temporibus, nec facit ad excuſandam cujuſquam inter nos ignorantiam. Illo enim tempore poterat quis eſſe diſcipulus, capax ſalutis, & tamen ignorare multos præcipuos articulos Chriſtianæ fidei, ſed jam non poteſt, quia clarior revelatio nobis contigit quàm olim erat. Hodie non poſſumus ſalvari ſine perfecta & abundante cognitione Euangelii de Patre, Filio, & Spiritu S. ſingulorumque horum operibus & beneficiis, ad noſtram ſalutem collatis. Etiamſi enim hodieque cognitio myſteriorum Euangelii non eſt tam perfecta, ac in cœlo erit; nec omnia membra obligantur ad eandem menſuram cognitionis in negotio religionis, tamen in N. T. ad

Digitized by Google

ſalutem omnium neceſſaria eſt clarior & diſtinctior notitia omnium articulorum fidei, quàm temporibus antiquis, & quantò clarius Euangelium inter nos prædicatur, tantò plus ſumus omnes obligati, ad hanc notitiam habendam, nec quiſquam rationis compos in judicio Dei excuſabitur vel multitudine occupationum temporalium, vel tenuitate ſtatûs ac conditionis, vel aliis prætextibus, quibus homines ſuam ignorantiam palliare ſolent. Scriptum enim eſt Johan. 17. *Hac eſt vita aterna, ut te cognoſcant, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* item 1 Cor. 12. *ſine Spiritu S. nemo poteſt Ieſum appellare Dominum.* Jam cognitio debet eſſe aucta Dan. 12. 4. Vide Hab. 2. 14. & Iſai. 11. 9. Diſcipulis exprobratur Marc. 6. 52. quod miraculis Chriſti nil ſcientiores redditi. Quid non nobis exprobrabitur, quod tot revelationibus Euangelii non facti intelligentiores? Jam nobis totum conſilium Dei revelatum eſt Actor. 20. 27. Iam valet illud Chriſti Joh. 15. 22. Iam ignorantia non habet prætextum. Eſt quidem multum notitiæ in Concionatoribus & concionibus, ſed parum in pleriſque auditoribus. Eſt quidem magnus confluxus ad audiendas conciones, ſed parum attentionis, ruminationis, comparationis cum Scriptura; ſed finitâ concione ſtatim reditur ad illa, quæ notitiam religionis auferunt, extinguunt, cor occæcant & condenſant, ut ſalutariter verbum comprehendere non poſſit. *Objectio.* Abundans notitia facit ad hæreſes, ſchiſmata & tumultus in politia. *Reſp.* Hoc non facit notitia, ſed inſcitia, & ſapientiæ imaginatio. Si hic eſſet præcipuus finis in audiendis concionibus, ut notitiam hauriremus, bene eſſet, ſed nos in voce hæremus. Non attendimus materiæ, ſed ſono, & ideò æquè ſapientes recedimus ac venimus.

II. Verbum & Sacramenta debent eſſe conjuncta. Johannes baptizavit dicens ad populum. v. 4. & populus audiens baptizatus eſt v. 5. Eſt differentia inter verbum & Sacramenta, ſed non ſeparatio, imò Sacramenta ſeparata à verbo inutilia ſunt. Sicut ſigillum ſine literis inutile, ita Sacramenta ſinè verbo: Uſus enim eorum eſt confirmare verbum. *Docete & baptizate* Matth. 28. 19. *purgavit in lavacro per verbum* Epheſ. 5. 26. Sic baptiſmus vocatur *catechiſatio bona conſcientia* 1 Pet. 3. 21. Refutatur Papiſmus, ubi verbi & notitiæ Euangelii tantus contemptus, & Sacramentorum tam ſuperſtitioſa æſtimatio. Verbum parum curant, ceremoniis totam ſalutem committunt. Et tamen verbum multò nobilius quàm Sacramenta 1 Cor. 1. 17. Chriſtus non baptizavit Joh. 4. 2. ſed Euangelizavit. Non contemnimus Sacramenta, nec vos docemus ea contemnere. Scimus quod habeant ſuam ad ſalutem virtutem, & ſuam quoque ſanctimoniam, cujus profanatione magnus contrahitur reatus 1 Cor. 11. Sunt ſanctuarium mundanum, ſimile arcæ fœderis cum operculò propitiationis Hebr. 9. 1. Attamen hoc dicendum vobis, quod Sacramenta ſine verbo & notitia Euangelii nihil proſint, nec quicquam operentur ex opere operato, ut deponatis ſuperſtitioſam illam confidentiam in Sacra-

Digitized by Google

cra-

cramentis, quæ eſt ſine notitia.

III. Sacramenta, ſpecialiter baptiſmus, ſunt obligatio ad pœnitentiam & fidem. Sunt quidem præcipuè ex parte Dei ſigna & ſigilla promiſſionis & gratiæ, ſed & ex parte noſtra ſunt obligatio ad pœnitentiam & fidem. Ideò enim dicit textus, quod diſcipuli hi ſint baptizati in baptiſmum Johannis, id eſt, in doctrinam de pœnitentia & fide in I. C. Ideò etiam dicimur baptizati in nomen Patris, Filii & Spiritûs S. quia per baptiſmum obligamur ad cultum Patris, Filii & Spiritûs S. per pœnitentiam & fidem. Hæc phraſis nihil aliud notat, quàm obligationem baptizatorum. Ideò apud Latinos nomen habent Sacramenti, quia ſicut miles ſponte & incoactus ſe Sacramento addicit ſuo Domino, ita qui baptiſmum recipit, lubens volenſque ſe dedicat ad ſerviendum Domino. Sicut ſervus, cùm ſibi patiebatur ab hero perforari aurem, hâc ceremoniâ ſe obligabat ad perpetuum ſervitium ſuo hero Exod. 21. 6. ita baptiſmus nihil eſt aliud, quàm obligatio noſtri ad æternum cultum Dei in pœnitentia & fide. Sunt hæ duæ partes Chriſtianiſmi, quarum prior comprehendit tùm τὴν μεταμέλειαν, ſeu pœnitentiam & humiliationem, tùm τὴν μεταστροφὴν, ſeu reverſionem à malo ad faciendum bonum. Poſterior verò notat illam applicationem Chriſti, per quam juſtitiæ ejus & meritorum ſimus participes, ad remiſſionem peccatorum & jus vitæ conſequendum. Hujus utriuſque officii triplex eſt neceſſitas: 1. Neceſſitas præcepti. Utrumque enim à Deo præceptum ſeriò, & cum comminatione exitii Marc. 1. 15. Johan. 3. verſ. 36. 2. Neceſſitas medii. Non enim datur aliud medium communionis cum Chriſto, quàm talis fides, quæ ex pœnitentia procedens converſionem producit. 3. Neceſſitas Sacramenti, ſeu propriæ obligationis. Eſt quidem Sacramentum ſigillum gratiæ ac promiſſionis ex parte Dei, ſed tamen & ideò Sacramentum dicitur, quia eſt ſignum obligationis ex parte noſtra, ſicut juramentum militare. Quod ſi in baptiſmo, ſi in cœna nos ipſos toties Deo devovimus & obligavimus ad pœnitentiam & fidem, ſimus diligentes in ea præſtanda. Nam ſi non præſtamus, noſmet oſtendimus mendaces & falſos, & Deo duplicamus jus nos puniendi. Si verò ex hac conſideratione diligentes ſumus in pœnitentia & fide, quia noſmet Sacramento ad utrumque obligavimus, eſt cultus Deo gratior, quia eſt ſacrificium ſpontaneum. Si ideò facimus pœnitentiam, & fidem præſtamus, quia ſine iis ſalvari non poſſumus, tum eſt res meræ neceſſitatis. Si ideò, quia Deus præcepit, eſt obedientia ſervilis, ex metu pœnæ. Si ex conſideratione propriæ obligationis, tum fluit ex corde honeſto, καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ Luc. 18. 15. Tùm pœnitentia & fides noſtra ſunt donum, quod cor noſtrum ſponte vovet Exod. 25. 2. & 35. 29. ad quod ſponte ſe offert Iudic. 5. 9. Vide 1 Chron. 29. 9. Hæc veritas & fidelitas erga Deum, & ingenuus ille cultus de quo Pſal. 110. 3. q. d. ſicut nullibi paratior & alacrior obedientia, quàm militum erga duces, ita eſt obedientia

Digitized by Google

populi Dei, quæ fit ex conſideratione Sacramenti, quo ſe Deo dicarunt. Hæc obedientia incendit amorem Dei, & benedictionem ejus protrahit.

Actor. 19. *v.* 8. 9.

CONC. CCIX.

HActenus privata inſtitutio duodecim diſcipulorum. Sequitur, quod Paulus, Synagogam Iudæorum ingreſſus, ultra tres menſes in eâ docuerit. Habemus hic 1. Modum docendi, quo uſus fuit v. 8. 2. Impedimenta, quæ ſe contra doctrinam ejus extulerunt. 3. Remedium, quod contra illa adhibuit.

Modus docendi eſt, quod diſſeruit & ſuaſit ea, quæ ad regnum Dei pertinent, idque cum parrheſia per tres menſes.

1. Subſtantia doctrinæ, & materia quam docuit, fuerunt ea, quæ ad regnum Dei pertinent. Ea ſcil. in quibus regnum Dei conſiſtit, & quæ ad regnum Dei conſequendum neceſſaria ſunt. Docuit, quod homines à Deo Patre, Filio & Spiritu S. creati ad ejus imaginem, erant ejus ſubditi, obligati ad eum colendum, quod per ſeductionem diaboli à Deo, Rege ſuo, defecerint, & per hoc manicipia Diaboli facti ſint, quod Deus lapſorum miſertus Eccleſiam ex lapſis hominibus elegerit ſibi in peculium, Filium ſuum unigenitum ſuper eos conſtituerit Regem, qui eos ex poteſtate Diaboli ereptos ad naturalem Dominum reduceret; quod hic Rex, ex ſolio Majeſtatis ſuæ deſcendens, ex carne Mariæ per Spiritum S. aſſumpſerit carnem, eamque in ſacrificium dederit per mortem crucis ut juſtitiæ Dei pro nobis ſatisfaciens nos liberaret à poteſtate Diaboli, quam vi læſæ juſtitiæ divinæ ſuper nos habebat; quod idem Rex, ad dextram Dei evectus, Eccleſiæ mittat ſceptrum verbi, & virtutem Spiritûs S. effundat, per quam homines ſacrificio ejus redempti deficiant à Diabolo, voluntati ejus ſe ſubducant, & Deo ſe denuò ſubjicant; quod idem Rex hoſce ſuos ſubditos contra hoſtes, Satanam & mundum, à quibus diſceſſerant, & qui eos conantur ſub obedientiam ſuam reducere, variis modis defendat, cuſtodiat & protegat, & tandem hoc regnum & hunc populum, ita acquiſitum, in ultimo judicio Patri ſuo traditurus ſit, ut æternùm cum ipſo vivant. En hæc ſunt, in quibus regnum Dei conſiſtit! Quæ autem ad regnum Dei conſequendum neceſſaria ſunt, Paulus etiam non tacuit, ſcil. ut homines per veram humiliationem & pœnitentiam Deo ſe ſubjiciant, per filialem fiduciam & amorem ei adhæreant, legibus ejus reverenter obediant, voluntatem ejus patiantur & faciant, & denique pugnam & luctam contra Satanam & mundum, in quam per hanc liberationem conjecti ſunt, conſtanter pertendant. En hæc ſunt τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. Vide quæ diximus in Actor. 1. 3.

2. Modus docendi exprimitur tribus vocibus: ἐπαῤῥησιάζετο διαλεγόμενος καὶ πείθων. Omnes haſce tres voces ſæpius habuimus & explicuimus. Vide Actor. 4. 13. & 9. 28. & 18. 19. & 17. 2. & 13. 43.

Digitized by Google

& 13. 43. διαλέγειν notat explicationem, confirmationem ac propugnationem myſteriorum Euangelii, in quibus regnum Dei conſiſtit, ad generandam notitiam & fidem doctrinæ. πείθειν notat commotionem cordis, & conſcientiæ perſuaſionem, ad facienda illa officia, quæ ad regnum Dei conſequendum neceſſaria ſunt. 2 Cor. 5. 11. Benè docere & bene movere, & in utroque παῤῥησιάζεσθαι ſunt proprietates boni Concionatoris. Qui docet & non movet, vel qui movet & non docet, is ſeparat duo neceſſariò conjungenda. διαλέγειν, perloqui, nihil aliud ſignificat, quàm veram doctrinam legis & Euangelii ordinatè, clarè, ſolidè imprimere in intellectum & conſcientiam, ad illuminandum & convincendum. πείθειν eſt illuminationem & convictionem intellectûs ac conſcientiæ ſecundare ornamentis & robore vocis, geſtuum, & dictionis, ad movendum cor, & ciendos affectus. Si hæc duo ſeparantur, perit vis concionis, præſertim, ſi poſterius eſt ſine priori, poteſt quidem concio auditoribus placere, & eos movere, ſed non poteſt facere pios, quia non operatur in intellectum & conſcientiam, omnis verò pietas ex conſcientia oritur 1 Timoth. 1. 5. Monemus hæc, ut auditores noſtri non hæreant in externis, ſed inhient materiæ, ut ſapientiores, & doctiores ex concionibus abeant. Nam qui audiunt ut moveantur & nihil diſcunt, vel qui diſcunt & nihil moventur, aut ad obedientiam ſtimulantur, malè audiunt. Sunt qui benè capiunt quæ dicuntur, ſed nihil dictis moventur. Sunt qui moventur uſque ad admirationem, obſtupefactionem & lacrymas, ſed eſt motus quidam irrationalis, fluens ex lamentabili ſono vocis magis, quàm ex rationali convictione & perſuaſione conſcientiæ Actor. 2. v. 7. & 12. & Matth. 7. 28. Concionator non διαλεκτικὸς, i. e. non ordinatè, perſpicuè, ſolidè docens, confirmans, convincens, poteſt tamen eſſe πειϛικὸς, id eſt, efficaciter movens geſtibus & voce. Sic & auditores videmus ſæpe commotos, uſque ad lacrymas, templo exire, exire tamen æquè ignorantes & rudes atque ingreſſi ſunt, nihil lucis, nihil veritatis & notitiæ hauſerunt ex tota concione. Talis commotio cordis, quæ ſine notitia veritatis eſt, ad nihil prodeſt, niſi ut corda hominum inſtar arundinis omni vento doctrinæ circumagantur Matth. 11. 7. Eph. 4. 14. Nihil magis noxium in Eccleſia, quàm Rhetorica ſine Dialectica: Hæc enim populum excitare poteſt tantoperè ad perſequutionem veritatis, atque ad amorem veritatis Actor. 23. 1. &c. Dialectica magis facit factores verbi quàm Rhetorica. Itaque præcipuus veſter ſcopus in audiendis concionibus ſit, haurire notitiam veritatis, Epheſ. 5. verſ. 17. Etiamſi omnes conciones non æquè movent, ſi modò benè inſtituant, & lucem doctrinæ, quæ eſt ſemen ſanctitatis, in conſcientiam inſerant, hoc ſuo tempore fructum dabit, cùm commotio ſine inſtitutione tota ſit inutilis. Applica illud 1 Reg. 19. verſ. 11. 12. 13. Urim & Thummim in pectore ſacerdotis debebant eſſe conjuncta Exod. 28. 30. i. e. vis διαλεκτικὴ, audito-

Digitized by Google

auditorem illuminans, & vis πιστικὴ auditorem commovens. Et in utroque debet eſſe παῤῥησία, quæ quid ſit ſæpe dictum eſt. Vide cap. 18. v. 26.

Hactenus modus docendi, quo Paulus in Synagoga Judæorum uſus eſt, ſequitur impedimentum, quod ſe contra doctrinam Pauli ibidem extulit, ut diutius ibi docere non poſſet. Quidam enim Judæi non tantùm indurabantur & erant infideles, ut per doctrinam Pauli expugnari non poſſent, ſed & publicè coram auditorio Paulo ogganniebant, ſparſis in religionem Chriſtianam convitiis, ut à cæteris audiri non poſſet Paulus.

I. Indurati ſunt, animus illorum occalluit, ut eſſent inexpugnabiles, nec ullam vim veritatis amplius ſentirent. Homines naturâ ſunt duri, indurant ſeipſos, & indurantur à Deo. 1. Naturâ duri, quia naſcuntur cum corde non carneo ſed ſaxeo, quod non movetur verbo Dei, niſi frangatur & aperiatur per Spiritum S. Ezech. 2. 4. Matth. 19. 8. Marc. 6. 52. 2. Indurant ſeipſos, cùm datâ operâ verbo Dei reſiſtunt, & nolunt cedere verbo & Spiritui Dei, conſcientias pulſanti Pſal. 95. verſ. 7. 8. 2 Reg. 17. 14. Nehem. 9. 16. 17. 29. 3. Deus illos indurat, idque dupliciter: 1. cum quoſdam homines pro ſua libertate in naturali duricie cordis relinquit, & ſinit eos ſeipſos magis magiſque indurare, & per proprias cupiditates ſeipſos in exitium præcipitare. Hoc juſtè poteſt, quia non tenetur peccatores ſalvare. Hæc illa induratio, de quâ Rom. 9. v. 18. 2. Cùm eos, qui ſeipſos contra verbum prædicatum obfirmârunt, pro juſtitia ſua tradit in ſenſum reprobum, ut nunquam convertantur. Hæc illa induratio, de qua Eſai. 6. 9. Actor. 28. 26. 27. Hæc illa inſanabilis cordis duricies, per quam cor hominis fit

1. Ἀσύνετον, Inſipiens (onverſtandigh) in tantum, ut non intelligant veritatem quam ſciunt, ut nihil ſapientiæ & veritatis videant in ſapientiſſimo conſilio Euangelii Actor. 28. verſ. 26. 27.

2. Ἀναίσθητον (ongevoeligh) ut nec terrorem ex lege, nec pacem aut gaudium vel delectationem ullam ex Euangelio hauriant. Etiam ſapor ille verbi, vel guſtus, quem antea habuerunt Hebr. 6. 4. perit.

3. Ἀκίνητον, immotum (onbeweeghlijck) quod flecti non poteſt ad obedientiam voluntatis divinæ, ſed flectentibus inſtar petræ reſiſtit & inſtar robuſtæ arboris reſilit. Et hæc illa induratio, quæ Judæis contigit. Non tantùm ſeipſos obfirmârunt, & contumaces facti ſunt, ſed propter hanc petulantiam ac voluntariam obfirmationem ac contumaciam à Deo inſanabiles redditi ſunt, ſine intellectu, ſine ſenſu, ſine motu. Hæc illa occœcatio & induratio, quæ Iſraëli ex parte contigit Rom. 11. 25.

II. Hanc indurationem ſequuta ſunt duo alia mala, videl. infidelitas & maledictio viæ, i. e. religionis Chriſtianæ. Explicatus hic modus loquendi quo religio appellatur via, Actor. 18. 25. Ponitur vox hæc abſolutè, ut intelligamus non niſi unam eſſe veram religionem. Hanc religionem Judæi per in-

Digitized by Google

infidelitatem ipſi rejecerant, & per κακολογίαν aliis reddiderant ingratam. Vox ἀπειθεῖν explicata eſt Actor. 17. 5. Non notat illam naturalem ἀπείθειαν, cum qua naſcimur Tit. 3. 3. Sed notat voluntariam illam & actualem infidelitatem, quâ reprobi oblatam Euangelii gratiam contemnunt, ſanguinem Novi Teſtamenti impurum dicunt, fidem & bonam conſcientiam repellunt. Sed an κακολογία ſemper eſt peccatum? An de nullo homine, & de nulla re licet male loqui? *Reſpond.* Quod malum eſt, de eo licet malè loqui, quatenus utile eſt, non ad malos magis exacerbandos, ſed ad bonos à malo abſterrendos. Sed de bono malè loqui illicitum eſt. Qui enim hoc facit, aut hoſtis eſt boni, aut vituperat quod ignorat 2 Petr. 2, 12. Qui itaque religionem aliquam vult vituperare, & probris inceſſere, is 1. Debet falſitatem & turpitudinem ejus religionis probè perſpectam habere, & demonſtrare poſſe. 2. Debet etiam de mala religione malè loqui cum prudentia, rem ita temperans, quantum fieri poteſt, ut bonos à malo abſterreat, & malos in malo non induret.

Hæc ſunt impedimenta, propter quæ Paulus in Synagoga Judæorum Epheſienſium docere diutius non potuit, quia ſcil. quidam Judæi, per Euangelium indurati, non tantùm ipſi verbum rejecerunt, & infideles facti ſunt, ſed etiam conviciis & maledicentiâ multitudinem turbârunt, ut auſcultare Paulo non poſſent. Verùm hic quæſtio incidit: Cum Paulum Epheſum primâ vice venientem, Judæi tàm lubenter audierint ut rogaverint diutius maneret cap. 18. 19. 20. unde jam adeò mutati, ut audire amplius non ſuſtinuerint? *Reſpond.* Paulus brevi illo tempore, quod primâ vice apud Epheſios tranſegit, ita docuit, ut ulcera Judæorum non tangeret, corruptiones & peccata non redargueret, verùm prima elementa Euangelii nudè proponeret. Sed cum jam reverſus principia prius poſita acrius urget, & religionem ac vitam Judæorum à veritate & præceptis verbi alienam oſtendit, reſiſtunt ei. Veritas odium parit. Vide Galat. 4. v. 15. 16. Utinam hanc quærelam queri non poſſent veſtri quoque Concionatores. Jucunda foret Concionatoris vita, ſi non quotidie ipſi luctandum eſſet cum indignatione parvorum & magnorum, quam veritatem dicendo excitat. Eodem modo res habet in privata converſatione. Tam diu pax & amicitia, quamdiu vitiorum diſſimulatio durat. Sed cum oſtenditur vitium, ilicò exardeſcit odium.

Concludo hâc adhortatione: Ne Voſmet indurate, ne à Deo induremini. Eſt mihi cauſa vos hac de re monendi. Nam 1. video multos eſſe ſedulos & continuos auditores, qui tamen non fiunt factores verbi, ſed manent æquè falſi, impii, leves, vani. 2. Audio multos ita loquentes, quod vel ideò velint facere hoc vel illud malum, quia Concionatores tam acriter illud reprehendunt. Certum ſignum, quod hi homines ſeipſos obfirment, & ad judicium inſanabilis indurationis ſe maturos faciant. Cedite potius Deo & ejus verbo. Hoc enim non turpe, ſed glorioſum.

Digitized by Google

rioſum. Naturâ omnes ſumus duri, ſed hæc duricies eſt ſanabilis per Euangelium. Sed qui contra Euangelium ſe-ipſos ſponte indurant, incidunt in judicium divinæ indurationis, quæ inſanabilis eſt. *Quamdiu igitur vocem ejus auditis, non indurate corda veſtra.* Vide 1 Cor. 10. 22. Date potiùs operam, ut cor veſtrum, naturâ durum, magis magiſque emolleſcat. Legite librum legis, & comparate cum illo veſtras prævaricationes, & molleſcet cor veſtrum 2 Chron 34. 19. & 27. Penſitate amorem & beneficia Dei & Chriſti, & per hoc molleſcet cor veſtrum, ſicut adamas hircino ſanguine frangitur.

Actor. 19. *v.* 9. 10. 11. 12.

Conc. CCX.

POſt privatam inſtitutionem duodecim diſcipulorum Paulus introiit in Synagogam Judæorum, & ibi per tres menſes docuit. Vidimus 1. materiam & modum docendi, quo in hac Synagoga uſus eſt. 2. Impedimenta, propter quæ amplius in Synagoga docere non potuit. Sequitur nunc remedium, quod adhibuit, ut impoſterum inturbatus Euangelium docere poſſet. Diſceſſit à Judæis, ſeparavit quoque diſcipulos, & quotidie in ſcholâ cujuſdam Tyranni docuit per biennium.

I. Diſceſſit à Judæis, & diſcipulos quoque ſeparavit. Separavit Eccleſiam Chriſtianam à Synagoga Judaica. Et obſervant interpretes, quod ita nunc diſceſſerit à Judæis, ut nunquam legatur in aliquam Synagogam Judaicam rediiſſe impoſterum. Legimus quidem, quod Hieroſolymis Judæis, etiam in templo, loquutus ſit Actor. 20. quod Judæos Romæ in ſuum hoſpitium convocaverit Actor. 28. ſed non quod docendi cauſâ in aliquam Synagogam introierit. Quæritur an recte fecerit Paulus? Nam ita Chriſtus non fecit, ſed in templo & Synagogis Judæorum ſacrorum communionem coluit omnibus diebus vitæ Matth. 26. 54. Luc. 4. 16. 2. Ἀποςάσεις & ſchiſmata in N. T. prohibentur, & inter opera carnis recenſentur 1 Cor. 11. 18. Galat. 5. 20. Judæ 19. 1 Cor. 3. 3. 4. *Reſpond.* Verùm eſt, quod mandatum nobis ſit, ut, *quantum in nobis eſt, pacem colamus cum omnibus hominibus* Rom. 12. 18. nec quicquam Deo magis exoſum, quàm diſcordiæ & belluinæ inimicitiæ hominum, quibus ſe invicem perſequuntur in terris. Præſertim nihil turpius, quàm διχοςασίαι & σχίσματα quæ ſunt in Eccleſia, quibus inſutilis Chriſti tunica ſcinditur, & charitas Chriſtiana impeditur. *Væ illis, per quos veniunt hæc ſcandala* Matth. 18. 5. 6. Et nihilominus neceſſarium eſt, ut ſint ſchiſmata & diviſiones inter homines, idque tum neceſſitate divini conſilii, tum neceſſitate divini præcepti. Etſi enim ſchiſmata ſemper mala ſunt, tamen non ſunt ab utraque parte mala, ſed ſæpe præcepta.

α. Neceſſitate conſilii. Vide Matth. 18. 7. 1 Cor. 11. 19. Decrevit Deus permittere, ut ſemper ſint hæreſes, ſchiſmata, diſcordiæ, tùm extra, tùm intra Eccleſiam, ut pii habeant quo exerceantur & excitentur ad pugnandum

Digitized by Google

dum pro fide ſanctis ſemel traditâ. Sicut voluit inter Iſraëlitas eſſe reliquias Cananitarum, Judic. 2.3. Joh. 23.13. ita in Eccleſia vult eſſe ſchiſmata. Sicut in piſcinis lupi miſcentur carpionibus, ut hi ab illis expellantur ex luto & præſerventur à putredine, ita Deus vult in Eccleſia eſſe ſchiſmata, ut pii habeant quo exerceantur. Sic etiam neceſſitate prædictionis Apoſtolicæ Actor. 20. verſ. 30.

β. Neceſſitate præcepti. Aliud eſt pax, aliud communio. Juſſit quidem Deus cum omnibus hominibus, quantum poſſibile eſt, pacem colere, ſed non juſſit cum omnibus hominibus amicitiam & communionem colere. Imò expreſsè mandavit, ut pii ſe ſeparent ab impiis, & ab illis diſcedant. Nam

. Deus vult ut ſit manifeſta ſeparatio inter mundum & Eccleſiam. Ideò Deus 1. tot ceremoniis Eccleſiam V.T. teſtamenti veſtivit, etiam Eccleſiæ N. T. dedit Sacramenta, ut per ea tanquam per murum intermedium, ut Paulus loquitur Eph. 2.14. à gentibus ſepararetur, & tanquam per notas & teſſeras diſtingueretur & diſcerneretur à mundo. Sacramenta enim non tantùm ſunt ſigna & ſignacula fœderis, ſed etiam notæ & teſſeræ Eccleſiæ Iſai. 66.19. *indam illis ſignum.* 2. Ideò Judæis vetita fuit familiaris converſatio cum ethnicis nimia, præſertim connubia. Etiamſi enim Judæi ſuâ ſponte converſationem cum ethnicis nimis contraxerant, in tantùm, ut ne edere quidem cum illis vellent, aut ullam converſationem cum illis colere Johan. 4.9. & 18.28. tamen Deus quoque ſancivit, ut à converſatione nimis familiari cum ethnicis abſtinerent, & ſe ſubducerent. Deut. 7.2.3. 3. In N. T. etiam mandatum, ut mundo non ſimus conformes, neque communionem colamus cum impiis 2 Cor. 6.14. Rom. 12.2. Debemus in externo habitu, veſtitu, verbis, geſtibus prodere nos à mundo diſceſſiſſe, nam alioquin mundus nos habebit pro ſuis, & nos non oderit, ſecus quàm Chriſtus futurum dicit omnibus piis Ioh. 15.19. Ideò etiam publica profeſſio Chriſtianiſmi & veritatis à nobis requiritur. Chriſtianiſmus noſter non debet eſſe mundo incognitus, ut clàm in mundo deliteſcentes effugiamus perſequutionem mundi, ſed obligati ſumus, ut per publicam profeſſionem Chriſti & doctrinæ illius nos à mundo ſeparemus Matth. 5. v. 16. Matth. 10. 32.33.

.. Deus vult ut in Eccleſia quoque ſint diviſiones & ſeparationes. Deus non vult efficere, ut Eccleſia in terris ſit adeò pura, ut ſit immunis à permixtione hypocritarum, malè docentium & malè viventium, ſed prædixit potiùs, Eccleſiam in terris ſemper fore inſtar agri, in quo lolium ſit futurum inter triticum Matth. 13. Et tamen non vult, ut pii cum malo & malis, qui ſunt in Eccleſia, communionem habeant, ſed ut ſe immaculatos cuſtodiant. Ideò ordinavit

α. ut prævalentibus impiis pii apertè ſecedant. Hinc eſt, quod Apoſtolus hìc diſcipulos ſeparat à Synagoga, & ſeparatam erigit congregationem. Antehac quidem Chriſtus & Apoſtoli ſe

Digitized by Google

non ſeparârunt, quia adhuc inter Judæos erant, quos poterant lucrifacere. Sed poſtquam Iudæorum converſio adeò erat deplorata, ut etiam non amplius ferretur doctrina Apoſtolorum, ſeceſſionem fecerunt apertam. Sic Deus etiam juſſit fieri tempore Antichriſti. 2 Cor. 6. 17. Apoc. 18. v. 4. 1 Ioh. 5. 21.

β. Ut prævalentibus piis impii per diſciplinam Eccleſiaſticam ejiciantur, & ſeparentur ab Eccleſia, ad minimùm, ut converſatio cum illis ita temperetur, ut pudefiant 2 Theſſ. 3. v. 14. 2 Iohan. 10. 11. 1 Cor. 5. 11. 13.

Object. Si omnes illæ diviſiones & ſeparationes bonorum à malis, tùm extra tùm intra Eccleſiam, ſunt divinitùs approbatæ, imò inſtitutæ, qua igitur in re conſiſtunt illa ſchiſmata & illæ diviſiones, quas verbum Dei adeò condemnat, & inter opera carnis recenſet, ut audivimus ex Matth. 18. 1 Cor. 11. Gal. 5. Pontificii nos appellant hæreticos & ſchiſmaticos, quia diſceſſimus à Romana Eccleſia, cum qua antea unionem & communionem coluimus. Nos illos & alios appellamus ſchiſmaticos & ſectarios. Unde igitur ſcimus, nos non eſſe reos ſchiſmatis, qui tam apertè ſeceſſionem fecimus à Romana Eccleſia, & cum aliis quoque nos miſcere & communionem colere non volumus? *Reſpond.* Non omnis ſeceſſio ab aliqua congregatione, quæ nomen Eccleſiæ Chriſtianæ gerit, eſt ſchiſma, ſed ſeceſſio non neceſſaria. Multæ fiunt in Eccleſia non neceſſariæ ſeceſſiones, quæ rectè gerunt nomen ſchiſmatis. Fiunt ſeceſſiones non ex odio cauſarum, ſed ex odio perſonarum. Quando neceſſarium eſt ſecedere? *Reſpond.*

1. Cum non ſatis veritatis habemus ubi ſumus. Sic in Papatu erat. Romana Eccleſia ſeceſſerat ab Apoſtolica doctrina, Euangelium ibi erat ferè ſublatum, ſaltem adeò obſcuratum, ut ex ore ſacerdotum non audirentur niſi fabulæ, doctrina idololatrica, articulis fidei & ſolatio ac ſanctificationi fidelium contraria, & populus non paſceretur niſi mutis quibuſdam ceremoniis ac Latinis cantillationibus. Neceſſe igitur erat, ut Eccleſiæ talibus doctoribus, quales Papa mittebat, ejectis, vocâret alios, qui Euangelium purè, ſecundum Scripturam & articulos fidei docerent. Eccleſia enim non poteſt carere ſalutari pabulo verbi, ſed tenetur quærere ubi poteſt invenire. Eſt enim ſemen ex quo naſcitur, eſt cibus quo conſervatur. Sic res non habet cum iis, qui à nobis exierunt, & à Reformata Eccleſia ſeceſſionem fecerunt. In reformatâ enim Eccleſia nihil ſuperſtitioſæ & idololatricæ doctrinæ, non reticetur ullus fidei articulus, ſed totum conſilium Dei de noſtra ſalute prædicatur, omnia media obtinendi ſalutem inculcantur, adeoque omnis illa veritas clarè annunciatur, quæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria eſt.

2. Cum non ſatis libertatis habemus ubi ſumus. Sic Paulus propter continuam κακολογίαν publicam non amplius habebat libertatem prædicandi Euangelium in Synagoga Iudaica. Sic ſi licuiſſet inter Pontificios nobis vivere ita, ut non cogeremur ad communionem cum impiis eorum ſacris, ſeceſſionis

Digitized by Google

ceſſionis non fuiſſet tanta neceſſitas. Sed quia quicunque in ulla re diſſenſum ſuum profitebatur, & ſuperſtitioni ac idololatriæ ipſorum intereſſe nolebat, igne & gladio impetebatur, neceſſitas erat exeundi, niſi vellemus impura tangere, & pœnis ipſorum implicari, ac infirmam noſtram poſteritatem continuo periculo ſeductionis exponere. Et hæc neceſſitas tanta erat, ut rectè dicamus, nos potius à Pontificiis ex Romana Synagoga ejectos eſſe, ſicut Iſraëlitæ expellebantur ab Ægyptiis Exod. 12. 33. quàm ſpontè ſeceſſiſſe. Hæc neceſſitas non urſit eos, qui à nobis ſeceſſerunt, & in ſchiſmate ſuo perſeverant. Quid enim libertatis ipſis defuit, aut ad cujus mali communionem coguntur, ſi maneant in gremio noſtræ Eccleſiæ? Quid aliud ab illis requiritur, quàm ut audiant & probent quæ dicuntur, utque ſint quieti & dociles. Niſi fortè velint illam libertatem, quam hic Judæi uſurparunt, ſcilicet ut ſibi liceat κακολογεῖν τὴν ὁδὸν ἐνώπιον τοῦ πλήθους, quæ ſanè libertas Chriſtianum hominem non decet. Qui igitur hoc ſchiſma adhuc fovent & conſervant, videant quam rationem Deo reddent, ſchiſmata & non neceſſarias diviſiones in Eccleſia tam acriter prohibenti. Quod verò ad nos attinet, ne ſcandalizemur, cum Pontificii nobis exprobrant diviſiones & ſchiſmata, & cum reverâ tot ſchiſmata in Eccleſia videmus. Nam 1. Pontificiorum Eccleſia à ſchiſmatibus & diviſionibus non eſt aliena, ſed tot habet diviſiones, quot clericorum & monachorum ordines ac differentias, dum quilibet ordo *diſcipulos poſt ſe abſtrahere* (ut Paulus loquitur Act. 20. 30.) *omni ope ſatagit*. 2. Schiſmata & diviſiones propter conſilium Dei in Eccleſia neceſſariæ ſunt, & quamvis in ſe malæ, tamen Deo dirigente cedunt ad acuendam Eccleſiæ vigilantiam, ut ſupra audivimus. 3. Seceſſio noſtra à Papiſtis neceſſaria quoque eſt propter Divinum mandatum, imò propter violentiam & tyrannidem Pontificiorum. Sicut enim ipſi pabulum vitæ ſalutare nobis non ſuppeditabant, ita non patiebantur ut aliunde ſuppeditato frueremur, ſed cogebant nos gladio & igne ad communionem cum impuris & illicitis ſacris. Non igitur ſumus rei ſchiſmatis, præſertim ſi accedat, ut etiam erga illos, à quibus ob ſuperiores neceſſitates ſeparati ſumus, non ſchiſmaticè nos geramus, ſed impleamus monitum Pauli 1 Theſſ. 4. 12. & 1 Tim. 3. 7. *Ut honeſtè ambulemus, & bonum teſtimonium habeamus, etiam coram & ab illis, qui ſunt extrà*, converſantes cum illis in omni juſtitia & humanitate, pro ſalute eorum precantes, & cum omni manſuetudine illos Chriſto lucrari ſatagentes. Quamvis itaque ſeceſſio noſtra, tum à mundo, tum à Papatu, hoc ſecum fert, ut Pontificiorum calumniis & irreconciliabili odio, inimicitiæ ac perſequutioni ſimus expoſiti, ſtemus tamen in libertate, quâ Chriſtus nos liberavit. Satius eſt liberam habere conſcientiam, quàm liberum & metûs expertem ſtatum. Fuit ſors Eccleſiæ inde à primis incunabulis, experiri odium mundi & falſorum fratrum. Amor Dei odium mundi facile compenſabit. Sumus acquiſitum & ſeparatum Dei peculium,

Digitized by Google

lium, ſumus, oves inter lupos, circumſepti ſumus hoſtibus undiquaque. Si igitur nobis aliquando continget eadem perſequutio propter ſeparationem à Papatu, quæ aliis contigit, ne ſit nobis peregrinum quid. Separatio eſt proprietas Eccleſiæ. Sumus ſeparati & electi ab æterno in Dei conſilio, ſumus redempti ex mundo per Chriſti ſanguinem & ſpiritum. Joh. 17. Separemus nos ipſos ab impiis per ſingularitatem vitæ. Et tum Deus olim nos ſeparabit *ut oves ab hircis* Matth. 25. Chriſtus Dominus noſter fuit Naziræus, & à peccatoribus ſeparatus Hebr. 7. 26. ſic & nos. Ideò vocamur peregrini in mundo 1 Petr. 2. 11. 12. Qui ſic ſeparati ſunt, non ſeparabuntur à charitate Dei Rom. 8. Feramus igitur omnia incommoda patienter, ludificationes, perſequutiones, quas ſecum fert ſeceſſio noſtra à mundo & Papatu.

II. Docuit in ſchola Tyranni, idque quotidiè. Schola Tyranni ſine dubio fuit ædificium publicum, à quodam ejus nominis magnate erectum atque conditum, ut populus ac juventus in ſcientiis & artibus liberalibus ibi exercitaretur. Hìc docuit ſine dubio cum venia magiſtratus. Locum enim publicum ſine publica autoritate non occupâſſet. Quos autem ibi docuit? Docuit ſine dubio diſcipulos, à Synagogâ ſeparatos, ſed & ethnicos undiquaque confluentes, ut patet ex ſequentibus. Præcipuè autem obſervandum, quod non tantùm diebus Sabbathi docuerit, ſed quotidiè. Et denique non negligendum, quod hoc dicitur durâſſe ultra duos annos. Cap. 20. 31. dicit ſe docuiſſe τριετίαν, per tres annos. Nam præter tres illos menſes, quibus in Synagoga Judæorum docuit, ultra biennium in ſchola Tyranni & ſic ferè triennium complevit. Diſce hinc:

I. Quod verus cultus N. T. non quærit differentiam locorum, ſed in omni loco vult exerceri. Paulus non reformidat in ſchola Philoſophica Theologiam & Euangelium docere. Vide Johan. 4. 20. 21. 1 Tim. 2. 8. Matth. 18. 20. Refutantur Papiſtæ, qui loco cultûs publici ſanctitatem adſcribunt, & Bruniſtæ, qui in templis idololatriâ, ut ajunt, pollutis recuſant cultum exercere.

II. Condere ſcholas, ad inſtitutionem juventutis in artibus & bonis moribus, eſt bonum opus. Voluit Spiritus S. nomen & opus hujus Tyranni extare in Bibliis ad memoriam. Si ethnici Magiſtratus hoc fecerunt, quid non faciant Chriſtiani! Vide Luc. 7. 5. Mirum eſt, quòd ſcholæ ſint adeò contemptæ inter nos. Scholas vanitatis erigere & ſuſtentare nemini nimis ſumptuoſum inter nos, ſed ſi quid contribuendum foret ad ſuſtentandas ſcholas liberalium artium & bonorum morum, nimis grave foret.

III. Verbum Dei docendum quotidiè. Non quidem ullo præcepto divino alligati ſumus ad cultum publicum, niſi die Sabbathi. Sed tamen hoc exemplum indicat, utile eſſe, ut quotidiè ſint ſacra exercitia publica, utque iis interſint, qui ſalvâ vocatione poſſunt; Requirit hoc noſtra imbecillitas. Sicut metallum, ſi non ſemper eſt in igne, ſtatim ſe reducit ad naturalem duriciem,

Digitized by Google

ciem, ita nos, ſi non quotidiè meditamur verbum. Quotidiè indigemus pietate, ergo & mediis pietatem excitantibus. Verbum eſt ſpeculum, quo quotidiè indigemus ad nos probandos. Præſertim ſolatium non poteſt eſſe quotidianum, ubi non eſt quotidiana meditatio verbi. Cùm in cœlum venerimus, nunquam ſatiabimur conſpectu Dei, ſed quantò diutius videbimus, tantò diutius videre cupiemus. At hîc audire verbum eſt videre Deum. Non enim datur hîc alia viſio Dei quàm in verbo 1 Cor. 13. 12. Videmus eum in operibus naturæ, ſed non magis quàm impii. In verbo videmus clarè & præter impiorum captum. Ne igitur tam facilè ſatiemur auditu verbi.

Actor. 19. *v.* 10. 11. 12.

CONC. CCXI.

VIdimus quo modo & ordine Paulus Epheſi docuerit: ſequitur ſucceſſus laboris & doctrinæ, cujus ſunt quatuor membra:

I. Ampla dilatatio & propagatio verbi v. 10.
II. Efficax Confirmatio verbi per miracula. v. 11. 12.
III. Turpis abuſus Euangelii ad exorciſmos. v. 13. 14. 15. 16.
IV. Magna vis Euangelii in corda auditorum. v. 17. 18. 19. 20.

Euangelium (quod hîc vocatur ſermo Domini Jeſu, non ſolum quia eſt ab ipſo, ſed præcipuè quia eſt de ipſo, qui ſicut eſt finis legis, ita eſt materia Euangelii) Epheſi prædicatum auditum eſt ab omnibus in Aſia habitantibus, tum gentilibus tum Judæis, id eſt, innotuit omnibus. Aſia erat terra tenebricoſa, ubi nulla Euangelii lux. Nihil ibi ſciebant homines, niſi fabulas de multitudine Deorum & Dearum, ſuperſtitioſas ceremonias colendi Deos Deaſque. Judæi ibi habitantes habebant quidem libros ſacræ revelationis, ſed myſteria iis revelata ignorabant æquè ac Ethnici, hærentes in litera legis & cortice ceremoniarum. Jam tanta lux in Aſia orta, ut paſſim juvenes & adulti poſſent loqui de myſterio SS. Trinitatis in uno Deo, de corruptione ſpirituali humani cordis, de maledictione omnibus hominibus incumbente, de Mediatore inter Deum & hominem, de unione hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto, de mirabili nativitate, acerba paſſione & glorioſa exaltatione Chriſti, de mirabili effuſione Spiritûs S. de juſtificatione & ſanctificatione, de reſurrectione ex mortuis, de ultimo judicio, de vita æterna. Hæc audiebant & ſciebant ex Paulo omnes in Aſia habitantes, i. e. ad omnes urbes & Provincias Aſiæ fama Euangelii penetrabat Epheſo. Hoc eſt illud oſtium Epheſinum de quo 1 Cor. 16. 9. Atenim quomodo hoc fieri poterat? Paulus Epheſi tantùm docebat, quomodo igitur audiri potuit à tota Aſia? *Reſpond.* Septentrionalem & ſuperiorem Aſiam antehac peragraverat, & ſemen Euangelii ibi ſparſerat. Auſtralis & inferior Aſia Epheſum multùm confluebat, urbem primariam. Fortè Paulus ad alia circumjacentia loca ſubinde excurrit vel alios diſcipulos con-

Digitized by Google

concionatum miſit, præcipuè tamen qui Paulum Epheſi audiverant, domum ſecum hanc doctrinam portabant, eamque familiæ & vicinis ſuis communicabant, qui eſt optimus modus propagandi Euangelium. Sicut lapis in aquam injectus circulum facit, qui factus facit ſecundum, tertius tertium &c. Sicut Samaritana mulier Chriſtum audivit extra urbem ad puteum, & doctrinam ejus in urbem portans totam urbem commovit ut exirent & audirent Joh. 4. ita unuſquiſque qui Paulum audiverat, ad alios ſermonem auditum propagavit. Tam diu inter nos prædicatum fuit Euangelium, & tamen tot ſunt, qui ſermonem Chriſti non audiverunt, vel ſaltem non intelligunt. Templa noſtra plena ſunt lucis, tum in urbibus tum in pagis, & multæ tamen privatæ ædes adeò tenebricoſæ, ut nulla cognitio Euangelii inſit. Quî fit? an quia Miniſtri non ſatisfaciunt officio? an quia domatim & capitatim non docent omnes homines? ſi hoc vultis, multiplicate noſtrum numerum. Nam quod publicè fit, ſatis eſt ad ſex homines occupandos. Deeſt opera auditorum. Qui nos in publico docentes audiunt, nihil ſecum auferunt, quod domi doceant, nec excitant ſuos domeſticos, ut cognitionem Domini quærant ubi inveniri poteſt. Ignorantia ſermonis Chriſti noxia. Nam 1. ubi non eſt notitia, ubi animus eſt ſicut ager non conſitus qui non poteſt proferre niſi lolium Luc. 8. 8. 2. *Sicut in antro tenebricoſo naſcuntur ſerpentes, buſones, vipera &c.* ita in corde tenebricoſo & Euangelii doctrinâ non illuminato naſcuntur omnia vitia, omneſque abominationes. Sunt ſub poteſtate tenebrarum & producunt opera tenebrarum. Ignorantia non eſt omnium peccatorum maximum, & tamen habet comminationem maximæ pœnæ, videl. iræ & vindictæ divinæ Pſal. 79. 6. 2 Theſſ. 1. 8. Quare hoc? quia eſt omnium peccatorum mater 1 Sam. 2. 12. Filii Eli erant *filii Belial, non noverant Dominum. Qui non obſervat mandata Dei, is ignorat Deum* 1 Joh. 2. v. 4. Si non vultis filios veſtros fieri filios Belial, adferte ipſis cognitionem Euangelii, quam in templo auditis.

Secunda pars ſucceſſûs in eo poſita fuit, quod verbum prædicatum à Deo confirmatum fuit inuſitatis miraculis. Miracula vocantur δυνάμεις, virtutes. Sic Chriſtus Marc. 5. 30. Sicut ex Sole & ſtellis effluit quædam vis plaſtica in tellurem, ita ex Deo in naturam effluit quædam vis operans id, quod natura non poteſt. Eadem vis in regeneratione peccatoris ſe exſerit Epheſ. 1. 19. Etſi enim regeneratio non eſt miraculum, ſed operatio perpetua & ordinaria in Eccleſia Dei, tamen eſt talis illapſus & influxus divinæ virtutis in animam, ſicut miracula in corpus. Dicuntur miracula inuſitata. At ſanatio morborum & ejectio diabolorum eo tempore non erat inuſitata Matth. 4. 24. Actor. 5. 12. 15. *Reſpond.* Erant inuſitata 1. iſto loco. Artes magicæ ibi erant celebres, quibus multæ efficiebantur præſtigiæ & mira, ſed talia miracula beneficiaria nunquam. 2. tanto numero. Magi aliquando aliquid faciebant, ſed non tot miracula. 3. iſto modo. Fiebant enim ſanationes ſine omni

arte

Digitized by Google

arte & medio, ſolo contactu ſudariorum à Pauli corpore ad ægrotos delatorum. Quid differant σιμικίνθια à ſudariis, an ſint vittæ capitis, vel cingula corporis: item: An cingula Pauli ordinaria ægris attulerint, an verò ſudariis & cingulis ægrorum corpus Pauli contigerint, ſicut mulier digitis attingebat fimbriam Chriſti, non definiemus. Duas tantummodo quæſtiones hic movebimus:

I. An miracula Eccleſiæ ſemper ſint neceſſaria, in tantùm, ut Eccleſia, quæ donum miraculorum non habet, careat ſigno characteriſtico, unde agnoſcatur eſſe vera Eccleſia? *Negatur.* Nam 1. nulla eſt promiſſio. Illa enim quæ eſt Marc. 16. 17. 1 Cor. 12. 28. non eſt perpetua, ſed temporalis. Nam ſi perpetua eſſet, ſemper impleretur. Atqui pauci fideles & paucæ Eccleſiæ habuerunt hoc donum, & jam à multis ſeculis ceſſavit. 2. Miracula exigere damnatur Joh. 4. 48. 1 Cor. 1. v. 22. 3. Vetamur miraculis fidere ſine Scriptura, aut quæ fiunt ad confirmandum doctrinam Scripturæ contrariam. Deut. 13. 4. Miracula ultimorum temporum declarantur eſſe ſigna Antichriſti 2 Theſſal. 2. verſ. 9. 10. Apoc. 13. verſ. 13. 14.

Object. Quomodo igitur miniſtri hodiè probant ſuam doctrinam? Si olim indiguit Eccleſia confirmatione doctrinæ per miracula, cur non nunc? *Reſpond.* Veritas doctrinæ & Eccleſiæ hodie confirmatur

1. Per Scripturam, priſcis miraculis confirmatam, & totius Eccleſiæ conſenſu receptam. Doctrina ſacris Scripturis contenta olim tot miraculis fuit confirmata, ut tota Eccleſia eam pro Oraculo divino receperit. Ergo neque Scriptura, neque doctrina ex Scripturis propoſita nova confirmatione eget. Hæc una confirmatio ſufficit, etſi deſint aliæ.

2. Doctrina noſtra auditoribus ſeipſam probat per characteres divinitatis, quos in ſeipſa gerit. Docemus enim doctrinam Deo dignam. Illa verè divina doctrina eſt, quæ hominem verè humiliat, & peccatorum conterit, quæ contritis firmum præbet ſolatium, & quæ Deo ſoli totam ſalutis gloriam adſcribit, & nihil tradit, niſi quod ſanctum, purum, verum, caſtum &c. omnibus vitiis contrarium, à ſuperſtitione & idololatria liberum. At talis eſt noſtra doctrina. Ergo divina.

3. Doctrina noſtra ſeipſam probat per efficaciam ſuam in animabus hominum. Facimus nos manifeſtos conſcientiis hominum. Doctrina quæ homines ad veram pietatem & conſtantem patientiam in vita & in morte adducit, eſt divina. At noſtra. Ergò. Spiritus Dei ita operatur in confeſſoribus hujus doctrinæ, ut vel ſanguine ſuo obſignare veritatem non reformident. Accendit gaudium & pacem ineffabilem in periculis & morte.

4. Deus Eccleſiam Reformatam nunquam deſtituit ſucceſſu & defenſione contra hoſtes. Sub tot oppreſſionibus emerſit. Toties victa reſurrexit quaſi ex mortuis, & ſuper hoſtibus ſuis triumphavit. Hora tentationis nobis non deeſt, ſed nec hora liberationis. Vi-

S de

Digitized by Google

de doctrinam de miraculis latius tractatam in Actor. 2. v. 43. item Actor. 5. v. 12. & 15.

II. Annon hinc ſequatur, quod reliquiis ſanctorum inſit vis quædam divina, propter quam ſint aſſervandæ & colendæ? ſed hanc quæſtionem vide tractatam in Actor. 5. v. 15.

Actor. 19. *v.* 13. 14. 15. 16.

Conc. CCXII.

SEquitur turpis abuſus Euangelii, Epheſi factus. Cum enim quidam Judæi exorciſtæ viderent Apoſtolum Chriſti tanta miracula facere in nomine Jeſu, Sacroſanctum illud nomen cœperunt miſcere ſuis exorciſmis, & per nomen Jeſu, in quod tamen non credebant, Diabolos ejicere conati ſunt. Habemus hîc

1. Perſonas, quæ hoc fecerunt.
2. Opus, quod fecerunt.
3. Succeſſum, quem ſortiti ſunt.

Perſonæ erant quidem ſeptem filii Scevæ Judaici ſummi ſacerdotis, qui erant exorciſtæ, ex circumcurſantibus Judæis. Erant Judæi tum natione tum religione. Non erant Chriſtiani, nec credebant in Chriſtum. Erant ſeptem filii Principis ſacerdotum. Non intelligunt interpretes ſacerdotem ſummum, qui unus erat, ſed unum ex viginti quatuor ſacerdotum Principibus, qui erant capita tot familiarum, in quot claſſes David ſacerdotalem progeniem diſtribuerat. Vide 1 Chron. 24. 4. & 2 Chron. 36. 14. item Matth. 2. v. 4. Erant circumcurſitantes exorciſtæ. Circumcurſitantes dicuntur, quia lucri cauſâ per totam terram vagabantur, curaturi illos, qui à dæmonibus erant obſeſſi. Exorciſmus propriè eſt adjuratio, cum juratam promiſſionem ab aliquo exigimus, ſicut Abraham ab Eleazaro Geneſ. 24. 3. & Jacob à Joſepho Geneſ. 47. 29. Deinde ſignificat vehementem obteſtationem, quâ in nomine Domini aliquem hortamur & obligamus ut hoc vel illud faciat vel dicat. Exempla habes Num. 5. verſ. 19. 1 Reg. 22. 16. Matth. 26. 63. 1 Theſſ. 5. 27. Ab his exemplis, in Scriptura fundatis, humanâ inventione talis obteſtatio in nomine Dei uſurpari cœpit erga Dæmones, hominem aliquem obſidentes, ut per eam obligarentur ad exeundum, & quidem peculiaris ars, imò functio Eccleſiaſtica haberi cœpit, cujus profeſſione homines quidam circumcurſitantes per regiones terræ victitarent, & à qua Exorciſtarum titulum ſortiebantur. Deo in more poſitum eſt, homines in hoc mundo variis afficere plagis, tum talibus quæ proveniunt ex corruptionibus elementorum, tum quæ ab hominibus malevolis, tum denique quæ per ipſum Diabolum ad nos veniunt. Cum homines ſunt ſub his plagis, nihil ipſis auxilii relictum, niſi ut vel pharmaca adhibeant quæ natura & ars medicorum ſubminiſtrat, vel media quæ SS. Theologia præſcribit, videl. converſionem vitæ & fideles ad Deum preces. Sed quia vel nolunt ſe ad Deum convertere, vel hoc facientes non ſtatim juvantur, convertunt ſe ad proprias inventiones, & nituntur excogitare & experiri media qualiacunque,

Digitized by Google

que, quibus juventur. Et cum ſe Deo per hanc infidelitatem ſubducunt,ſpontè ſe ingerit diabolus, inſpirans & ſuggerens varia media, vel ex natura, vel præter naturam, &, quantum in ſe eſt, facit ut juventur, ut ita homines à Deo ad ſe trahat. Hinc variæ tales artes, quas textus noſter vocat artes curioſas, περίεργα v. 18. e.g. magia, fatidica Aſtrologia, auguria, Thaumaturgi & præſtigiatores, ſuperſtitioſæ ceremoniæ ad ſanandos morbos, propria vindicta, artes furandi mille, & inter has præcipuè exorciſtarum ars atque profeſſio, conſiſtens in eo, ut diabolos ejicerent, quam artem ipſe Diabolus inſpiravit, & cui cedit quoties obdurandis in malitia hominibus conſultum eſſe videt. Inter gentes has curioſas artes in uſu fuiſſe patet ex Scriptura Exod. 7. 11. Lev. 19. 26. & præſertim apud Epheſios in uſu fuiſſe, patet ex hiſtoriis & proverbio vulgato: ἐφέσια γράμματα, pro characteribus magicis. Sed de Exorciſmo tamen, vel ejectione Dæmonum parum invenitur apud ethnicos, quippe qui de diabolis parum ſciebant, & malos genios atque Dæmonas potius placare, colere, & invitare ſolebant, quàm ejicere, ut vel ex hiſtoria Actor. 16. 16. patet. Sed præcipuè apud Judæos hoc genus vanæ artis in uſu fuit, qui inter gentes circumcurſitantes per nomen Dei Iſraëlis conabantur ejicere Dæmonia, ut ita Judaiſmum gentibus commendarent; Qui etiam ſuum Schemhamphoras & alias ineptias contra morbos adhibebant. Joſephus teſtatur, Salomonem libros Exorciſmorum ſcripſiſſe, & exorciſtam fuiſſe, quod fieri potuit dum eſſet idololatra. Alioquin in V. T. nihil legitur de exorciſtis, ſicut neque de obſeſſis. Verùm circa tempora Chriſti, ſicut Judæi erant in miſerabili conditione ſub dominio Romanorum, etiam prophetico ſpiritu planè deſtituti, ita Diaboli inter illos quoque licentioſè & evidenter graſſabantur, & corpora hominum variis modis affligebant, quod eo fine potiſſimum à Deo conceſſum, ut gloria Chriſti tantò magis fieret perſpicua. Chriſtus igitur poteſtate ſuâ divinâ uſus plurima dæmonia ejecit, & Apoſtolis quoque ſuis hanc poteſtatem conceſſit Luc. 10. 17. 18. 19. & poſt Apoſtolos quoque in primitiva Eccleſia, cum cæteris donis miraculorum, hoc donum ejiciendi dæmones ex obſeſſis ad tempus durâſſe videtur. Verùm quod Chriſtus ac Apoſtoli fecerunt verè ex poteſtate divinâ, cui cedere Diaboli cogebantur, id quidam Judæi ex κακοζηλία Chriſti & Apoſtolorum fecerunt præſtigioſè, quibus Satan cedebat non coactus ſed volens; ut eos in ſuperſtitione confirmaret. Tales fuerunt hi, & tales quoque videntur fuiſſe illi Judæorum filii, de quibus Chriſtus Matth. 12. 27. per filios Judæorum non Apoſtolos intelligit, quia nulla foret argumentatio, ſed intelligit ſuos imitatores impios exorciſtas, qui nomine Chriſti hypocriticè utebantur, ſicut illi, de quibus Marc. 9. 38. Neque tantùm inter Judæos hæc κακοζηλία Chriſti locum habuit, ſed etiam mox in Chriſtianam Eccleſiam irrepſit, & etiamnum in Papatu durat. Ibi enim duplex exorciſmus: 1. Eſt peculiaris ordo

clericorum, qui vocantur exorciſtæ, qui energumenis, & hodie catechumenis præfecti ſunt, ut dæmones pellant. Hi plane ſunt circulatores tales, quales hi Judæi. 2. Ad baptiſmum adhibent ceremoniam exſufflationis, dicentes: Exi male ſpiritus, & da locum Spiritui S. & ſic Diabolum ab infante recedere credunt.

Jam videtis quid & quales fuerint illi Judæi exorciſtæ: Hinc nobis diſcendum:

I. Quod nullus hominum ordo plus mali in Eccleſiam introducit, quàm illi, qui Eccleſiæ docendæ præfecti ſunt, ubi ſemel à ſacra Scriptura recedunt, & *κακοζηλίᾳ* ſacrorum exemplorum indulgent. Sic hîc videtis vanam artem exorciſmi, profectam à ſacerdotibus Judæorum & ſacerdotibus Papiſticis. Sic pleræque vanæ artes ab iiſdem. Morbos adjurare, & ceremoniis ac verbis quibuſdam exorciſare à ſacrificulis didicerunt Papiſtæ. Sic encœniâ cum omnibus ſuis abuſibus profecta ſunt à ſacerdotibus. Sic comœdiæ & ſaltationes profectæ à Sacerdotibus. Illi enim, ex quadam *κακοζηλίᾳ* Davidis, feſtorum, quæ in honorem Dei & ſanctorum celebrant, gaudia in muſicis & ſaltationibus conſtituunt, & cum ad verbum Dei vivâ voce prædicandum vocati ſint, malunt res ſacras per effigies & comœdias populo ob oculos ponere. Hoc moneo, ut noſtri homines, qui talibus rebus addicti ſunt, ſciant quorum magiſtrorum diſcipuli ſint, ſcil. ſacrificulorum Romanorum, & quàm vanè glorientur ſe Reformatæ Eccleſiæ doctoribus ſe dediſſe in diſciplinam. Hæc omnia proficiſcuntur à filiis ſummi Pontificis Romani. *Obj.* Sed noſtra encœnia, noſtræ comœdiæ ſunt reformatæ, non fiunt more Pontificio. *Reſpond.* Reformata Eccleſia non judicat lutum poſſe lavari & reformari, ſed potius expurgandum eſſe ſcopis. Et quàm hæc omnia inter nos lota ſint & reformata, id vos Deus aliquando docebit, cùm per plagas veſtros oculos aperiet, ut videatis quàm ſtricta & ſevera ſit Dei juſtitia, lex, & pietatis regula.

II. Ut caveamus neceſſitates & afflictiones noſtras ſublevare malis artibus. Non enim ad imitandum, ſed ad cavendum horum Exorciſtarum exemplum ejus infelix ſucceſſus nobis proponitur. Dedit nobis Deus conſilia adipiſcendi liberationem à Diabolo, à morbis & à paupertate, ab aliis neceſſitatibus. Pſal. 50. 15. 2 Chron. 20. 12. Jac. 5. 13. Matth. 17. 21. Jac. 4. 6. Addit poteſtates, quæ gladium *juſtitiæ* gerunt, quem licet implorare. Conceſſit moderatum & providum uſum rationalium Medicorum, quorum ars fundamentum in naturâ habet. His licet uti ſed non fidere 2 Chron. 16. 12. Afflictiones, quæ his conſiliis averti non poſſunt, fideli patientiâ ſunt ferendæ, nec extendendæ manus ad injuſtitiam Pſal. 125. 3. Per injuſtitiam & malas artes ſæpè poſſumus nos liberare à magnis malis. Sed non licet. Ubi artes & prudentia licita nihil efficit, exſpectandus eſt Dominus, nec celerandum ad injuſta media. Pſal. 27. 14. *Si ceſſat Dominus & auxilium differt, exſpecta*, Habac. 2. 3. Ne propera. Qui enim credit

Digitized by Google

dit non properat Iſai. 28. 16. Vide Iſa. 30. 15. 16. Hæc demùm virtus & medulla Chriſtianiſmi, habere in manu quo te ex magnis malis liberes, & tamen nolle, quòd media ſunt contra voluntatem Dei, ſed malle exſpectare horam liberationis à Deo. Hoc eſt ſimilem eſſe Chriſto, qui poterat ſibi ipſi eſſe propitius, & ſe ſubducere morti, poterat deſcendere ex cruce & ſeipſum ſervare, ſed nolebat. Diabolus, cum ſumus in ſtatu indigentiæ, ignominiæ, doloris, præſens nobis eſt, & conſilia ac media liberationis multa ſuppeditat, e. g. benedic Deo in faciem & morere, ſis tibi ipſi propitius, & non vade in locum, quò vocatus es, conſule pythoniſſam in Endor, injice tibi ipſi manus & temet occide, procide coram me & me adora, & hæc omnia tibi dabo, finis erit miſeriæ. O infelices animæ, quæ his conſiliis auſcultant! Hoc eſt abnegare fidem, & Domino infidelem fieri. Cur te Chriſtianum appellas, ſi extra Chriſtum & vias ejus ſalutem quæris? Hoc eſt deficere à Deo & transire ad Diabolum. Ne effringas carcerem Dei, ſed fac pacem tuam cum Deo, & expecta donec te educat per ſanguinem teſtamenti æterni, per quem magnum paſtorem ovium ex mortuis eduxit Hebr. 13.

Opus, quod hi Exorciſtæ aggreſſi ſunt, convenit cum ipſorum nomine & profeſſione. Occeperunt nominare nomen Domini Jeſu ſuper iis, qui ſpiritus malos habebant, dicentes: Adjuramus vos per Jeſum, quem Paulus prædicat. Habetis hîc 1. Patientes, quos hi Medici curare aggreſſi ſunt. 2. Medicinam quam adhibuerunt. Patientes erant illi, qui habebant ſpiritus impuros, i. e. qui obſeſſi erant à ſpiritibus impuris. Diabolus triplicem habet in homines poteſtatem 1. Poteſtatem corruptionis. Hæc illa poteſtas Diaboli, cui naturaliter ſubſunt omnes homines, poſtquam propter peccatum Adami in laqueum ejus traditi ſunt à Deo. 2 Tim. 2. v. 26. 2. Poteſtatem indurationis. Hæc illa poteſtas, cui ſubſunt omnes Euangelii prædicati contemptores, quos Satanas poſſidet ceu peculium, inequitat illis, ut propriis equis, donec in infernum præcipitet. Hi filii inobedientiæ, qui ſunt velut officina Diaboli Epheſ. 2. 2. 3. *Poteſtatem tentationis vel cribrationis*, ut loquitur Chriſtus Luc. 22. quæ fit per temporales afflictiones & periculorum concitationes in bonis & corpore, quò præcipuè pertinet poteſtas corporalis obſeſſionis, de qua hoc loco propriè agitur, & quam Deus Satanæ ſæpè concedit in pios æquè ac impios, ut patet ex exemplo Jobi, & filiæ illius Abrahæ, quam Satanas ligavit Luc. 13. 16. imò in ipſum Chriſtum aliquo modo habuit Matth. 4. Quàm varius & miſerabilis ſit hic morbus corporalis obſeſſionis; nunc non exponam. Faxit Deus, ut exempla inter nos ſint nulla vel rara. Remedium contra hunc morbum, ab exorciſtis Judaicis adhibitum eſt, quod obſeſſos, vel potiùs Diabolos in obſeſſis, adjurârunt per nomen Jeſu, quem Paulus prædicabat. Non credebant in Chriſtum, ſed tamen quia videbant Paulum per nomen Jeſu tot miracula facere, aggreſſi ſunt etiam exorciſmos

Digitized by Google

ſuos peragere per nomen Jeſu. Simon magus Actor.8. Cum videret Apoſtolos per impoſitionem manuum tanta dona conferre, ſimulat fidem, & rogat Apoſtolos, ut dent ſibi eandem poteſtatem. Sed hi homines ſine confeſſione Chriſti, ſine fide, & ſine conceſſione tentant uſurpare nomen Jeſu. Sicut Turcarum Imperator, poſtquam ſuaſu Papæ Uladiſlaus Ungariæ Rex juratam Turcis pacem violaſſet, invocavit Chriſtum in quem non credebat, dicens: Chriſte, ſi Deus es, ut Chriſtiani prædicant, vindica hoc Chriſtianorum perjurium: ita hi exorciſtæ Chriſtum invocant & nominant ad expellendos Diabolos, in quem tamen non credebant. Tales etiamnum ſunt in mundo, qui nomine & doctrinâ Chriſti utuntur, quam tamen non credunt nec recipiunt. Utuntur Religione ut pallio ſcelerum, & ut medio acquirendi honorem & exiſtimationem apud homines Pſal. 50.16. Matth. 7. v. 22. Non potes Chriſtum invocare, niſi prius in ipſum credas, & te ad illum convertas Rom. 10. Sed propero ad tertiam partem.

Succeſſus hujus conatûs miſerabilis eſt. Non enim ejecerunt, ſed irritârunt Diabolum, ut & acriter eos reprehenderet, & graviter percuteret ac vulneraret. Bellum erat mirabile, cum mors & vita pugnarent, & cum mors mortem devoraret, canit Lutherus in cantico ſuo Paſchali. Sed hîc reverâ mirabile bellum, ubi Diabolus Diabolum percutit & vulnerat. Exorciſtas enim, quamvis nomine Jeſu utentes, fuiſſe Diaboli mancipia & diſcipulos, & Diabolos ejeciſſe non per digitum Dei, ſicut Chriſtus & Apoſtoli, verùm per Beëlzebub, ſeu Diabolum, ex tota hiſtoria clarum eſt. Illum hominem, qui exorciſtas percutiebat hoc ſimiliter feciſſe inſtinctu & virtute Diaboli non minus conſtat. Manifeſtum igitur hic eſt bellum inter duos Diabolos. Alter Diabolus fit propheta & reprehendit peccatum, quod alter in ſeptem ſuis inſtrumentis patrabat. Nec tantùm reprehendit, ſed etiam gladium arripit, & ſocium ſuum ceu hoſtem percutit atque vulnerat. Quî hoc fieri potuit? Aut quî convenit hoc cum dicto Chriſti Matth. 12. ubi negat Diabolum poſſe per Diabolum expelli, quia ſi Diabolus ſecum ipſo diſcordet, regnum ejus ſubſiſtere non poſſit v. 26? *Reſpond.* Non erat bellum verum, ſed ludicrum, hiſtrionicum & encœniale. Si vera & conſtans diſcordia eſſet inter Diabolos, regnum eorum non diu poſſet ſubſiſtere, ſed eſt ſimulata & inconſtans. Sicut duo Advocati pro pretio vehementiſſimè & quaſi hoſtiliter contendunt pro duabus contrariis cauſis, cùm ſint intimi amici; ſicut pugiles pro pretio bellum & pugnam vehementiſſimam cient, & ſeinvicem etiam ſauciant, cum tamen ſint ſocii & amici, ita hîc Diaboli pugnant & ſeinvicem ſauciant ſine ulla diſcordia, ſed lucri cauſâ, quia per hanc pugnam nôrunt ampliare ſuum regnum. Diabolus hìc fit Concionator ac Propheta & Angelus lucis, graviterque reprehendit exorciſtas, qui tamen inſtinctu Diaboli omnia ſua agebant, dicens. Jeſum novi, Paulum novi, qui per digitum & commiſſionem Dei hoc faciunt;

Digitized by Google

faciunt; ſed vos qui eſtis, quod ſine poteſtate divinitus accepta tantum opus incipitis? Imò non tantùm reprehendit, ſed gladium apprehendit, judicem ſimulat, & pravam artem à ſe inventam vulneribus punit, idque non alio fine, quàm ut Paulo aduletur, ſi fortè per adulationem lucrari eum ſibi poſſit, quod tamen Deus quoque ita fieri voluit, ut gloriæ Chriſti conduceret, ut Pauli labor non impediretur, ſed promoveretur. Talia bella inter duos Diabolos etiamnum crebra. Nomino ſolùm illud quod Monaſterii geſtum inter Prælatos Pontificios & Anabaptiſticos fanaticos. Deus non ſemper committit Diabolos cum Eccleſia, ut illam oppugnent & vexent, ſed & illos ſæpe inter ſe committit, ut mutuis diſcordiis regnum Diaboli concutiatur. Non tantùm Eccleſia ſcinditur diſcordiis ad mutuam exercitationem, ſed etiam regnum Antichriſti inteſtinis bellis concutitur, filii ſedis Romanæ inter ſe pugnant, prælati dominatores & anarchici ſchiſmatici inter ſe committuntur, ut Eccleſiâ interea creſcat & quieſcat. Verum eſt, cum impii inter ſe pugnam cient, pulvis pugnæ plerumque in Eccleſiam incidit, ſed tamen certum, quod per diſcordiam veritas & Eccleſia ſortitur incrementum. Dum Syria & Ægyptus bellum gerunt, Judæa patitur & conſervatur, ut patet ex libris Maccabæorum. Dum Phariſæi & Sadducæi pugnant, evadit Paulus Actor. 23. Cum olim Gallia & Hiſpania bellum gererent, Reformatio Eccleſiæ introitum habuit non impeditum. Sed his miſſis nobis hinc diſcendum, quod, qui vult evadere Diaboli manus, non debet quærere Diaboli favorem & artes. Qui per Diabolum Diabolos vult expellere, à Diabolo vapulabit. Si vis expellere Diabolum, & te ab ipſo liberare, ne colludas cum Diabolo, ne ſervias ipſi ulla in re, ne utaris ejus artibus & conſiliis, ſed recedas à Diabolo, & Domino tuo ſoli ſervias, ut Chriſtus ſuo exemplo nos docuit Matth. 4. Quantò major hoſtis es Diaboli, quantò minus cum illo colludis, tantò tutior es à Diaboli plagis. Ratio non eſt, quia Diabolus tunc te minus odit, aut magis tibi favet & parcit, ſed quia te magis metuit, quippe quem jam demùm novit conſtitutum ſub protectione Chriſti. Quamdiu cum Diabolo colludis, & inter Chriſtum ac Diabolum claudicas, Diabolus tecum ludit ſicut felis cum mure, mordet te, lædit te, & Chriſtus non curat, ſicut Gallio Actor. 18. 17. Sed ſi Chriſto ſoli fideliter ſervis, non poteſt te tutò verberare Satan, quia te protegit Chriſtus, & ſi te tangit Satan, armat & animat te Chriſtus, ut Satan confundatur, ut patet ex hiſtoria Jobi. Dabit tibi excubias angelorum, præſidium Spiritûs S. clypeum fidei, totam armaturam Dei &c.

Actor. 19. *v.* 17. 18. 19. 20.

Conc. CCXIII.

SUpereſt ultima pars ſucceſſus, quem labor Pauli habuit in urbe Epheſina, videl. Efficax incrementum & victoria

Digitized by Google

ria verbi in cordibus hominum. Hoc explicatur

I. Per ſpecialem deductionem. Cum enim hoc & cætera miracula Epheſinis omnibus innoteſcerent, factum ut

1. Timor magnus caderet ſuper omnes.
2. Nomen Domini Jeſu magnificaretur.
3. Qui crediderant facta ſua confiterentur & manifeſtarent.
4. Præſertim qui vanis artibus indulſerant, libros harum artium, quamvis 50000. ſiclorum pretii publicè comburerent.

II. Per generalem concluſionem: ita, vel tam efficaciter creſcebat verbum Domini & prævalebat. Nos ordinem textus invertemus, & prius generalem concluſionem videbimus, poſtea hujus concluſionis deductionem. Tria ſunt in concluſione:

I. Verbum Domini crevit. Phraſis crebra in Scripturis Pſal. 85. 12. Marc. 4. 26. Actor. 6. 7. 1 Cor. 3. v. 6. 7. Dicitur autem creſcere verbum Dei

1. Cum propagatur ad plures, à pluribus cognoſcitur & recipitur. Hoc illud Actor. 6. 7. & 19. 10. Hic eſt ille curſus verbi 2 Theſſ. 3. 1.

2. Cum magis magiſque inclareſcit. Sicut Sol dicitur creſcere quàmdiu oritur, quia magis magiſque ſplendorem ſuum diffundit, & jubar ejus magis coruſcat, ita verbum in hoc mundo, quantò diutius prædicatur, tantò magis per meditationes ſervorum Dei, benedicente Spiritu S. panduntur ejus myſteria, ut mirabilia legis & magnalia Dei illuſtrius cernantur. In V. T. fuit verbum Dei & Euangelium ſub Patriarchis, ſed clariùs redditum per Moſen & Prophetas, & longè clarius per Chriſtum & Apoſtolos. Tum enim verbum Dei fuit ſicut Luna, magis magiſque creſcens. Sed poſt Chriſtum & Apoſtolos non augetur quidem verbum Dei, non multiplicatur Scriptura, & tamen, occaſionem dantibus hæreticis, magis magiſque declarata eſt Scriptura, & etiamnum quotidiè foditur hic ager, & hauritur hic puteus, ad multiplicationem ſcientiæ rerum ſpiritualium.

II. Verbum Domini ἴσχυεν, invaluit vel prævaluit. Verbum Dei præcipuè lex, dicitur infirmata, & impotens facta per carnem Rom. 8. 3. ſed poſt effuſionem Spiritus S. lex & totum verbum Dei eſt factum potens Pſal. 19. 8. Hebr. 4. v. 12. Ante regenerationem peccatum & caro dominatur nobis, ſed poſtea verbum Dei prævalet, & nos captivos ducit ſub ſuam obedientiam. Invaleſcit autem verbum duobus modis:

1. Cum vincit & ſubigit carnem & peccatum, compeſcit & moderatur affectus, exſtinguit libidines. Sicut aqua invaleſcit contra incendium, ſicut pharmaca contra morbum, ut eum vincant & ſubigant, ita verbum contra carnem. Non quidem in hac vita unquam ita prævalet, nec incendium & morbum ita tollit, quin ſubinde erumpat; ſed interim luctam excitat, in qua verbum prævalet ad finem Apoc. 6. 2. Verbum Dei ille equus albus, cui Chriſtus inequitat donec vincat.

2. Cum ſuper nos acquirit dominium,

Digitized by Google

nium, & nos facit obedientes & fœcundos in omni bono opere. Sicut Sol, quantò plus creſcit & inclareſcit, tantò potentius operatur in tellurem ad eam fœcundandam, ita quantò plus verbum Dei creſcit, tantò nos fœcundiores reddit ad omnia bona opera Epheſ. 4. 15. Coloſſ. 2. 19. Iſai. 55. 10. 11.

III. Crevit & invaluit κατὰ κράτος. Deſcribitur hâc voce extraordinarium aliquod & inſolens verbi incrementum. Sicut frumentum totâ æſtate creſcit, ſed aliquando tamen tempeſtas eſt talis, quæ magna vi herbas protrudit, ut quaſi viſibiliter creſcant; ita verbum Dei nunquam eſt ſterile, ſed tamen aliquando extraordinariè creſcit. Sic tempore Apoſtolorum ſæpè unâ concione aliquot millia converſi, paucis menſibus & annis totæ urbes, Provinciæ, imò integra regna Euangelio ſubacta. Tale fuit incrementum verbi tempore patrum noſtrorum in Germania, Gallia, Britannia, Belgio, Dania &c. Utinam aliquando iterum tam velociter currat Euangelium (noch eens ſulck een ſcheut krygen) Deo nihil impoſſibile, qui ſemel dedit, dare poteſt denuo.

Hactenus generalis concluſio; ſequitur ſpecialis deductio hujus concluſionis, quâ Lucas profert ſigna, ex quibus conſtet, quod verbum Domini tam potenter creverit & invaluerit. Signa hujus incrementi ſunt

1. Timor cecidit ſuper omnes, ſcil. timor à Jeſu & verbo ac ſervis ejus. Jeſus, verbum Jeſu, & ſervi ejus mundo erant ludibrium, ſtultitia, riſus. Sed cum Jeſus per verbum & ſervos ſuos exſerit tantam & tam miraculoſam vim, tum ſuper homines, tum ſuper ipſos Diabolos, deſinunt ludere & ridere, & incipiunt timere ac tremere à verbo Domini Jeſu & Apoſtolorum ejus. Planè ſicut ille Capitaneus juverat Chriſtum crucifigere & illudere, ſed viſis miraculis contremiſcit ac pulſat pectus Matth. 27. 54. Sic hi Euangelium de fide in Jeſum crucifixum tanquam fabulam ſtultam hactenus fuerant ludificati, ſed jam timent. Statim atque Sol in vere incipit invaleſcere, excitat nobis tonitrua, fulgura in aëre, & per hæc terram aperit ad pariendas herbas ac gramen, ita cum verbum incipit creſcere, parit primò omnium timorem & tremorem in cordibus hominum. Fuit timor quidam generalis ſuper omnes, adeoque non fuit timor ille filialis regenitorum proprius, ſed generalis quædam præparatio cordium ad converſionem, quæ in aliis effectum ſortita eſt, in aliis non.

2. Nomen Domini Jeſu magnificabatur. Non tantùm non ampliùs contemnebatur, ridebatur, illudebatur, ſed etiam ſuſpiciebatur & reverenter habebatur. Fuit hoc quoque generale quid in omnibus, nec proprium fidelibus, ſicut plebeii omnes Reges, Principes & Magnates mundi, quantumvis barbaros vel exteros aliquo modo venerantur & honorant, ſed neminem adeò, ut ſuum Principem atque Regem: ita generalis quædam veneratio nominis Chriſti erat per miracula in omnibus Epheſinis, ſed non erat illa veneratio fidelibus propria, profecta ex fide

Digitized by Google

& ſenſu amoris Chriſti, nec ex vero amore in Chriſtum, quâ cum, tanquam Dominum noſtrum, toto corde glorificamus & celebramus & magnificamus.

3. Multi fidelium venerunt confitentes & annunciantes, vel revelantes actus ſuos, i. e. peccata ſua, quæ hactenus celaverant, & non confeſſi erant. Praxis hic idem quod facinus. Crediderant quidem, & poſt confeſſionem peccatorum atque fidei baptizati, & in Eccleſiam recepti erant, ſed tamen non ita candidè & apertè egerant cum Paulo, quin magna quædam peccata celarent & reticerent, & nimis generales eſſent in peccatorum confeſſione. Cum autem per miracula, & præcipuè per ipſorum Diabolorum terrorem à nomine Jeſu, timor Jeſu in illis augeretur, expreſſa eſt & horum peccatorum confeſſio. Hinc confeſſionem auricularem Pontificii omni ope elicere ſatagunt. Sed conſidera quæſo 1. Auricularis confeſſio exigitur ab omnibus, at hæc tantùm facta à quibuſdam. πολλοὶ τῶν πεπιστευκότων. 2. Auricularis confeſſio eſt privata & ſecreta, facta ſoli ſacerdoti. At quod verſu ſequente de combuſtione librorum dicitur, quod combuſti coram omnibus, id etiam de confeſſione hac intelligendum. Ideò etiam duo verba conjunguntur, confitentes & annunciantes, ut intelligatur confeſſio publica. 3. Confeſſio hæc fuit planè libera, ſpontanea, ac voluntaria, nec per ſubtile examen Confeſſarii elicita, ſed per ſolum timorem ex miraculis conceptum expreſſa. Veniebant confitentes. Non itaque fuit auricularis. *Qualis igitur? Reſpond.* Fuit publica quorundam magnorum facinorum, hactenus latentium, revelatio & deteſtatio in facie Eccleſiæ, ad majorem humiliationem coram Deo, & ad exemplum dandum aliis, nec non cum gratiarum actione ad Deum pro converſione. Confeſſio peccatorum fit quatuor modis:

1. Deo. Quàm neceſſaria hæc ſit, patet ex 1 Johan. 1. v. 8. 9. Pſal. 32. v. 5.

2. Proximo privatim; Cum ei quem offendimus, offenſas has confitemur, ut cum placemus Matth. 5. 23. 24. Vel cum amico ſecretum aliquod vulnus conſcientiæ nudamus, ut conſilio ſuo & precibus nos juvet in conſcientia pacanda Jacob. 5. 16. quod poſtremum ſi præcipuè fiat Paſtoribus, quippè in conſcientiarum vulneribus curandis maximè verſatis, nequaquam improbandum.

3. Eccleſiæ publicè. Hoc fit 1. Cum quis cupit admitti in gremium Eccleſiæ ad participationem ſacramentorum. Hìc certè requiritur confeſſio peccatorum & fidei publicè coram Eccleſia, vel ſaltem coram iis, quibus hæc res ab Eccleſia commiſſa eſt, & quibus à Deo data poteſtas diſpenſandi ſacramenta Matth. 3. 6. 2. In gravibus peccatis Eccleſiam offendentibus, vel conſcientiam peccantis graviter ſauciantibus. Cum enim Eccleſiæ grave ſcandalum datum, æquum eſt, ut per diſciplinam Eccleſiaſticam requiratur publica confeſſio coram Eccleſiâ, quâ offenſæ Eccleſiæ ſatisfiat, & peccator cum Eccleſia reconcilietur 2 Cor. 2. 6.

quod

quod tamen fieri debet non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, adeoque prudenter. Cum peccatum commiſſum ipſam conſcientiam peccatoris adeò graviter ſauciat, ut pacem non habeat dum peccatum reticetur, publica confeſſio coram Eccleſia, ſive generalis, ſive particularis licita eſt, quà peccator ſeipſum pudefaciat, peccata ſua publicè deteſtetur, & interceſſionem Eccleſiæ imploret, ad levandum conſcientiæ onus. Talis confeſſio fuit horum hominum, in quibus angor animi & timor Domini Jeſu adeò invaluerat, & memoriam peccatorum adeò acuerat; ut per publicam confeſſionem & deteſtationem peccatorum levamen conſcientiæ quærerent, ſicut eodem fine libros vanarum artium publicè combuſſerunt. Hæc non eſt confeſſio præcepti, ſed confeſſio mero timore Dei & angore conſcientiæ expreſſa (angſtbiechte) quæ ſicut nemini prohibenda, ita nemini obtrudenda eſt. Nihil igitur commune habet hæc confeſſio cum Pontificia auriculari. Non edim eſt præcepta, ſed ſpontanea, non curioſo examine elicita, ſed mero angore conſcientiæ expreſſa, ad quærendum levamen, non ad expiandum aut merendum: Eſt tamen laudabilis confeſſio, quæ propriè fit ad Deum, ſed coram Eccleſia. Tam gravia enim peccata Deo non ſolùm privatim, ſed & publicè coram tota Eccleſia confiteri, non inuſitatum in Eccleſia Iud. 2. 4. 5. Eo fine David Pſalmum 51. Eccleſiæ reliquit, & Paulus confeſſionem ſui peccati deſcripſit, 1 Cor. 15. 9. Gal. 1. 13. 1 Tim. 1. 13. Vide Baruch. 1. 14. 15. Tales ſunt confeſſiones peccatorum in diebus humiliationis, etiamnum uſitatæ, in quibus fit publica quædam ſpecificatio & enumeratio gravium peccatorum, notoriè inter nos graſſantium. Vide Dan. 9. Nehem. 9.

4. Quartum ſignum, ex quo incrementum verbi concluditur eſt; quod multi eorum, qui vanas artes exercuerant, libros comportabant & comburebant, computatoque pretio inveniebant argenteos 50000. Non inſiſtam computationi, quanta hæc ſit ſumma ſecundum monetam noſtram. Nam vix certi quid ſtatui poteſt. Artes vanæ intelliguntur non tantùm magia, ſed & fatidica aſtrologia, auguria, ſomniorum interpretatio, hiſtrionica, amatoria, ſaltatoria &c. Ἐϱγάζεσθαι & περιεργάζεσθαι opponuntur 2 Theſſ. 3. 11. ἀργὸς φλύαρος, περίεργος conjunguntur 1 Tim. 5. 13. Intelligitur igitur quicquid eſt præter & contra Chriſtianiſmum ac vocationem, utile ad roborandum cor in vanitate. Magna illa emporia erant Academiæ vanitatis, ubi omnis generis vanitas docebatur, non tantùm vivâ voce, ſed & ſcriptis libris. Vanitas hominibus congenita, & hoc miniſtrorum objectum quod mortificent. Sed homines in tantùm non cedunt, ut libros ſcribant, & Scholas vanitatis erigant, quibus in vanitate ſeinvicem confirment, ut fiant artificiosè vani, ſicut nobis hoc loco non deeſt cauſa hac de re quiritandi. Harum artium libros combuſſerunt publicè. Libros noxios publice per carnificem comburere eſt actio pœna-

Digitized by Google

lis, facta à magiſtratu, ut hâc infamiâ homines à talibus ſcribendis libris & legendis abſterreantur. Sed hìc eſt actus pœnitentiæ in peccatoribus, factus ad publicam deteſtationem peccati, quod patraverant. Non vendunt, ſed comburunt, partim, ut alios non doceant, quod ipſi deteſtantur, præſertim tamen ut deteſtationem veram & pœnitentiam peccati teſtentur: Si Iudas adfuiſſet, ſine dubio dixiſſet, quorſum illa perditio? Satius erat vendere & pretium dare pauperibus; ſed liceat mihi & hìc reſpondere: Charitas plus eſt quam ſacrificium. Satius eſt in ignem conjicere bona, quàm per ea perdere proximi animam.

Videtis ex his, ita explicatis, unde nobis conſtare debeat, an verbum Dei, inter nos prædicatum, habeat ſuum verum incrementum. Prædicatur verbum inter nos ſatis frequenter, nec eſt quod queramur non audiri. Satis frequenter curritis ad templa, pugnatis de commodo loco &c. ſed ex aliis ſignis deducitur hic incrementum verbi. Ubi inter nos timor Domini, & non potiùs ſuperbia, laſcivia, levitas? Ubi celebratio Domini, & non potius maledictio, imprecatio, jurgatio cum proximo? Ubi peccatorum confeſſio, & non potius juſtificatio? Ubi abuſuum & ſcandalorum reformatio & ſublatio, & non renovatio? Signum hoc eſt, potiùs quod verbum inter nos non creſcat nec fructus ferat, adeoque propediem à nobis auferendum ſit. *Object.* Quid hoc nobis exprobratur? Nos ſatis diligenter frequentamus templum, & curamus verbum conſeri in arva cordium noſtrorum; ſi non creſcit, hoc nos non poſſumus emendare! *Reſpond.* Non ſufficit audire, ſed curandum quomodo audias Luc. 8. v. 18. Auditis quidem, ſed quomodo quæſo auditis?

1. Spontè zizania ſeritis inter triticum. Poſtquam verbum Dei audiviſtis, curritis ad ſpectacula. Ex domo Dei in domum Diaboli. Nonne utraque æquè plena, imò ſi utrobique ſine pretio poſſetis eſſe, malletis eſſe in ſpectaculis quàm in templo, quod ſatis produnt iſtæ multorum inſipidæ loquelæ, ſe plus ædificatos per ſpectacula, quàm per conciones. Poſtquam horâ unâ ſatis ſomnolenter invigilâſtis verbo, porrò totam diem, vel etiam hebdomadem conſumitis in immoderatis curis vitæ, in voluptatibus, in meditatione vanitatis, in ſaginatione corporis &c. Et quæ hìc poteſt eſſe benedictio ſuper verbum?

2. Spontè induratis cor, & obfirmatis mentem, ne poſſit recipere ſemen. Quamvis bonum injiciatur ſemen, ſi terra ſit lapidoſa, non creſcit. Sic vos obduratis cor ſpontè, ut creſcere verbum non poſſit. Eſt quædam conjuratio inter vos, quod nolitis credere monitis veſtrorum Concionatorum, & ſi quis credat, illum velitis irridere tanquam ſuperſtitioſum, timidulum &c. Sic ruſtici Papales conjurârunt, ſe nunquam receſſuros à ſua ſuperſtitione, & ſi quis ceſſerit, fere infamem, extra commercia &c. Si tales vel centies in templum veniant, quid juvet?

3. Non applicatis conciones auditas per

Digitized by Google

per meditationes & preces, ſed potius id agitis ut Concionatorem judicetis, quod hoc vel illud non rectè dixerit &c. Magnum diſcrimen inter cenſuras concionum & praxes concionum. Praxis auditorum eſt, cenſura non cujuſvis.

Actor. 19. v. 21. 22.

Conc. CCXIV.

QUo ordine & modo Paulus Epheſi docuerit, quem ſucceſſum doctrina ejus habuerit, & quid propter illam ibidem paſſus ſit, ſunt tres partes hujus capitis. Abſolutis prioribus accedimus ad ultimam. In hac deſcribitur

I. Tempus, quando hæc paſſio ipſum obruit.

II. Malum ipſum quod paſſus eſt.

Per integrum ferè triennium quietè & ſine turbis docuit Epheſi, ſed cum digreſſum ab urbe, & egreſſum in Judæam meditaretur, turbæ ipſum corripiunt.

1. Poſtquam hæc impleta eſſent, i. e. poſtquam ferè per triennium Epheſi docuiſſet, Euangelium tot miraculis confirmâſſet, tam felici ſucceſſu non ſolùm Epheſi egregiam Eccleſiam plantâſſet, & vanas Epheſiorum artes pudefeciſſet, ſed etiam totam Aſiam cognitione Euangelii impleſſet.

2. Tum Paulus poſuit in Spiritu. Dupliciter hoc exponitur: 1. Poſuit in ſpiritu, id eſt, propoſuit ſibi in corde ſuo, ſicut Actor. 5. 4. 2. Poſuit in ſpiritu, id eſt, motu & inſtinctu Spiritûs S. conſilium cœpit, & propoſitum formavit. Ponere enim eſt ſtatuere & decernere aliquid, Dan. 6. 8. 9. 10. & paſſim, moderatore Spiritu Paulus itinera ſua inſtituit Actor. 16. v. 9. & 20. 22.

3. Quid autem ſibi propoſuit? 1. Reverti Hieroſolymam. Poſt converſionem ſuam ſæpius Hieroſolymam abiit, ex Arabia, ex Antiochia Gal. 1. 18. Actor. 9. 26. & 11. 30. & 12. 25. Sed hic eſt tertius regreſſus in hanc urbem ex occidente, poſtquam per ſpiritum eſſet ablegatus inter gentes. Actor. 13. v. 2. Cauſa hujus regreſſus exprimitur Rom. 15. 25. 26. 2. Propoſuit tamen ante regreſſum in Judæam Eccleſias in Macedonia & Achaia reviſere, non ſolùm ad eas in fide confirmandas, ſed ad accipiendum pecuniam, quam Hieroſolymam deferret. 3. Propoſuit ſimul Hieroſolymâ iterum egredi, & Romam proficiſci, imò Româ in Hiſpaniam Rom. 15. 28. id quod etiam ex parte factum, ſed longè aliter quàm ipſe propoſuerat. Non enim proprio motu Romam profectus, ſed captivus Romam miſſus eſt.

4. Neque tantùm propoſuerat hoc iter, cum hæ turbæ ipſum corriperent, ſed etiam ex parte exequi propoſitum cœperat. Quoſdam enim diſcipulorum & comitum ſibi miniſtrantium jam tum præmiſerat in Macedoniam, poſt pauculam moram in Aſia ipſe ſequuturus. Diſcamus hinc:

I. Sæpe cum videmur pericula evaſiſſe & ſuperâſſe, demùm in ea incidimus. Paulus toto triennio ſine periculo Epheſi docuerat, ſed ecce cum jam abitu-

Digitized by Google

abiturus eſſet, in periculum incidit. Non inſiſtam huic dogmati, ſed obſervo eo fine, ne unquam deponamus curam & ſolicitudinem Chriſtianam, ſed ſemper maneamus in armis. Eſt enim bellum dum hìc ſumus.

II. Decet hominem Chriſtianum prius apud ſe deliberare & decernere, antequam manum alicui operi admoveat. Sine prævio conſilio & propoſito manum admovere operi non decet hominem Chriſtianum. Ponendæ actiones noſtræ in cor, antequam ponantur in manum. Sic Paulus in itineribus ſuis egit. Ideam totius itineris apud ſe concepit antequam iter aggreſſus eſt. v. 21. Vide locum ſimilem Rom. 1. v. 13. 1 Theſſ. 2. 18. 2 Cor. 1. 15. 16. Sic Chriſtus docet Luc. 14. 28. ad 33. Sapientes ethnici dixerunt, quod conſulto prius quàm facto opus ſit. Multò minus Chriſtiana prudentia & ſapientia permittit, ut incogitanter quicquam agamus. Damnatur incogitantia Iſai. 32. 4. & 35. 4. Homines rationales non debent irrationaliter, ſeu ſine uſu rationis, mero impetu affectuum quicquam ſuſcipere, ſed debent conſiderare ſuas vias Pſal. 119. 59. Si hoc prius fieret, non in tot mala ſe præcipitarent homines, cùm magna opera vitæ aggrediuntur ſolo impetu affectuum & libidinum, non prævio rationali propoſito. Quot infelicia conjugia contrahuntur defectu hujus rei? Quot gravia & damnoſa peccata committuntur, cum ſine prævia deliberatione opus aliquod præcipitamus? Sit igitur generalis lectio omnibus, ut in omni graviori negotio prius deliberatè proponant, antequam opus ipſum aggrediantur, ne per irrationalem præcipitantiam operis ruant in magna incommoda. Vide Prov. 1. 4. & 2. 11. & 3. 21. Præſertim autem in negotio religionis & pietatis deliberata propoſita nobis debent eſſe commendata. Nam bona propoſita ſunt radices bonorum operum, & ſicut ſine radice nulli fructus, ita ſine bono propoſito nulla bona opera. Rationalis igitur cultus incipit ab interna & libera προαιρέσει, quâ eligimus & proponimus facere quod bonum eſt Pſal. 119. 30. & 173. Sicut praxis pietatis incipit à fractione & abjectione mali propoſiti Pſal. 101. 3. & 66. 18. ita à formatione boni propoſiti. Vide adhortationes & exempla Actor. 11. 23. Dan. 1. 8. Pſal. 39. 2. Iob. 31. 1. 2 Tim. 3. v. 10. Multa neceſſaria ſunt & conducunt ad bona opera producenda, e. g. ut voto nos Deo obſtringamus Pſal. 76. 12. vel etiam juramento Pſal. 119. 106. Sed inter hæc omnia voluntas & propoſitum faciendi voluntatem Domini eſt primum & primarium, quod ad producenda bona opera neceſſarium eſt. Nam votum & juramentum oris poteſt eſſe inane & ſine fructu, ſi ſit hypocriticum & ſine interna voluntate, ac ſine propoſito cordis. Voluntas verò & ſerium propoſitum cordis, etiamſi non accedat votum & juramentum oris, prodeſt ad ſalutem. Tum demùm toto corde Deum colimus, cum opera, quæ facimus, fluunt ex propoſito cordis, & cum ſine propoſito cordis aliquid religionis exercemus, non eſt niſi volatilis devotio, (vliegende aendacht) accedimus labiis,

Digitized by Google

biis, cordibus procul abſumus. Propoſitum cordis habet promiſſionem divinæ opis Ioh. 7. 17. & 15. 7. Adſcendamus igitur ad plenum & abſolutum propoſitum faciendi voluntatem Domini in omnibus partibus, & hoc propoſitum Deo gratum erit, & obtinebit promiſſionem vitæ æternæ. Aliud eſt plenum ac abſolutum propoſitum, aliud dimidiatum & conditionatum votum, quale Bileami Num. 23. v. 10. Sic multi impii non ſunt adeò athei, quin aliquem affectum erga pietatem gerant, & vellent eſſe pii, ac facere voluntatem Domini, ſi & quatenus poſſunt ſine detrimento honoris, bonorum, vitæ. Sed hoc non ſufficit, requiritur propoſitum ſincerum, plenum, abſolutum, volo in Domino confidere etiamſi me occidat, volo iram Dei portare, etiamſi pereundum ſit, volo præcepta ſervare, etiamſi cum Chriſto moriendum. Det Deus, ut praxis religionis noſtræ procedat non ex conſuetudine, ſed ex electione & propoſito animi. *Object.* At quid prodeſt velle & proponere, ſi non efficias. Propoſui quidem ſæpe, ſed non præſto. Deus opera requirit, nec eſt contentus propoſito, licet ſincero. Non deſunt mihi propoſita, toties totieſque iterata, ſed nihil promoveo, nihil perficio. Non judicabimur ſecundum propoſita, ſed ſecundum opera Matth. 16. Pſal 62. At ubi mea opera? *Reſpond.* Si propoſitum tuum ſincerum eſt, non poteſt eſſe ſine operibus, ſaltem non ſine conatu, lucta & deſiderio perficiendi, cum triſtitia ex ſenſu defectuum. Verum enim & ſincerum voluntatis propoſitum non ſinit nos eſſe otioſos, ſed eſt internum vivum calcar, perpetuò impellens ad malum fugiendum, & bonum proſequendum. Ubi bonum propoſitum voluntatis, ibi cor rectum coram Deo, in quo locum non habet hypocriſis. At ubi tale cor, ibi promiſſio ſalutis, & omnium quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt Pſal. 32. 2. Tales ſunt plantati in domo Domini, & habent promiſſionem æterni incrementi Pſal. 92.13.14.15.&97.11. Prov.3.32. Non igitur deeſſe poſſunt bona opera, quantum ad ſalutem neceſſarium eſt iis, qui imprægnati ſunt bono & ſincero cordis propoſito. *Inſtant:* Atenim non video mea bona opera, ſed potiùs ſentio me multum abeſſe ab illa perfectione, quam verbum Dei à me requirit. *Reſp.* Non potes eſſe melior Apoſtolo Paulo. Huic certè non deerant bona opera, ut patet ex ejus hiſtoria, & tamen eandem querelam queſtus eſt, quam tu quereris. Rom.7.18.19. Nimirum hæc ſunt ipſiſſima bona opera fidelium, quæ Deo per Chriſtum placent, quod habentes verum ac ſincerum & abſolutum cordis propoſitum, conatum atque luctam ſecundum omnia Dei mandata vivendi, ob defectum perficiendi quod volunt, quotidiè ſe humiliant querulis gemitibus coram Deo. Si hoc facis, habes bona opera, quæ Deo placent, & hoc propoſitum atque hæc lucta te non ſinet vacuum bonorum operum, ſed faciet ut quotidiè creſcas, quantum ad ſalutem tuam neceſſarium eſt, nec permittet, ut tibi indulgeas in vitiis & vita inhoneſta, ad impietatem avidè committendam, & qui bonum

cor-

Digitized by Google

cordis propoſitum profitentur contra ebrietatem, ſcortationem, & ſimilia crimina,& tamen in illis pergunt, mentiuntur contra ſeipſos, & indicant cor ſuum non eſſe rectum coram Deo. Non adſcendunt ad cordatam reſolutionem, ut loquuntur, ſed hærent & claudicant inter Deum & mundum (ſyn irreſoluit) vellent ſed non volunt.

III. Attamen alia adhuc doctrina in textu eſt, videl. hæc: Cum quid nobis proponimus, non tantùm proponendum eſt in corde, ſed etiam in Spiritu S. Poſſumus aliquid proponere in carne 2 Cor. 1. 17. poſſumus etiam in Spiritu. Quod ſecundum carnem proponimus, leve eſt & inconſtans, propoſitum, nec Deo placet. Ergo quicquid in corde proponimus, per Spiritum S. debemus proponere. Quid autem eſt per Spiritum ſanctum aliquid proponere? *Reſpond.* Non tantùm impulſu & inſtinctu Spiritûs. Hoc neceſſarium. Nam propoſita ſolo arbitrio naturali, ſine operatione Spiritûs S. formata, non ſunt ſolida. Si omnis bona cogitatio debet formari à ſpiritu, multò magis propoſita. Sed tamen hic non exprimitur id, quod in propoſitis humanis fit ex parte Spiritus S. ſed id quod fit ex parte hominis. Homo dicitur per Spiritum S. aliquid proponere:

1. Cum aliquid proponit conſulto Spiritu S. in Scripturis loquente. David proponebat Deo ædificare domum, ſed inconſulto Deo, ideò diſplicebat 2 Sam. 7. 2. In Papatu nil uſitatius, quàm proponere & vovere Deo hoc & illud, e. g. paupertatem, abſtinentiam à conjugio, obſervantiam humanarum regularum atque legum. Sed inconſulto Spiritu S. Ubi hoc vult Scriptura? Ante tale propoſitum requiritur proba meditatio illius quod eſt 1 Corinth. 7. v. 37.

2. Cum aliquid proponit cum ſtipulatione auxilii Spiritûs S. Petrus proponebat mori potiùs quàm Chriſtum abnegare. Erat bonum ac ſincerum propoſitum, & tamen irritum. Quare? quia fiebat ſine agnitione propriæ infirmitatis, & ſtipulatione auxilii *Spiritûs* S. ſine quo Jeſum ne Dominum quidem appellare poſſumus 1 Cor. 12. Dicendum igitur: faciam hoc quantum me roborabit gratia Spiritus S. ſine qua me fateor nihil poſſe. Vide Marc. 9. 24. *In nomine Domini decernendum* 1 Cor. 5. 4. Luc. 5. 5.

3. Cum aliquid proponit cum ſubjectione voluntatis ſuæ ſub voluntatem Domini. Si quis, præſertim in rebus temporalibus, aliquid proponit ſine hac ſubjectione, is reprehenditur Jac. 4. v. 13. 14. 15. & redarguitur exemplis Apoſtolorum Actor. 18. 21. 1 Cor. 4. 19. Hebr. 6. 3. Hæ conditiones omnes probè obſervandæ in formandis propoſitis. Deus, cùm ſit ens independens, poteſt facere decreta abſoluta & illimitata. Sed ſi homo velit abſolutè aliquid decernere, & ſibi proponere ſine ſuſpenſione ſui conſilii à voluntate & providentia Dei, per hoc ipſum declarat, ſe velle eſſe αὐτεξούσιον, abſolutæ & independentis poteſtatis, adeoque Deo ſimilem, quod graviſſimum eſt peccatum, propter quod Adam ex paradyſo fuit ejectus. Præſertim poſtquam per

pecca-

Digitized by Google

peccatum corrupti ſumus, quid poſſumus exſequi ſine Deo? In rebus ſpiritualibus licita ſunt propoſita abſoluta, quia habemus in talibus promiſſionem auxilii Spiritûs S. perficiendi quod neceſſarium eſt. Sed in rebus temporalibus non licet abſolutè aliquid proponere, ſed cum conditione.

IV. Denique obſervandum, quod homines multa proponant, quæ nunquam fiunt, ſaltem aliter fiunt atque propoſita ſunt. Proponebat Paulus Romam proficiſci, & Româ in Hiſpaniam, & quidem per Spiritum S. proponebat, & tamen non ſucceſſit. Romam enim ductus eſt captivus, in Hiſpaniam, quod conſtet, nunquam venit. Vetus eſt verbum: Homo proponit, Deus diſponit. Conſentit Salomon Prov. 16. 9. & 20. 24. Fit hoc in ſpiritualibus. Quoties proponimus bonum & non perficimus? Fit in temporalibus. Quoties decernimus conſilium quod non ſuccedit Iſai. 8. 10. Quot conſilia & propoſita nobis intervertuntur (aenſlagen miſlucken) quæ vellemus ſuccedere. Ne ideò deſpondeamus animum. Modò rationaliter & in ſpiritu proponamus quod bonum & licitum eſt, id eſt, cum conſultatione divini oris, cum invocatione divini ſpiritûs, cum ſubjectione noſtræ voluntatis, & tum Deus ſemper dabit aliquam ἐυοδίαν, & juvabit nos perficere bonum propoſitum, quantum ſufficit ad ſalutem. Precemur Deum, ut dirigat greſſus noſtros, ut in rebus dubiis conſilia tuta menti noſtræ imponat, ut, ſi via noſtra mala eſt in oculis ejus, pedem noſtrum retrahat. Tum ducet nos ſecundum conſilium ſuum; etiamſi non ſemper ſecundum conſilium noſtrum, & tandem recipiet ad gloriam Pſalm. 73. v. 24.

Actor. 19. *v.* 23.

Conc. CCXV.

MAlum, quod paſſus eſt Paulus, fuit periculum vitæ ex ſeditione civium, quæ ob Chriſtianam religionem exorta eſt. Non afflictus fuit in corpore, vinctus, captus, percuſſus &c. ſed tantùm in periculo corporalis afflictionis fuit, quod tamen periculum, quàm graviter in animum incubuerit ipſe refert 2 Cor. 1. 8. Quò etiam pertinere videtur locus qui eſt 1 Cor. 15. 32. ubi Paulus dicit quòd ἐθηρωμάχησεν ἐν ἐφέσῳ. Hunc quidem locum quidam interpretes propriè volunt accipiendum, quod Paulus, more apud gentes uſitato, ſpectaculi cauſâ leonibus vel urſis in circo objectus ſit, quod multis Chriſtianis contigiſſe hiſtoriæ teſtantur. Sed malim tamen cum aliis iſtum locum accipere impropriè, de θηρίοις ἀνθρωπομόρφοις, ſeu de hominibus ferarum more ſævientibus, ut ſenſus ſit, Epheſinos cives in hac ſeditione inſtar urſorum & leonum in Paulum involâſſe, & perdituros eum fuiſſe, niſi ſuis ad Deum precibus furorem eorum repreſſiſſet & ſuperâſſet. Nam 1. Si pugnam aliquam cum feris propriè dictis ſubiſſet, eam Lucas ſine dubio non tacuiſſet. 2. Legimus quidem, quod in iſtis perſequutionibus Chriſtianorum, quæ Romanorum Cæſarum authoritate fiebant, & in il-

Digitized by Google

lis ludis, qui publicâ authoritate aperiebantur, tale quid factum, ſed non in tumultibus & ſeditionibus civitatum. *Objicitur* contra hanc interpretationem, quod id, quod Paulus de pugna cum beſtiis ſcribit, ſcriptum ſit antequam hic tumultus fuit. Poſt tumultum enim Paulus Epheſo ſtatim diſceſſit Actor. 20. 1. At verò poſt pugnam cum beſtiis Paulus adhuc ad tempus Epheſi manſit. Confer 1 Cor. 15. 32. Cum 1 Cor. 16. 8. Ergo pugna cum beſtiis & tumultus civium non eſt idem. Sed non valet conſequentia. Etſi enim poſt tumultum diſceſſit, ideò tamen non opus eſt dicere eum tam citò poſt tumultum diſceſſiſſe, quin prius epiſtolam ad Corinthios potuerit ſcribere?

Quoniam igitur Paulus non fuit ſub actuali aliqua afflictione corporis, ſed tantùm in periculo, meritò quæritur, an in verum Chriſtianum cadere poſſit, ut ex ſolo periculo vitæ & plagarum tantum concipiat metum, ut ferè deſperet, quale quid ſibi contigiſſe Paulus dicit 2 Cor. 1. 8? Pontificii & alii, qui dubitationes laudant, & parrheſiam fidei tanquam temerariam præſumtionem damnant, cum vident aliquem noſtræ confeſſionis in gravibus periculis trementem & gementem, rident omnem noſtram gloriationem de fide dicentes, ſi confiditis, cur tremitis? *Reſpond.* Paulus hîc non loquitur de dubitationibus & timoribus circa ſalutem animæ, quaſi pacem & parrheſiam conſcientiæ amiſiſſet in hoc periculo, & de ſalute ſua dubitâſſet aut deſperâſſet, ſed tantùm dicit periculum vitæ corporalis fuiſſe tantum, ut de ea ſervanda deſperaret. Talis deſperatio non pugnat contra fidem, quia de tempore vitæ corporalis non habemus promiſſionem aliquam determinatam, contra quam per infidelitatem peccari poſſit. *Inſtant.* Attamen, ex periculo vitæ corporalis adeò angi & tremere, fidei videtur contrarium. *Reſpond.* Non eſt contrarium. Nam tremere & credere non pugnant, ſed in eodem ſubjecto conſiſtere poſſunt. Nam

1. Chriſtus ſecundum humanam naturam credidit in Deum, & quidem fide perfectâ (nulla enim imperfectio, legi contraria, in Chriſto locum habuit) & tamen admodùm tremuit & pavit, non ſolùm cum jam tum ſub manu, ſed cùm non niſi ſub metu afflictionum eſſet Joh. 12. 27. Luc. 22. 44. Nimirum etſi habebat fidem legaliter perfectam, tamen portabat, & portandum ſciebat onus infinitum. Infinitum autem iræ divinæ onus finitâ humanitatis fide, quamvis legaliter perfectâ, portari non potuit ſine titubatione & tremore, imò portari planè per fidem perfectam non potuiſſet, niſi acceſſiſſet infinita Deitatis, perſonaliter unitæ, potentia.

2. David credidit, & quidem magnâ ac heroicâ fide credidit, & tamen tremuit. Vide Pſal. 116. 10. 11. Nimirum ſancti in terris credunt quidem, ſed fide imperfectâ. Fide autem imperfectâ onera & tentationes, quæ fideles in mundo obruunt, ferri non poſſunt ſine concuſſione & tremore, imò ferri planè non poſſent, niſi potentiâ Dei & continuo influxu ſpiritus in fide cuſtodirentur 1 Petr. 1. 5. Sed quoniam pro-

Digitized by Google

propter interceſſionem Chriſti per continuum influxum Spiritus S. in fide roborantur, ideò tentationes ſuſtinent, & inveniuntur fideles uſque ad finem, ſed non ſine tremore & angore, qui in aliis major in aliis minor eſt, prout menſura fidei, & aſſiſtentia ſpiritus divinitùs ipſis diſtribuitur. Interim credentes, etſi tremunt, non deſtituuntur pace conſcientiæ, & gaudio ineffabili. Dum enim ſecundum carnem tremunt; ſecundum ſpiritum gaudent ac quieti ſunt, & ſeſe ſuſtentant in mediis angoribus, nec merguntur in deſperationem, ſed ex angoribus eluctantur.

De hac porrò Epheſiorum ſeditione vel tumultu ſequentia ſunt in reſiduo Capitis.

1. Qualis tumultus fuerit?
2. Unde ortus tumultus?
3. Quouſque proceſſerit?
4. Quomodo Paulus ſe in illo geſſerit?
5. Quomodo ſedatus ſit?

Duplices ſunt tumultus, militares, & populares. Illi fiunt auctoritate publicâ, & legibus reguntur ac ordinantur. Hi verò fiunt privatorum concurſu, qui ſine lege & conſilio impetuoſis iris in vindictam proſiliunt, & ſeditio vocantur. Talis fuit hic tumultus Epheſiorum, qui cum fuerint ethnici, non debent Chriſtiano populo; qui ſub legitimis magiſtratibus vivit, exemplum eſſe, quod imitentur. Non enim ejuſmodi ſeditiones alium habent ducem & capitaneum præter Diabolum, & optime comparantur cum iſta ὁρμῇ ſeu impetu porcorum Matth. 8.32. Marc. 5.13. Sic enim ſeditioſi gladium ſumentes gladio pereunt, & ſe in exitium præcipitant. Sed de ſeditione plura erit dicendi locus ſub finem capitis. Vide etiam quæ dicentur in Actor. 21.27. 28.

Ortus eſt ob religionem, concitante Demetrio, duobus ſpecioſis prætextibus v. 23. 24. 25. 26. 27.

I. Ἐγένετο περὶ τῆς ὁδοῦ. Ortus eſt circa viam, id eſt, ex religione Chriſtiana. Religio Chriſtiana, quam Paulus Epheſi plantaverat, vera cauſa hujus tumultus. Per viam enim nihil aliud intelligit quam religionem Chriſtianam & circa, i.e. propter hanc religionem ortus hic tumultus.

1. Chriſtiana religio vocatur via. Rationem diximus Actor. 18. v. 25. 26. quia ſcil. eſt medium per cujus ſcientiam atque praxin pervenimus ad communionem cum Deo, ſicut viator per calcationem & ſequelam viæ ducentis pervenit ad metam propoſitam. Atq[ue] Chriſtus illa via Joh. 14. 6. Hebr. 7. 25. *Reſpond.* Chriſtus eſt via ad ſalutem, non quia eſt illud medium, per quod nos ad Deum accedimus, ſed quia eſt ille Mediator, per quem Deus nos ad ſe adducit. Chriſtus non eſt viâ quam nos calcamus, & in qua nos ambulamus ad Deum, ſed appellatur via, quia nobis viam aperit, & præbet acceſſum ad Deum, & nos intromittit ad Deum. Scimus quod propter peccatum acceſſus ad Deum nobis erat intercluſus, ut adumbratur hoc Geneſ. 3.23.24. Non tantùm igitur opus habebamus viâ, quâ ad Deum ambularemus, ſed etiam quâdam aperturâ, quâ impedimenta acceſ-

 ſûs

Digitized by Google

ſûs tollerentur. Sicut cùm ad urbem aliquam ambulandum eſt, non tantùm requiritur via, in qua ambulemus, ſed etiam aperta porta, per quam intres. Sic religio, videl. contritio, fides & bona opera, eſt via quam nos calcamus, per quam ad Deum ambulamus, *via quam Deus præparavit; ut in ea ambulemus* Epheſ. 2. v. 10. Chriſtus tamen etiam dicitur via per quam ad Deum accedimus, quia eſt porta & janua, quæ præbet nobis tranſitum per murum divinæ juſtitiæ atque iræ, quæ nobis propter peccatum oppoſita erat, ad nos à facie Dei arcendos, unde ſeipſum januam vocat, quâ in ovile intratur Johan. 10. 1. 2. & eſt porta illa cœli de qua Gen. 28. 17. via ad ſanctuarium quæ in V.T. nondum erat aperta vel manifeſtata Hebr. 9. 8. Religio autem Chriſtiana eſt via, quia eſt ſemita illa nobis præſcripta, in Scripturis, commonſtrata per Scripturæ interpretes, qui ideò ſunt noſtri ὁδηγοὶ Rom. 2. 19. Actor. 8. 31. in qua via Spiritus S. eſt noſter Dux, qui nos ſuſtentat, portat, trahit & ductitat in omnem veritatem, quique nos ambulare & currere facit, cor noſtrum dilatans Johan. 16. 13. Pſal. 119. 32. Hæc illa via, in qua Chriſtus nobis eſt præceſſor, cujus veſtigia ſequimur in fide & patientia Hebr. 12. 21. imò hæc illa via, quam Chriſtus nobis initiavit per velum carnis ſuæ, quâ Deitatem ſuam veſtiverat Hebr. 10. 20. i.e. quam mento & ſacrificio carnis ſuæ nobis fecit perviam, ut per illam ſine impedimento penetrêmus in Sanctum Sanctorum. Sicut enim velum ruptum dabat introitum in Sanctum Sanctorum, ita caro Chriſti mactata aperit viam ad cœlum. Eſt quidem via aſpera, anguſta, moleſta, attamen via certa, & pervia per merita carnis Chriſti, quæ non calcatur fruſtrà. Quoniam igitur hæc via ad ſalutem nobis parata eſt, inſiſtamus ei, curramus noſtrum curriculum, nec ſegneſcamus, ne quis fruſtretur introitu in requiem. Hebr. 4. 1. & 10. 19. ad 25. & 12. 1. Curramus dum aperta eſt. Claudetur enim Matth. 25. 10.

2. Hæc via cauſa tumultus. περὶ τῆς ὁδοῦ τάραχος ἐγένετο. περὶ hic idem quod ob vel ex, & docetur, quod ex confeſſione & praxi Chriſtianæ Religionis oriantur tumultus & concuſſiones populorum. Id Chriſtus docet Matth. 10. 35. 36. An igitur Chriſtus diſſidiorum auctor, ſi ideò venit ut excitaret? *Reſpond.* Diſtinguendum inter diſſidia (verdeyltheeden) & bella atque tumultus. Diſſidiorum Chriſtus auctor eſt propriè dictus, quia eo ipſo fine in mundum venit, ut mundum in malo conſentientem divideret Luc. 12. 51. Sicut ante diluvium totus mundus habebat unam eandemque linguam, quæ deinde diviſæ ſunt Geneſ. 11. ita ante Chriſtum mundus totus non niſi carnalia ſapiebat. Sicut gladio aliquando utimur ad dividendum 1 Reg. 3. 24. 25. ita Euangelium eſt gladius in mundum miſſus ut penetret uſque ad diviſionem animæ ſimul ac ſpiritûs Hebr. 4. v. 12. Facit, ut homines, qui antea idem ſapiebant & faciebant malum omnes, nunc diverſum ſentiant & faciant, alii veritatem & pietatem, alii errores & malitiam. Vide clara exempla Johan. 7. 40. 41.

Digitized by Google

40. 41. 42. 43. Actor. 28. v. 24. 25. Hæ igitur diviſiones ſunt ex Euangelio, quod non prædicatur eo fine, ut omnes homines convertat, ſed ut electos à mundo ſeparet & dividat, ne cum mundo conſentiant & concurrant. Hâc diviſione hominum, per Euangelium facta, bella & tumultus neceſſariò ſequuntur, non vitio Euangelii, ſed vitio mundi, qui mendacii & impietatis amore faſcinatus odit eos, qui aliud ſentiunt & faciunt. Vide 1 Petr. 4. v. 3. 4. Joh. 15. 19. Hinc Joël c. 2. vaticinatus de effuſione Spiritus S. ſuper omnem carnem ad convertendas electorum animas, ſtatim ſubjungit v. 28. vaticinium de turbis in orbe orituris ex hac effuſione Spiritus S. ne homines putarent ſub Euangelio meram fore quietem, ſed ſcirent pietatem opus habere pœnitentiâ, quâ voluntatem Dei facientes promiſſionem aſportent. Vide etiam Pſal. 2. 1. 2. ubi Dominus & unctus ejus, ibi fremitus & machinatio populorum. Ne itaque offendamur, cum viam ſalutis ingreſſi invenimus tot odia & bella & ludibria hominum contra nos. Prædictum ita fore Matth. 16. 24. Actor. 14. 22. 2 Tim. 3. verſ. 12. Matth. 10. 16. 17. 18. 1 Theſſ. 3. v. 3. ad hoc poſiti. Chriſtianiſmus hoc ſecum fert 1 Petr. 4. v. 17. Non tantùm ideò confeſſores & factores pietatis turbis ſubjecti, quia mundus eos odit, ſed etiam ideò, quia Deus eos amat, tanquam domeſticos & filios ſuos, quos caſtigat ne cum mundo pereant. Etiamſi igitur ſcitis quod in hac via, de qua loquimur, turbæ ſint & tumultus, ne propterea ab hac via deflectite, ſed inoffenſo pede pergite, etiamſi mundus iraſcatur vel illudat pietatem exercentibus. Nam

1. Afflictiones & tribulationes, quæ ob Chriſtianam religionem nobis obveniunt, ſunt in ſeipſis glorioſæ: Sunt enim quædam conformitas cum Chriſto capite noſtro Phil. 3. 10. Sicut milites generoſi gloriam in eo ponunt, ut verſentur in iiſdem cum duce periculis, ita Chriſtiani veri pro gaudio, gloria, & beatitudine habent, quod imagini Filii Dei etiam in afflictionibus conformes redduntur. Rom. 8. v. 29. Vide Matth. 5. 11. 12. Actor. 5. 41. 1 Petr. 4. 14. Martyrium pati in patibulo eſt conformem eſſe Chriſto crucifixo.

2. Sunt bonum ſignum. Si quis iter faciens ſibi habet prædictum, quod via, quâ incedendum eſt, ſit plena ſpinarum, & verò viam invenit planam & ſpinis deſtitutam, ſemper dubitat ne viam ingreſſus ſit aliam, quàm decet. Sic cum in praxi religionis non invenimus niſi pacem, putamus religionem noſtram non eſſe veram nec ſinceram, metuimus ne non ſimus filii ſed ſpurii, quia non caſtigamur à patre propter defectus Hebr. 12.

3. Quod propter Chriſtum & propter juſtitiam patimini, ut eſt Matth. 10. 11. Chriſtus ſibi inflictum judicat, & vindicabit. Actor. 9. 5. Si Chriſtus nobis compatitur, cum propter peccata noſtra nos caſtigat Jer. 31. v. 18. 20. multò magis compatietur cum propter nomen ejus, & propter exercitium juſtitiæ mundi odium experimur.

4. Si participes ſumus Chriſti in eo, ut, *ſi cum ipſo patiamur propter juſtitiam*,

Digitized by Google

etiam gloria ejus erimus participes 2 Cor. 1. 7. 2 Tim. 2. v. 11. 12. O quot ſunt Chriſtiani inter nos, qui ſi ſoli in mundo viverent, non facerent quæ nunc faciunt, ubi cum mundo converſantur. Onerant conſcientiam ſcrupulis periclitantur valetudinem, ſpoliant poſteros, faciunt quod ipſimet improbant, idque tantùm ideò, ut effugiant ſuccenſiones & illuſiones eorum, quibuſcum converſantur. Hoc certè eſt Chriſtum abnegare, ut mundi amorem retineas. *Object.* at quis poteſt ferre omnia illa ludibria? *Reſpond.* quid magis poteris ferre, an ludibria hominum, an dolores inferni? Si Chriſtus ita voluiſſet dicere, quomodo redemptus eſſes? Si Apoſtoli, quomodo Euangelium ad nos veniſſet? Repete illud Hebr. 12. 2. 3. *Nemo poteſt ſervire duobus Dominis.* Poteſt Deus facere ut ſalvus evadas per mundum, etiamſi mundus te non amet.

Actor. 19. *v.* 24. 25. 26. 27.

CONC. CCXVI.

De ortu tumultûs Epheſini vidimus cauſam impellentem, vel potius occaſionem, videl. viam Domini, quam Paulus prædicabat. Sequitur cauſa concitans, & argumenta, quibus ad hunc tumultum concitandum ea eſt uſa. Etſi enim religio Chriſtiana eſt occaſio & quodammodo cauſa tumultuum, tamen ex religione nulli oriuntur tumultus, niſi interveniente malitiâ eorum, qui, cum ſint religionis hoſtes, odioſam reddere religionem apud alios ſtudent. Id fecit Demetrius aurifaber, qui primò omnes ejus artis magiſtros convocavit, & per hos omnes operarios ſervos, quorum operâ illi magiſtri utebantur in ſua arte, conglomeravit, atque per hos totam ferè civitatem in theatrum concivit. Rationes autem quibus eos ad hunc tumultum concitavit, ſunt duæ:

1. Quia ipſis aurifabris conciliaret magnum damnum, ſuo Euangelio efficiens, ut mercatura argenteorum templorum, quibus homines gentiles ad ſuperſtitionem utebantur, decreſceret, decreſcente ſuperſtitione.

2. Quia imminueret honorem Dianæ, divertens homines ab ejus cultu, quem hactenus tota Aſia ipſi exhibuerat. Hìc primò hiſtorica quædam ſunt excutienda de Diana, de templo Epheſino, in honorem Dianæ exſtructo, itemque de argenteis imaginibus hujus templi, quas aurifabri Epheſini faciebant.

I. Diana fuit una ex ſex Deabus majoribus quas ethnici colebant. Invocabatur à viatoribus & itinerantibus, tanquam dux viarum, item à venatoribus, tanquam tutrix ſylvarum, item à prægnantibus & parturientibus mulieribus, tanquam mater viventium & naſcentium animalium, unde pingebatur πολύμαστος ſeu multimammia. Etiam qui oculis laborabant invocabant eam, ut Deam lucis. Pingebatur quidem ut fœmina, ſed revera in hac fœmina Lunam planetam colebant ethnici, quam putabant eſſe fœminam in ſtellam converſam & in cœlum translatam, & luci, oculis, ſylvis & animalium fœtibus regendis à Jove, Deorum

Digitized by Google

rum ſummo, præfectam. In Papatu huic Dianæ ſubſtituta eſt Maria mater Domini, quæ à Papiſtis eodem modo colitur atque Diana à gentibus. Fatetur id Jeſuita à Lapide rotundis verbis in hunc locum. Vera & vera, inquit, Chriſtianorum Diana eſt B. Virgo Maria, & in ſex rebus Mariam cum Diana comparat, verbis utens apertè blaſphemis & flammâ dignis, & ex quibus conſtat, quod Papatus nihil aliud ſit quàm Ethniciſmus ſub Chriſtiano nomine. Sicut enim ethnici ſomniabant, quod quædam fœminæ, propter merita virtutum ſuarum, à ſummo Jove eſſent tranſlatæ in cœlos, converſæ in ſtellas, & præpoſitæ rebus in hoc mundo regendis, quæ proinde ut Deæ eſſent adorandæ ab hominibus, ita Papatus de Maria & aliis ſanctis viris ac fœminis idem ſentit.

II. Huic Dianæ in urbe Epheſina exſtructum erat templum tam magnificum, ut ex omnibus partibus orbis ad hoc templum ſpectandum homines confluerent, utque numeraretur inter ſeptem mundi miracula. Unde & bello Perſico propter pulchritudinem ejus Barbari huic pepercerunt, cum omnia alia templa comburerent. Tota Aſia in ædificando hoc templo fuit occupata, idque per annos plus quàm ducentos. Longitudo dicitur fuiſſe pedum 425. Latitudo 220. Columnas habuit 127. à totidem regibus ædificatas, quarum ſingulæ altitudinem habuerunt ſexaginta pedum. Ædificatum fuit in loco paluſtri, & pro fundamento habuit carbones & vellera lanæ. In hoc templo erat ſimulachrum Dianæ, quod credebant cœlo delapſum & adorabant. Denique illud de hoc templo memorabile, quod quidam Heroſtratus illud accendit & combuſſit, eo ſolùm fine, ut æternum ſibi nomen compararet in hiſtoriis, quaſi inter felicitatem eſſet numerandum per maleficia inclareſcere & in hiſtorias inſeri, ſicut Pilatus in Symbolum fidei, & Judas in hiſtoriam paſſionis. In hac quoque re Papiſtica & ethnica religio conveniunt, quod cultum & merita ponunt in eo, ut Deum & ſanctos ſtructurâ magnificorum templorum honorent. Fecit quidem hoc Moſes & Salomon, verùm non in exemplum Chriſtianis, ſed in ſignum ac Sacramentum ad umbras V. T. pertinens.

Templum enim Salomonis ſacerdotale erat, repreſentans partim Chriſtum & ejus ſacrificium ac ſanctimoniam, partim Eccleſiam in N. T. partim gloriam & lætitiam cœleſtem. In noſtris autem templis nihil ſacramentale, ſed ſatis ſunt culta, cum ſunt commodum & honeſtum receptaculum Eccleſiæ ad colendum Deum congregatæ.

III. Atenim quæ illa templa argentea, quæ ab argentariis fiebant? Erant quidam exigui moduli, formæ & proplaſmata templi iſtius magni, & ſimulacri quod in eo erat, quorum uſus erat 1. Ut in ædibus vel ſpondis larariis & oratoriis ſuſpenſa eſſent excitamenta devotionis, per quæ & coram quibus fieret adoratio Dianæ ab iis, qui ad templum magnum venire non poterant. 2. Ut à ſacerdotibus luſtratæ vel conſecratæ, colloque vel aliâ corporis

parte

Digitized by Google

parte geſtatæ prodeſſent contra febrim, pericula, adverſam fortunam &c. Quàm hac quoque in parte Papatus ethniciſmo ſimilis ſit, ſuperfluum foret vos inſtituere, cum res ſit omnibus nota.

Hæc hiſtoria. Jam ipſam vim argumentorum conſideremus, quibus hunc tumultum concitavit argenteus Rhetor. Etſi enim non fuit literatus Chryſoſtomus, argenteam tamen linguam habuit, populo movendo & faſcinando aptam, ſuoque exemplo oſtendit, quàm ferè Æſopus linguam omnium rerum, quæ proſtant in foro, optimam peſſimamque dixerit, cui Jacobus conſonat c. 3. 9. Facundæ linguæ multum turbarum pariunt in mundo. Quiſque videat pro qua cauſa facundus ſit.

I. Prius argumentum eſt: Si homines incipient credere Deos non eſſe, qui manibus hominum fiunt, noſtrum opificium veniet εἰς ἀπελεγμὸν, & lucrum noſtrum ceſſabit. At Paulus ita docet homines. Ergo niſi reprimatur, & lucrum noſtrum ceſſabit, & opus noſtrum veniet εἰς ἀπελεγμὸν, i. e. non ſolùm contemnetur & non amplius à populo emetur, ſed etiam reprehendetur tanquam inſtrumentum ſuperſtitionis & idololatriæ. Quæritur autem qualis ſit conſequentia hujus argumenti: Si populus perſuadebitur, non eſſe Deos qui fiunt manibus hominum, tum noſtra argentea templula, quæ nos manibus noſtris facimus, venient in contemptum. An igitur templula illa argentea habebantur pro Diis? *Reſpond.* Loquitur Demetrius ſecundum principia idololatrarum, quibus in more poſitum eſt, ut imaginibus ſanctorum ac divorum nec non imaginum imaginibus & nomen & honorem & vires divorum tribuant. Sic etiamnum fit in Papatu, ubi imago crucifixi Chriſti vel Mariæ, & imaginis imago ſeu copia vocatur Chriſtus, & adoratur ut Chriſtus, & creditur facere miracula ut Chriſtus ipſe. Habent quidem naſutiores ſacrificuli ſuas diſtinctiones, ſed ſi praxin eorum & populi reſpicias, imagines vocantur Dii, honorantur ut Dii, creduntur operari ut Divi. Sic ovum ovo ſimilius non eſt quàm Papiſmus eſt ethniciſmo. Diſcamus ex hoc argumento Demetri, quod religio, quæ non eſt de pane lucrando, ſed quæſtum intercipit, non eſt grata homini carnali. Carnales enim homines ventrem habent pro Deo, & hic Deus non vult coli niſi religione pingui. Eſt ſicut Bel Babylonicum. Adject. in Daniel. 14. 2. Tales homines putant religionem eſſe quæſtum 1 Tim. 6. 5. & cum vident per Chriſtianam religionem ſpem quæſtûs expelli, oderunt eam & perſequuntur Actor. 16. v. 19. Hinc etiam fit, ut tales homines, etſi religionem veram nec intelligunt nec amant, tamen amplectantur & profiteantur eam, quia profeſſio iſta aliquem quæſtum præbet, ſive in pecunia ſive in honore Actor. 8. v. 18. Nos aliter agamus, amplectamur religionem propter veritatem & bonitatem quæ in illa eſt, etiamſi non tantùm quæſtum non præbeat, ſed etiam damnum & crucem afferat. Eſt praxis religionis quæſtus magnus 1 Tim. 6. 6. ſed cum contentatione. Quæſtus eſt,

Digitized by Google

quia

quia præbet pacem conſcientiæ & gaudium æternæ vitæ. Contentationem tamen requirit & patientiam, quia in hâc vita quæſtus ille ferè eſt abſconditus ſub odiis mundi & onere divinæ caſtigationis, quam praxis pietatis ſecum fert. Ne quæſtus cauſâ veritatem & pietatem deſeramus, *Quid prodeſt enim ſi lucreris mundum & perdas animam?* Matth. 16. Videmus & hinc, quæ ratio quòd homines Papatum & ethniciſmum tam ægrè deſerant, & præcipuè quæ ratio, quòd ſacrificuli etiam docti & literati, pro abſurdo & ſtolido Papatu tantoperè pugnent. Non certè quia eſt religio ſapiens, juſta, pia, ſed quia eſt religio quæſtuoſa. Quàm quæſtuoſus enim ſit Papatus, multis hominum generibus latè deduximus cum explicaremus Actor. 16. 19.

II. Poſterius argumentum Demetrii petitur à periculo urbis & religionis. Si Pauli doctrina fertur in urbe periculum eſt, ne & templum magnæ Deæ Dianæ pro nihilo habeatur, & majeſtas illius Deæ tollatur, quam Aſia & totus orbis colit. Duplex vis eſt in hoc argumento:

1. Oſtendit ſe cautum velle celebritati urbis ſuæ. Nam ex æſtimatione iſtius magnifici templi Epheſus adeò celebris erat, & propter hoc ex omni parte orbis populus ad hanc urbem frequentandam confluebat. Si hoc templum & ejus cultus in contemptum veniat, fama urbis noſtræ peribit.

2. Prætendit ſe curam gerere Catholicæ Religionis. Si Pauli Euangelium fertur, Catholica Religio periclitabitur. Cultus enim Dianæ eſt Catholica Religio. Tota Aſia & terrarum orbis Dianam colit. Adſcribit Dianæ majeſtatem, quam nullam habet. Cum enim idolum eſſet, nihil erat in mundo 1 Cor. 8. & quàm habebat, eam opifices fecerant inducto auro, argento, tunicis &c. Habac. 2. 18. 19. Diſcamus:

1. Qui ex publicis turbis privatum commodum & honorem quærunt, ſemper avaritiam ſuam palliant prætextu boni publici & religionis Demetrius argumentum de bono publico ultimo loco ponit, argumentum verò de damno & lucro privato primo loco, quod ſatis indicat, eum non tàm pro aris quàm focis, non tàm pro templo quàm pro ſua culina pugnare, & tamen cura boni publici & religionis egregiè oſtentatur. Eodem modo faciebant illi, de quibus Actor. 16. 19. 20. 21. Sic Judas Johan. 12. 5. 6. Sic Caiphas Johan. 11. v. 50. Ne igitur nimiùm fidamus illis qui adeò frequenter bonum publicum & conſervationem religionis in ore gerunt, & ejus prætextu turbas concire ſatagunt in Eccleſia vel republica; ſed metuamus ne ſub prætextu boni publici privatum commodum quærant. Pleraque bella hoc prætextu geruntur.

2. Gladium, quo Pontificii ſuum Papatum ſolent defendere, ab ethnicis mutuò ſumpſerunt. Noſtra religio eſt Catholica, tota Europa & totus orbis Papæ obediens eſt, & ceremonias ejus recipit. Ergo eſt vera religio. Si hoc argumentum valet, tum etiam cultus Dianæ eſt vera religio. Non eſt Catholica religio quam totus orbis amplectitur. Nam major pars orbis ſemper adhæſit erroribus. Sed eſt vera religio,

Digitized by Google

quam tota Eccleſia omnium temporum & locorum amplexa eſt. Hoc de noſtra religione aſſerimus, de Pontificia negamus. Patet, ſi conferas tres partes noſtræ catecheſeos, & tres partes in quibus Pontificii pœnitentiam conſtituunt: Contritio, Fides, Nova obedientia: Contritio, Confeſſio, Satisfactio. Avertamus nos à ſuperſtitione, etiamſi pallietur titulo antiquitatis & communitatis. Vide Actor. 28. 22.

Actor. 19. *v.* 28. *ad* 35.

Conc. CCXVII.

HOmo eſt creatura rationalis, & hoc privilegio à cæteris terreſtribus creaturis diſtinguitur, quod facta & omiſſa ejus non fluunt ex bruto impetu affectuum, ſed ex provido dictamine & auſpicio rationalis animæ. Nihilominus certiſſimum eſt, & per experientiam conſtat, quod & rationales homines ſæpe cum ratione inſaniant, & ſe ita in actionibus ſuis gerant, ut videantur rationis impotes, & ferarum ac brutorum more agere quicquid agunt.

1. Non loquor nunc de iis, quibus per monſtroſam nativitatem vel morbum aliquem corporalem organa rationis corrupta ſunt, ut nihil rationale ab iis proficiſci poſſit, quales ſunt phrenetici & mente capti.

2. Neque loquor de ſpirituali illa corruptione intellectus, voluntatis & affectuum, quâ amiſimus primævam & concreatam ſimilitudinem cum Deo & ſanctis angelis, factique ſumus amentes, inſipientes, ſtolidi, animales, terrena & beſtialia ſentientes.

3. Neque loquor de iis, qui potu inebriati, cerebrum, rationis inſtrumentum, ceu valvis occluſerunt & incraſſârunt, ne radii Solis rationalis penetrare poſſint.

4. Neque loquor de mirabili illo Judicio Dei in Nebucadnezarem, de quo legimus Dan. 4. 25. 32. 33.

5. Neque loquor de reprobo ſenſu, in quem homines traditi brutaliter ſe geſſerunt Rom. 1. 22. &c.

6. Sed hoc eſt de quo loquor, quod homines, non tantùm animam rationalem habentes, ſed etiam rationis uſu pollentes, imò multis præceptis & experientiâ inſtituti, nihilominus aliquando ita ſe gerunt, ut brutis & feris ſimiliores ſint quàm hominibus. Hoc tum contingit, cum homines ratione & rationis uſu pollentes, per affectuum motus ita faſcinantur, ut faciant; quæ contra propriam rationem atque judicium ſunt, & de quibus, ubi ad ſeipſos redierint, pœnitet admodùm & ſeipſos accuſant quod beſtiarum modo fecerint Pſal. 73. 21. 22. Præcipue autem homines rationales fiunt beſtiis irrationalibus ſimiles, cum per iram erga ſe invicem ita exacerbantur, ut homo homini lupus fiat, & ferarum inſtar ſeinvicem mordeant, lacerent, atque conſumant. Non poſſum vobis deſcribere phyſicam iræ originem & proceſſum, & qui fiat, quod homo rationalis exiguo momento per iram fiat adeo ſimilis irrationalibus, ſed exemplum vobis exhibeo, in quo veritas hujus rei pateſcit, quod

Digitized by Google

quod tantò aptius eſt ad id , quod dixi, confirmandum , ſi vera eſt interpretatio dicti Paulini 1 Cor. 15. v. 32. quam dedimus cum interpretaremur verſum 23. hujus capitis.

De hoc irrationali tumultu Epheſiorum ſequentia cœpimus explicare.

1. Occaſionem & cauſam concitantem hujus tumultus.

2. Deſcriptionem ipſius tumultus, & quouſque proceſſerit.

3. Quomodo Paulus in hoc tumultu ſe geſſerit.

4. Quomodo tumultus tandem ſedatus ſit.

Hac vice agendum de ſecunda & tertia harum partium. Tumultus ipſe deſcribitur partim ab internis animorum motibus, partim ab externis actibus inde fluentibus. Sicut enim Actor. 21. v. 30. de Hieroſolyma dicitur, quod tota urbs commovebatur, ita hæc erat totius urbis commotio.

I. Motus animorum erant, ira & confuſa ignorantia, ſeu opinionum varietas. Ira pleni erant omnes, ſed cui rei irati eſſent plerique ignorabant, alius putabat Judæos aliquid moliri, alius Chriſtianis erat infenſus, in eo tamen omnes conſentientes, quod ob injuriam Dianæ illatam irati erant.

II. His iratis & confuſis animis ſimiles erant externæ actiones, clamor ingens & diuturnus, & varius, curſus impetuoſus in theatrum, ubi ſine dubio etiam curia fuit, & ubi publica civium negotia tractari ſolebant, tractio & truſio quorundam Pauli comitum, quos Judæi odio Chriſtianæ religionis ethnicis iratis objiciebant, ethnici verò eo potiſſimum nomine illis infenſi erant quod Judæi erant natione. Gajus & Anaſtarchus Macedones patriâ, Judæi genere, Chriſtiani religione, ob religionem protrudebantur à Judæis, ob genus arripiebantur & trahebantur ab ethnicis, recuſabaturque eis auditio, quia de Judæis maximè conſtabat, quod ethnicorum religionem deteſtarentur.

In verbis nihil difficile quod explicationem magnoperè requirat. Voluit Spiritus S. hunc tumultum tam copioſè deſcribere, ut alii ex hoc exemplo diſcerent, quid ad pacem ipſorum pertineat, & vitare quæ contra pacem ſunt. Nihil hîc imitandum ſed vitandum diſcimus. Non poſſumus ex hoc textu diſcere quicquam boni facere, poſſumus tamen diſcere aliquod mali vitare. Religiones falſæ & mentes carnales non tantùm æternam pacem cum Deo acquirere & conſervare neſciunt, ſed etiam neſciunt, quæ ad temporalem pacem pertineant, verùm inſtar proceloſi maris fluctibus jactantur, niſi per externam & coactivam diſciplinam contineantur & ſupprimantur. Hujus impetuoſitatis exemplum voluit Chriſtianis ob oculos ponere Spiritus S. ut turpitudinem & noxam ejus animadvertentes diſcerent induere ſpiritum lenem & tranquillum, ut eſt 1 Petr. 3. 4. qui ſponte ſuâ pacem ſectetur cum omnibus. Indigent quidem etiam Chriſtiani externâ & coactivâ diſciplinâ, tum politica, tum Eccleſiaſtica ad pacem conſervandam, idque propter carnis reliquias, & charitatis imperfectionem, ſed tamen hoc eſt diſcrimen inter ethnicos & Chriſtianos, quòd, cum ethnici & impii tam

Digitized by Google

facilè poſſint concitari ad tumultus, ſicut mare ad fluctus, ſicut arundo à vento movetur, Chriſtiani ſibi ipſis frænum injiciant, quo iram & animum contineant, ne tam facilè moveri poſſit ad id, quod paci contrarium eſt. Impii ſunt ſicut equi & muli, qui frænis continendi ſunt externis, quique frænis duci poſſunt quocunque volueris Pſal. 32. Sed Chriſtiani ita continent ſpiritum ſuum, & ita poſſident animam, ut nec ſponte ſuâ tumultuentur, nec ab aliis facilè pertrahantur ad malum. Hæc immobilitas Chriſtianis paſſim tribuitur & commendatur. Coloſſ. 1. 23. & 2. 7. 1 Theſſ. 3. 2. 3. 2 Theſſ. 2. 1. 2. 1 Cor. 15. 58. Eph. 4. 14. Matth. 11. 7. Chriſtiani non ſunt ſicut arundo. Chriſtiani ſunt ſicut navis, quæ per anchoram fidei fixa eſt fundamento Hebr. 6. 19. Sunt *ſicut Domus & lapis ſuperſtructus lapidi angulari & petræ.* Actor. 4. Matth. 7. Sunt *ſicut planta radicata* Iohan. 15. Non ſunt *ſicut palea, quæ contineri non poteſt flante vento, ſed diſpellitur, verùm ſicut arbor radicata* Pſal. 1. Quare Chriſtianis talis immobilitas aſcribitur? *Reſp.* Propter ſequentes rationes:

I. Quia intellectus eorum firmus eſt & fixus in agnitione veritatis. Sunt ita inſtituti & illuminati verbi Dei cognitione, ut videant veritatem verbi & comprehendant mirabilia legis & penitùs convicti ſint hanc eſſe veritatem in qua ſtant. Non ſunt ἀςήρικτοι in religione, claudicantes, vacillantes 2 Petr. 3. 16. Non recipiunt doctrinam religionis ex conſuetudine, & exemplis parentum, neque nudo & ſolo teſtimonio hominum, neque cœcâ periclitatione propriæ reſolutionis, ſed habent intellectum meditatione Scripturæ inſtitutum, & virtute Spiritus S. illuminatum, ut ipſimet comprehendant quod doctrina, quam profitentur, ſit ex Deo. Qui talis eſt, immobilis eſt in religione, nec vel per perſequutiones vel per alias cauſas externas in alios poteſt transferri ſenſus, ſed qui ſine hac inſtitutione & illuminatione ſola conſuetudine & exemplo parentum, teſtimonio hominum, cœcâ electione Doctrinam aliquam amplexus eſt, is facilè cedit à Doctrina gratiæ, & traditur in aliud Euangelium, ut eſt Gal. 1. 6. quia ſenſus & judicium intellectûs ipſius non fundatur in interno aliquo lumine, ſed in externis & mutabilibus cauſis. Veritas in intellectum piorum inſcripta eſt Ierem. 31. v. 33. Sicut quod per creationem inſcriptum eſt, e. g. Deum eſſe, hominem eſſe Dei opus, eſſe obligatum ad Deum colendum, ab eo homo nunquam dimovetur ut aliter ſentiat: ita poſtquam veritas Euangelica mentibus noſtris per Spiritum S. inſcripta eſt, non poſſumus ab ea dimoveri, ut aliter credamus.

II. Quia cor & voluntas eorum inſeparabiliter Chriſto adhæret, ut inter Chriſtum & Chriſtianos ſeparatio fieri non poſſit, nec Chriſtiani à Chriſto dimoveri aut abſtrahi. Chriſtiani adhærent Chriſto, & manent apud Dominum propoſito cordis ac voluntatis Actor. 11. Non ſolum quia per fidem, tanquam per anchoram Chriſto infiguntur & inſeruntur, Chriſtumque tanquam per manum & brachium amplectuntur & apprehendunt, ſed

Digitized by Google

ſed etiam quia per amorem Chriſto, tanquam per glutinum, adhærent Cantic. 3. 4. Gen. 32. Gen. 32. 26. 1 Cor. 6. 17. κολλᾶσθαι à κόλλα gluten, quo concreſcimus cum Chriſto, ut ſimus unus ſpiritus Epheſ. 3. 17.

III. Quia Chriſtus inſeparabiliter eos tenet ut dimoveri non poſſint. Si nos tantùm ex noſtra parte Chriſtum teneremus, Satanas nos poſſet à Chriſto avellere. Poſſet enim fidem noſtram frangere ſuis tentationibus, poſſet amorem noſtrum extinguere ſuis ſeductionibus. Si enim Evam, quæ fide & amore perfecta erat, potuit vincere, quid ni nos poſſet, qui non niſi infirmam & imperfectam habemus fidem & caritatem? Et tamen immobile regnum habemus, & Chriſto ita ſuperſtructi ſumus, ut portæ inferorum deſtruere nos non poſſint Hebr. 12. 28. Matth. 16. 18. Quare? quia nos non tantùm Chriſtum apprehendimus & tenemus, ſed præcipuè quia Chriſtus nos. Vide Philip. 3. 12. *tenet nos ſuâ manu* Iohan. 10. Quomodo Chriſtus nos tenet? 1. roborando noſtram fidem ne deſinat Luc. 22. 2. ſuſtentando nos per dexteram ſuam, cum onera noſtra fidei noſtræ vires ſuperant Eſa. 41. 10. Hinc illa reciprocatio: *Amicus meus meus eſt & ego ejus* Cantic. 2. 16. *quia ego ipſi adhæreo & ille mihi.* item Ioh. 15. 4. *ille in nobis & nos in illo.* quia nos illi inſiti, ille in nobis habitat, ſibi nos in templum ſanctum præparat & conſervat. Et quis ſeparabit?

IV. Quia Chriſtiani non ſunt ſubjecti dominio affectuum, ut per illos hinc inde pellantur inſtar arundinis, ſed affectus imperio premunt atque continent. Sicut mare tarò eſt tranquillum, ſed quovis vento flante concutitur & jactatur, terra verò quovis vento flante quieta eſt, ita impii omnibus affectibus ſunt obnoxii, metui, triſtitiæ, libidini, gulæ &c. Pii verò hoc affectus fræno regunt. Fabula eſt de Æolo, qui ventos in manu habeat, eoſque quando vult emittat atque retrahat? Talis eſt Chriſtianus ratione ſuorum affectuum. Hinc inter pios & impios talis differentia ponitur, quod hi ſpiritum ſuum continere non poſſunt, hi poſſunt Prov. 25. 28. *dominantur in Spiritum ſuum* Prov. 16. 32. *poßident animam ſuam* Luc. 21. 19, *habent animam tardam ad paſſiones* Iac. 1. 19. Sicut mare ſalſum non tam facile movetur ventis ac unda limpida & tenuis, ita animæ fidelium, ſale ſpiritus conſolidatæ, tardæ ſunt ad paſſiones concipiendas. Hoc ſicut de omnibus affectibus intelligendum, metu, dolore, amore, pudore, odio invidia &c. ita præcipuè intelligendum de ira. Ideò, inquàm, præcipuè immobiles dicuntur fideles, quia affectum iræ poſſunt frænare, ne ſibi dominetur, nec patiuntur ſe concitari ad talem iram, ex qua fluant tumultus, ſeditiones, impetuoſi concurſus, inſani clamores, quales Epheſi fuiſſe dicuntur. Sciunt enim quod *ira hominis non operetur juſtitiam Dei* Iac. 1. 20. Sed quod mentem præcipitet, ut homo ſui compos non ſit, ſed apertus & obnoxius voluntati Satanæ. Non eſt peccatum quod Deus magis odit, & quod homini magis periculoſum eſt, quàm ira indomita & infræ-

Digitized by Google

nita. Quàm odioſa ſit Deo patet ex Matth. 5. 22. 23. Quàm periculoſa ſit homini, patet ex Eph. 4. 26.27. Prov. 27. 4. & 29. 22. Diſcamus igitur fræ-num injicere huic affectui, ut eum habeamus, in noſtra poteſtate, & præcipuè hac in parte inveniamur immobiles.

Object. At enim non debemus eſſe Stoici, qui docebant viros ſapientes nullis injuriis moveri. Sancti homines in Scriptura ſæpe dicuntur juſtè irati eſſe, & reprehenſi quod non irati, ut patet ex exemplis Jacobi, Moſis, Eli, Gen. 30. 2. Levit. 10. 16. 1 Sam. 2.

Reſp. Fideles non ideò dicuntur immobiles, quia ſint ἀναίσθητοι, nec ex bono vel malo gaudium, amorem, iram, dolorem &c. concipiant erga Deum vel homines. Hoc enim foret contra doctrinam pietatis, quæ tales paſſiones à piis paſſim requirit. Sed ideò dicuntur immobiles, quia per externa objecta concuſſi & commoti ad paſſiones, non tamen turbantur, ſed paſſiones habent puras, & rationales. Declarabo rem ſimili. Si habes vinum limpidum & tartaro ac fæcibus deſtitutum, movere illud potes & concutere, ſed non turbare aut turbulentum reddere, ſed in ipſa concuſſione manet clamarum & limpidum, potuique aptum. Si verò habes vinum, quod incumbit fæcibus & tartaro ſuo, illud ſi concutias, non tantùm movetur, ſed movendo turbatur, fit impurum, inſipidum, inſanum, potui ineptum. Sic cor fidele, atque pium, ſale Spiritus S. ſtipatum, movetur quidem & concitatur ad paſſiones, iraſcitur, pudefit, amat, odit, lætatur, triſtatur &c. Sed ipſiſſimæ paſſiones hujus cordis ſunt puræ, ſapientes, rationales, moderatæ, hominem non protrudentes ad verba vel actiones, contra pietatem & honeſtatem pugnantes, neque in periculum, ſicut Judæi Gajum & Ariſtarchum protrudebant. Sed ſi moveatur cor impium, & ſale Spiritus S. deſtitutum, id non tantùm paſſiones concipit, ſed paſſiones impuras, procelloſas & nubilas, cœcas, irrationales, immoderatas, quæ hominem protrudunt in convitia, maledictiones, verbera, tumultus, ſeditiones, clamores, concurſus, bella, duella, homicidia, illegitimam vindictam, contemptum ordinis & diſciplinæ publicæ, rebellionem contra poteſtates divinitùs inſtitutas. Hoc verò eſt per quod impii à piis differunt & quod ex Epheſino hoc tumultu debemus diſcere vitare.

Object. 2. At Scriptura æquè ac experientia docet, etiam pios non tantam habere in affectus, præſertim iram, poteſtatem, quin ſæpe fiant immoderati, & faciant, quod illegitimum eſt. Nonne filii Jacobi immoderati in ira Gen. 49. 6. Nonne populus Dei tumultuatus contra Samuelem, eoque rejecto Regem ſibi poſtulavit? 1 Sam. 8. &c. Nonne Moſes per iram immoderatam tabulas legis confregit? Exod. 32. Petrus Malcho aurem abſcidit Matth. 26. Diſcipuli ignem ex cœlo petierunt contra Samaritanos Luc. 9. Job impatiens factus contra Deum & amicos? Jonas ipſi Deo iratus?

Reſp. Verum eſt. Hoc enim inde fit, quia Spiritus promptus, caro infirma.

Non

Digitized by Google

Non habent plenam menſuram ſpiritus, nec carnem planè mortificatam, ſed ſunt in luctâ, in quâ fideliter quidem pugnant, plerunque vincunt, & tandem plenè debellabunt, ſed interim ſæpe ſuccumbunt donec reſurgant: Etſi non planè debellârunt affectus, tamen eouſque vicerunt, ut non ſubſint ſed dominentur affectibus, quantum ad ſalutem ſufficit. Horum igitur exempla immoderatæ iræ ita ſunt reſpicienda, ut non obliviſcamur 1. Divinas objurgationes & caſtigationes, quibus propter hanc immoderationem fuerunt ſubjecti. 2. Contritionem, lacrymas, pœnitentiam & emendationem, hos lapſus ſecutam, ut facilè patebit hiſtorias ſingulorum exemplorum excutientibus.

Object. 3. Si Chriſtiani ſunt adeò immobiles, quid igitur differunt à pertinacibus & contumacibus. Hi enim etiam ſunt immobiles. (opiniater **eygenſinnigh / onverſettelyck**) rationum & conſiliorum contemptores?

Reſp. Hunc ſcrupulum nobis optimè expediet tertia pars hiſtoriæ de hoc tumultu, quam hac vice attingere non poſſumus.

Hac vice una tantùm quæſtio expedienda eſt, ſcil. Annon rectè faciat populus, quòd cum magiſtratus religionem non ſatis defendit, ſed novas doctrinas contra cultum legibus ſtabilitum, ſinit irrepere, per tumultus cultum ſtabilitum conſervet? Habebat Paulus in magiſtratu qui ipſi favebant & Euangelium ejus tolerabant. Populus igitur per tumultum voluit expellere quod magiſtratus tolerabat. *Quæritur* in rectè? Si improbamus, videmur improbare quod inter nos factum eſt. Scimus enim, quod quàm plurimis in locis ejectio ſuperſtitionis Papiſticæ non tam facta ſit per auctoritatem magiſtratus, quàm per tumultus populi. *Reſp.* 1. Diſſimilitudo inter Epheſinos & noſtros aperta eſt. Illi enim pro ſuperſtitione tumultuati ſunt, noſtri contra ſuperſtitionem. Etſi licitum eſt pro veritate, non ideò licitum eſt pro ſuperſtitione. Sic etiam differt noſtrorum zelus à Papiſtarum furoribus & lanienis. 2. Etiam tumultus populi, qui pro veritate fiunt, prodeſſe poſſunt, ſed laudari non poſſunt. Deus ſæpe utitur illis ad veritatem conſervandam, ſed ideo probandi non ſunt: Immittuntur quoque magiſtratui divinitùs in pœnam negligentiæ, quâ neglexerunt tempeſtativè auferre & è medio tollere juſta populi ſcandala & nocumenta. Licitum & neceſſarium eſt omnibus pro fide ſanctis tradita contendere, fidem profiteri ubi opus eſt, ab idololatria & ſuperſtitionis praxi ſe ſervare purum, licentiam exercendi cultum privatum & publicum aſſerere & retinere, quantum fieri poteſt legitimis mediis & prudentibus conſiliis, ſed merà violentiâ, ſine legitima aliqua autoritate publica, etiam pro veritate & juſtitia inſurgere, & violentia uti, nunquam licet. Immota enim lex eſt, qui gladium ſumit, gladio peribit, & quamvis magiſtratui obedientia neganda ſit mala præcipienti Actor. 4. tamen magiſtratui non eripiendus gladius, nec per vim privatorum cogendus eſt magiſtratus. Quid ſubalternus

Digitized by Google

magiſtratus poſſit contra ſummum, vel ſummus contra ſubalternum, de eo nunc non loquor, quia uterque autoritatem habet, & gladium gerit à Deo. Hoc eſt quod dico, ſubditos ſine auctoritate publica non poſſe involare in officium magiſtratus, illudque ad ſe rapere, & magiſtratum cogere.

Demus igitur operam, ut hanc Chriſtianam immobilitatem nanciſcamur à Deo. Si Chriſtiani ſunt immobiles, pauci ſunt inter nos Chriſtiani. Non enim unquam tot fuêre tum in theoria tum in praxi religionis & pietatis adeò mobiles, vacillantes, & ſoluti, atque inter homines noſtri ævi, unde & totus orbis hodie concuſſus, & turbis undique repletus eſt. Dum in templo ſumus, videtur ſermo Dei aliquam vim habere in nobis, & videmur noſmet velle in curſu pietatis propoſito firmo figere. Sed ubi inde diſcedimus, aliò nos trahit perſuaſio mundi & amicorum? Hæc vacillatio in bono non placet Deo. Concludamus igitur cum voto Petri, quod eſt 1 Petr. 5. 10. 11.

Actor. 19. 30. *ad fin.*

CONC. CCXVIII.

RESTAT explicandum, quomodo Paulus in hoc tumultu ſe geſſerit, & quomodo hic tumultus tandem ſedatus ſit. Prius deſcribitur v. 30. 31. poſterius v. 35. ad finem capitis.

I. Paulus volebat in mediam turbam prodire. Quæritur an rectè? Quid ibi acturus? Nonne qui periculum amat, periculo peribit? Populo irato & furenti ſponte ſeſe objicere an neceſſarium eſt? *Reſp.* Paulus ex duobus malis videtur elegiſſe minimum. Videbat ex hoc furore populi nihil aliud expectandum, quàm lanienam Chriſtianorum & ſuam mortem 2 Cor. 1. 8. Videbat initiò neminem eſſe, qui furenti turbæ occurreret ad eam leniendam. Putabat itaque neceſſarium eſſe, ut ipſe aliquid auderet, quod ad leniendos furentium animos prodeſſe poſſet. Fortâſſe argumentatus eſt ut illi 2 Reg. 7. 4. *Si maneo ubi ſum, ſine dubio mihi & iis, qui mecum ſunt, moriendum, ſi furentibus occurrero, forte Deus benedicet, ut aliquo pacto eos flectam & leniam, ſaltem ut, ſi mihi parcere nolunt, parcant comitibus meis* & aliis Chriſtianis. Cœtus furentium compoſitus erat ex Ethnicis & Judæis, & Judæi ſine dubio Ethnicos in Chriſtianos incitabant. Potuiſſet igitur Paulus uti eâ prudentiâ, quâ utitur Actor. 23. 6. 7. & Ethnicos à Judæis aliquo pacto dividere. Voluit igitur Paulus hoc pacto oſtendere, ſibi in hoc inevitabili periculo non deeſſe animum patiendi & moriendi, nec ſe cedere periculo velle per timiditatem, & cum ſcandalo Eccleſiæ. Offendere enim alios potuiſſet, ſi comitibus in periculo relictis ipſe latitâſſet, vel fugiſſet. Putavit itaque aliquid, licet ſuo cum periculo, audendum eſſe pro ſalute comitum, ut impleret illud quod eſt 1 Iohan. 3. 16.

Diſcamus hinc, morti potius occurrere, cum opus eſt, quàm illegitimâ fugâ nos ſubducere. Vide Eſthr. 4. 16. Matth. 16. 21. 22. 23. Actor. 21. 13. Notabile eſt illud 2 Reg. 7. 4. *tantùm moriemur.* Non tantùm moriemur

ſed

Digitized by Google

ſed etiam poſt mortem in judicium veniemus Hebr 9. 27. Et reverâ illi qui Deum non timent, non tantùm occidentur, ſed etiam poſtquam occiſi fuerint, cum corpore & anima in gehennam conjicientur Matth. 10. 28. Luc. 12. 4. 5. Veruntamen pro piis ſolatium eſt in hac phraſi. Illis enim nihil reſtat ad perfectam beatitudinem, niſi hoc unum ut moriantur. Quamdiu vivunt, mortales ſunt, moriendo autem fiunt immortales. Non igitur mortem immoderatè timent, nec illicitè fugiunt, ſed cum certum & inevitabile mortis periculum animadvertunt, ſicut Paulus, morti lætè occurrunt, dicentes, ſi morior, morior, & tantùm morior. A metu inferni liberatus ſum, & ſcio me ad dextram reconciliati Patris inventurum amicam illam faciem Jeſu Chriſti, qui pro me mortuus eſt, nec aliud malum mihi ſupereſt, niſi hoc unum, ut moriar.

II. Etſi autem Paulus paratus erat ſe in mortis periculum injicere, tamen impediebatur partim à diſcipulis ſuis, partim à quibuſdam Senatoribus urbis, qui commonefaciebant, ne in theatrum prodiret, vel quod ipſius doctrinæ favebant, etiamſi metu mundi eam non profitebantur, vel quod effuſionem ſanguinis ſibi omni modo præveniendam putabant, ne quid inde periculi paterentur à Romanis. Atque horum monitis Paulus ceſſit & ſe ſubmiſit. Dicit enim textus quod non fuerit ei permiſſum. Non quod vi impediebatur, ſed quod conſiliis & precibus cedebat. Duo hinc diſcenda.

1. Fidelitas diſcipulorum ergâ Paulum, quem nolunt conjectum in pericula, ſed ſuadent ut ſibi parcat, planè ut Iſraëlitæ faciebant Davidi 2 Sam. 21. 17. Diſcipuli doctoribus ſuis, qui in verbo laborant debent 1. Honorem 1 Tim. 5. 17. 2. Stipendium 1 Cor. 9. 6. &c. 3. Defenſionem & providam conſervationem (verſchooninge) ne deterantur & conſumantur in rebus non neceſſariis. Id patet ex hoc exemplo, & multis aliis, quæ paſſim in Actis obſervavimus. Norunt prudentes Chriſtiani, quod miniſtri verbi non ſint angeli, qui volare poſſunt, qui nec cibo, nec potu, nec ſomno indigent, quique infirmitatibus ſubjecti non ſunt. Nôrunt quod ordinarii paſtores non ſint Prophetæ & Apoſtoli, qui ſine meditatione & ſtudiis miniſterio fungantur. Nôrunt quod & ipſi Apoſtoli non ſine cauſa à ſe removerunt negotia quæ alii poſſent obire Actor. 6. 2. Utinam nulla nobis cauſa foret conquerendi! *Object.* At dum diſſuadent Paulo fortem periculi ſuſceptionem, nonne peccant ſicut Petrus Matth. 16. 21. 22. & ſicut Actor. 21. 12. *Reſpond.* Pauli ingreſſus ad furentem turbam non erat neceſſarius, niſi ad præveniendum diſcipulorum ſcandalum, ne Paulus ſuâ latitatione exemplum illicitæ timiditatis diſcipulis relinqueret. Cùm autem diſcipuli ſponte hunc ſcrupulum ipſi eximunt, & ſe ex latitatione Pauli ſcandalum accepturos negant, juſtè potuit Paulus conſiliis ipſorum dare locum. Id autem in ſuperioribus exemplis locum non habuit. Neceſſarium enim erat, ut Chriſtus Hieroſolymam iret ſacrificii conſummandi cauſâ. Neceſſarium quoque ut Paulus iſthuc iret propter inſtru-

Digitized by Google

ctum & mandatum Spiritûs S. Actor. 20. 22. 23. Hoc verò in loco non erat vinctus ſpiritu, ſed tantùm cavendi ſcandali cauſâ parâtus erat in periculum mortis deſcendere.

2. Pauli flexibilitas. Superiori concione docuimus, veros Chriſtianos eſſe immobiles. Et quæſivimus, quid igitur differant à pertinacibus & contumacibus. Ejus quæſtionis reſponſum habemus in Paulo, qui immobilis quidem fuit, & periculo mortis non potuit dimoveri ab officio boni doctoris, maluitque mori, quàm vel ſcandalum dare. Interim tamen non fuit pertinax, ſed locum dedit conſiliis & rationibus ac precibus. Chriſtianus debet quidem eſſe immobilis, ſed non ἀπειθὴς Tit. 3. v. 3. Sed εὐπειθὴς Jac. 3. 17. qui rectis conſiliis & rationibus locum det, idque

α. In rebus fidei. Hìc certè grave vitium eſt, nolle perſuaderi, nolle ſcrutari Scripturas, nolle cum aliis de religione conferre, ſed mordicùs adhærere placitis parentum, ſacerdotum, vel ſuis. Hæc verò non eſt Chriſtiana immobilitas, ſed carnalis pertinacia. Vide Actor. 22. 22. 23. Actor. 7. 57. 2 Tim. 4. 3. 4. Poſtquam cum ſeria intentione diſcendi veritatem, & cum humili invocatione divini nominis Scripturas legendo & meditando ad agnitionem veritatis perveniſti, & tum ab ea non dimoveris, nec minis nec promiſſis hominum, hæc eſt Chriſtiana immobilitas. Non hæc res poſita eſt in clamore Epheſino & Papiſtico: Diabolus te abripiet ſi unquam fueris ingreſſus in templum Reformatorum, &c.

β. In rebus Ordinis. Deus in domo ſua, i. e. Eccleſia vult omnia fieri ordine & decenter 1 Cor. 14. ideoque antiſtites ei propoſuit, qui cæteros regant, & quid circumſtantiis cultûs, aliiſque rebus indifferentibus ad ordinem & unitatem Eccleſiæ conducat definiant, neque tamen illos armavit poteſtate cogendi ſicut magiſtratum politicum, ſed à membris Eccleſiæ requirit, ut ſponte & libenter bono ordini ſubſint, & antiſtitibus ſuis in eo obedientes ſint 1 Cor. 14. 40. Col. 2. v. 5. Qui hic refractarius eſt, & ſuo judicio mavult vivere quàm Eccleſiæ, is non regitur ſpiritu Chriſti, ſed ſpiritu malitiæ.

γ. In rebus communis vitæ. Vult Deus ut non ſimus ſapientes in oculis noſtris, nec nobis ipſis omnia concredamus, ſed in rebus gravioribus locum demus conſiliis parentum, amicorum, ſenum, Prov. 12. 15. & 3. 7. & 1. 8. Præſertim in dubiis caſibus, cum quæritur, quid rectum, juſtum, utile ſit nec ne, ad ſervandam pacem conſcientiæ conſenſus doctorum Eccleſiæ nequaquam eſt contemnendus, ſed ſequendus juxta illud Malach. 2. 7. Qui igitur contumaciter ſe opponunt conſenſui doctorum Eccleſiæ in iis, quæ per illum condemnantur, ut contraria ædificationi & ſanctitati Chriſtianorum, & malunt in talibus ſequi conſuetudines & conſilia vanorum & mundanorum hominum, illi non ducuntur ſpiritu Chriſti, nec ſunt immobiles, ſed ad omnia mundi ſchemata mutantur.

Percurramus nunc breviter quomodo hic tumultus ſedatus ſit. Prodiit ad populum

Digitized by Google

pulum unus ex magiſtratu, qui hic vocatur γραμματεὺς & verti poteſt Syndicus vel orator magiſtratus, quem ſciebant non loquuturum ſuo, ſed totius magiſtratus nomine. Hic repreſſit ſeu compeſcuit populum. Non vi aliquâ & coactione, ſed ſplendore auctoritatis. Gerit enim magiſtratus imaginem Dei, ideoque ſemper venerabilis eſt populo, qui non plane timorem numinis abjecit, juxta illud Virgilii Æneid. 1. *Ac veluti magno populo cum ſæpe coorta eſt ſeditio* &c. Ubi veneratio magiſtratûs ceſſat, ibi veneratio Dei ceſſat. Eſt enim vicarius Dei in terris, qui non ſibi ſed Deo judicia exercet, unde & nomen Dei ipſi datur Pſal. 82. 1. Prov. 8. 15. 2 Chron. 19.6. Rom. 13. 1. Noſtrum eſt ad ſimilem reſpectum magiſtratûs populum hortari. Sicut enim vitia magiſtratûs, quatenus Scripturæ notoriè contraria ſunt, tenemur increpare, ut patet exemplo Nathanis 2 Sam. 12. & Apoſtolorum Actor. 23. 3. & paſſim, ita & populo tenemur inculcare reſpectum erga magiſtratum. Hic ſcriba ad ſedandum tumultum utitur oratione. Quod enim oratione efficere poteſt prudens magiſtratus, id gladio non tentat.

In hac oratione.

1. Refutat duo argumenta Demetrii, quibus iſtum tumultum concitaverat.

2. Diſſuadet tumultum argumento deſumpto à periculo urbis.

Reſpondet primò ad poſterius argumentum Demetrii, quod ſumptum erat à periculo templi & Dianæ. Hoc refutat dupliciter: 1. Non poteſt gloria templi & Dianæ dejici, quia nimis pervulgata eſt, & habet conſenſum hominum, contra quem contradictio nulla valet. Etiamſi unus & alter Dianæ & templo Epheſino velit aliquid detrahere, illi ſtatim univerſus orbis contradicet. Putabat hic ſcriba impoſſibile eſſe, ut ethnicus cultus Deorum, qui toto orbe receptus & uſitatus erat, prædicatione paucorum Apóſtolorum ſubverteretur & aboleretur. Et reverá videbatur fieri non poſſe, ut duodecim piſcatores, Hieroſolymâ exeuntes, deſtruerent cultum idolorum toto orbe receptum, & tot ſeculorum conſuetudine firmatum, idque ſolo verbo ſine armis. Sed potentia Dei effectum dedit. Sic & gloria Romæ cadet, quæ etiam omnium divorum æditua eſt, & omnium populorum imitationem & admirationem obtinuit. Habet etiam multas imagines, quas dicit cœlo delapſas cœleſtes habere vires, ideoque etiam putat ſe cadere non poſſe. Sed vide Apoc. 18. 7, 8.

2. Hi homines, quos huc adduxiſtis, nihil fecerunt contra templum & Dianam. Nam templum non ſpoliârunt, nec Deam veſtram blaſphemârunt. An hoc verum? Annon dixerant Dianam & cætera idola manu facta, non eſſe Deos adoratione dignos? *Reſpond.* Utrumque verum. Nam 1. non injecerunt manum imaginibus ſuperſtitioſis demoliendis. Sciebant hoc non ſuum, ſed magiſtratûs officium eſſe. Concionando ejiciebant imagines ex cordibus, ſed non per violentiam ex templis. 2. Prædicare quod idolum nihil ſit in mundo, & diſſuadere ejus adorationem,

Digitized by Google

non eſt blaſphemare. Quod enim nihil eſt, ei nulla poteſt fieri injuria aut blaſphemia. Diana nec Deus erat, nec homo, ſed merum figmentum humani cerebri. Ergo injuria & convitiatio in illa locum non habuit. Et poſito, quod fuiſſet homo, tamen Deitatem ejus negare, non fuiſſet blaſphemia. Si dico vicinum meum non eſſe Principem terræ, non blaſphemo. Pontificii dicunt nos blaſphemare ſanctos, dum dicimus non eſſe adorandos. Non blaſphemamus, ſed honoramus, dum iis recuſamus tribuere, quod ſolius Dei eſt. Poſſemus hic prolixè explicare, quid ſit ſacrilegium, & quid blaſphemia, ſed quia textus nulla vera eorum exempla ſuppeditat, non eſt hìc commoda de iis dicendi occaſio. Concluſio hujus refutationis eſt: Ergo decet vos quieſcere, & nihil præcipitanter facere. De præcipitantia conſiliorum & actionum utiliter poſſet dici, ſed diximus nuper in verſum 21. hujus capitis.

Alterum argumentum Demetrii erat, quod Paulus ſuâ doctrinâ civitatis & civium commoda & commercia interverteret. Ad hoc reſpondet. Si quid Demetrius, vel reliqui contra Paulum habent, non debent eſſe judices ſui ipſius, ſed rem deferre ad ordinaria judicia *ἀγόρεσιοι ἄγονται*. Non enim *ἀγορεσῖοι* ſcribi volunt docti, ſed *ἀγόρεσιοι*, & ſubintelligi *ἡμέραι* vel *καιροὶ*. Sic & Chriſtiani debent. Etſi enim non facilè ad judicia deveniendum, ſed potius injuriæ multæ patienter ferendæ ſunt 1 Cor. 6. tamen in rebus gravibus licet judicio contendere contra proximum. *Object.* At non ſemper nec ſatis citò juvamur. *Reſpond.* 1. Hoc fit, quia cauſa, pro quâ litigas, non eſt ſemper juſta. 2. Si quando non ſatis juſta ſunt judicia magiſtratûs, fer patienter, & cogita reſtare adhuc unum judicium, videlicet illud ultimum & divinum, ubi juſtitia tua prodibit inſtar lucis, & jus tuum ſicut meridies Pſal. 37. 6.

Refutatis argumentis Demetrii, quibus populum concitaverat, ipſe uno argumento populum ſedat, deſumpto à periculo, quod immineret à Romanis v. ultim. Præcipua vis argumenti eſt in eo, quod rationes reddere non poſſent iſtius tumultûs, quibus excuſaretur. Eſt robuſtiſſimum ligamentum, quo quis ſe poſſit continere intra limites juſti rectique, ſi ſemper examinet, an poſſit rationem reddere eorum, quæ gerit, coram iis, quibus ſubeſt. Præſertim an rationem reddere poſſit factorum ſuorum in ultimo judicio, ubi etiam de quovis inutili verbo ratio erit reddenda.

Actor. 20. *v.* 1. *ad* 7.

CONC. CCXIX.

TErtium iter Pauli ex Oriente in Occidentem vocavimus iter Epheſinum, quia propriè ſuſceptum vi promiſſionis Epheſiis factæ cap. 18. 20. 21. & quia maximam partem temporis, quo hac vice Hieroſolymâ abfuit, Epheſi contrivit, quippè ibi commoratus ferè per triennium. Hiſtoria hujus itineris breviter ſic habet: Antiochiâ egreſſus Epheſum venit, atque ibi per trien-

Digitized by Google

triennium commoratus eſt. Epheſo perrexit ulterius in Macedoniam & Græciam, ibique ferè per annum viſitavit Eccleſias ſecundo itinere plantatas Philippi, Theſſalonicæ; Bereæ, Athenis, Corinthi. His peractis ex Græcia reverſus eſt in Judæam. His verbis deſcribitur 1. Quomodo exacto Epheſi triennio in Macedoniam & Græciam perrexerit, & quid ibi egerit. 2. Quomodo inde cœperit regredi verſus Judæam. In digreſſu ab Epheſo deſcribitur quando & quò inverit, quamdiu manſerit, & quid egerit.

I. Abiit Epheſo poſtquam tumultus ceſſâſſet. Hoc non ita intelligendum, quaſi ſtatim abierit. Nam poſtquam hic tumultus ſedatus eſſet, Epheſo ſcripſit epiſtolam ad Corinthios, in qua narrat, ſe Epheſi in hoc tumultu quaſi cum beſtiis pugnâſſe, & Epheſi manſurum uſque ad feſtum Pentecoſtes, & tum per Macedoniam ad Corinthios uſque venturum eſſe 1 Cor. 16. 5. 6. 7. 8. Imò ſecundam quoque Epiſtolam ibi adhuc ad Corinthios ſcripſiſſe liquere poteſt ex 2 Cor. 9. 4. &c. ſaltem poſtquam in Macedoniam venerit. Non igitur abiit Epheſo periculi vitandi cauſâ, ſed non obſtante periculo Epheſi manſit, donec Eccleſia præſentiâ ejus non amplius indigeret, & aliæ Eccleſiæ eam requirerent. Adeò Paulus non ſuis rebus conſuluit, ſed Eccleſiæ, omnibuſque fidelibus paſtoribus exemplum dedit, ne propter periculum deſerant Eccleſias, niſi Eccleſiis bene eſſe poſſit ſine ſua præſentia. Licet periculum fugere ſi fieri poteſt ſine deſertione Eccleſiæ, i. e. ſi non deſtituatur Eccleſia ope neceſſaria Actor. 9. 25. Sed qui Eccleſiam ſuæ fidei ac curæ commiſſam ideò deſerit, prodit & perdit, ut ſeipſum ex periculo eripiat, is eſt mercenarius, qui lupum videns fugit, & gregem ei prodit, Johan. 10. Idem dictum magiſtratibus, quibus Reipubl. cura commiſſa. Illi enim etiam paſtores populi, ut paſſim vocantur ab Homero, imò ab ipſa Scriptura Michæ 5. 4. Dictum quodque nobis omnibus, ne periculi vitandi cauſâ proximum deſeramus, & neceſſariâ ac poſſibili ope deſtituamus. Si enim implere volumus illud 1 Joh. 3. 16. neceſſe eſt, ut ad proximum ex certo periculo liberandum incertum aliquod periculum non declinemus, eos præſertim, qui fidei & curæ noſtræ commiſſi ſunt.

II. Abiturus convocavit diſcipulos & ſalutavit eos. Infrà audiemus, quod ex Macedonia & Græcia reverſus, & Epheſum præteriens evocaverit Epheſos Eccleſiæ, & patheticâ oratione iis valedixerit? cum autem Macedoniam verſùs proficiſceretur, dicitur tantùm ſalutâſſe, adeò ut videatur diſceſſiſſe non ſine ſpe redeundi. Nondum enim tunc temporis habuit illam revelationem, quam dicit ſe habere Actor. 20. 25. quippè inter hunc abitum ex urbe, & orationem illam, quam in regreſſu ex Græcia Epheſum præteriens ad antiſtites Epheſinos habuit, annus ferè interceſſit; Hoc patet, ſi conferas 1 Cor. 16. v. 8. & Actor. 20. 6. & 16. Hinc enim patet, quòd Paulus poſt Pentecoſten Epheſo diſceſſerit, in Macedonia per tres menſes manſerit; in Græcia hybernaverit, poſt Paſcha ex Græcia regreſ-

Digitized by Google

ſus ſit, & ſic paulò ante Pentecoſten anni ſequentis Epheſum denuò prætererit. Notandum autem, quod non diſceſſerit niſi ſalutatâ Eccleſiâ. Quidam vertunt quod oſculatus ſit oſculo ſancto, ſicut Actor. 20. 37. Sed quia dicitur diſcipulos convocâſſe, quorum ingens erat numerus, ſine dubio fuit ſalutatio & valedictio publica ex ſuggeſtu, conſiſtens in commendatione perſeverantiæ. Verba diſcedentium valedictoria plerumque ſunt maximè efficacia. Quotidiana converſatio amantium amores ferè tegit, ut quamvis ſibi invicem benè velint, & à ſeinvicem multis fruantur bonis, tamen non converſentur ſine mutuis offenſis, ſaltem tam firmiter ſe non complectantur. Cum verò diſcedunt, vinculum amoris ſe manifeſtat, quod retinere conatur, & omnia viſcera commovet. Et quæ tunc verba invicem dicuntur, firmius hærent, & in intimo corde figuntur, ut patebit infra v. 37. & cap. 21. Probabile quoque eſt, quod Paulus in hoc ultimo conventu diſcipulorum ordinaverit ea, quæ ad εὐταξίαν in Eccleſia pertinent, ut ii, quos poſt ſe relinqueret, omnia rectè agerent 1 Tim. 1. v. 3.

III. Apoſtolus Epheſo digreſſus venit in Macedoniam, & poſtquam partes illas peragrâſſet, i. e. ſingulas Eccleſias in ſingulis locis plantatas viſitâſſet (non enim locorum aut urbium ſpectandarum, ſed Eccleſiarum confirmandarum gratiâ peregrinabatur) in Græciam venit, atque ibi quoque per tres menſes commoratus eſt, ſcil. uſque ad Paſcha & finem hyemis, ut dictum ſuprà. At quid egit? Id cujus gratiâ eò profectus erat, ſcil. hortatus eſt multis verbis

1. Hortatus eſt. Ad quid? Ad tria.

α. Ad conſtantiam in veritate, ne propter perſequutiones à veritate deficerent vel ad idololatriam ethnicorum, vel ad ceremoniales inanitates Judæorum, vel ad falſam doctrinam de juſtificatione pſeud-Apoſtolorum. Hiſce tribus enim urgebantur hoſtibus, qui & ſophiſmatibus confundebant, & perſequutionibus onerabant eos qui erant de Eccleſia.

β. Ad ſanctimoniam profeſſione veritatis dignam. Erant enim inter homines iſtius temporis, ſicut ſunt hodie, qui in profeſſione veritatis erant ſatis firmi, ſed in ſtudio ſanctimoniæ tepidi ac frigidi. Hos excitavit ut ferrent fructus converſione dignos. Cum enim in Macedoniam veniret, extùs pugnandum erat cum hoſtibus, intùs curandi defectus ipſorum piorum 2 Cor. 7. 5. Aptius enim hic locus intelligitur de hoc itinere, quàm de illo, quod eſt Actor. 16. quia tum omnes adhuc erant extrà, nec aliqua fundata Eccleſia.

γ. Ad liberalitatem erga ſanctos qui erant Hieroſolymæ. Ut enim pro his collectam inſtrueret, in Macedoniam & Græciam propriè erat profectus, ut patet 1 Cor. 16. 1. 2. 3. &c.

2. Hortatus eſt πολλοῖς λόγοις. Sic Actor. 2. 40. poſſet reddi multis verbis. Sed declinant hanc verſionem noſtri interpretes, & vertunt: multis rationibus. Non enim in multitudine verborum, ſed in pondere & multitudine rationum ſita eſt vis concionum.

Con-

Digitized by Google

Conciones magis debent eſſe rationales quàm verboſæ. Sicut preces ſuam habent βαττολογίαν & πολυλογίαν, i. e. inanem multitudinem verborum, quibus homines ſibi ipſis placentes Deo diſplicent Matth. 6. 7. Sic idem vitium in conciones ſæpe irrepit. In Papatu ſuperbi prælati id agunt, ut acuto, erudito ac ornatu fluxu & lapſu verborum concio farciatur. Inter Mennonitas & illud genus hominum id agitur, ut multitudo verborum, & prolixitas in concionando & precando utramque paginam faciat. Apud hos enim contemnitur eruditio & ornatus, & multitudo ac prolixitas laudatur. Paulus nec πολυλογίαν, nec inanem curam ornatumque verborum ſectatus eſt 1 Cor. 1. 17. & 2. 1. 13. ſed rationibus adortus eſt hominum conſcientias, ex Scriptura depromptis, vel Scripturæ ſuperſtructis. Vide 1 Cor. 4. v. 19. 20. Hinc λόγον καὶ γνῶσιν conjungit. Facile eſt concionari, ſed non eſt facile rectè & rationaliter concionari. Ad rationaliter & rectè concionandum quatuor præcipuè requiruntur.

1. Ὀρθοκλησία, legitima vocatio. Non ſufficit ad concionandum qualiſcunque aptitudo ad loquendum, ſed requiritur ſeparatio, & miſſio ac vocatio divina per Eccleſiam. Nemo hunc honorem ſibi ſumit, niſi vocatus Hebr. 5. 4. & qui ſine vocatione ac miſſione ſumpſerunt, graviter puniti ſunt Num. 16. 32. 2 Chron. 26. 16. Jer. 23. 21. & 27. 15. Qui munus hoc intellexerunt, etiam vocati trepidârunt & tergiverſati ſunt, ut patet exemplo Moſis, Jonæ, Jeremiæ. Quid igitur agunt qui non vocati currunt? Qui in verbo Dei volunt laborare, debent eſſe vocati, ſeniores, habentes impoſitionem manuum, ab Eccleſia 1 Tim. 5. vocati & idonei facti miniſtri N. T. 2 Cor. 3. 6. qui ſint miniſtri Dei, per quos homines credunt. 1 Cor. 3. 5. non ſimpliciter adjutores fidei, qui fidem taliter qualiter juvent, quod privati poſſunt, ſed inſtrumenta electa Dei in operatione fidei, patres noſtræ regenerationis & fidei 1 Cor. 4. 15. Quamvis ſis aptus ad loquendum, nulla tamen aptitudo ſufficit ad cor aliquod Chriſto lucrandum, niſi benedicente & cooperante Deo per ſpiritum. At qui non eſt vocatus, non habet promiſſionem ſpiritûs, ſed potiùs comminationem pœnæ, Jer. 23. v. 31. 32. Aliud exhortatio privata & domeſtica, quæ omnibus mandata; aliud inſtitutio publica, quæ domeſticæ mater & norma eſt. Ideò mittit Deus vocatos ſervos, qui Eccleſiam publicè erudiant & ædificent, ut ſinguli ex templis petant, quo domi ſeipſos atque ſuos conſolentur & excitent. Hic ſemper fuit mos populi Dei, contra quem peccant graviter qui publicum docendi munus ſibi arrogant ſine vocatione, incurrentes in illud Jacobi Jac. 3. 1. qui locus agit de omnibus, qui ſine legitima vocatione & auctoritate uſurpant verbum Dei ad cenſuras aliorum.

2. Ὀρθοδοξία. 1 Tim. 1. 3. Doctrina Scripturæ eſt ampla Hebr. 1. 1. Non eſt igitur cujuſvis in tanta varietate materiarum ſemper obſervare conſenſum, ne quid doceas quod à veritate & juſtitia alienum, vel aliquibus Scripturæ parti-

Digitized by Google

partibus non ſit conſonum. Pabulum, quo paſci debet Eccleſia Dei, debet eſſe pabulum purum, ſine omni palea, fœno, ſtipula. Nam impuro ſemine & pabulo fides & praxis pietatis pura non naſcitur. Abſonum igitur eſt pati, ut doctrina mixta & varia proponatur in eadem Eccleſia.

3. Ὀρθοτομία 2 Tim. 2. v. 15. Hìc prudentia Theologica. Scriptura propriè eſt cibus, quo paſcitur Eccleſia. Sed conciones ſunt ſciſſio, diviſio & diſtributio Scripturæ. Qui hoc poteſt, eſt operator Dei, qui non pudefit. Diſcurrere ſine textu & Scriptura ex re quavis non eſt difficile, ſed ex textu ſacro rationaliter eruere cibum, quem textus præbet, eumque pro indigentia cuilibet diſtribuere & inculcare, hoc verò illud eſt, de quo meritò exclames: *quis ad hæc idoneus?* 2 Cor. 2. 16. Imò quis idoneus ad intelligendam bonam concionem? Hæc vocatio omnium, hanc curent. Quilibet non præſumit eſſe medicus, quod difficile eſt pharmaca rectè miſcere, morbos nôſſe, & corporibus ac morbis idonea adminiſtrare. Cur igitur hoc opus affectant qui non ſunt vocati?

4. Ὀρθοποδία Gal. 2. 14. Non requirit tantùm hæc vox, ut miniſter verbi myſteria fidei habeat in pura conſcientia, utque vitâ gregi ſit exemplaris, ſed præcipuè, quia non poteſt ſecundum veritatem docere, niſi velit experire contradictiones & pericula, requiritur parrheſia illa, non omnibus fidelibus communis, ſed miniſtris verbi propria, quâ in gratiam cujuſquam, vel metûs aut quæſtûs cauſâ aliter non doceat quàm par eſt Eph. 6. 19. Gal. 1. 9. 10. En hoc eſt rationibus, ſeu rationaliter docere & concionari, quod cum omnes non poſſint, non omnes affectent, ſed potius orent pro illis, qui à Deo miſſi ſunt Eph. 6. 19.

Accedit quidem aliquod quintum, ſcil. Ὀρθογραφία, vel ortholalia, ut dictio ſit pura, vox ſonora & amœna, ſtilus ornatus, actio & pronunciatio decora, modus loquendi ſecundum receptam Grammaticam, & ſtilum hominibus gratum. Verùm hoc utile potius & jucundum quàm neceſſarium ſicut ſaccharum in pharmacis.

Dicimus hæc cum hoc voto, ut vobis contingat ſpiritus diſcretionis, ut tempeſtivè diſcatis diſcernere ſpiritum prophetantium, an ex Deo ſint, nec cuivis ſpiritui adhereatis. Si, quod Deus avertat, aliqua concuſſio exſurgeret, vel in Republ. vel in Eccleſiis noſtris, ſtatim ſe proderet illa libertas prophetandi, quâ quilibet præſumit eſſe publicus doctor verbi Dei. Experientia docet ita factum in Germania & alibi, ubi quantas turbas dederint, & quanta damna novi illi prophetæ, quàm mirandis opinionibus homines imbuerint, & quantâ ſpecie ſua phantaſmata proferant, dici ſatis non poteſt. Prophetia eſt ignis in altari Dei divinitus accenſus, & perpetuò in Eccleſia cuſtodiendus, utpote ſummè neceſſarius. Sed ſicut ignis indiget coërceri intra focum, ne perdat domum, ita prophetia indiget repagulis ſuis. Non coërcetur vi politica merâ, ſed hanc perrumpit, ſed optima repagula ejus ſunt, ut maneat intra limites legitimæ vocationis, per Eccleſiam ſecundum

Digitized by Google

cundum Dei verbum peractæ, & intra ordinem Eccleſiaſticum, quo Prophetæ Prophetis tenentur ſubeſſe. Sat difficile ibi coërcetur à damno, nedum ſi cuilibet permittatur hunc ignem tractare. Cum ille ignis die Pentecoſtes ex cœlo caderet, non cecidit ſuper omnes, aut multos, ſed ſuper vocatos ad miniſterium, & horum operâ 3000. accendit. Neceſſarium quoque eſt vocationem intercedere, quia ſine hac abeſt Dei benedicto. Non ſumus illi, qui verentur ne nimis docti evadant homines in rebus religionis, aut qui invideant Eldad & Medad prophetari, aut qui non optent totam Eccleſiam poſſe prophetari. Optamus hoc omninò; ſed tamen ut quiſque prophetet ſecundum limites ſuæ vocationis, publicè qui ad publica vocati ſunt, privatim qui ad privata. Ubi eſt inter nos prophetia domeſtica, qua parentes & heri ſuos inſtituant, hortentur &c? proh dolor ubi ſunt noſtri Prophetæ! O utinam tota Eccleſia ſic prophetaretur!

IV. Venimus ad ultimam metam tertii itineris Paulini. Nunc ſequitur regreſſus & reverſio ex hoc itinere verſus Judæam, unde egreſſus erat. De hoc regreſſu in verbis prælectis eſt:

1. Propoſitum eundi per mare ex Græcia in Syriam.

2. Mutatio propoſiti propter inſidias Judæorum.

3. Loca per quæ regreſſus eſt. Sunt & hæc conſignata, quia conveniunt cum Geographicis & Topographicis ethnicis, & faciunt ad confirmationem hiſtoriæ.

4. Comites, quos in hoc regreſſu habuit. Nihil hic quod commentario indigeat, aut quod ædificationi noſtræ magnoperè inſervire poſſit. Nihil tamen intactum relinquendum, quia omnia à Spiritu Dei.

1. De inſidiis Judæorum. Inſidiati ſunt ei odio doctrinæ quam prædicabat, ſed tamen etiam deſiderio pecuniæ quam ſecum habebat. Ferebat enim collectam pro ſanctis qui erant Hieroſolymæ. Superſtitio & falſa doctrina, non tantum facit alienos à veritate, ſed etiam crudeles contra profeſſiones & doctores veritatis, ut vitæ & bonis eorum inhietur. Decet alienum eſſe à falſa doctrina, & cum profeſſoribus ejus converſationem temperare prudenter, ut maneas immaculatus, ſed crudelem eſſe non docemus.

2. De comitibus Pauli duæ quæſtiones:

α. Cùm Paulus Epheſo in Macedoniam proficiſcens Timotheum ibi reliquerit 1 Tim. 1. 3. quomodo hìc inter comites Pauli recenſetur? *Reſpond.* Reliquerat ad tempus, quamdiu præſentia ejus ibi opus erat, quo peracto rediit ad officium ſuum ordinarium, quod erat, ut eſſet comes & adjutor Pauli in itineribus Actor. 16. 3.

β. Cum hìc dicatur tam multos habuiſſe comites ex Aſia, cur queritur 2 Tim. 1. v. 15. quòd omnes Aſiatici ipſum deſeruerint? *Reſpond.* 1. Omnes ibi idem quod plerique. 2. Etſi ſub initium multi cum Paulo comites fuerint, non ideò omnes cum ipſo permanſerunt. Non omnes qui bene incipiunt benè pergunt. Sunt 1. Qui planè defi-

Digitized by Google

ciunt 1 Tim. 1. 19. 2. Qui deficiunt in fervore, ut Johannes, Marcus Actor. 13. 13. c. 15. 38.

3. De mutatione propoſiti: ἐγένετο αὐτῷ γνώμη, γενομένης ἐπιβυλῆς. Narrantur hæc ac ſi fortuitò contigiſſent. Sed abſit à Chriſtianis hæc opinio. Deus utrumque Paulo indidit, tum conſilium, tum conſilii mutationem. Conſilium navigandi rectà ex Græcia in Syriam indidit Deus Paulo, ut inſidiis & metui Judæorum ſubjectum humiliaret: Mutationem conſilii & reverſionem per Macedoniam etiam Paulo indidit Deus, ut humiliatum ex inſidiis eriperet. Idem confidendum Deo cum ſumus in viis noſtris. Ipſe eſt, qui conſilia noſtra gubernat, ſubinde quidem permittens, ut noſtra inprudentiâ inducamus nos in metum, & tamen Dei retractatione liberemur. Nunquam ſumus extra inſidias Satanæ. Sed fidamus Deo, ille dabit conſilium, & diriget noſtram viam.

Actor. 20. *v.* 7. *ad* 13.

Conc. CCXX.

NOn licet in hoc mundo eſſe religioſum cultorem Dei ſine incommodo. Si quis enim opus Dei vult facere fervidè & diligenter, eum oportet pati à mundo. Sicut enim aqua ignem non patitur, ſed conatur illum extinguere, ita mundus fervidos Dei cultores non fert, ſed eos affligit donec perdat, unde zelus domus Dei dicitur comedere illos, qui eum habent; quia propter illum zelum perduntur à mundo Pſal. 69. 10. Si vis opus Dei facere negligenter & ſomnolenter, patiendum tibi à Deo. Nam, ne dicam quod *maledictus ſit, qui opus Dei negligenter facit* Jer. 48. 10. Saltem temporalibus judiciis caſtigatur tarditas, negligentia & ſomnolentia in cultu 1 Cor. 11. 30.

Vivum exemplum hujus caſtigationis divinæ ſuper negligentiam & ſomnolentiam in cultu divino, proponitur in hoc dormitione Eutycho, qui in templo dormiens ex ſomno præcipitatus eſt in mortem, & in ea manſiſſet, niſi à Paulo miraculoſè reſuſcitatus fuiſſet.

In hiſtoria hujus dormitatoris (**Kerck-ſlaper**) ſequentia conſideranda. 1. Locus ubi contigit. 2. Tempus quando. 3. Occaſio quâ. 4. Hiſtoria ipſa, ſeu factum ipſum, quod deſcribitur.

I. Hiſtoria contigit Troade. Paulus antea quoque in hac urbe fuerat Actor. 16. 18. Eſt hæc civitas inter exempla ſingularis ſeveritatis divinæ, ſicut Sodom & Gomorra. Roma inde ducit originem, & Romana quoque vitia, propter quod etiam igne exuretur ſicut Troja, idque propter ſcortationem corporalem & ſpiritualem Apoc. 17. & 18. Cives hujus urbis olim perierant ſomno vinoque ſepulti, ut ait Virgilius in excidio Trojano. Similis calamitas ex ſomno, etſi non tam univerſalis, denuò obruit Trojanos, veteris judicii immemores, contra id quod eſt Deutr. 9. 7. 8.

II. Contigit prima die hebdomadis. Quod enim unus hîc idem ſit quod primus, patet ex addito articulo; nec non ex ſimili vocis uſu in aliis locis Apoc.

Digitized by Google

Apoc. 9. 12. cum 11. 14. Matth. 28. 1. Ex hoc loco, item ex 1 Cor. 16. 2. demonſtratur, quod tranſlatio Sabbathi, quarto legis moralis præcepto ſanciti, ex ultimo in primum diem hebdomadis non ſolùm fundata ſit in conſuetudine Chriſtianæ Eccleſiæ, ſed etiam in expreſſa ordinatione Apoſtolica, unde & ille dies vocatur κυϱιακὴ Apoc. 1. 10. i. e. in honorem Domini celebratus. Quartum præceptum legis moralis non eſt abrogatum, ſed etiam Chriſtianos ad obſervandum Sabbathum hebdomadarium obligat. Et tamen Chriſtiani non quieſcunt die ſeptimo, ut præceptum quartum præcipit, ſed die primo hebdomadis. Qui fit hoc, quis autor hujus mutationis, & quæ cauſæ? Autores fuiſſe ipſos Apoſtolos Chriſti, qui Spiritum infallibilitatis habuerunt patet ex hoc loco, & locis mox allegatis. Cauſa autem mutationis eſt, ut Chriſtiani ſcirent, quoſdam fines Sabbathi, quos tempore V. T. habebat, per adventum Chriſti ceſsâſſe, ut Sabbathum Chriſtianum non ſit ejuſdem planè naturæ cum Sabbatho Judæorum. Hoc fine ex Scriptura nobis colligendi ſunt fines Sabbathi, quos in V. T. habuit, ut ſciamus, quinam fines Sabbathi ceſſaverint, qui verò adhuc durent, ut inde ſciamus, quomodo Sabbathum à Chriſtianis ſit celebrandum. Habuit Sabbathum, & etiamnum habet, duplices fines:

α Morales, i. e. tales, quales habent omnia bona opera in lege decalogi præcepta, qui ſunt

1. Ut eſſet tempus Deo ſacrum, quod negotiis mundanis ſubtractum impenderetur Deo laudando, cognoſcendo, invocando. Omne tempus noſtrum Deo debet eſſe ſacrum, omnibus diebus vitæ colendus Deus, de omnibus diebus aliquid ſegregandum ad preces & meditationes ſacras, etiam inter occupationes mundanas animus debet eſſe in Deum attentus, ſed Sabbathum Deus voluit ab ordinariis laboribus vocationis & exercitiis corporis eſſe vacuum, & Deo laudando peculiariter impenſum, unde vocantur Dei Sabbatha, Deo ſacra Exod. 16. 23. Eſa. 58. 13.

2. Ut eſſet tempus curandæ animæ per ſacras meditationes, probationem ſui ipſius, lectionem Scripturæ, opera miſericordiæ. Sex dies corpori curando Deus permiſit, ſeptimum animæ curandæ vult tributum. Nec animæ tantum curandæ, ſed etiam corpori à quotidiano labore reficiendo Oſe. 2. 10. idque non tantùm pro hominibus, ſed etiam pro jumentis. Exod. 23. 12. Præſertim operibus miſericordiæ erga proximum exercendis. Etſi enim ordinaria opera vocationis & victûs erant prohibita Sabbatho, tamen opera charitatis & miſericordiæ erant hujus diei magis propria Matth. 12. 12. Ob hanc cauſam in quarto præcepto dies Sabbathi non tantùm dicitur ſanctificatus, ſed etiam benedictus. Sanctificatus & conſecratus Deo in cultum, benedictus pro hominibus, ut eo die fruerentur quiete & refectione corporis, exhilaratione animi à laboribus, & curarent ea, quæ ad æternam quietem obtinendam pertinerent. Non eſt tam maledictus ſicut dies cæteri, ut eo die

Digitized by Google

in ſudore vultus cogamur veſci pane Gen. 3. Sed benedictus & deſtinatus ad quieſcendum corpore, & ad reficiendam ac exhalerandam animam meditatione rerum ſpiritualium ac cœleſtium. Et hæ ſunt cauſæ, propter quas Sabbathum debet eſſe perpetuum & nunquam abrogari.

β. Ceremoniales. Sicut enim omnia cætera Sabbatha pertinent ad ceremonias Moſaici & Levitici cultus, ita etiam hebdomadarium Sabbathum, quod in ſeipſo morale eſt, fines quoſdam ceremoniales habebat, qui cum abrogatione ceremoniarum abrogati ſunt. Ceremoniæ autem Leviticæ duplices fines habebant, vid.

1. Fines ſacramentales, i. e. ut aliquid ſignificarent, rememorarent, præmonſtrarent, obſignarent, confirmarent. Sic Sabbathum Judaicum fuit rememoratio iſtius quietis divinæ, quâ ab operibus creationis ceſſavit, ut patet præcepto quarto. Sic idem fuit ſignũ fœderis, quod Deus cum Iſraëlitis pepigit Exod. 31. 13. Ezech. 20. 12. 20. Sic idem fuit ſignum quietæ poſſeſſionis terræ Canaan poſt liberationem ex ſervili labore Ægypti Deutr. 5. 15. Sic idem erat typus æternæ quietis in cœlo Eſa. 66. 22. 23. ut explicatur Hebr. 4. 9. monitorium quieſcendi & ceſſandi à peccatis Eſa. 56. 2. & 58. 13. Præſertim autem erat typus iſtius quietis, quâ Chriſtus ſeptimo die hebdomadis quievit in ſepulcro à laboribus paſſionis. Quoniam autem iſtæ ceremoniales præfigurationes per adventum Chriſti aliqua ex parte impletæ ſunt, poſt adventum Chriſti Sabbathum caret multis finibus ſacramentalibus, quos in V. T. habuit, & præcipuè non eſt amplius typus Chriſti & mortis ipſius, & propter hanc cauſam à ſeptimo die hebdomadis in primum tranſlatum eſt, ut ſciremus Chriſtum non expectari, ſed veniſſe, non amplius moriturum, ſed mortuum eſſe, & ex morte reſurrexiſſe. Ideò nunc vocatur dies dominica, quia eſt dies reſurrectionis Domini Jeſu, quâ oſtendit omnes typos & umbras ſuæ exinanitionis, pro peccatis noſtris eſſe impletos, quâque ſeipſum potenter oſtendit eſſe filium Dei Rom. 1.

2. Fines diſciplinares. Ceremoniæ non tantùm erant ad ſignificationem, ſed etiam ad diſciplinam. Erant enim moleſtum onus ſub quo fideles ſerviebant ad augendum ſpiritum ſervitutis. Sicut Pharao in Ægypto Iſraëlitas onerabat difficili labore, ut laſciviam & fœcunditatem eorum ſuppr imeret; ita Deus Iſraëlitas in terra Canaan oneravit jugo moleſtarum ceremoniarum, ut hoc jugo compeſceretur laſcivia, & acueretur deſiderium futuri liberatoris. Vide Gal. 4. 1. 2. 3. Sic etiam Sabbathum Judæis aliquo modo erat jugum factum, etſi in ſe erat dies recreationis, dum ejus obſervatio multis externis eſſet gravata, e. g. ut ne manna quidem colligere liceret Exod. 27. 28. nec ignem in ædibus accendere Exod. 35. 3. ut vel ligna colligere eſſet capitale Num. 15. 32. poſtquam verò per mortem Chriſti ſpiritus adoptionis Eccleſiæ acquiſitus eſt, & majori abundantiâ effuſus, ceſſat quoque ille rigor Sabbathicus, & Chriſtianæ prudentiæ relinquitur,

Digitized by Google

ſinquitur, quantâ abſtinentiâ opus ſit, ut dies totus Deo ſit ſacer, animæ ſalutaris, corpori refectorius, proximo adjutorius, & à profanatione immunis. En hoc de Sabbatho Chriſtiano ex hoc textu fuit proponendum, unde videmus differentiam quidem aliquam eſſe inter Sabbathum Judaicum & Chriſtianum, ſed tamen Chriſtianos etiam num obligatos eſſe ad celebrandum Sabbathum, quarto præcepto ſancitum, & impiũ eſſe illud dogma, quod dominica non ſit Sabbathum (**Sondagh geen Sabbath**) Adventus Chriſti in N.T. ſolvit quicquid in lege Moſis ceremoniale eſt, ſed non quod morale eſt, & ad ſubſtantiam decalogi pertinet. Etſi Sabbathum non amplius eſt figura & typus quietis Chriſti in ſepulcro, vel quietis in terra Canaan poſt exitum ex Ægypto, nec amplius eſt jugum legis ad acuendum ſpiritum ſervitutis, tamen etiamnum eſt tempus honori Dei curandæ ac nutriendæ animæ, reficiendo corpori, exercendæ miſericordiæ ſacratum. Et etiamnum habet aliquas ſignificationes per adventum Chriſti non abolitas. Eſt enim etiamnum monumentum creationis in hominibus & beſtiis, eſt monitorium ceſſandi à peccatis, memoraculum reſurrectionis Chriſti, & typus æternæ quietis in cœlo, propter quæ omnia etiam Chriſtianis in N. T. neceſſaria eſt obſervatio Sabbathi, adeò, ut & nobis metuendũ ſit à comminationibus, quibus olim obſervatio Sabbathi ſancita eſt Eſa. 56. v. 2. Utile eſt hoc tempus Deo & animæ exactè tribuere. Nam ſi hoc die opus ſalutis & amicitiam cum Deo probè colueris & excolueris, labor & mundanæ curæ cæterorum dierum tantùm non officient profectui animæ in negotio ſalutis. Dolendum eſt hunc diem adeò negligi, ut nullus quàm hic ipſe profanius tranſigatur, feſtis humanis æquiparetur vel poſtponatur, plus mundanis, quàm ſpiritualibus rebus curandis impendatur.

III. Occaſio hujus hiſtoriæ fuit congregatio diſcipulorum ad frangendum panem, quæ habita fuit uſque ad medium noctis Paulo concionante in tertia contignatione domus, ubi multæ erant lampades. Erat Eccleſia Trojæ, in ſecundo itinere Pauli plantata Act. 16. 8. Et hæc Eccleſia hac die dominica erat congregata, diciturque quando, ubi congregata, & quid in hac congregatione actum fuerit.

1. Congregata veſperi vel noctu; Cur non mane atque interdiu? Et an fuit nox dominicam diem præcedens vel ſequens? *Reſp.* Quidam putant noctu congregatos fuiſſe, quod interdiu propter hoſtes non eſſet ſatis tutum. Rectius putatur, quod diem dominicam privatim in ædibus jejunando, legendo, & precando, ac ſeipſos probando conſumentes, & ſe ad Cœnam præparantes veſperi ejus diei convenerint ad audiendum publicè verbum Dei, cantandos Pſalmos, celebrandum Cœnam Domini, & ſimul cœnam caritatis, ſive ἀγάπην, adeò ut fuerit nox poſt, non ante dominicam. Nam ſi dies ſequens fuiſſet dominica, Paulus non feciſſet iter, ut patet ex v. 7. & 11. Inde tamen non ſequitur aliqua neceſſitas ſemper ita faciendi, nec con-

Digitized by Google

venientiorem aut licitam eſſe celebrationem S. Cœnæ matutinam.

2. Congregati in cœnaculo multis luminibus inſtructo. Non videntur metus cauſá in tertiam uſque contignationem aſcendiſſe, ſicut diſcipuli Actor. 1. 13. (*aperta enim erant feneſtra, & accenſa candela*) ſed propter commoditatem & capacitatem loci. Sed ad quid lampades? 1. Propter tenebras noctis. 2. Accendebant candelas, ut extinguerent calumnias hoſtium, qui dicebant Chriſtianos captare congregationes nocturnas, ut in tenebris opera tenebrarum invicem exercerent. Abſurdè autem inde concluditur, quod ſemper, etiam clarâ die, in celebratione Cœnæ debeant adhiberi accenſæ candelæ ad myſteria Cœnæ decoranda. Non opus ardente altari, ſed ardente corde.

3. Finis conventus fuit fractio panis. Celebratio Cœnæ intelligitur, cum adjunctis agapais, ut Actor. 2. 46. Arguit hæc appellatio Cœnæ. 1. Quod fractio panis ſit ceremonia neceſſaria in adminiſtratione Cœnę. 2. Quod in Cœnâ ſit verus panis. Species enim ſine ſubſtantia non franguntur, nec ſunt panis.

4. Paulus Cœnæ addebat concionem, eamque extendebant in mediam noctem. Nota: 1. Verbum debet jungi Sacramentis, ne ſint mutæ ceremoniæ. Sicut ſigillum ſine literis nihil valet, ita Sacramentum ſine verbo non eſt Sacramentum. 2. An Paulus rectè fecit quod tam prolixè concionatus eſt, ſcil. in mediam noctem? *Reſp.* Textus dicit, eum hoc ideò feciſſe, quia ſequenti die erat abiturus. Erant ſemper audituri conciones, ſed non ſemper Apoſtolum concionantem. Voluit illus penitiùs firmare in doctrina Euangelii, quos non amplius erat viſurus, & fortâſſe graviores aliquæ quæſtiones propoſitæ fuerunt, quibus enucleandis tantum temporis requireretur: Alioquin, ſicut *omnia decet fieri ordinatè & decenter in domo Dei* 1 Cor. 14. Ita etiam verbi Dei coram populo tractatio debet habere commodam menſuram, ut tantum dicatur quantum ad ædificationem facere poteſt, neque tamen ita, ut ſe Concionator nimium accommodet ad ſegnitiem auditorum, & nauſeæ eorum contra verbum nimiùm indulgeat.

IV. Sequitur ipſum factum quod contigit. Juvenis quidam nomine Eutychus (puerum fuiſſe probabile eſt, quem parentes adeſſe voluerunt verbi & precum causâ, non ad uſurpandam Cœnam) ſedens in feneſtra correptus fuit ſomno, & decidendo præcipitatus eſt in mortem, à Paulo tamen in vitam reſuſcitatus magno cum gaudio Eccleſiæ. Habes hic 1. Eutychi peccatum. 2. Pœnam. 3. Pauli remedium contra pœnam. 4. Gaudium Eccleſiæ ex hoc remedio.

Quod ad primum, videlicet Eutychi peccatum, quidam ajunt totum hoc factum à Diabolo, qui Eutychum præcipitaverit, ut feſtum ac gaudium Eccleſiæ, fructumque concionis Paulinæ turbaret, & triſti terriculamento funeſtaret. Non rejicimus hoc. Non enim ſumus ignari, quod Satan ſemper amet intereſſe ſicubi res non bene geritur. Alii ſoli Deo hoc adſcribunt, quod

Digitized by Google

quòd concionem Pauli miraculo voluerit confirmare. Neque hoc damnamus. Attamen textus ita hâc de re loquitur, ut conſtet & Eutychum & Deum eſſe inter cauſas hujus mali. Eutycho enim adſcribuntur peccata, quæ Deus punivit, vel propter quæ Eutychum tam gravi lapſu caſtigavit. Duplex peccatum ipſi adſcribitur:

α. Imprudens audacia. Sedebat in feneſtra. Scamna vel pavimentum audaci puero non placebant, ideò in feneſtram aſcendit, atque ibi conſidet. Sicut galli & gallinæ non libenter humi ſedent ac dormiunt, ſed evolant atque in trabe vel climace aliqua dormitant, unde facile decidunt & dormientes moriuntur, ità audaces pueri ſemper amant agere quod periculum habet. Quot pueri ſe & ſuos parentes cordolio affligunt, dum ſcandendo, ſaliendo, natando, pugnando, &c. vitam & valetudinem ſuam in periculum præcipitant! Diſcant pueri ex hoc exemplo eſſe modeſti & circumſpecti, cavereque pericula, ne ſibi & parentibus ſuis cordolium creent. Etiam pueris ſcripta eſt exhortatio Scripturæ 1 Iohan. 2. 13. etiam puerorum puerilia peccata à Deo puniuntur Ief. 5?. 22. *Ne ſitis parentibus cordolio* Prov. 19. 13.

β. Somnolentiam in cultu divino. Dormire cum Deus loquitur, peccatum eſt quod in hoc juvene temporali morte à Deo punitur. Quis inter noſtrates hoc credat, quod ſomnus inter conciones & preces in templo tam grave apud Deum peccatum habeatur, ut morte puniatur? Et tamen evidens hîc habes exemplum. Erat tantùm puer, vel juvenis, erat poſt cœnam, concio durabat uſque ad mediam noctem, in tantùm ut ſomno vinceretur & abriperetur, v. 9. & tamen propter ſomnum inter concionandum tam graviter caſtigatur. Infirmitatem ſcio fuiſſe, verum etiam infirmitates caſtigantur & peccata ſunt. Et meritò. Nam quis gravior Dei contemptus, quàm dormire cum is loquitur? Leo rugit, quis non timeat? Deus loquitur, quis non prophetet? ſaltem quis non vigilet & audiat Amos 3. 8. Quàm juſta eſt querela Chriſti de diſcipulis Matth. 26. 40. Et quàm prægnans illa ratio quæ additur v. 41. Nam ſicut qui inter verbum Dei vigilant & attendunt, Spiritum S. accipiunt, ita qui dormiunt, Diabolo ſuum exponunt animum ad varias tentationes Matth. 13. 25. Non dicam nunc, quàm triſte ſit ſervis Dei, qui magno labore congeſſerunt quod ad ædificationem pertinet, & deinde effundere coguntur in dormientia capita. Qui in templo dormit, caveat ne in mortem obdormiſcat Pſal. 13. 4. vel in indurationem Eſa. 29. 10. Rom. 11. 8. Si unquam valere debent adhortationes quæ ſunt Rom. 13. 11, Eph. 5. 14. 1 Theſſ. 5. 6. 7. in templo valere debent. Venimus utique in templum ut illuminemur. Excitemus igitur nos ad attentionem. Quàm dolendum eſt tot eſſe auditores, quibus non eſt conſcientioſa formido dormiendi in templo! Tales profectò non ſunt auditores, ſed auditûs contemptores. Non per ſomnum, ſed per auditum eſt fides Rom. 10. Fateor quidem, quod ſomnus inter verbum facile

Digitized by Google

cilè corripit, & abripit etiam optimos, ſed ideò non eſt laudandus vel excuſandus; quaſi Deum non offendat, ſed ad minimum nobis ineſſe debet religioſa & conſcientioſa formido dormiendi, ne ad templum veniamus voluptatibus, curis, laboribus, cibo, potuque adeo onuſti & exhauſti, ut ad vigilandum ſimus inepti, ne ſponte nos ad ſomnum componamus, ne vel ſignum aliquod alicujus luctæ contra ſomnum in nobis appareat, nec ulla contritio & pœnitentia ſuper eo coram Deo, nec ulla fiat antecedens præparatio ad diem dominicam, non ſecus ac ſi eſſet ex operibus noſtris leviſſimis. Quam dulcedinem, delectationem, guſtum, fructum homo dormitans poteſt haurire ex prædicatione verbi! Vide quid de nobis futurum ſit in cœlo Apoc. 4. 8. Hujus rei præludium debebat eſſe in templis. Si ſic facimus, data eſt promiſſio Pſal. 127. 2. cum Prov. 3. 24.

Actor. 20. *v.* 9. 10. 11. 12.

CONC. CCXXI.

SEquitur pœna Eutychi dormientis. Vi ſomni delabitur ex tertia contignatione, & mortuus affertur. Vi ſomni hoc factum, ſed non ſolâ vi ſomni, multi enim etiam periculoſis in locis dormiunt, & tamen non cadunt. Præcipua cauſa Deus fuit, qui ſomnum Eutychi, inter concionem & preces, punivit. Non dixerim quod fuerit pœna propriè dicta. Erat enim filius piorum parentum, qui religionis causâ eum ſecum adduxerant in templum, adeoq; judicio charitatis habendus inter ramos ſanctos, ad fœdus Dei pertinentes, qui non ſunt ſub maledictis pœnis, ſed tantùm ſub paternis Dei caſtigationibus, quod & inde patet, quod tam clementer & paternè à Deo reſuſcitatus eſt ex mortuis.

Tria hinc diſcimus:

I. *Non tantùm impiorum dominantia peccata, ſed & piorum infirmitates à Deo corripiuntur* (gezüchtiget) Non dico puniuntur, ſed corripiuntur. Puniri enim non niſi impropriè dici poteſt de iis, qui per Chriſtum Deo reconciliati, juſtificati & ejus filii facti ſunt, quippè in quibus nulla eſt condemnatio Rom. 8. 1. Pœna autem eſt actio judicis inflicta reo condemnato. Corripiuntur tamen pii propter infirmitates. Quid differunt pœna judicialis & paterna correptio? *Reſp.* 1. Subjecto. Hoſtes puniuntur, juſti & filii corripiuntur. *Fundit furorem ſuum ſuper eos qui ipſum non nôrunt* Pſal. 79. 1. 2. Materiâ. Pœna conſtat maledictione, & ſemper aliquid infernale habet. Correptio eſt afflictio humana, & ſemper aliquid paterni habet. Pſal. 89. Virga humana tentatio humana 1 Cor. 10. 13. Oportet quidem interdum etiam pii bibant ex rivis Belial Pſal. 18. ſed tamen miſcentur cœleſti ſolatio. 3. Fine. Pœna pro fine habet vindictam & perditionem. Correptio emendationem, probationem, deteſtationem peccati. 4. Tempore. Pœna non deſinit, ſed durat in æternum. Correptio deſinit cum hac vita. Mors fidelium ultima eorum correptio. Etſi enim introitus in cœlum, & redemptionis medium eſt,

Digitized by Google

eſt, tamen etiam refertur inter judicia & correptiones fidelium, præſertim ſi eſt intempeſtiva 1 Cor. 11. 30. Vide hoc diſcrimen deſcriptum Iſai. 27. 6. 7. 8. 9. Jer. 30. 11. Jer. 10. 24. Pſal. 6. v. 1. Etſi igitur fideles in hac vita accipiunt perfectam remiſſionem peccati ac pœnæ, perfectam reconciliationem & juſtificationem, imò adoptionem & amicitiam cum Deo, tamen infirmitates eorum non ſunt impunes, & quamdiu peccant, non peccant ſine compenſatione peccati, ſed ſæpe gravius corripiuntur in hac vita, quàm ipſi impii. Indicat hoc Deus Pſal. 89. v. 33. 34. 2 Sam. 7. 14. 15. & Paulus 1 Cor. 11. 31. Adde exemplum Davidis 2 Sam. 12. Moſis & Aaronis Num. 20. 12. 13. & 27. 12. 13. Eli 1 Sam. 2. Jonæ c. 1. Quare Deus hoc facit? 1. Ut ſuam abominationem contra peccatum oſtendat, & doceat impios concludere, ut eſt 1 Petr. 4. 17. Luc. 23. 3. Jer. 25. 29. 2. Ut præveniat, ne nomen ſuum blaſphemetur ab impiis. Ezech. 36. 23. ne putarent Deo communionem eſſe cum peccato. 3. Ad præveniendum perditionem piorum. Sicut medicus ſanat amaris pharmacis, ita Deus acerbis caſtigationibus prævertit fidelium exitium. Sciant hoc pii, ne fiant ſine metu. Decet Deo fidelem eſſe propter excellentiam, propter beneficia, propter promiſſam mercedem. Sed ſi hoc te non movet, ſcias Deum te graviter poſſe caſtigare, etiamſi amet. Poteſt publicis, privatis, corporalibus, ſpiritualibus te cædere virgis. *Object.* At quod remiſſum eſt, propter id non poteſt corripere. Annon inde ſequitur remiſſionem eſſe imperfectam, & propriis ſatisfactionibus quotidiè redimendas eſſe pœnas? *Reſpond.* Quod noſtro merito remiſſum eſt, ſed non quod ex mera Dei gratia remiſſum eſt, impune eſt. Nam qui ex gratia propter Chriſti merita remiſit pœnam & dedit vitam, poteſt juſtè caſtigare ad tempus reliquias peccati. Si Deus creaturas irrationales, quæ non peccârunt, ad tempus juſtè poteſt ſubjicere vanitati & multis doloribus, cur non poſſet peccatores, non ſuo merito, ſed Dei gratiâ reconciliatos? Non igitur infirmitatum caſtigationes ſatisfactionibus redimendæ, ſed præveniendæ per τὴν αὐτοκρισίαν 1 Cor. 11. 31.

II. Etiam parva peccata puniuntur. Somnus in concione punitur morte. Sic punitum fuit peccatum Adami Gen. 3. Moſis & Aaronis Num. 20. 10. 11. 12. Populi petentis Regem 1 Sam. 12. 27. Saulis non expectantis in ſacrificando adventum Samuelis 1 Sam. 13. v. 11. 12. 13. 14. & parcentis Agago 1 Sam. 15. v. 11. 12. Bethſemitarum 1 Sam. 6. 19. Uzæ 2 Sam. 6. v. 7. Ananiæ Actor. 5. inutile verbum Matth. 12. pravæ cogitationes Matth. 5. Ipſa occulta peccata Pſal 19. 13. Pſal. 90. v. 8. Ratio: quia ſunt contra legem Gal. 3. 10. & quia ſunt contemptus auctoritatis divinæ. Parvum peccatum ſæpe majus eſt & eò gravius, quod ratione materiæ magnum eſt. Refutatur hinc diſtinctio Pontificiorum, quâ peccatum dividunt in veniale & mortale. Redarguuntur etiam qui de peccatis parvis non pœnitent: Etiam cordis interni motus merentur iram Dei, nec evadent, niſi per pœnitentiam impetres remiſſionem.

Digitized by Google

III. Etiam puerilia peccata non ſunt immunia nec impunia. Non loquor nunc de infantibus, qui ab utero tranſgreſſores, *quorum figmentum cordis pravum ab ineunte ætate, & qui natura filii iræ ſunt.* Iſai. 48. Geneſ. 6. Epheſ. 2. ſed dico, quod etiam illa peccata, quæ in pueritia committimus & juventute, non ſunt impunia. Eutychus noſter non erat niſi *νεανίας παῖς*, puer v. 12. & tamen ejus puerilis & imprudens audacia, nec non ſomnus inter concionandum & precandum adeò gravi lapſu à Deo caſtigatur. Vide Job. 13. 26. Pſal. 25. 7. Eccleſ. 11. 9. Jer. 3. 25. quorſum aliqui etiam accommodant quod dicitur Job. 20. 11. Hinc toties in Proverbiis Salomon jubet pueros caſtigare virgis, & minatur quoque vitiis puerorum contra parentes Prov. 3. 17. Sciant hoc non tantùm pueri, ut citò vitent libidines juventutis 2 Tim. 2. verſ. 22. Sed etiam parentes, ne nimium parcant vitiis filiorum, dicantque, puer eſt; ubi adoleverit ſponte deſinet malè agere. Cogitate etiam puerorum peccata Deo diſplicere, cum parentibus non diſplicent. Cavete ne in nobis impleatur illud Jer. 9. 21. Prudentia quidem requiritur & moderatio zeli; ne injuſtâ irâ pueros exacerbemus magis quàm emendemus, ſed tamen lentitudo erga pueros damnabilis eſt. Deſuefacite veſtros pueros à blaſphemiis, & impudicis dictis, ab ignavia, à laſcivia, à pugnis, &c.

Sequitur remedium à Paulo contra hanc pœnam Eutychi, & contra conturbationem Eccleſiæ adhibitum. Cecidit ſuper mortuum, complexus eſt illum, & annunciavit quod viveret, ſeu quod anima ejus eſſet in ipſo.

1. Quid ſibi vult illa ceremonia, quod ſuper ipſum cecidit? *Reſpond.* Eſt ad imitationem Prophetarum. 1 Reg. 17. 21. & 2 Reg. 4. 34. Qui ubi miraculum aliquod patrare ſuſcipiebant, ſolebant uti ceremoniis, ſed tamen ceremoniis naturâ ad tale quid patrandum ineptis. Solebant uti mediis, non alicujus indigentiæ causâ, ſed 1. Ut nobis commendaretur uſus mediorum, ne ea repudiaremus ſicut Naaman 2 Reg. 5. 2. Obſervant interpretes, ceremonias illas hoc loco ſpecialiter adhibitas ad adumbrandum modum noſtræ ſuſcitationis ex morte ſpirituali. Per lapſum Adami in mortem præcipitati, per unionem cum Chriſto vivificamur. Incidit in nos, ſeu nobis applicat crucifixum ſuum corpus, & inſpirat nobis Spiritum S. & ſic vivimus. Adhibuerunt tamen media fini non proportionata e. g. extenſione ſuper mortuos, ſputum cum pulvere, ſtrophiola, umbram &c. ne cor mediis adhæreret, ſed miracula ad Deum referret.

2. Cur Paulus dicit, quod anima ejus eſſet in ipſo, cum ſuprà dicatur mortuus? an anima latebat in membris? ergo non fuit miraculoſa ſuſcitatio. *Reſpond.* Paulus loquitur ex fide, non ex ſenſu. Non quia ſentiebat, animam in juvene eſſe, ſed quia credebat futuram. Per fidem enim Apoſtoli patrabant miracula. Quod igitur credidit fore, prædixit fore. Sic Chriſtus Matth. 9. 24. *Filiola non eſt mortua ſed dormit*, i. e. ad tempus tantùm receſſit anima, & mox redibit. At ubi erat anima? In ma-

Digitized by Google

nu Dei vel angelorum qui morientium animas dicuntur portare Luc. 16. v. 22. etſi non fuit in cœlum aſportata, tamen fuit in manu angeli cuſtodita. Vide quæ dixi in Actor. 9. 37.

3. Aſportabatur vivus. Ablatus fuerat mortuus, referebatur vivus: Exemplùm habes quod reſurrectio mortuorum non ſit impoſſibilis. Eſt articulus fidei, multis Scripturæ vaticiniis & promiſſionibus firmatus, quod mortui ſint reſurrecturi. Sola impoſſibilitas ſcrupulum facit. Sed cur impoſſibile, quod toties factum eſt? Vide ſpecialia exempla allegata in Actor. 9. 40. Scrupulo de impoſſibili opponenda cogitatio de potentia Dei, & ſæpe meditandus hic articulus, ut & licentiam peccandi compeſcat, & horrorem mortis minuat.

Sequitur denique gaudium Eccleſiæ. Lapſu turbati reſuſcitatione gaudent non mediocriter. Solatii cauſa erat non tantoperè vita mortui pueri, quàm confirmatio doctrinæ quam crediderant. Verbo enim & ſacramento additur miraculum. Egregiè ob oculos ponuntur duo fructus Euangelii, vita ſcil. & ſolatium. Reſuſcitatio ex morte ſpirituali & corporali. Attamen etiam ſolatium in hac vita, imò gaudium etſi non perpetuum, tamen ſufficiens. *Objectio*. At tale gaudium, & ſolatium hodie nobis non contingit. *Reſpond*. Imò contingit, etſi non per miracula, tamen per ordinaria media Pſal. 119. 50. Turbatio, & concitatio conjuncta. 2 Cor. 1. 7. Sæpe cadit Eccleſia ad mortem uſque, & reſurgit.

Actor. 20. *v*. 13. *ad* 20.

Conc. CCXXII.

Sancti angeli, quia ſunt Dei nuncii, per quos voluntatem ſuam exſequitur in mundo, & inter homines, inter alia laudantur à celeritate & promptitudine in expediendo opere Domini, unde dicuntur habere ſex alas, & volare Iſai. 6. 2. Apoc. 8. 13. & comparantur cum vento & fulgure, quo nihil celerius Pſal. 104. 4. Similis celeritas & promptitudo data Apoſtolis præſertim Paulo, qui propterea recte vocari poteſt angelus Dei. Etſi enim non volavit, ſed humanis mediis ad itinera opus habuit, tamen planè angelica celeritudo, & indefeſſa promptitudo ipſi fuit, in expediendo opere Domini.

Vidimus eum regreſſum tertii ſui itineris incipientem ex Græcia, urbeque ejus, ut probabile eſt, Corintho, ubi hybernaverat, 1 Cor. 16. 6. tranfretantemque ex Europa in Aſiam, appellentem ad urbem Troas, ibique diem dominicam, & ſacram Cœnam cum Eccleſiâ celebrantem, & concionem ſuam egregio miraculo confirmantem. In reſiduo, hujus capitis deſcribitur continuatio hujus regreſſus verſus Judæam, partim terreſtris, partim marina Miletum uſque, quò ad ſe evocavit Eccleſiæ Epheſinæ ephoros, ad quos inſignem habuit concionem, triſti diſceſſu finitam. Tria igitur hoc capite reſtant explicanda.

1. Iter Pauli, & comitum Troade Miletum uſque.

Digitized by Google

2. Evocatio ſynedrii Epheſini, & concio ad illud habita.

3. Diſceſſus, & ejus modus.

Iter habet hanc ſeriem: Troade, præmiſſis navi comitibus, pedeſtri itinere Aſſon venit, ibique comitibus ſe conjunxit, quibus ipſum Lucam interfuiſſe patet, quia loquitur in prima perſona: nos venimus in navem: hinc navi Mitilenem, Mitilene adverſus Chium, à Chio Samum appulit, & Trogyllii pernoctavit, ſequenti die Miletum venit. Omnia illa loca, quæ hic nominantur, partim ſunt inſulæ, vel urbes inſulanæ, inſulæ ipſi cognomines, partim promontoria, vel urbes in continente, ſuntque celebria etiam in profanis hiſtoriis, nec incognita iis, qui hodieque mare mediterraneum Conſtantinopolim verſus navigant, ubi inſularum tantus numerus inter Græciam & Aſiam, ſeu inter Europam, & Aſiam concurrit, ut videantur manu hominum ſeminatæ. Aſſus erat urbs Miſiæ vel Æoliæ ad littus Aſiaticum, aliàs dicta Apollonia. Mitilene eſt inſula, quæ hodie vocatur Metelino, habetque urbem ejuſdem nominis. Chios etiam inſula inter Lesbum & Samum, ubi dicitur creſcere vinum Malvaticum ſeu vinum nigrum. Samus inſula adverſus Epheſum, Pythagoræ patria, clara olim vaſis fictilibus, unde verſus:

Fictilibus cœnâſſe ferunt Agatoclea Regem. Atque abacum Samio ſæpè onerâſſe luto.

Ex hac inſula in Trogyllion venerunt, quæ eſt inſula parva in ſinu Epheſino vel Jonico. Hinc in continentem Joniæ egreſſi Miletum venerunt, quæ eſt urbs Joniæ Epheſo vicina. Quæri hìc poteſt.

1. Cur comites Aſſon uſque navigare juſſit, ipſe verò pedes ivit? *Reſp.* 1. Ut tædium itineris maritimi abbreviaret.

2. Ut Eccleſiam vel amicos ejus urbis viſitaret. Non igitur hìc locus diſcurrendi, ut faciunt monachi, de humilitate Apoſtolorum, & miniſtrorum Chriſti. Si enim hæc humilitas non alio exemplo & argumento paſtoribus inculcari poteſt, parùm efficiemus. Potius diligentiam Pauli inde diſcamus, qui, quamvis properans, tamen ubique voluit captare anſam confirmandi Eccleſias.

2. De Mileto quæritur, quomodo conveniat quod dicitur de Trophimo 2 Tim. 4. 20. cum eo quod de eodem dicitur Actor. 21. 29. ubi Trophimus hoc ipſo itinere Hieroſolymam uſque cum Paulo veniſſe dicitur. Quomodo igitur Mileti relictus æger?

Reſp. 1. Sunt qui putant, Paulum poſt quartum & ultimum iter, hoc libro deſcriptum Româ profectum eſſe in Hiſpaniam & alia in loca, donec Romam reverſus martyrium ibi paſſus ſit, & in hoc itinere Trophimum Epheſi reliquiſſe ægrum. Incertum hoc, imò contrarium ei quod dicitur v. 26. hujus capitis. 2. Sed cur non potuit fieri itinere ſecundo, quando Corintho Epheſum, ſine dubio per Miletum, profectus eſt Actor. 18. 18. 19. Incertum enim eſt, quando & quo loco poſterior ad Timotheum ſcripta ſit, cum ſubſcriptio ejus ſit Apocrypha.

3. Quo tandem fine hæc omnia loca, per quæ Paulus profectus eſt, conſi-

gnata

Digitized by Google

gnata ſunt, quid hoc ad noſtram ædificationem? *Reſpond.* 1. Confirmat veritatem hiſtoriæ. Sicut enim hiſtoria eſt oculus veritatis, ita topographia eſt oculus hiſtoriæ, quam invenies in omnibus hiſtoriis benè concinnatis. 2. Ut videremus impletionem Prophetarum, qui vocationem gentium inſulanarum prædixerunt Pſal.72. 10. Iſai.42. 4. Iſai.51. 5. Zephan.2. 11.

Miletum appulſus non proficiſcitur Epheſum, ſed Miletum evocat Epheſinum ſynedrium. Ratio redditur, quia nolebat tempus conſumere Epheſi, quod inter tot amicos, à quibus ſe tam citò avellere non potuiſſet, fuiſſet neceſſarium, ſed properabat, ſi fieri poſſet, Hieroſolymis eſſe die Pentecoſtis. quid ibi facturus, quid Paulo negotii cum feſto Judaico. Diſcuſſimus hoc Actor.18. 21. Non ipſius feſti cauſa voluit eſſe Hieroſolymis, ſed quia in feſto magnus erat confluxus populi, qui dabat occaſionem propagandi Euangelii. Perperam Pontificii inde concludunt, quod Chriſtianum Pentecoſte & alia feſta ſint ex Apoſtolica traditione. Si enim eum Chriſtianis voluiſſet celebrare Pentecoſte, non adeo Hieroſolymam properâſſet, cum hoc ſaltem conſtet, quod feſta Chriſtianorum non ſint alligata certo loco, ſed ubique celebrari poſſint. Evocat presbyteros Eccleſiæ. Sumitur hæc vox aliquando latius, pro omnibus Eccleſiæ antiſtitibus, etiam Apoſtolis comprehenſis 1 Petr. 5. 1. Aliquando ſtrictius, pro rectoribus Eccleſiæ, aliquando ſtrictiſſime, pro ſolis presbyteris docentibus, qui in verbo laborant. Quomodo hìc accipiendum ſit parum refert, ſaltem miniſtri verbi intelliguntur omnes. Sed cur Paulus evocat? An habebat poteſtatem jubendi ut Magiſtratus? *Reſpond.* Docet locus, quod in Eccleſia ſit poteſtas ordinis, ſine qua domus Dei deſtruitur. Etſi mandata Eccleſiaſticorum non ſunt mandata regia (**Heeren geboden**) tamen ſunt neceſſaria, & propter conſcientiam obſervanda, quia Chriſtiana conſcientia reformidat ſpernere media, ad ordinem in domo Dei conſervandum neceſſaria. Non habent ſuam vim in gladio mandantis, ſed tamen in conſcientia eorum, quibus mandatur. Loquor de mandatis ordinis. Nam quod ad mandata fidei & doctrinæ, major requiritur ſubjectio Hebr. 13. 17. quippe ubi non ſuum ſed Dei verbum loquuntur.

Sequitur concio ad evocatos Epheſios Mileti habita, quæ congruè dividitur in tres partes. Prima pars eſt commendatio miniſterii ſui apud Epheſios peracti, ut ejus ſint memores. Pars ſecunda eſt commonefactio de futuris Eccleſiæ periculis, & exhortatio, ut contra illa vigilent. Pars tertia eſt conſolatio contra difficultates, quas poterant objicere contra exhortationem Pauli.

Parte primâ Paulus provocat ad eorum conſcientias, de ſinceritate vitæ & miniſterii apud ipſos peracti, denuntiatque ſuum ab illis diſceſſum ſine ſpe redeundi, & proteſtatur de ſua innocentia, ſi pereant. Habes igitur in hac parte 1. Provocationem. 2. Denuntiationem. 3. Proteſtationem.

In provocatione appellat ad conſcien-

Digitized by Google

tias eorum, & teſtimonium ſibi ferri cupit, qualem vitam egerit, & qualiter ſuum miniſterium obierit, dum Epheſi fuit. Solent ejuſmodi provocationes tripliciter fieri:

1. Ad Deum idque dupliciter. 1. Ratione juſtitiæ univerſalis Iſai. 38. v. 3. 2 Cor. 11. 31. Johan. 21. 15, 16. 17. Nehem. 13. 14. Job. 23. 10. 11. 12. Pſal. 26. 1. 2. 2. Ratione juſtitiæ particularis in una aliqua cauſa. Pſal. 7. 5. 6. Job. 31. 21. 22.

2. Ad propriam conſcientiam Rom. 9. 1. q. d. loquor ex conſcientia, & ſcio quod res ita habeat. Conſcientia judex & teſtis eſt ad quem datur provocatio, & qui falſò provocantem redarguit.

3. Ad conſcientiam aliorum, quibuſcum converſati ſumus. Sic Samuel 1 Sam. 12. 2. 3. Sic Paulus hoc loco, & egregiè 1 Theſſ. 2. 1. ad 13.

Egregium eſt poſſe, poſt probationem ſui ipſius, ita provocare ad conſcientiam, & proximum de integritate vitæ. Sine probatione ſeria ſui ipſius non licet. Sed poſt ſeriam probationem ſine contradictione conſcientiæ poſſe ita provocare, licita & Chriſtiana eſt parrheſia, & ſerenæ conſcientiæ indicium. *Obj.* Annon ſatius eſt cum publicano ſtare à longinquo, & non audere tollere faciem, ſed ſimpliciter dicere, *Domine miſerere mei peccatoris* Luc. 18. 13. *Reſpond.* Non decet opponere, quæ conjungenda ſunt. Quæ juxta ſe invicem ſtare debent, contra ſe invicem poni non debent. Utrumque neceſſarium, & cùm publicano humilem eſſe, & cùm Paulo liberâ fiduciâ provocare ad teſtimonium Dei, conſcientiæ, & hominum. Publicanus laudatur quòd humilis fuit, ſed ideò non negatur, quòd poſt humiliationem etiam ſeſe erexerit, & liberè acceſſerit ad thronum gratiæ. Non pugnant humilitas & parrheſia (**ootmoedigheydt en bymoedigheydt**) ſed in corde ſincero ambæ locùm habent. Altera oritur ex ſenſu peccati, altera è ſerenitate bonæ conſcientiæ, & teſtimonio Spiritus S. quod datur iis, qui ſincero corde Deo ſerviunt ſecundum Euangelium. Infirmitates poſt converſionem reliquæ non obturant hanc parrheſiam, ſed petulantia peccata, in quibus ſponte nobis indulgemus.

Atenim ad quod Paulus provocat, & qua de re teſtimonium ſibi perhiberi cupit, vel quid eſt, quod memoriæ Epheſiorum de ſe tantoperè commendat? *Reſpond.* Duo ſunt quæ commendat ipſorum memoriæ: 1. Pietas vitæ: 2. Fidelitas miniſterii Epheſi peracti: Vitam ſuam deſcribit v. 18. 19. Fidelitatem miniſterii v. 20. 21.

1. Scitis qualis fuerim; πῶς ἐγενόμην vobiſcum, i. e. quomodo inter vos vixerim, quomodo me geſſerim. Similis modus loquendi 2 Petr. 3. 11. ποταποὺς δεῖ ὑπάρχειν ὑμᾶς? qualiter vivimus, taliter ſumus, & vivendi modus eſſentiam atque naturam quodammodo immutat, ut ſint alii homines qui aliter vivunt, imò ut verè non ſint homines qui non vivunt ut homines vivere decet, ſed more beſtiarum in libidinibus. *Sunt homines alterius ſpiritus* Num. 14. 24. *habent aliud cor, ſunt alii viri*, 1 Sam. 10. 6. 9. Cogitemus hoc, & examinemus quales ſimus, an habeamus veram illam eſſen-

Digitized by Google

eſſentiam & naturam, an ſimus tales homines, quales eſſe debent, qui ſunt rationales.

2. Scitis, quod ſemper fuerim idem, à primo die, quo in Aſiam veni, toto tempore. Aliquando bonum eſſe non eſt laudabile, ſed ſemper bonum. Imò qui non ſemper eſt bonus, non poteſt aliquando bonus eſſe. Non enim unus atque alter bonus actus largitur naturam, & formam boni viri, ſed cordis & totius vitæ conſtans ad pietatem inclinatio, & pietatis proſequutio. Dicitur quidem de Saulo quod fuerit vir alius, habuerit cor aliud, quam habebat antè, ſed non quam habent alii impii. Non enim erat ita mutatus, ut ab aliis impiis eſſet ſeparatus, ideoque ſubito factus eſt ut antea erat. Vir pius non eſt ſicut umbra corporis, quæ modò longa modò breviſſima eſt, prout Sol adſcendit vel declinat, ſed eſt ſicut ipſum corpus, quod ſemper idem.

3. Qualis igitur fuit Paulus, quamdiu Athenis fuit? Fuit cultor Dei. *Servivi Deo.* Hoc cardine dirimuntur homines in duo genera, ut alii ſint cultores Dei, alii non. Omnes quidem homines dicunt ſe ſervire Deo, ſed nemo verus cultor Dei, niſi qui Deum colit ſupra omnia. Qui idola, mundum, ventrem plus amat & colit quam Deum, qui duobus ſimul dominis ſervit Deo & Mammonæ, non eſt cultor Dei. Supra omnia colendus Deus Matth. 22. qui ventri ſervit, Chriſto non ſervit Rom. 16. 18. Is demum ſervus Dei, qui voluntatem Dei facit cum abnegatione ſuæ voluntatis & mundi.

4. Quomodo autem ſervivit Deo? & unde conſtat quod melius & aliter ſerviverit Deo quam alii qui non rectè ſerviunt. Cum humilitatè, cum lacrymis.

α. Cum humilitate. Servire Deo cum ſuperbia eſt contradictio in adjecto. Superbi enim corde ſe efferunt contra Deum, non ſerviunt Deo. Hinc Adam tum deſiit eſſe Dei ſervus, cum affectavit Deo eſſe ſimilis Gen. 3. Et propter adjunctam ſuperbiam Phariſæi totus cultus rejicitur. Luc. 18. Talibus reſiſtit Deus 1 Petr. 5. Papa ſervum ſervorum ſe dicit, ſed ſervit Deo cum ſuperbia, efferens ſe ſupra omne id quod Deus vocatur 2 Theſſ. 2. 7. Verbis humilis, facto ſuperbus. Paulus autem ſervivit Deo cum omni humilitate in verbis, & præcipuè in corde & factis quod à Chriſto didicerat Matth. 11. 28. Duplex eſt humilitas, communis omnium Chriſtianorum, & peculiaris miniſtrorum verbi. Illa, ut non confidamus in nobis ipſis, ſed noſmet, & merita & vires noſtras abnegemus. Nam qui opinione propriorum meritorum, & propriarum virium turgidus eſt, ſervit Deo cum ſuperbia, & non cum humilitate. Miniſtri autem verbi peculiarem habent & exercent humilitatem, quæ in eo conſiſtit, ut non cupiant dominari, nec ſuper gregem, nec ſuper ſymmyſtas, & fratres, quod non ſibi adſcribi volunt vires quas exercent ſuper conſcientias, ſed omnia ad Deum referant, quod non faſtidiunt homines tenues, & peccatores magnos, ſed etiam cum publicanis converſantur, ut medici cum ægris. Cum omni hac humilitate Paulus ſervivit Deo.

β. Cum

Digitized by Google

β. Cum lacrymis. Quid ſervitii Deo à lacrymis? imò duplices lacrymæ ſunt Deo gratiſſimæ

. Lacrymæ contritionis. Illi vocantur ſervi Dei noſtri, qui contriti ſunt corde Iſai.61 6. Non ſufficit humilitas, ſed etiam requiritur dolor & contritio (**Weemoedigheyt**) ex peccato. Humilitas neceſſaria, quia creaturæ ſumus, & etiam in ſtatu integritatis, imò in cœlo locum habet Apoc. 4. 10. & hoc peccatum Adami, quod non voluit eſſe humilis, ſed Deo ſimilis. At contritio requiritur, quia ſumus peccatores. Hæc peccata in precibus Deo confiteri cum lacrymis ſervitus eſt Deo grata Luc. 7. 38. Pſal. 6. 7.

.. Lacrymæ compaſſionis, cum aliorum pertinaciam & ἀμεταμέλειαν vel Deo cum lacrymis querimur, vel apud ipſos pertinaces cum lacrymis deprecamur Rom. 9. 2. Pſal. 119. v. 136. Actor. 20. 31. Phil. 3. 18.

Hæ lacrymæ Deo gratæ. Prioris enim ſunt ſignum pudoris filialis. Etſi enim pater propriè non delectatur lacrymis filii, ſed potius viſcera ejus moventur ut condoleat Jer. 31. Tamen eatenus patri gratæ ſunt lacrymæ filii, quatenus ſunt filialis pudoris de patre offenſo indicium. Poſteriores ſunt ſignum amoris ac zeli pro gloria Dei, & ſalute proximi.

γ. Cum tentationibus. Intelligit afflictiones & perſecutiones, ut Jac. 1. 2. 1 Cor. 10. 13. Quales & quantæ à Judæis Paulo, cum Epheſi eſſet, fuerint conciliatæ, didicimus cap. 19. Sed in omnibus his Deo ſervivit. Tum ſervimus Deo, cum per tentationes à cultu Dei non abſterremur. Facile eſt ſervire Deo ſine tentationibus, ſed per tentationes ſubſiſtere, & perſiſtere in cultu Dei, veræ fidei indicium eſt. Fecit ſic Job & Chriſtus, faciamus & nos. Sit hæc vita Pauli ſpeculum noſtræ. Omnes volumus vocari ſervi Dei, ſed ubi noſtra humilitas, ubi lacrymæ ubi patientia tentationum? In noſtra vita fere omnia contraria apparent. Demus operam, ut ſimus imitatores Pauli. Non provocamus ad noſtram vitam (nam hoc vos facilè non moveret Quoniam noſtræ infirmitates, etſi in ſeipſis ſæpe non niſi feſtucæ ſunt, in veſtris tamen oculis ſunt trabes, ad quas quilvis offenditur,) ſed tamen provocamus ad exemplum eorum, quorum doctrinam vobis annunciamus, obteſtantes nos & vos per hæc exempla, ut deſiſtatis à vita his exemplis contraria. Quamdiu ſumus ſine tentationibus, nulla humilitas, nullæ lacrymæ inter nos. Cum incidimus in tentationes, lacrymæ non deſunt, quibus ejulamus, ſed non quibus Deo ſervimus.

Actor. 20. *v.* 20. 21.

CONC. CCXXIII.

PRovocavit Paulus ad ſynedrium Epheſinum de ſinceritate ac pietate vitæ; provocat nunc ad eoſdem de fidelitate ſua in officio, dum inter eos vixit. Hanc fidelitatem in officio demonſtrat 1. à Modo docendi. 2. à Materia ſeu doctrina, quam docuit. Modus docendi fuit, quod docuit Judæos & Græcos, publicè & domatim annunciando, docendo, teſtando, nihil ſubtrahen-

Digitized by Google

trahendo. Materia doctrinæ fuit, quod non docuit niſi utilia, præſertim verò teſtatus ſit converſionem ad Deum, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

I. Docuit Judæos & Græcos. Vide Actor. 19. 8. 9. *Object.* Atqui Paulus erat tantùm doctor Gentium, cui Evangelium præputii erat concreditum, quid igitur ipſi cum Judæis, quorum inſtitutio Petro erat concredita Gal. 2. v. 7. *Reſp.* Commiſſio Pauli & Petri ad docendos Judæos & Gentes, non erat adeò reſtricta, quin uterque utroſque docere poſſet oblatâ occaſione, Petrus enim etiam Gentes docuit Actor. 10. Sed ideo Paulo tribuitur inſtitutio Gentium, & Petro Judæorum, quia Paulus præcipuè in convertendis Gentibus laboravit, Petrus verò in convertendis Judæis, Deus quoque Pauli miniſterio ita benedixit, ut multas Gentes, paucos Judæos converterit, & Petri, ut paucas Gentes, multos Judæos, unde & ſcriptores Eccleſiaſtici teſtantur, Petrum miniſterio ſuo maxima ex parte functum fuiſſe in Oriente Judeæ, circa Chaldæam, Babylonem, Ægyptum, ubi Judæorum longè major numerus erat, quàm in Occidente, ubi Paulus laborabat, quod & probabile fit ex 1 Petr. 5. 13. Et hinc tantò minus probabile eſt, Petrum tam diu Romæ ſediſſe Epiſcopum, ut volunt Pontificii.

II. Docuit publicè & domatim. Publicè id eſt pro concione, in congregatione, & confluxu populi ad locum publicum. Hoc ordinarium, & propter inſtitutionem Dei neceſſarium. Sicut enim in veteri Teſtamento erant Synagogæ, loca congregationis, in quibus publicè docebatur ſingulis Sabbathis Actor. 15. 21. ita & in novo Teſtamento præceptum eſt, ne congregationes publicæ, docendi & diſcendi cauſâ inſtitutæ, omittantur Hebr. 10. 25. 1 Cor. 13. 20. Domatim verò ſingulas perſonas docere extraordinarium eſt, & non niſi certis quibuſdam caſibus, & occaſionibus neceſſarium. Ordinarium eſt, ut oves ſequantur Paſtorem, ad audiendam ejus vocem, Sic enim Chriſtus præcepit. Iohan. 10. 4. & 27. In certis tamen caſibus aliquando opus eſt Paſtor ſequatur oves. Oves, inquam ægrotantes; aliaſque quibus Paſtorem ad publica loca ſequi non licet, vel oves palantes, quæ per nebulam erroris ſeductæ Paſtorem invenire non poſſunt. Has oves amiſſas Paſtorem par eſt domatim quærere, cum Deus aperit januam & dat occaſionem, & cum per publicas officii partes perque humanas infirmitates fieri poteſt. Quod autem attinet ad oves ignavas, quæ publicam vocem Paſtorum aſpernantur ac negligunt, itemque ad ſtolidos hædos, qui repellunt Paſtores, hos verò ex ſuis impuris angulis eruere, & uſque ad lectum ſequi nullum mandatum Paſtorem obligat, ſed potius interdictum vetat Matth. 7. 6.

III. Ita functus eſt officio, ut nihil ſubduceret vel ſubterfugeret, ſed annunciaret, doceret, teſtaretur.

1. Verbum ὑποστέλλεσθαι diverſimodè conſtruitur hoc verſu & verſu 27, hoc verſu eſt: nihil ſubduxi. Altero verſu

Digitized by Google

eſt: nihil ſubterfugi, vel formidavi annunciare. Duo vitia à ſe amolitur Paulus, quæ in Concionatoribus poſſunt habere locum. Primo, enim ſicut medici aliquando egregium aliquod nôrunt remedium contra hunc vel illum morbum, ſed cuivis illud non pandunt, ſed iis ſolum, qui magno pretio redimunt: ita Concionatores quidam avari non quemvis docent media ſalutis, ſed ibi demum vires docendi intendunt, ubi honorem & emolumentum ſpectare licet. Paulus dicit ſe ſic non feciſſe, hoc eſſe cauponatum verbum Dei, & ſuum miniſterium, ſed gratis dediſſe ſicut gratis acceperat. Deinde ſunt Concionatores, qui ſæpe ſciunt, quid hominum ſaluti obſtet, ſed non audent dicere ne offendant. Paulus dicit ſe nihil ſubterfugiſſe dicere, adeoque neque favore neque odio hominum retentum eſſe, quin diceret, quod opus erat.

III. Conſtituit munia Concionatoris in tribus partibus; annunciant, docent, conteſtantur. Annunciant ſacras hiſtorias, quibus myſteria fidei panduntur, quæ credenda ſunt. Docent præcepta legis ac Euangelii, quibus hominum continentur officia, quæ facienda ſunt. Conteſtantur, cum firmis argumentis myſteria fidei ex Scripturis demonſtrant, & cum conſtringentibus rationibus & plenis affectu verbis auditores commovent ad fidem & officia.

IV. Materia, quam Paulus hoc modo Epheſinis auditoribus inculcavit, primò generaliter deſcribitur, deinde revocatur ad duas partes: Prior eſt converſio ad Deum. Poſterior fides in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. In genere dicit, quod docuerit *τὰ συμφέροντα* utilia ſcil. dogmata. Magnum hoc requiſitum in bono Doctore, ut non niſi utilia doceat coram populo. Sunt enim dogmata noxia, & non niſi ad litem conducentia Tit. 3. 7. Tit. 1. 14. 1 Tim. 1. 4. & 6. 20. aut ſterilia ſaltem, nec quicquam facientia ad fidem & pietatem ac ſolatium. Religio & doctrina, quæ id hoc non prodeſt, eſt indigna profeſſione. *Veritas ſecundum pietatem* 1 Tim. 6. 3. Specialiter verò doctrinam ſuam revocat ad duo capita, converſionem ad Deum, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

1. Converſio ad Deum notat reditum ad legem à qua defecimus. Ideò enim dicimur nos ad Deum convertere, quia ab obedientia legis ejus defeceramus. Revertimur ad legem, à qua per inobedientiam intellectum, cor & manum noſtram averteramus. In tribus enim gradibus conſiſtit converſio ad Deum, quatenus quidem à fide diſtinguitur, ſicut hic hoc loco:

α. Primus gradus eſt *μετάνοια*, ſeu *reſipiſcentia*, quæ vox hic uſurpatur, notatque propriè mutationem mentis, ſeu intellectus, quâ peccator legem incipit probare, quam antea improbaverat. Ante converſionem intellectus peccatoris non conſentit legi quod ſit bona, nec novit quod lex ſit bona (hoc enim converſorum eſt, qui faciunt quod nolunt & oderunt Rom. 7. 15. 16.) ſed improbat præcepta legis & pro malis habet. Sicut Satan perſuadebat Adamo,

Digitized by Google

mo, quod Deus malè interdixiſſet eſum arboris cognitionis boni & mali, Gen. 3. ita omnis peccator, quamdiu inconverſus eſt, judicat Deum malè interdixiſſe, quod lege interdixit; & vel ideò Deum odit, quod interdixit malum, quod homo libenter facit. *Sunt oſores Dei* Rom. 1. 30. Non quia Deus eſt, ſed quia ipſis interdixit, quod libenter faciunt per corruptionem naturæ. Non oderunt malum quod faciunt, ſicut regeniti, ſed oderunt ſanctum interdictum mali quod libenter faciunt. Dicunt quidem etiam irregeniti cum Medea Euripidis: *Video meliora proboque, deteriora ſequor.* Sed hoc non intelligendum de ſanctitate præcepti, verùm de utilitate facti. Non intelligunt & vident irregeniti bonum, quod lex præcipit, eſſe melius, ſapientius, juſtius, ſanctius, & beatius, quàm malum, quod lex vetat. Sed hoc tamen intelligunt atque vident, quod illud malum, quod libenter & avidè faciunt, non tantoperè conducere ad temporalem honorem vel commoditatem, & ad evadendam pœnam, quàm bonum quod facere nolunt. Verùm ubi convertimur, reſipiſcimus, id eſt, tum videmus quàm ſapiens, juſtum, ſanctum, ac beatum ſit bonum, quod lex præcipit, & quàm turpe, ſtultum, & indecens ſit malum quod lex vetat, & quod antehàc tam libenter faciebamus. Hæc vera ac ſpiritualis ſapientia eſt, à qua converſio peccatoris incipit, quod ſcil. incipimus diſcernere bonum à malo, nec amplius malum probamus, & bonum improbamus. Hoc homo naturalis non poteſt, poſtquam de arbore cognitionis boni & mali commedit, unde paſſim vocantur ſtulti, quia bona & ſapientia legis præcepta ipſis mera ſtultitia ſunt, Pſal. 92. 6. 7. & 1 Cor. 2. 4. qui verò convertuntur, iis aperiuntur oculi ut videant mirabilia in lege Dei Pſal. 119. 18.

β. Secundus gradus eſt μεταμέλεια, Matt. 21. 29. notatq; mutationem cordis, quâ peccator incipit tangi quâdam nauſeâ, pœnitentiâ, dolore, pudore, & odio peccati, quo anteà adeò delectabatur, & quod adeò dulce ipſi erat. Hæc neceſſaria pars converſionis, & egregiè deſcribitur 2 Cor. 7. 11. Sicut in corpore ægrotante non poteſt fieri ſanatio, niſi fiat quædam inter naturam & morbificos humores abalienatio, quâ natura, quod obeſt, ſatagit cum nauſeâ quadam excernere, ita non eſt ſana converſio, ubi non eſt talis peccati deteſtatio, cordiſque à peccato abalienatio ac nauſeabunda averſio. Hæc enim parit humiliationem cordis, abnegationem ſui ipſius, deſiderium gratiæ & remedii, ſine quibus omnibus non eſt ſana converſio.

γ. Tertius gradus eſt μετάθεσις vel ἐπιστροφή Actor. 9. 35. quæ eſt mutatio vitæ & operum. Sicut enim qui ambulat in via erronea, refert pedes & in aliam viam revertitur, ita poſtquam intus in corde apprehendimus errores noſtros, revertimur & alii inſiſtimus viæ, non amplius ambulantes ſecundum carnem in operibus tenebrarum, ſed pedem ſiſtimus in viis Domini, & ambulamus in bonis operibus, quæ Deus condidit, ut in iis ambulemus Eph. 2. En hæc prior pars doctrinæ Pauli,

videlicet converſio ad Deum. Non eſt alius modus ſalutis, quàm ut revertamur ad Dominum à quo defecimus, ad fontem vitæ, quem deſeruimus, ad finem propter quem conditi ſumus. Quamdiu non ceſſat rebellio contra Deum in nobis, non ceſſat ira Dei contra nos, nec Deus ullam nobiſcum poteſt habere communionem 2 Cor. 6 quam communionem poteſt Deus habere nobiſcum, ſi nos manemus in rebellione contra Deum, & ſervitute Diaboli?

2. Hactenus prius caput doctrinæ Paulinæ, ſcil. converſio ad Deum: ſequitur poſterius, videlicet fides in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Per ſolam enim converſionem ad Deum ſine fide in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum nemo poteſt ſalvari. Ratio: 1. Quia ſine fide in Chriſtum converſio noſtra non poteſt eſſe Deo grata. Quamdiu enim perſonæ noſtræ Deo ſunt exoſæ & abominabiles, opera noſtra, & figmenta cordis noſtri qualiacunque ſint, non poſſunt Deo eſſe grata. Quid autem perſonas noſtras Deo faciet gratas? Non opera noſtra, quippe quæ ipſa peccatis & imperfectionibus adeo ſunt inquinata, ut ipſamet reconciliatione indigeant. Eſa 64. v. 6. Non aliter hoc fieri poteſt, quam ut in merita Chriſti confidentes juſtitiam ejus nobis applicemus eique uniamur & inſeramur. Hoc cum fit, *placemus Deo propter Chriſtum per fidem, eique reddimur amici & filii, ſine quo impoſſibile eſt placere Deo* Hebr. 11. 6. Ratio 2. quia ſine fide non poſſumus nos convertere. Sumus enim naturâ arbores emortuæ mortui in peccatis, inepti ad quicquam boni cogitandum, nedum faciẽdum, venditi ſub carnem, nec prius poſſumus nos convertere, quàm per fidem Chriſto ſumus inſiti, & ex ipſo trahimus ſpiritum & vitam per quam nos convertimus, & fructus ferimus converſione dignos. Poſtquam enim per fidem facti ſumus filii, tum Deus ſuper nos effundit ſpiritum filii ſui per quem clamamus *Abba pater*, Gal. 4. 6. Qualis autem fides requiritur? Fides in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, id eſt, talis fiducia, quâ credimus & confidimus, Jeſum Chriſtum eſſe Dominum noſtrum. Hæc eſſentia fidei, ſine quâ fides non eſt fides. Si enim non credo, quod Chriſtus ſit meus Dominus, qui me juſtitiâ ſuâ ſit defenſurus contra omnes hoſtes, & ſpiritu ſuo recturus ſit, & paſturus ad vitam æternam, quid eſt quod de Chriſto credo, aut quod ei confido, aut cur dicor in ipſum credere? Quid aliud confiteor cum dico in ſymbolo, *Credo in Ieſum Chriſtum filium Dei Dominum noſtrum?* quid aliud credebat Thomas, cum exclamaret, ut eſt Iohan. 20. 28. quid aliud David Pſal. 18. 1. 2. Paulus Gal. 2. 20.

11 Hactenus provocatio Pauli ad conſcientias Epheſini ſynedrii de integritate vitæ, & fidelitate miniſterii apud Epheſinos peracti. Comparemus cum hac vita & doctrina Pauli vitam & doctrinam cleri Romani, & videbimus, quantum abſint ab exemplo Pauli, ad quod hic provocat. Quàm multa ſubducant qui à lectione Scripturæ populum arcent? Quàm multa inutilia do-

Digitized by Google

cent qui dogmata hominum docent quibus Deus fruſtra colitur Matth. 15. Quàm multa ſterilia dogmata proferunt, de propriis ſatisfactionibus, de gratia univerſali, de veſtitu ſacerdotum, de ceremoniis inter ſacra, de omnipræſentia corporis Chriſti & orali ejus manducatione, de traditionibus non ſcriptis. Ad quid proſunt hæc, cum ſcriptum Dei verbum ſufficiat? Converſionem ad Deum planè enervant. Qui enim idolis ſervire docent, non docent ſe convertere ad Deum, quia converſio eſt ab idolis ad Deum Actor. 14. 15. Fidem verò in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum quàm planè evertant, palam eſt, quod tot alios docent mediatores, alia merita, alias ſatisfactiones, alia ſacrificia hilaſtica, & quod veram fiduciam cordis in Dominum Jeſum Chriſtum condemnant, tanquam præſumptionem carnalem. O quantum hi diſceſſerunt ab exemplari, quod Paulus hôc loco adeò commendat! Comparate cum hoc doctrinam noſtram, nec poteritis dicere nos latum unguem ab hoc exemplari receſſiſſe. Quid enim inutile aut minus neceſſarium ex cathedra proferimus, quid eorum omittimus quæ ad veram converſionem, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum annunciandam, docendam, teſtandam pertinent? Docemus incolas, & cæteros, qui modò volunt. Docemus publicè & privatim qui volunt. Et utinam inſtitutio privata non ſæpius à vobis rejiceretur, quàm à nobis tentatur & offertur? Poſſumus enim provocare ad multos, qui ſub prætextu ignorantiæ à Cœna Domini abſtinent, quod multoties particularem inſtitutionem ipſis obtulerimus, quàm hactenus repudiârunt.

Object. Contra doctrinam veſtram nihil objicimus, modò vita veſtra eſſet ſimilis Pauli, ut ita ad conſcientias noſtras poſſetis provocare ſicut ipſe ad Epheſios. Verùm ſi hoc auderetis, haberemus, quod reſponſaremus. An poſſetis dicere, vos Deo inter nos ſervire cum omni humilitate, cum multis lacrymis & tentationibus? Annon potius vivitis in multis delectationibus & gaudiis ſine cura? *Reſp.* Quid ad hoc dicemus? Fateor quod difficilior objectio contra miniſterium noſtrum moveri non poſſit, nec gravior quæſtio nobis proponi. Si nobis hîc res eſſet cum prudenti conſiſtorio, ſicut Paulo, quod quæ & qualis ſit vita concionatorum inter vos intelligeret, confideremus nos ſatisfacturos tali interrogationi, & fortè non formidaremus in modeſtam conteſtationem ſuper vita noſtra cùm illis deſcendere. Sed coram toto cœtu de hac re agere non eſt conſultum, quia hîc pauci apti & æqui Concionatorum judices. Fatemur hanc provocationem Pauli præcipuè ſcriptam eſſe noſtri causâ, ut intelligamus nos ita debere vivere, ut non ſolùm de puritate doctrinæ noſtræ, ſed etiam de ſinceritate vitæ noſtræ poſſimus provocare ad intelligentes auditores, & gregi exemplar vitæ exiſtere, adeòque non tantum vos, ſed nos hoc exemplo Pauli hortamur. Et ſi vos nos poteritis in pietate vitæ ſuperare, & nobis fieri exemplares, ſicut nos debe-

Digitized by Google

bamus eſſe vobis; fateor quod nobis ſit futurum magnum dedecus, & vobis magnus honor. Concertemus inter nos de hoc. Saltem facilè ſuſtinemus comparationem cum clero Romano, & ſi modò poteſtis humanas indigentias & invitas infirmitates diſcernere à diſſoluta vita; & ſi poteſtis diſcernere inter *σκυθρωπίαν* & auſteritatem Phariſaicam, ac monachalem & inter pietatem veram, quæ mixta fiduciali ingenuitate erga Deum moderate utitur libertate Chriſtiana, vel vos patiamur judices inter nos & clerum Romanum. Etſi exemplum noſtræ vitæ vobis non ſufficit, ſed illuſtriora pietatis exempla requiritis, quam noſtra vita vobis ſuppeditat, ea quoque vobis non deſunt. Saltem enim in illo vobis fideles ſumus, quod exempla Prophetarum & Apoſtolorum vobis fideliter proponimus, & neutiquam obſcuramus: pauca, imò unum exemplum vitæ, multis imò omnibus Chriſtianis ſufficit. Imitemini Paulum in vita & in doctrina. Hoc enim ille non tantum à miniſtris, ſed ab omnibus Chriſtianis requirit. Actor. 2. 42. 2 Theſſ. 3. 7. Phil. 3. 17. Hebr. 13. 7. Audiviſtis, quid ſit ſervire Deo, quid ſervire cum omni humilitate, quid cum multis lacrymis, quid in tentationibus; audiviſtis, quæ ſint capita doctrinæ, quæ nunquam ſeparanda ſunt, videlicet converſio ad Deum, & fides in Chriſtum. Si hoc imitabimini, & nos non imitabimur, vos contra nos inſurgetis in ultimo judicio, & nos confundetis etiam minimus inter vos, & nobis intolerabilius erit in illo die quàm Sodomæ & Gomorræ. Multæ ſunt & quotidianæ inter vos querelæ de vita veſtrorum Concionatorum, nec dico quod quod ſemper ſint ſine cauſa, ſed hoc tamen dico, quod cum Concionatores in ſua vita deficiunt, nec vobis de ſe præbent apta exemplaria piæ vitæ, hoc defectus & errores veſtræ vitæ non excuſabit. Veſtri enim Concionatores ſaltem in hoc vobis fideles ſunt, quòd non patiuntur vobis deeſſe ſufficientem doctrinam, & idonea exempla piæ vitæ, quæ poſſitis imitari. Si enim noſtræ propriæ vitæ exempla vobis non ſufficiunt, cogitate, quod ſcriptum eſt Matth. 23. 1. 2. 3. & imitamini exempla piorum quæ vobis ex Scriptura fideliter, & cum zelo inculcamus. Si hoc feceritis, nobis fiet ſecundum opera noſtra, vos tamen certò ſalvabimini.

Actor. 20. v. 22. 23. 24. 25.

CONC. CCXXIV.

PRovocationem ſequitur denunciatio, quâ ipſis annunciat, ſe ita aſcenſurum Hieroſolymam, ut non ſit rediturus ad ipſos. Dum inter vos, inquit, per triennium vixi, ſic & ſic vixi, ſic & ſic docui: Verum impoſterum hanc faciem non videbitis amplius, neque me amplius audietis docentem, neque exemplum meæ vitæ amplius in oculis veſtris futurum eſt. In hac denunciatione ſequens ordo obſervatur:

1. Denunciat ſe aſcendere Hieroſolymam.

2. Dicit quâ cauſâ motus aſcendat, vinctus ſpiritu, v. 22.

Digitized by Google

3. Dicit

3. Dicit quid ibi ſibi ſit obventurum. v. 22. 23.

4. Dicit, quomodo ſit animatus erga hæc, quæ ſibi ſciebat obventura. v. 24.

5. Denunciat ſe non tantùm abire, ſed etiam nunquam rediturum v. 25.

I. Aſcendit Hieroſolymam. Quo fine? Jeſuitæ nobis dicunt: *quia inſtabat aſcenſio Beatæ Virginis in cœlum, voluit eam adhuc ſemel ſalutare, eique ſuam & Eccleſiæ cauſam commendare.* Pictoribus atque poëtis fingere quæque licet; ſed Theologis fabulæ graviter interdictæ ſunt. 1 Timoth. 1. 4. Verum finem hujus aſcenſionis ipſe indicat, Actor. 21. 19. ſcil. ut exponeret cæteris Apoſtolis, quàm magna Deus feciſſet inter gentes, & ut ſanctis, & Chriſtianis in Judæa eleemoſynam adferret inter gentes collectam Rom. 15. 25. 26. Actor. 24. 17. Quod ita voluit efficere, ut fructum Eccleſiarum Macedonicarum obſignaret Rom. 15. 28. id eſt, ipſe fideliter ſecundum ipſarum intentionem traderet & diſtribueret, ſaltem in fideles manus deponeret, quæ fideliter diſtribuerent. Duplex beneficium voluit adferre ſuis popularibus ad Chriſtum converſis, quod operæ pretium erat, 1 Cor. 16. 3. 4. 1. Sublevationem corporalis paupertatis, & 2. Nuncium de felici progreſſu Euangelii inter gentes, quo nihil poterat gratius eſſe, quod quoque neceſſarium erat, quia dextram communionis poſt primum iter Apoſtolis dederat, Gal. 2. 9.

II. Quomodo autem, & quâ causâ motus aſcendit? *Vinctus in ſpiritu, ſeu per ſpiritum.* Dupliciter enim exponunt hoc dictum:

1. De animo Pauli; animo vinctus, id eſt, animo præſentiens me vinctum iri, ſicut 1 Theſſ. 3. 4. vel etiam ſic: aſcendo animo ſeu corde conſtrictus & contractus ac contriſtatus. 2. De Spiritu S. vinctus ſpiritu, id eſt, ductu & impulſu Spiritûs S. ad hoc iter tam efficaciter impulſus, ac ſi vinculis iſthuc traherer. Spiritus S. triplici modo ſolitus fuit Apoſtolos impellere:

1. In doctrina prædicanda, & præſertim ſcribenda 2 Petr. 1. 20. 21.

2. In vita. Non enim minus quàm alii pii acti ſunt à Spiritu Rom. 8. 14. Gal. 5. 18. ſicut navis non poteſt pergere, ſine impulſu venti, ita nemo poteſt bene vivere ſine impulſu ſpiritûs, ne Apoſtoli quidem.

3. In itineribus. Sicut enim aliquando Apoſtolos impediebat vel prohibebat ire, quò volebant ire Act. 16. 6. 7. Ita aliquando impellit ire, quò noluiſſent. Sic hîc factum, ut expoſuimus Actor. 19. 21. Vide etiam Actor. 13. 4. Matth. 4. 1. Luc. 2. 27. Gal. 2. 2. Præſertim cum volebat eos aliquo in loco gravia pati, tantâ vi eos impellebat iſthuc ire, ut nullis amicorum precibus retineri poſſent, ut patet ex Matth. 16. 21. 22. 23. & Actor. 21. 13. Idem opus hodieque Spiritus S. peragit, ut mittat & impellat Concionatorum pedes, & vocem quò vult. Quod apud vos Euangelium prædicatur, alibi non prædicatur, non nobis, ſed conſilio & gratiæ Spiritus S. adſcribendum. Quòd inter prædicationem verbi verbum aliquando cadit in ſpinas, aliquando in callem, aliquando in petram, aliquando in bonam terram, ut fructum ferat,

Digitized by Google

ferat, non nobis, ſed Spiritui S. adſcribendum. Vide Iohan. 3. 8. 1 Cor. 12. 11. Hoc ſciendum, cum ad verbum audiendum convenimus, ne hæreamus in ipſo verbo, nec in miniſtro, ſed invocemus Spiritum S. ut verbum ad nos mittat, ut in verbo ipſum ſpiritum audiamus loquentem, atque ita audiamus ut obediamus. Non enim homines, quò volunt poſſunt ferre Euangelium, ſed quo mittuntur à Spiritu S. ſicut Philippus ad Eunuchum Actor. 8. Spiritus S. verbum mittit & in urbes, & in corda, in quæ vult. Notemus quoque quod mandata Spiritus S. debeamus æſtimare ut vincula, quibus adeò neceſſariò parendum, ac ſi vincti eſſemus, nec poſſemus facere contrarium. Hæc ſola ſunt, quæ libertatem adimunt legitimè. Vide Pſal. 2. 3. Ier. 5. 5. Ezech. 20. 37. Rom. 7. 2. Ne rumpamus hæc vincula, ſed libenter ligemur à Domino & in eo ponamus noſtram libertatem. Si cui officia vocationis ſint gravia & moleſta, is ſtatim cogitet eſſe vincula Spiritus S.

III. Prædicit quid ſibi Hieroſolymæ obventurum. Sed tamen cum dubitatione prædicit. Neſcio niſi quod &c. Videtur contradictio. Ait ſe neſcire, quid ſit obventurum, & tamen Spiritum S. paſſim prædicere, quod vincula & oppreſſiones paratæ ſint. Sed non eſt contradictio. Sciebat quidem vincula & oppreſſiones Hieroſolymæ ſibi paratas eſſe, ſed neſciebat quem eventum illæ eſſent habituræ, an vitam ibi amiſſurus ſit nec ne.

Habet igitur hæc prædictio

1. Aliquid incerti. Abeo Hieroſolymam, an ibi periturus, an inde reverſurus neſcio. Neſcio quid Deus de me facturus ſit, & tamen vocantem Deum ſequor. Planè ſicut Abraham Hebr. 11. 8. Chriſtus ſciebat omnia quæ ſuper ſe eſſent ventura, quod crucifigendus eſſet, quod moriturus, quod reſurrecturus, & omnes circumſtantiæ paſſionis Chriſti erant prædictæ, idcoque ſponte obviam ivit proditori Iohan. 18. 4. Paulus neſciebat quid de ſe futurum, an moriendum eſſet Hieroſolymæ, nec ne, abit tamen, quia vocatur. Vocationi Dei ſimpliciter obediendum, etiamſi neſcias, quis ſit futurus eventus. Novimus hiſtorias Moſis, Jeremiæ, Jonæ, qui nolebant ire quò mittebantur, quòd vererentur, ne non ſalvi evaderent. Et vellemus omnes nobis hodiè quoque eſſe aliquod Ephod, Urim, & Thummim, quo ſciſcitari poſſemus eventum negotiorum, quæ ratione vocationis ſuſcipere tenemur, ſicut David 1 Sam. 23. 1. ad 6. ſed ſufficiat nobis, quod ſciamus eſſe mandatum Dei, quod faciendum eſt. De eventu ſat eſto quod ſcimus nil gravius futurum, quàm quod ferre poſſumus, *& quamvis moriamur, tamen victuros in æternum* 1 Cor. 10. 13. Iohan. 11. 25. Non enim ſumus ſicut ille Papa, qui moriturus querebatur quod neſciret quò vaderet. Chriſtianus neſcit quidem circumſtantias ſuæ vitæ vel mortis, ſed tamen hoc probè ſcit & credit, ſive vivat ſive moriatur, modò in opere Domini inveniatur, æternum ſe iri ſalvatum. Itaque pergit in officio, & de eventu loquitur ut David 2 Sam 15. 25. 26. Nolebat retinere Arcam &

Sacerdo-

Digitized by Google

Sacerdotes cum Ephod ad ſciſcitandum eventum, ſed illum Deo committet, & Sacerdotes cum inſtrumentis ſciſcitandi remittit in urbem. Ne igitur ſimus ſolliciti de futuris eventibus, ſed cogitemus illud Philip. 4. 6. 7.

2. Aliquid certi. Etſi incertæ erant circumſtantiæ perſequutionis, quæ Hieroſolymæ Paulo erat obventuræ, incertus etiam eventus, tamen & Spiritus S. prædictione per ſingulas urbes certum erat, quod vincula & tribulationes ipſum manebant ſeu exſpectabant. Nota

α. Spiritus S. teſtatur per urbem. κατὰ πόλιν, diſtributivè accipiendum q.d. paſſim in omnibus urbibus, quas tranſeo. Quomodo teſtabatur? per Prophetas, qui paſſim erant in Eccleſiis eo tempore. Particulare exemplum hujus prædictionis habes Actor. 21. 10. 11. Sic Deus ſæpe Paulum præmonuit de inſtantibus afflictionibus, idque in genere Actor. 9. 16. & in ſpecie, Actor. 22. 18. & 26. 17. Sic Petrum præmonuit Iohan. 21. 18. Sic omnes Chriſtianos præmonet. Si enim impios præmonet de pœnis inſtantibus, annon filios præmoneret de afflictionibus paratis? Ne igitur miremur, ac ſi peregrinum aliquid accideret 1 Petr. 4. 12. prædictum enim 2 Tim. 3. 12. Actor. 14. 22.

β. Vincula & tribulationes me manent & exſpectant, id eſt, paratæ mihi ſunt, tum à Deo tum à furore populi. Introducuntur afflictiones ſub forma entis rationalis, & dicuntur Paulum exſpectare. Hoc ſignificat quod non fortuitò eveniant, ſed divinitus ſint ordinatæ. Deus Paulo Hieroſolymæ paravit afflictiones, & ipſum impellit ut eò proficiſcatur, nec velit effugere. Antea quoque Paulo ſæpius paratæ afflictiones, & inſidiæ ab hominibus, e. g. Actor. 20. 3. quas effugit prudenti conſilio, quia non aderat vinculum Spiritus S. ex quo intelligeret à Deo conſtitutas, ſed jam Spiritus prædicit divinitus conſtitutas, ideò non vult effugere. Deus igitur eſt, qui filiis ſuis afflictiones parat, quas effugere non poſſunt, ſed quæ manent donec ferantur. Homines nihil mali nobis parare poſſunt, quod non poſſimus evadere. Homines enim cum ſimus, habemus, quo hominibus reſiſtere poſſimus, ſed cum aliquid mali nobis occurrit, quod humanis & peccati expertibus mediis removere non poſſumus, id ſciamus divinitus eſſe poſitum, & nos non evaſuros, donec tulerimus. Non adferam nunc loca de providentia, *quod nullum malum in urbe, quod Dominus non fecerit,* Amos 3. Certum eſt quod Deus filiis ſuis cruces figat, & malum ponat quod evadere non poſſunt. *Sicut Chriſtum oportebat per multas tribulationes in gloriam ſuam intrare* Luc. 24. ita nos oportet Actor. 14. 22. *ſumus ad hoc poſiti* 1 Theſſ. 3. 3. *prædeſtinavit eos ut ſint conformes filio ſuo, tum in ſanctitate & gloria tum in exinanitione & cruce* Rom. 8. 29. Eſt enim crux inter media, per quæ vult ſuos ſalvare Rom. 8. 28. Sicut ergo nobis paravit Chriſtum, Spiritum S. verbum, ita & crucem. Hoc ideò ſciendum, ut tantò lubentius ſuſcipiamus. Eſt enim poculum à Deo infuſum. Vide Iohan. 18. 11. Etſi

Digitized by Google

eſt poculum à Deo infuſum,habet quoque ſuam menſuram, nobis convenientem, & vires noſtras non ſuperantem. Ne ſimus igitur ſicut aſina Bileami Num. 22. 23. 24. 25. & ne quæramus rimas, per quas evadamus. Dominus ſe nobis oppoſuit, non evademus. Succumbamus igitur, & ſuſcipiamus onus. Commodum temporale eſt nobis ut eques in tergo, qui cogit ad crucem omnimodo evadendam. Sed cum videmus Dominum nobis obſtare, excutiamus hunc equitem, eumque reprehendamus, & coram Domino ſubſiſtamus.

IV. Quomodo animatus eſt erga illa, quæ futura? Ὀυδενὸς λόγον ποιῦμαι. Nihil horum curo vel metuo. *Obj* An hoc benefactum? Sunt aliquando in ſcholis contumaces pueri, qui nec virgas nec plagas curant, etſi decies in die vapulent, ſemper iidem ſunt, nec quicquam moventur. An ſic quoque Paulus? Quid igitur quod queritur Deus Jerem. 5. 3. cum Deus pericula minatur, & prænunciat, an non debemus moveri? *Reſpond.* Aliud eſt contemnere, aliud non nimium curare afflictiones divinitus paratas, ut per illas dimoveamur 1 Theſſ. 3. verſ. 3. Paulus non contempſit, ut patet ex 2 Cor. 1. 8. 2 Cor. 12. verſ. 8. Contemnunt ἀναίσθητοι occalluerunt ad plagas ſicut Ahab. Non eſt pium contemnere mortem & afflictiones. Qui enim has contemnit, iram Dei contemnit, imò Deum ipſum, ſicut hoſtis minantem hoſtem contemnere ſolet, & paria ipſi minari. Hoc non faciunt pii, nec fecit Paulus. Hoc autem eſt, quod dicit, ſe non ita extimeſcere hæc vincula ut propterea velit luctari contra vincula & mandata Spiritus S. & ſubterfugere locum ad quem jubebatur ire. Hoc Chriſtianum eſt, non tantopere metuere afflictiones, ut præ metu fiamus inobedientes præceptis Domini. Si ſic feciſſet Jonas, non tantam incurriſſet cenſuram, & perſequutionem Jon. 1. 3. 4. Sed quia per inobedientiam contra Deum conabatur ſervare vitam, perdebat vitam Matth. 16. v. 25.

Actor. 20. v. 24.

CONC. CCXXV.

IN reliquo verſus 24. redditur ratio, cur Paulus ita animatus ſit contra inſtantia & prædicta pericula, ut nihil eorum curet. Ratio eſt, quia vitam ſuam ſibi caram non habeat modò curſum perficiat q. d. ſi carior mihi eſſet vita quàm fidelis impletio muneris mei, cauſam haberem hæc pericula extimeſcendi. Sed quoniam longè gratior eſt mihi fidelis impletio muneris divinitus injuncti, quàm ipſa vita, ideò ſecuritati vitæ præfero obedientiam erga Dei mandatum, & libenter incurram pericula vitæ, ut ſatisfaciam præcepto & inſtinctui Spiritus S. Vitam meam non æſtimo pretioſiorem, quàm ut eam libenter velim impendere & conſumere ad abſolvendum curſum pietatis & miniſterii à Deo accepti. Notanter autem dicit: non habeo caram mihi animam meam. Anima hic ponitur pro vita ut paſſim. Hanc vitam temporalem non ſimpliciter negat ſibi caram eſſe,

Digitized by Google

eſſe, ſed negat quod caram habeat ſibi ipſi, id eſt, propter ſe ipſum. Vita nobis debet eſſe cara & pretioſa, nec debemus eſſe prodigi noſtræ vitæ, ne peccemus contra ſextum præceptum. Non tantum naturale eſt, vitam nobis eſſe caram Job. 2. 4. Sed & Chriſtianum: veruntamen caram debemus habere vitam noſtram non propter nos, ſed propter Deum, quatenus nimirum & quamdiu utilis eſt ad honorandum Deum. Propter nos ipſos optare longam vitam in terris ſtultum eſt, quia nobis longè utilius eſt *cito ſolvi & cum Chriſto eſſe* Phil. 1. 23. Sed tamen propter Deum libenter diu vivimus, & optamus diu vivere, ut Deum poſſimus glorificare, & Eccleſiæ ejus inſervire. Hoc reſpectu vita nobis carior eſt quàm mors Pſal. 118. 17. *Non morior*, id eſt, *nolo, non opto mori, ſed vivere & laudare opera Domini.* Ideò David ægrotans deprecatur mortem hoc argumento: *quia mortuus non poteſt laudare Deum* Pſal. 6. 5. 6. Sic Hiskias deprecatur mortem Iſai. 38. 3. Imò tam avidi ſunt pii ad narrandas Dei laudes, ut malint miſerè & ſub perſequutionibus vivere, ſi ad gloriam Dei prodeſt, quàm intempeſtivè mori. Ideò Paulus ſæpe effugit mortem, ut ad gloriam Dei poſſet vivere Actor. 9. 25. & 20. 3. & 27. 10. Etſi captivus erat, tamen de vita conſervanda erat ſolicitus. Viciſſim tamen cùm mori plus prodeſt ad gloriam Dei, quàm vivere, non tam cara piis vita, quin malint mori ad honorandum Deum. Et hoc duplex commodum piis. Tum enim & Deum honorant, & ipſi lucrantur gloriam. Vide Phil. 1. 20. 21. *Vita mihi Chriſtus*, id eſt, dum ſecundum voluntatem Dei vivo, ad gloriam Chriſti vivo. *Mori mihi lucrum*, id eſt, cum autem ſecundum Dei voluntatem morior, id non tantum Chriſto honorificum ſed & mihi lucroſum eſt. Et ſic Paulus hoc loco mavult ſuper obedientia divini præcepti mori, quàm vitam per inobedientiam ſervare. At enim quomodo mors noſtra poteſt ſervire ad gloriam Dei, nonne hoc eſt contra illud quod ſupra ex Pſal. 6. v. 6. allatum eſt, *in morte nulla tui memoria nec laus? Reſpond.* Viciſſim ſcriptum eſt Pſal. 116. 15. *pretioſa eſt mors ſanctorum in oculis Domini.* Utrumque verum eſt Nam

1. In morte nulla laus Dei, quia mortui non poſſunt laudare Deum in hoc mundo, ſicut ſolebant, cum viverent. Non poſſunt amplius ſalutaribus inſtitutionibus & bonis exemplis ædificare ad gloriam Dei, nec ſuos educare, & regere in timore Domini, nec annunciare laudes Domini in congregatione ſanctorum. Vide Pſal. 30. 9. 10. Pſal. 88. 11. 12. 13. Pſal. 115. 17. 18. Iſai. 38. 18. Pſal. 80. 19. Et propter hanc cauſam pii deprecantur mortem, dum vires ipſis ſuperſunt Pſal. 102. 24.

2. Mors piorum, ſine ipſorum culpa ſolâ Dei voluntate ipſis inflicta, pretioſa eſt coram Deo, & multum conducit ad ejus honorem. Ideò Paulus hoc loco vitam ſuam non habet pretioſam, mortem autem, quam videbat à Deo paratam, pretioſam habebat. *Quare?*

a. Quia nimis longa vita inſignium inſtrumentorum Dei ſæpe officit divi-

næ gloriæ, quæ noxa per mortem eorum tollitur. Scimus quid Baptiſta dicat Johan. 4. *Ipſum oportet creſcere, & me minui.*

Neceſſe eſt miniſtros Chriſti minui, ut ipſe ſolus poſſit eſſe magnus. Si Deus unius miniſterio ſemper uteretur, ille unus in ſe raperet affectus, & admirationes hominis, ut non minus ſuſpiceretur quàm ipſe Deus. Ideò Deus alium poſt alium tollit & evocat, ut appareat omnes non eſſe niſi mortales miniſtros, ſolum autem Deum eſſe Dominum Prophetarum. Si Luna perpetuò lucida eſſet, parum gratiæ ſoli referretur pro luce nocturna, ſed Lunæ tota adſcriberetur. Verum ideò toties exſtinguitur, ut pateat quod non ex ſe ipſa lucida ſit. Ita etiam nemini debet diſplicere hæc pars providentiæ. Nam hoc fine Deus etiam Reges deponit, & alios ſubſtituit, nec in una familia dignitates perpetuo relinquit. Sufficit ad tempus hoc honore fruitum eſſe, & libenter cedamus honori Dei, ne honor noſter illi officiat. Ideò Moſes, cum peteret à Deo honorem introducendi Iſraëlem in Canaan, accipit reſponſum: *ſufficit tibi, non ibis ultra Iordanem, Ioſua ibit,* Deut. 3. 26 27.

β. Quia lubenter mori, cum vocamur à Deo, æquè eſt obedientia, quâ Deus honoratur, ac ullum bonum opus, quod vivi ad honorem Dei ſecundum præceptum legis fecimus. Sicut obediens patientia crucis honorat Deum: Pſal. 39. 10. Ita etiam lubens & patiens receptio mortis. Sicut ad honorem Dei Abraham filium unigenitum occidere paratus eſt: Geneſ. 22. Ita ad gloriam Dei facit, ſi ad præceptum ejus etiam libenter mori velimus. Vide exemplum Moſis. Deut. 34. 1. Libenter mori eſt obedientia præcepti.

γ. Quia mors martyrum eſt obſignatio veritatis & teſtimonii Chriſti. Ad mortem uſque Domino fidelem eſſe, ad ſanguinem uſque reſiſtere peccato, & ipſo ſuo ſanguine teſtem Chriſti fieri, quid non faciat ad honorem Chriſti? Hoc enim confirmat fideles in fide, & hic ultimus honor, quò omnes ferè Apoſtoli Deum honorârunt, & hic honor pretioſus in oculis Dei. Joh. 21. 19. Hæc mors ignominioſa coram mundo, ſed glorioſa coram Deo, unde & coronatur.

δ. Quia per mortem liberamur ab omni peccato & intramus ad perfectionem, ubi verè demum Deum honorare poterimus. Dum hic ſumus, vivimus ad gloriam Dei, ſed cum multa imperfectione, multiſque lapſibus, quibus honorem Dei apud alios impedimus, & ſæpè facimus, ut nomen Dei propter nos blaſphemetur, ſicut David 2 Sam. 12. 14. Sed cùm moriemur, tum laudabimus Deum ſine omni imperfectione, ſicut Angeli.

Libenter itaque moriamur, lubenter, inquam, moriamur, & lubenter ſubeamus dolores & pericula mortis, quæ Deus in via vocationis nobis faciet occurrere, & quæ per legitima media avertere non poſſumus. Nam præterquam quod *mors noſtrum lucrum eſt* Phil. 1. Facit etiam ad gloriam Dei æquè ac vita noſtra, quia *per mortem noſtram Chriſtus magnificabitur.* Phil. 1. 20. Faciamus igitur ut Petrus Luc. 22. 33.

Ut

Ut Paulus Phil. 2. 17. & Epaphroditus Phil. 2. 30. Sic Actor. 21. 13. & David Pſal. 119. 109.

Non tamen Paulus ſimpliciter negat vitam temporalem ſibi caram eſſe, ſed tantùm certâ conditione mortem vitæ præfert.

Quæ illa conditio? ſi moriendo implere vel perficere poſſit curſum ſuum cum gaudio, & miniſterium, quod accepit à Domino Jeſu, ad prædicandum Euangelium gratiæ. Si mors, inquit, mea non obſit Chriſtianiſmo & vocationi meæ, ſed per mortem utrumque poſſim perficere cum gaudio, tum vita mihi non eſt cara, ſed malo mori. Quamdiu non ſatisfeci Chriſtianiſmo & miniſterio, ad quod vocatus ſum, tàm diu non opto mori, ſed malo vivere. Sed ſi per mortem & Chriſtianiſmum & miniſterium meum lætè poſſum finire, malo mori quàm vivere. Si mors mea poteſt eſſe expletio Chriſtianiſmi & miniſterii mei, lubenter moriar. Per curſum ſuum intelligit tempus ſuum vivendi, & officia pietatis à Deo præſcripta. Per Diaconiam intelligit Apoſtolatum ſuum. Tres igitur ſunt conditiones, ſub quibus Paulus mortem vitæ præfert.

Si juſto tempore mori poſſit. Curſus, δρόμ☉ hic ſumitur I. Pro ſtadio, (loop-baene) & propriè notat viam vel ſpatium & iter menſuratum, & ad decurrendum alicui aſſignatum, qualia ſunt ſtadia in ludis Olympiacis 1 Cor. 9. 24. Cum hoc ſtadio comparatur vitæ noſtræ tempus. Hæc enim eſt ſtatuta & limitata ac menſurata longitudo ac duratio, quam nec abbreviare nec elongare poſſumus, ſed ad finem præſtitutum decurrere, ne in dimidio dierum moriamur. *Si modo*, inquit Paulus, *metam vitæ meæ*, ut vocatur Job. 14. *Poſſum attingere, libenter moriar. Obj.* At qui hanc neceſſariò attingit, nemo poteſt ſibi ipſi vitam decurtare. *Reſpond.* Etſi metam vitæ neceſſariò attingimus, nec ante illam mori poſſumus, tamen poſſumus peccare contra Dei Providentiam & præceptum, ſi malis mediis ad mortem pertendimus, & noſtrâ culpâ morimur, nec vitam cuſtodimus quemadmodum fieri poteſt. Si modò ab hoc vitio ſim immunis & ſolius Dei vocatione nullâ meâ culpâ in mortem incurram, non metuo mortem.

II. Deinde per curſum intelligitur Chriſtianiſmus noſter & officia illius. In his enim quilibet habet ſuum curſum. 2 Tim. 4. 7. Meum curſum, i. e. menſuram officiorum & donorum, quæ neceſſaria ſunt, ut quis poſſit placidè & beatè mori. Secunda igitur conditio, ſub quâ mortem vitæ præfert, eſt, ſi modò eò uſque perfecerit in Chriſtianiſmo, pietate, fide, patientia & ſolatio, ut mortem poſſit ſuſtinere, & lætè ac piè mori. Nam qui eò uſque non perfecerit, is meritò caram habet vitam, & deprecatur mortem Pſal. 102. 25. Prov. 30. 7. 8. Ideò hoc ſpecialiter addit, ut curſum poſſit perficere cum gaudio. Qui non poteſt mori cum fide, ſolatio, gaudio, non placidè poteſt mori, nec poteſt triumphare in morte, ut 2 Tim. 4. 7. 8. Luc. 2. 29. Præſertim martyrii mortem meritò deprecamur, donec ſimus ſatis inſtructi, ut poſſimus lætè mori. Nam niſi quis habeat lætitiam in ſalute Do-

Digitized by Google

mini, non poteſt habere conſtantiam in doloribus perſecutionis, & in eò potiſſimum conſiſtit gloria martyrii, ſi obeatur cum lætitia Actor. 7. 55. & 6. 15. Non igitur optanda mors, antequam in timore & tremore ſalutem noſtram operati fuerimus, electionem & vocationem noſtram firmam fecimus, auxilio Dei ſufficienter ſervierimus, & animum ſufficiente firmitudine fidei habeamus inſtructum.

III. Tertia conditio, ſub qua mortem vitæ præfert, eſt, ſi Diaconiam prædicandi Euangelium gratiæ, quam à Domino Jeſu Chriſto accepit, poſſit finire ac perficere, id eſt, ſi mors ſua non obſit ædificationi Eccleſiæ. Si enim hoc ſit, mavult vivere, Phil. 1. 24. 25. Diverſa hîc notanda:

1. Miniſterium verbi vocatur *Διακονία*. Hæc vox propriè adminiſtrationem eleemoſynarum Eccleſiaſticarum denotat, Actor. 6. Sed hic pro miniſterio verbi uſurpatur, ſicut & 2 Tim. 4. 5. quia non eſt dominium nec otium, ſed labor & opus, ſecundum præſcriptum Domini ad ejus gloriam & ſalutem Eccleſiæ.

2. Miniſterium verbi, eſt opus divinæ vocationis, quod à Domino accipitur. 1 Cor. 11. 23. Non igitur cuivis licitum.

3. Finis SS. miniſterii eſt teſtari Euangelium gratiæ. Lex iræ, Euangelium gratiæ, quia illa annunciat iram ac maledictionem peccando promeritam, hæc verò annunciat reconciliationem cum Deo, per gratiam ejus effectam. 1. Gratia præparationis. Ex gratia nos elegit, & Chriſtum præcognovit, in quo nos elegit. 2. Gratia operationis. Ex gratia enim Chriſtus in mundum venit, formam ſervi aſſumpſit, pauper factus, paſſus & mortuus eſt. Ex gratia Spiritus S. nos vocavit, regeneravit, ſanctificavit, conſolatur. 3. Gratia remunerationis. Ex gratia enim Deus nos vivificatos transferet in cœlum, ibique bona ſua dona in nobis coronabit gloriâ æternâ. Diſcamus hinc quoque, quod etſi vita non nimis cara æſtimanda, ſed libenter moriendum cum Deus vocat, tamen mors intempeſtivis vobis non ſit vocanda, vel illegitimis mediis præcipitanda. Non enim abſolutè, ſed cum certis conditionibus mors vitæ præferenda eſt. Reprimenda igitur eſt illa impatientia, quâ preſſi calamitatibus & doloribus ſtatim optamus mori. Potius precemur, ne Deus nos tollat ante tempus, antequam ſatis ad mortem parati ſimus, antequam ſine damno Eccleſiæ fieri poſſit. Etſi vita ſæpè gravis eſt, tamen præſtat vivere & opera Domini annunciare, quàm intempeſtivè mori.

Diſcamus etiam ex Paulo, quanti teneamur æſtimare noſtrum Chriſtianiſmum, noſtramque vocationem, ſcilicet ut malimus vitæ diſpendium facere quàm in illis deficere; Nam qui hic deficit, non poteſt placidè nec beatè mori. O quàm pauci ſunt hac in parte Paulo ſimiles! Quàm multi ſunt, qui, non dico vitam, ſed exiguum vitæ commodum exiguamque voluptatem Chriſtianiſmo & vocationi præferunt, & contra utrumque horum prævaricantur, ut illud modo lucrentur! Tarditas in Chriſtianiſmo, & deſidia in vocatione,

Digitized by Google

me, & voluptatum major cura quam horum, ſunt peſtes, quæ impediunt lætam & beatam mortem.

Actor. 20. *v.* 25. 26. 27.

Conc. CCXXVI.

FAbula eſt, non veritas, quod olim lupi ovibus obtulerint fœdus pacis, ſub ea conditione, ut à ſe dimitterent paſtores & canes, ſcientes, ſe, illis remotis, ovium facile potituros. Veritas eſt, non fabula, quod Satanas Chriſtianis Eccleſiis magnam pacem promittit, ſi miniſterium, publicum unguento ſcholaſticæ eruditionis unctum, & legitimæ vocationis auctoritate coronatum, velint deſerere & negligere.

Novit enim, quod per horum os ſalvifica myſteria fidei cuſtodiantur pura, & jura Dei dominium habeant in conſcientias hominum, & quod, his ab Eccleſia remotis, omnes antiquæ & recentes hæreſes Eccleſiam poſſint inundare, & doctrinam ſalvificam inſtar nebulæ obtenebrare, atque ita vim pietatis in meram formam & ſpeciem pietatis facile mutare, ad æternam animarum perniciem. Hanc rem judicamus magni eſſe momenti, & plurimum intereſſe, ut Eccleſiæ hujus Satanici ſtratagematis non ſint ignari, ideoque in ipſo exordio hujus concionis, antequam ad textûs explicationem deſcendimus, paulisper eam deducere deſtinavimus. Hoc facinus Eccleſiis Chriſti perſuadere Satan conatus eſt temporibus antiquis, temporibus patrum noſtrorum ſub initium Reformationis, & noſtris quoque, quibus vivimus, temporibus.

In priſca quidem Eccleſia hoc crebrum quod Doctores heterodoxi orthodoxos contempſerint, ſed miniſterium publicum in univerſum in contemptum agere non ita tentavit Satan, ut hodie, niſi quod plurimum iſthuc contulerint iſti hæretici, qui de ſui perfectione & puritate glorianes omnes Epiſcopos, & cum publica auctoritate verbum Dei docentes contemnebant tanquam impuros vitâ, & ad Eccleſiam Chriſti non pertinentes, quales erant inprimis Novatiani et Donatiſtæ, de quibus Cyprianus ait, quod apud temerarios convenas ſine divina diſpoſitione ſeipſos præficiant, quod ſe præpoſitos ſine ulla ordinationis lege conſtituant, quodque contemptis Epiſcopis & Dei ſacerdotibus derelictis conſtituere audeant aliud altare. Patrum noſtrorum tempore Anabaptiſtæ non ſolum magiſtratûs officium, ſed & publicum docendi munus in contemptum adducere omni ope niſi ſunt, & publicè Eccleſiam docere non vocationis ac muneris, ſed charitatis opus eſſe, quod quilibet ſine vocatione tentare poſſit, contenderunt. Noſtris temporibus in Germania hoc unum egerunt Weigeliani, ut hominibus perſuaderent vocationem miniſtrorum etiam in Eccleſiis Euangelicis eſſe nullam, nec obligatum quenquam ad eos audiendos. Et alibi quantopere Satan, ſub Babylonico nomine independentiæ, laboraverit auctoritatem publici miniſterii conculcare, & plebis ventres concionandi cupiditate inflare, in

omnium

Digitized by Google

omnium ſenſibus eſt. Et utinam inter nos non eſſent, qui vana ſcientiæ opinione tumidi vocatis miniſtris honorem ſuum invideant, & in munus eorum involare, ſaltem illud omni modò extenuare ſatagant. Atque hæc unica cauſa eſt, quod prudentiores in Papatu, neceſſitatem reformandi ſuum clerum hæreticum, idololatricum & ſuperſtitioſum videntes, tamen nolunt in aliquam reformationem conſentire, quia metuunt, ne ruptâ auctoritate & hierarchiâ cleri, populus in ſimilem arrogantiam erumpat. Vanus quidem ille metus, cùm tempeſtivâ reformatione cleri, & reductione illius ſub bonum divinitus inſtitutum ordinem per legitimam auctoritatem magiſtratus, vanitas populi poſſit reprimi, & vocatorum miniſtrorum auctoritas conſervari. Attamen hoc certum, quòd iſte contemptus miniſterii vocati, qui in Eccleſiis à Papatu reformatis animadvertitur, ſit ex præcipuis cauſis, quæ prudentiores politicos in Papatu retinent, ne in reformationem ſui cleri conſentiant, atque ita progreſſus Euangelii non parùm impeditur per hoc, quòd apud Profeſſores Euangelii Prædicatores Euangelii tanto in contemptu ſunt.

Dignum eſt notatu, quibus mediis Satanas auctoritatem vocati miniſterii nitatur concutere:

1. Ajunt, quòd ſint auctores omnium bellorum & ſeditionum. Dum enim quiſque pro ſua opinione in negotio religionis vehementer contendit, inde oriri ſchiſmata Eccleſiaſtica, & ex Schiſmatibus Eccleſiaſticis oriri bella politica. Hoc argumento multum profecerunt in Germania apud incolas bellis diuturnis fatigatos, effeceruntque, ut cauſas belli in Theologorum diſputationes conferentes vocatos Paſtores cœperint odiſſe, & ſpiritibus ſeductoribus adhærere, & ſic venenata dogmata hæreſium, auſterâ pietatis ſpecie palliata, affatim imbibere.

2. Ajunt, quòd auctoritate ſui officii obſint ſplendori & auctoritati magiſtratûs politici, cui cupiant eſſe collaterales, cujus regimen reprehendant, cujus conſiliis ſe immiſceant, & populum contra eorum voluntatem ſæpè excitent. Nondum oblivioni datum eſt, quantâ ope Satanas hunc follem inflaverit in his oris tempore ultimi Schiſmatis, eoque effecerit, ut ſæpè fideles Miniſtri Eccleſiæ à Magiſtratibus audire coacti ſint illud Achabi 1 Reg. 18.17. & illud Amaſiæ Amos 7:10.

3. Ajunt, quod vocatio ipſorum non ſit divina, ſed tantùm humana, quæ ordinis causâ tantùm fiat ab hominibus, & nullam ſingularem poteſtatem, auctoritatem & efficaciam habeat à Deo, cùm non ſint immediatè à Deo vocati, ſicut Prophetæ & Apoſtoli, & cùm in vocationibus ipſorum multæ humanæ paſſiones interveniant. Sic Corah fecit. Num. 16. 3.

4. Ajunt, quòd non vivant ſicut docent, & multi gregarii auditores melius vivant quàm Concionatores. Quòd loquatur de Chriſto ſicut cæci de colore, ipſimet Chriſtum ignorantes, & quod tota ipſorum vita repugnet doctrinæ, quam prædicant. Clamant, quan-

Digitized by Google

quantumcunque quis benè concionetur, auditores tamen nullam ex ejus concione poſſe capere ædificationem, niſi ipſe intus verè pius ſit, & quoniam audacter pronunciant, miniſtros plenos eſſe voluptatum, invidiæ, avaritiæ &c. Ideò intrepidè clamant, nullum Concionatorem hodiè verè concionari Chriſtum crucifixum.

5. Ajunt, quòd acceptione ſtipendii Magiſtratui & Eccleſiis graves ſint. Quòd nemo poſſit eſſe legitimus miniſter Chriſti, & veritatem prædicare, qui ſtipendium accipiat. Hos eſſe mercenarios Concionatores, & incurrere in Scripturam Matth. 10. 8. 9. Mich. 3. 11. Actor. 20. 33. 34.

6. Ajunt, quòd illiterati, idiotæ, modò ſe exerceant & rem audeant, ſæpè melius poſſint concionari, quàm literati & vocati Concionatores. Eſſe quidem unum & alterum eruditum, qui benè concionetur, ſed de cæteris adeò viliter judicant, ut putent, ſe melius poſſe. Ideò miniſtrorum invidiæ imputant, cum non omnes promiſcuè permittuntur concionari, palliantque ſuum errorem effato Moſis Num. 11. v. 29.

En hiſce argumentis Satanas utitur ad perſuadendas Eccleſias, ut vocati miniſterii auctoritatem in dubium vocent, dona & laborem eorum contemnant, & ſic ſpiritibus ſeductoribus viam aperiant. Utinam inter exteros & hæreticos ſolùm hoc opus Satanæ in agitatione ſit, & non etiam in noſtrorum hominum ore ejuſmodi diſcurſus audirentur! Non conſtitui has accuſationes, quæ contra S. S. miniſterium à Satana ingeruntur, ſigillatim hac vice retundere, ſed tantùm in genere hæc tria reſpondeo:

1. Si vel omnes hæ accuſationes veræ eſſent, & omnia hæc mala miniſterium ſecum ferret, tamen neceſſarium eſt Eccleſiis, & bonum quod Eccleſiæ per miniſterium accipiunt à Deo, infinities majus eſt quàm totum illud malum, quod miniſterio impingitur. Si vel per meros hypocritas Deus nos vellet docere, ut per Judam docuit, imò, ſi vel per Diabolos ut Actor. 16. 17. gratum eſſe deberet.

2. Non ſunt veræ iſtæ accuſationes, verùm maximâ ex parte meræ calumniæ, quibus invidè exaggerantur infirmitates perſonales miniſtrorum, vel etiam fraudes unius atque alterius hypocritæ. Si propter has contemnendum miniſterium ordinarium, contemnendi quoque ipſi Apoſtoli, qui in ſe infirmitates, & inter ſe Judam hypocritam habuerunt. Qui novit, quid ſit in media infirmitate pium eſſe, & in media pietate aliorum infirmitatibus ſe accommodare, ad conſervanda converſationis jura, is non adeò facilè ſiniſtrum de Concionatorum vita feret judicium.

3. Malum, quod propter haſce perſonales infirmitates ac falſitates S. S. miniſterium ſecum fert, vel facilè ferre poteſt Eccleſia, ſicut miniſtri coguntur ferre auditorum infirmitates & falſitates: vel etiam apto remedio poteſt coërceri, ſi magiſtratus ſuâ auctoritate ritè conſervet atque adjuvet ordinem & diſciplinam in Eccleſia inſtitutam. Hæc tantùm pauca hac vice reſpondeo.

Digitized by Google

deo. Non enim hæc ideò præfatus ſum, quòd hac concione intendam iſta ſtratagemata Satanæ ſolvere, ſed ut pii auditores tantò majorem habeant cauſam attendendi ad declarationem hujus concionis Paulinæ, quæ de auctoritate & officio vocati Miniſterii Eccleſiaſtici, & quidem ordinarii ac mediatè vocati, ex profeſſo agit, & occaſionem nobis dedit atque dabit, ſingula hæc ſtratagemata Satanæ ſuo loco detegendi. Attendite, ne veſtrâ culpâ amittatis miniſterium eruditum, ritè vocatum, normæ S. Scripturæ adſtrictum, & ordini divinitus inſtituto ſubditum. Nam ſi hoc fiet Reſpubl. plena ſit confuſionis, Eccleſia plena ſchiſmatum, intellectus veſter plenus dubitationum ac errorum, vita peccatorum, conſcientia angorum, poſteri verò tenebris expoſiti.

In expoſitione hujus concionis pervenimus ad verſum 25. quò Paulus concludit ſecundum membrum partis primæ, ſcilicet denuntiationem. Poſt provocationem ad doctrinam & vitam ſuam, Epheſi tranſactam, denuntiaverat Epheſiis, ſe diſceſſurum & abiturum Hieroſolymam, certum periculorum ſibi iſto in loco inſtantium, incertum tamen de eventu, attamen contra omnia pericula, ſic animatum, ut nihil curet, ſed etiam mori paratus ſit, modò curſum & miniſterium ſuum poſſit perficere cum gaudio. Nunc hanc denuntiationem finiturus denique denuntiat v. 25. Se non tantùm abiturum, ſed etiam non rediturum, neque ad Epheſios, neque ad quenquam eorum, quibus in Aſia Euangelium prædicâſſet. Eſt denuntiatio Prophetica, i.e. fundata ſuper inſtinctu & revelatione Spiritus S. Non enim ex conjectura loquitur, ſed ex ſcientia: ἐγὼ οἶδα. Quatuor in hoc verſu notanda:

1. Apoſtoli duplicem habuerunt ſcientiam, videlicet: 1. Communem & filialem, qualem vi regenerationis habent omnes filii Dei conſiſtentem in eo, quòd non tantùm myſteria fidei ſalutariter intellexerunt, ſed etiam per probationem ſui ipſius & attentationem Spiritus S. crediderunt & perſuaſi fuerunt ſe ſalvatum iri. Rom. 8. v. 38. 2 Tim. 1. 12. 2. Singularem & Propheticã, quam per ſingularem gratiam Spiritus acceperunt ad muneris ſui rectam defunctionem, quæque in eo conſiſtebat, quòd non tantùm in myſteriis fidei & in πληροφορίᾳ fidei ſingulariter excelluerunt, ſed etiam, quod per ſingularem revelationem Spiritûs interdum ſciverunt internas & latentes cogitationes alienorum cordium. Actor. 8. v. 21. & 5. 3. Itemque quædam futura, quæ ex cauſis naturalibus ſciri non poterant, quale eſt, quod hîc legimus, & 2 Tim. 4. 6. 2 Petr. 1. 14.

2. Cur dicit faciem ſuam non viſuros amplius? Vulgò morientes circumſtantes vivos ſolantur hoc afflatu: Denuo nos invicem videbimus. An hoc malè? *Reſpondeo:* Paulus loquitur de his terris. In cœlo autem nos invicem reviſemus. Non diſputabo nunc, an ſe invicem in cœlo agnituri ſint, & ſingularem familiaritatem inter ſe culturi, qui in hac vita ſeinvicem facietènus viderunt ac noverunt. Hoc enim fore non niſi probabiliter demonſtrari poteſt

Digitized by Google

poteſt ex Scriptura. Sed quod fideles in cœlo ſeinvicem viſuri ſint, patet ex teſtimoniis, ex quibus patet omnes unâ in cœlo Chriſtum viſuros. Si enim Chriſtum viſuri, & unà futuri ſunt in cœlo, etiam ſe invicem viſuri ſunt. Vide 1 Theſſ. 4. 13. ad fin.

3. Quò fine autem Epheſiis hoc prædicit, & hâc prædictione eos contriſtat? Cur non potiùs tacet, quod ſciebat. Satis grave erat abire, quid opus erat annunciatione; quod etiam rediturus non erat? *Reſp.* Servit excitationi, ut ſcirent, ſibi jam ſuis talis eſſe ſtandum, & tantò diligentiùs vigilandum, cùm impoſterùm carituri ſint auxilio Apoſtoli. q. d. Ego, qui hactenus veſter & Eccleſiæ veſtræ pater, inſpector & adjutor fui, & in omnibus gravioribus occaſionibus conſilio meo veſtrum miniſterium adjuvi, impoſterum vobis adfuturus non ſum. Ideoque tempus eſt, ut vobis ipſis attendatis. Simile exemplum habes in Joſua cap. 23. & 24. vid. cap. 23. 1. & 14. Item in ipſo Chriſto, non tantùm in precibus ad Deum Ioh. 17. 12. Sed etiam in denuntiatione ad diſcipulos Iohan. 14. 15. & 16. Debent hoc imitari parentes morientes, & ſimili commendatione curam, quam hactenus ipſi pro liberis geſſerunt, in liberos devolvere, dicentes: En fili, jam vado viam omnis carnis, jam non amplius videbis faciem meam in hoc mundo. Quamdiu tecum in hoc mundo vixi, pro te curavi, nutrivi te, docui, admonui, caſtigavi. Nunc abeo, faciem, quam hactenus reveritus fuiſti, non videbis amplius, os; quod te docuit & admonuit, clauditur; manus, quæ te duxerant, & à malo retinuerunt, labaſcunt. Jam neceſſe eſt, ut tibi ipſi attendas. Non invenies nunc in terris quenquam, qui tàm fideliter pro te curabit, atque ego curavi. Ergo curam tui in te ipſum recipe, & tibi ipſi attende, ſi vis, ut tibi benè ſit. O, quis eſt, qui non etiamnum ſtimulum ſentiat, ſi hæc verba ex morientibus parentibus olim audivit! Et cur expectant parentes ſic loqui filiis donec moriantur? Fortè tùm non poterunt ita loqui. Cur non tempeſtivè ita loquuntur, nunquam vitæ ſecuri?

4. Denique obſervandum, quod dicit, ſe prædicâſſe regnum Dei. Quid prædicare regnum? Regnum poteſt erigi, poteſt defendi, ſed quomodo poteſt prædicari? Quid ſit regnum Dei, & quâ in re conſiſtat, latè explicatum in cap. 1. v. 3. ubi dicitur, quod Jeſus per 40. dies diſcipulos inſtruxerit de iis, quæ ad regnum Dei pertinent. Prædicare regnum Dei, eſt

1. Proclâmare Chriſtum Regem. Sicut Reges facti proclamantur per præcones 1 Reg. 1. 33. Ita verbi miniſtri adhoc conſtituti, ut proclament & notum faciant populis, *quòd Chriſtus Ieſus ſit ille Rex, quem pater unxit ſuper montem Sion* Pſal. 2. Vide præconii hujus exemplum Pſal. 99. 1. Intelligite quæſo finem noſtri officii, qui eſt, ut vos vocemus ad ſubjectionem Chriſti. Non eſtis veſtri juris, ſed mancipia Satanæ. Nos annunciamus Chriſtum à Deo vobis unctum in Regem, qui, pretioſo ſuo ſanguine in redemptionis pretium effuſo, paratus eſt contra Diabolum

Digitized by Google

bolum defendere omnes, qui Chriſto ſe ſubjiciunt. Ne itaque dicite: nolumus hunc ſuper nos regnare, ſed ſubjicitote vos ejus voluntati, oſculemini illum, & ſervite illi in tremore & gaudio.

2. Annunciare, quòd Deus nobis regnum paraverit. Non tantùm proclamamus Chriſtum eſſe Regem, & vos ad ſubjectionem ejus invitamus, ſed etiam annunciamus, vobis ſceptrum & coronam, ſolium & thronum eſſe paratum, in quo tanquam Reges cum Chriſto dominemini. Hoc enim prædicamus, quòd, qui cum Chriſto patitur eique obedit, cum Chriſto dominabitur, ut Rex. Non fruſtra ſervietis Chriſto, ſed per hoc ſervitium evadetis Domini & Reges, ſub quorum pedes Satanas conculcabitur, & quorum pedibus omnia ſubjicientur. Rom. 16. v. 20. Pſal. 8. 6. Vide Matth. 19. 28. Luc. 22. 30. Apoc. 3. 21. 2 Tim. 2. 11. Rom. 8. 17. Videte, quanti momenti ſit prædicatio Euangelii. In hac vita ſumus Reges, quia cum peccatis & miſeriis ac hoſtibus quidem confligtamur, ſed in his omnibus plus quàm victores ſumus. Rom. 8. In altera vita erimus Reges, quia victis hoſtibus non tantùm non oppugnabimur, ſed pluſquàm regali gloria & majeſtate erimus coronati. Libenter ſerviamus Chriſto, ne fruſtra nobis prædicetur regnum Dei. Non prædicamus vobis caſſas nuces, nec theſauros terrenos, ſed regnum, & quidem cœleſte & immobile regnum. Utinam cogitaremus ſæpè, qui fructus Euangelii, quod prædicatur, libentiùs certè illud audiremus! Ne contemnite officium miniſtrorum. Sunt enim præcones regni Dei.

Finitâ denunciatione ſequitur proteſtatio Pauli v. 26. & 27. Proteſtationibus utimur, cùm, quod vellemus impedire, cogimur permittere. Cùm omnibus legitimis mediis adhibitis non poſſumus impedire malum, quod alii volunt, tùm conſcientiam noſtram liberamus per proteſtationem, & culpam mali devolvimus in eos, qui bonis noſtris conatibus locum dare nolunt. In foro ſoli proteſtationis habent hunc uſum, ut publicè coram judicio teſtemur, nos non cedere de jure, cùm cedere cogimur de poſſeſſione. In Theologia autem proteſtari eſt, teſtari de ſua innocentia in permittendo malo, quod vellemus impedire. Atque hæc proteſtatio, ſi vera eſt & fundata, ſervit gravandæ conſcientiæ illorum, qui nobis obnitentibus malum faciunt, eoſque reddit inexcuſabiles. Vide ſimilia exempla Deut. 30. 16. Ioſ. 24. 22. Matth. 27. 24. Actor. 13. 46. Qui Deo ſervit in aliis docendis & regendis, ei incumbit cura ſui ipſius & aliorum. 1 Tim. 4. 16. Si omnibus conatibus non poteſt ſervare alios, ſaltem hoc ei ſolatio eſt, quod ſe ſervabit, & ſuam animam liberabit, & ex hoc ſolatio bonæ conſcientiæ profluit hæc proteſtatio, fundata ſuper illo, quod legimus Ezech. 3. 17. 18. 19. & 33. 8. Ne reſiſtamus uſque ad proteſtationem. Sicut enim hoc liberat animas miniſtrorum, ita gravat auditores Matth. 10. v. 14. 15. Si Pilati proteſtatio adeò gravavit Judæos, ut ſanguis juſti etiamnum hodiè ſit ſuper illis, quid non faciet vera proteſtatio

Digitized by Google

teſtatio fidelium ſervorum Dei? Hoc die, inquit, teſtor. Sicut,in V.T. ſæpè cœlum, terra, lapides &c. vocantur in teſtimonium, ita hîc dies: quaſi dico. Hic dies eſt teſtis meus quod ſim purus. Poſſem jam hîc addere explicationem duarum phraſium, quæ ſunt in verſu vigeſimo ſeptimo. videl 1. *Nihil celavi*. Verum hæc vox explicata v.20. 2. *Annunciavi conſilium Dei totum*. Verùm hæc vox explicata Actor. 13.36. Conſilium Dei ſignificat

a. Decretum Dei. Actor. 13.36. Vide ibi.

b. Chriſtum. Eſa. 9. 5. Hic vocatur conſilium i.e. Conſiliarius Dei, non quia Deo, ſed quia nobis Dei nomine eſt à conſiliis, revelans & ſuadens, quæ ad ſalutem Deus ordinavit Iohan. 1.18. Eſa. 11. 2.

c. Euangelium Prov. 1. 25.30. Luc. 7.30. & hoc loco.

Conſilium datur iis, qui ſunt in periculis, inopes ſe ſervandi. Euangelium eſt conſilium Dei, & vis Dei ad ſalutem Rom. 1. 16. quia non tantùm oſtendit media ad ſalutem & docet, ſed etiam eſt inſtrumentum, per quod Deus media ſalutis, à nobis requiſita, in nobis operatur. Hoc conſilium Paulus gloriatur ſe annunciâſſe totum. Et nos hîc poſſumus gloriari. Annunciamus enim vobis 1. Quomodo poſſitis cum Deo reconciliari. 2. Quomodo poſſitis ad Deum converti. 3. Quomodo poſſitis ita coram Deo ambulare, ut gloriam Dei, ſolatium, certitudinem ſalutis, & benedictionem Dei poſſitis obtinere in vita & in morte. Hoc multi heterodoxi non poſſunt gloriari. Interroga aliquem ſacrificulum, quomodo ſuos doceat juſtificari? Reſpondet, per propria merita & ſatisfactiones, per indulgentias, ſacrificium miſſale, pœnas purgatorii &c. Interroga aliquem ſectarium, quo pacto ſuos doceat converti. Reſpondebit; per liberum arbitrium. Interroga eoſdem, quomodo ſuos doceant ita vivere ut firmum ſolatium habeant in vita & in morte? Reſpondebunt, ſe ſuos ita non docere, ſed ſuadere, ut dubitent, ad minimum, ut ſupra dubitabundam ſpem non aſſurgant. Hoc eſt pervertere & reticere Dei conſilium. Provoco ad omnes Hæreticos & Papiſtas, quid in noſtra religione deſit utile ad ſalutem, vel quid in illa ſaluti noxium? Non eſt mihi nunc animus addere proteſtationem perſonalem, quâ teſter nos, qui in præſentiarum vobis ſervimus in Euangelio, officium feciſſe fideliter, & puros eſſe à veſtro ſanguine. Relinquimus hoc thema veſtræ meditationi. Humani nihil à nobis alienum putamus. Interim non veremur piorum & prudentum quorum vis judicio nos & actiones noſtras exponere.

Actor. 20. v. 28.

Conc. CCXXVII.

Concionem Pauli ad Conſiſtorium Epheſinum diviſimus in tres partes. Prima pars habet commendationem miniſterii atque vitæ Paulinæ apud Epheſios peractæ, in qua ad integritatem ſuæ vitæ, & ad fidelitatem miniſterii ſui provocat, denunciatque ſuum ab Epheſiis diſceſſum ſine ſpe

redeundi & proteſtatur de ſua innocentia, ſi pereant. Hanc partem explicuimus. Secunda pars concionis eſt admonitio, quâ Paſtores Eccleſiæ Epheſinæ hortatur, ut ſe profectò curam ejus Eccleſiæ rectè gerant. In hac ſecunda parte habes

I. Adhortationem ipſam v.28.

II. Argumenta adhortationem ſuadentia, petita

1. à Dignitate vocationis.
2. à Dignitate Eccleſiæ. v.28.
3. à Periculis Eccleſiæ imminentibus v.29. 30.
4. à Suo exemplo v.31.

Adhortatio eſt, ut attendant ſibi ipſis, & toti gregi atque Eccleſiæ, ſuper quam conſtituti ſunt, ut eam paſcant.

I. Vult, ut ſibi ipſis attendant. Hoc memorabile, quod vult, ut qui conſtituti ac vocati ſunt, ut aliis attendent, prius ſibi ipſi diſcant attendere. Hoc neceſſarium. 1. Quia abſurdum eſt, aliorum ſalutem curare & ſuam negligere. 1 Cor.9.27. Matth.26.4. 2. Quia tuis monitis neminem habebis obedientem; ſi tuo exemplo monita propria contemnas. Rom.2.19.20.21.22.23.24. Eſſentialem partem officii negligit, qui doctrinam vitâ non exprimit, & aliis injicit ſuſpicionem, quod ipſe non credat, quæ docet.

Object. Atqui qui attendit, & cui attenditur, debent eſſe diſtinctæ perſonæ. *Reſp.* Non opus eſt, modò ſint in eadem perſona diverſæ partes. Sicut enim oculus poteſt attendere pedibus, ita ratio hominis poteſt attendere toti homini, & quod in homine ſpirituale eſt, poteſt attendere motibus & inſidiis carnis. Duplex eſt diſtinctio in homine:

1. Diſtinguitur in τὸ ἡγεμονικὸν & τὸ παθητικόν. Ratio hominis paſſim à Philoſophis comparatur cum auriga, qui affectibus attendat tanquam equis, eoſque ceu habenis moderetur, quorum conſonat illud Chriſti Matth. 6. v.22. Et reverâ, ſi in beſtiis eſt aliqua cura & ſollicitudo greſſuum, ne ſine conſideratione ruant, quàm abſurdum erit, ſi homini rationali hæc cura deſit?

2. Diſtinguitur in τὸ πνευματικὸν & τὸ φυσικόν. Secundum carnem cæci ſumus & palantes, incedimuſque ut libidinibus rapimur, quibus ſervimus. Verùm dona Spiritus S. eum in finem nobis dantur, ut ſint oculus & lucerna ac lumen, quo nobis ipſis attendamus, & ſint frænum, quo nos ipſos regamus. Sicut igitur jubemur per Spiritum opera carnis mortificare Rom.8.13. Ita Spiritus S. in omnibus rebus eſt noſter ductor, per quem nobis ipſis attendimus vid. v.14. Homo igitur rationalis ſibi ipſi attendere poteſt per rationem, homo regenitus etiam per Spiritum. At enim quid eſt ſibi ipſi attendere, & quomodo fit? *Reſp.* Explicuimus in Actor.5.35. Brevius & clarius ſic habe: Attendere ſibi, eſt

α. Se ipſum ſcrutari, & probare, ut te ipſum nôris. Dum homo ſeipſum neſcit, confidens eſt ac ſuperbus, & per hanc confidentiam ruit in omnia, quæ modò deſiderat, & ſeipſum perdit. Sed ſi novit ſuam indignitatem & maledictionem coram Deo, & ſuam impotentiam in rebus ſpiritualibus, nec non perverſitatem ſuarum libidinum ſuo-

rumque

Digitized by Google

rumque deſideriorum, hoc te cautum reddit & circumſpectum ac ſollicitum, ut tibi ipſi fias ſuſpectus, & incipias timere à ſeductione proprii cordis & propriarum libidinum ineſcatione, ut loquitur Iacobus c. 1. v. 14. 22.

β. Vias Domini ſcrutare, ut greſſus tuos intra illos contineas. Sicut qui in nocturnis tenebris ambulat, orbitas viarum quærendo ſe ipſum conſervat ab erroribus; Ita qui viis Domini attendit, ſibi ipſi attendit. Sicut unica cura aurigæ eſt, ut equi maneant intra orbitas, & in iis alacriter pergant, ita hoc unum nobis curandum, ut pedes noſtri maneant intra orbitas teſtimoniorum Dei. Pſal. 119. 59. Curemus nos ipſos. Eſt ex maximis noſtris perverſitatibus, quòd aliis plus attendimus quàm nobis, videntes feſtucas in aliorum oculis, cum in propriis ne trabes quidem diſcernamus. Amor incipit à ſe ipſo, ſis tibi ipſi propitius. Tecum habita, & nôris &c.

γ. Præſertim tamen Presbyteri ſibi ipſis attendunt, cùm ſibi ipſis proſpiciunt de neceſſaria ſcientia, quæ ſufficiat ad retundendos hæreticos, & ſeipſos armant omni fortitudine, quæ requiritur ad pugnam hanc contra lupos ſuſtinendam vid. Luc. 22. 36.

II. Vult, ut & gregi attendant, ſuper quem conſtituti ſunt: Non ſatisfacit vocatus miniſter Dei conſcientiæ & officio, ſi probam & innoxiam degat vitam, ſed requiritur, ut aliorum, quibus præeſt, tangatur curâ, ut ſe & alios ſervet. 1 Timoth. 4. 16. Curandum nobis, ut & alii ſe ipſos nôrint, & aliorum quoque pedes maneant intra orbitas legis. Vellem hoc conſiderent, qui nos in ſuam inquirentes vitam, & rationem ejus exigentes, repellunt hâc interrogatione, quid tibi nobiſcum, quilibet pro ſeipſo rationem reddet? Quaſi neſciant, nobis eſſe mandatum, ut ipſis quoque attendamus. vid. Hebr. 13. 17. Ezech. 3. 18. & 33. 18.

III. Vult, ut attendant gregi & Eccleſiæ ſuper quam conſtituti ſunt. Non toti gregi & Eccleſiæ, id enim Apoſtolorum eſt, qui ſoli erant Epiſcopi univerſales & œcumenici, ſed Epheſinæ, cui peculiariter præfecti ſunt, ut præcones ordinarii. Totum tamen gregem jubet paſcere, quia miniſtri omnibus præfecti, doctis, indoctis, nobilibus, ignobilibus, qui ſunt in iſto grege. Duplici enim nomine deſcribit popûlum, cui debent attendere. Vocat

1. Gregem. Nihil uſitatius in Scriptura, quàm Eccleſiam comparari cum ovium grege, quem Chriſtus paſcat per miniſtros verbi. Iohan. 10. Pſal. 100. 3. Pſal. 95. 9. Rationes comparationis ſunt præcipuè tres.

α. Quia naturâ ſumus ignorantes, palantes, errantes, periculis mortis, & lupi infernalis inſidiis expoſiti. Pſal. 119. ult. Luc. 15. 4. Eſa. 53. 6.

β. Quia cura, quam Chriſtus pro nobis gerit, planè eſt paſtoralis. Sicut enim paſtor fidelis propriam vitam periculis objicit, ut vitam ovium defendat, ſicut infirmitates ovium ſanat, errores corrigit, paſcuum ſuppeditat, ita Chriſtus nobis facit Iohan. 10. Ezechiel. 3.

γ. Quia eodem fine ita curamur à Chriſto, quo grex ovium à Paſtore. Sicut

Digitized by Google

ut enim oves à paſtore curantur eo fine, ut viventes præbeant lac, fœtum, lanam,& tandem mactentur in cibum: Ita Chriſti cura circa Eccleſiam hunc habet finem, ut viventes in hoc mundo præbeamus fructus gratitudinis,propagemuſque Dei laudes, & tandem Deo per mortem mactemur in ſacrificium, quo æternum delectetur. Sicut Chriſtus mactatus eſt, ut Deum in æternum placet per odorem juſtæ ſatisfactionis: ita nos mactamur, ut Deum æternum delectemus per odorem laudis & gratitudinis.

2. Eccleſiam, i. e. cœtum evocatum. Omnes homines naturâ ſunt ejuſdem ſtatus & conditionis,videlicet peccatis & miſeriis onuſti, ſunt una corrupta maſſa. Ex hac corrupta maſſa generis humani Deus quoſdam homines eligit, evocat & ſeparat ad ſanctiorem & feliciorem ſtatum. Elegit ab æterno ſecundum ſuum beneplacitum, evocat in tempore per verbum & ſpiritum ſuum, ſegregabit in ultimo die. Cùm enim hîc mixti inter ſe vivant, ſegregabuntur tùm oves ab hædis, & non tantùm conditione, ſed & locis erunt diſtincti.Hic cœtus electus, evocatus & ſegregatus vocatur Eccleſia,i.e. evocatio, quia, etſi in hoc mundo mixtus degit inter cæteros homines, tamen communi hominum voci & ſermoni non obtemperat, ſed audit vocem & ſermonem Chriſti, & ſecundum illam vitam inſtituit. Hæc evocatio duplex eſt:

a. Externa tantùm quæ in eo conſiſtit, quod homines vocem & ſermonem Chriſti audientes externâ profeſſione illum recipiunt, & ſecundum illum vitam inſtituere pollicentur, ſicut Simon Magus Actor. 8. & multi alii. Luc. 8.

b. Externa ſimul & interna quæ in eo conſiſtit, quod homines in externa prædicatione verbi Dei intus per Spiritum S. tacti, commoti, illuminati, convicti perſuaſi, toto corde verbum Dei recipiunt, & ſeſe in obedientiam ejus tradunt, implentes illud Rom. 6. v. 17. Non invenit nos vocatio Dei ſingulares & aliis meliores, ſed facit ſingulares & meliores, dum nos perſuadet, ut communem vitam hominum deſerentes vitam noſtram inſtituamus ſecundum voluntatem Dei. Ex hac deſcriptione patet, quàm ſint felicès, qui jure in populo Dei poſſunt numerari & ad Chriſtum pertinent. Nam

1. Sunt ſub cura Chriſti, ſicut grex ovium eſt ſub cura Paſtoris. Sicut omnis ovium felicitas in eo conſiſtit, ut habeant fidelem Paſtorem, ita nos ideò felices, quòd Chriſtus noſter Paſtor. *Dominus Paſtor meus,nihil mihi deerit. Pſal.* 23. 1. Nemo enim potentior ipſo,qui nos poſſit ex manibus ejus eripere. Iohan. 10. Et quidem fidelis Paſtor, qui animam pro nobis poſuit. Si tantoperè amavit,ut animam poſuerit, annon cuſtodiet redemptos? Iohan. 10. v. 28. An Paſtor fidelis ſciens permittet, ut ovis vel à lupo rapiatur, vel fame pereat, vel propria palatione & erratione ſe peſſundet? Annon potius errantem quæret & reducet? Si hoc facit Paſtor pecoris, an minorem fidelitatem expectas à Paſtore animarum?

Digitized by Google

rum? Habemus Paſtorem, non qui quærere tantùm & oſtendere nobis paſcuum poteſt, ſed creare etiam tunc, cum cœlum & terra nihil poſſint ſuppeditare.

2. Sunt evocati & ſegregati à communi corruptione & miſeria naturæ. Tunc eramus miſeri, cùm eſſemus tales, quales per lapſum facti. Sed jam evocati & ſeparati ſumus. Nam amplius ſumus ſub irâ Dei, ſub maledictione legis, ſub poteſtate Diaboli, ſub dominio peccati, ſub funibus mortis, ſub angoribus inferni, ſub accuſatione & terrore conſcientiæ, ſub poteſtate humanorum hoſtium. Non quidem planè hæc omnia evaſimus, ut nihil amplius ab illis patiamur, ſed tamen ſumus evocati, & vocationi parere incepimus, ſicut Abraham, cùm vocaretur ex Ur Chaldeorum, ſumus in itinere ad exeundum ex horum omnium poteſtate, imò educimur per potentem manum magni illius Paſtoris ovium, quem Deus ex mortuis eduxit per ſanguinem æterni Teſtamenti, & quamvis à tergo omnes hi hoſtes nos ſequantur, ſicut Pharao Iſraëlitas, tamen potens noſter Paſtor, per mare, & deſertum & Jordanem nos deducet potenter, donec omnem vim evaſerimus, ut tutò liceat triumphare, ſicut eſt Pſal. 23. 1. & 4 Pſal. 124. 2. ad fin.

Conſiderate quæſo veſtram felicitatem, quotquot in Populo Dei numerari jure poteſtis. Nam ſi hanc non penſitatis, nec gaudium vobis, nec laus & gratitudo Deo ex omni felicitate veſtra pervenient. Sin conſideratis, mox procidetis cum Davide, & exclamabitis ut. 2 Sam. 7. 18. Si neſcimus, nec conſideremus, quanti ſimus meliores aliis, nec melius aliis nos geremus, ſed cum aliis ambulabimus in ſordibus mundi & abjectione animi.

Object. Atenim, quæ eſt illa felicitas, cùm ſimus deſtinati ad mactationem Rom. 8. 36. & in nobis quoque verum illud Pſal. 49. 15. mittimur in ſepulchrum ut oves. *Reſp.* Mactamur, non ut vitâ privemur, ſed ut à ſordibus purgemur & vivamus ſine miſeria. Vivere cum peccatis & miſeriis pejus eſt, quàm mortuum eſſe. Itaque ſemel in mortem conjicimur, ut impoſterum ſemper ſine peccato & miſeria vivamus, utque à ſordibus purgati, poſſimus intrare in locum, in quem nil impurum intrabit, utque Deo ſimus vivum ſacrificium gratitudinis, quo ſe in æternum delectet. Non eſt igitur, quod ab hac mactatione temporalis mortis extimeſcamus, aut propter illam carere cupiamus communione cum Chriſto & ejus grege & Eccleſia.

Atenim qui ſcire poſſum, me eſſe de grege & Eccleſia Chriſti, ut ſciam me adeò felicem eſſe? *Reſp.* Signa ſunt in textu, videlicet in voce Eccleſia ſeu evocatio. Scis te ovem Chriſti eſſe:

1. Si vocem Chriſti audias. Hoc faciunt omnes oves, quæ ſunt de grege Chriſti. Iohan. 10. 27. Chriſtus vocat. Qui oves ſunt, audiunt, qui non ſunt, non audiunt. Iohan. 8. 47. Quid eſt audire vocem Chriſti? *Reſp.* Tria includit:

1. Delectari auditu vocis Chriſti. Hic clarus character. Qui non eſt ovis, nihil gravius & ingratius, quàm lectio

 Scripturæ

Digitized by Google

Scripturæ & auditio concionum. Spectare comœdias, garrire inter pocula, legere hiſtorias profanas, vel libros vanitatis ſumma delectatio, ſed legere Scripturam & audire conciones graviſſimum. vid. Pſal. 1. 2.

b. Diſcernere & noſſe vocem Chriſti Ioh. 10. 4. Qui non novit inter vocem Chriſti & vocem anti-Chriſti diſcernere, non eſt ovis Chriſti. Qui eam doctrinam, illumq; ſermonem habet pro Chriſti voce, quæ idololatriam docet, quæ plenitudinem ſatisfactionis Chriſti abnegat, quæ alios præter Chriſtum mediatores oſtendit, quæ fiduciam in Chriſti merita vetat, quæ propria merita & proprii arbitrii vires extollit, qui tali, inquam, doctrinæ fidem adhibet, eamque pro voce Chriſti habet, non eſt ovis Chriſti, quia non novit, neque diſcernit Chriſtum loquentem ab anti-Chriſto.

c. Obedire voci Chriſti & vocationem ejus ſequi Ioh. 10. 4. Cùm Chriſtus ait, fac hoc, vel omitte hoc, & tu non ſtatim atque promptè facis ac omittis, ſaltem facere & omittere conaris, non es ovis Chriſti, quia non auſcultas voci ejus. Imò, ſicut vides in ovibus, quòd Paſtorem ſequantur per montes & valles, etiam foſſas tranſilientem, ita qui pii ſunt, ſequuntur Chriſti mandata, etiam cum montes & foſſæ oppoſitionum tranſiliendæ ſunt.

2. Si ſis evocatus & ſegregatus ex cætero mundo. Populus Dei eſt evocatus ex mundo, & ex conformitate morum mundanorum exit. Quod ſi tu in omnibus mundo cupis eſſe conformis, ſi Chriſto vocanti negas obedientiam, & mundi exemplis ac hortationibus te reddis conformem, nec polles fortitudine quicquam recuſandi mundo, quâ, quæſo, conſcientiâ, aut quô fundamento imaginari tibi potes, quòd ad Eccleſiam Chriſti pertineas? vide Rom. 6. 16. Ne ſitis adeò faciles in imaginanda felicitate. Magna & gloriatione digniſſima felicitas eſt, pertinere ad gregem & Eccleſiam Dei ac Chriſti. Sed an tu ſis, id verò non imaginatione, ſed probatione tui ipſius ſciendum eſt, in qua ſi non ſis ſedulus & ſerius, facilè te ipſum falles, & gloriaberis in umbra.

IV. Vult, ita attendant gregi & Eccleſiæ, ut eam paſcant. Paſcere gregem, eſt proprium miniſtrorum Euangelii. Vocantur quidem etiam Magiſtratus Paſtores populi, tùm apud profanos, tùm in ſacris Pſal. 78. 71. 72. Verùm non ideò, quia paſcua ipſis præbent unde vivant, ſed ideò, quia gladio ipſos contra hoſtes defendunt ut tutò & ſine metu poſſint vivere in terra, quam Deus ipſis dedit. Verùm miniſtri Euangelii propriè dicuntur paſcere, quia præbent illud pabulum animarum, unde vivant in æternum, videlicet vivificum Dei verbum. Vide Ier. 23. 4. Ioh. 21. 15. Eph. 4. 11. 1 Petr. 5. 2. Quomodo paſcunt miniſtri Eccleſiam?

Reſp. 1. Docendo, dum ſanam doctrinam, à venenato lolio purgatam, ſuppeditant, per quam oves Chriſti regenerantur, ſanctificantur, reficiuntur & revocantur ab erroribus & periculis.

2. Ducen-

2. Ducendo, ſicut paſtor oves antecedit & oves paſtoris greſſus ſequuntur & imitantur, ita noſtrum eſt exemplo præire, & gregi typum eſſe, 1 Pet. 5. v. 3. Incedendum nobis eâ ipsâ viâ quam volumus calcare oves.

3. Regendo. Sicut enim paſtor ovium non tantum antecedit; ſed & pedum habet quo pellit oves, cum antecedentem non rectè ſequuntur: ita miniſtris datum eſt pedum diſciplinæ. Non gladium habent quo perdant, ſed tantùm pedum, quo pellant. Apoc. 2. v. 27. Non vi coactiva armati ſunt, ſed tantùm diſciplinâ & poteſtate commotivâ, quæ in conſcientiam operetur & cor frangat, plus quàm gladius anceps.

Obj. Atqui Chriſtus Paſtor. *Respond.* Chriſtus Archi-paſtor. 1 Petr. v. 4. Nos paſcimus Chriſti mandato, virtute, pabulo. Chriſtus igitur & miniſtri non ſunt opponendi, ſed ſubordinandi. Non eſt dicendum: Chriſtus eſt meus Paſtor, ergò nolo paſci ab hominibus. Noli contemnere media & inſtrumenta, per quæ Chriſtus paſcit. Quàm lætarentur inter Pontificios multi, ſi liceret ita paſci, ut vos paſcimini. Illi paſcuntur ſtultis ceremoniis, vos lætô ac vivificô pabulô verbi. Vobis igitur dictum illud Pſal. 95. v. 7. 8. Ne ægrè feramus, tam leniter duci. Oves enim non benè ducuntur magnâ vi. Habet Deus lupos hæreticos, canes Diabolos, per quos vos coërcere poteſt, ſed, ſi ſapitis, obedite verbis, exemplo, diſciplinæ veſtrorum paſtorum. Jam multi paſtores ſunt. Sed olim erit μία ποίμνη εἷς ποιμὴν Joh. 10. 16.

Actor. 20. *v.* 28.

Conc. CCXXVIII.

Vidimus exhortationem ipſam. Accedamus nunc ad argumentum quibus ſuadetur. Primum horum ſumitur à dignitate vocationis eorum quos hortatur: Nam Spiritus S. vos conſtituit Epiſcopos ſuper illum gregem.

Spiritus S. conſtituit. Refert vocationem eorum ad ipſum Deum, & dicit presbyteros Epheſinos divinitùs inſtitutos eſſe ſuper Eccleſiam Epheſinam. Ex hoc loco probamus, SS. miniſterium Eccleſiaſticum eſſe vocationem & officium à Deo inſtitutum, & certis hominibus commiſſum, non autem, ut Sociniani & Anabaptiſtæ volunt, opus charitatis omnibus licitum, qui volunt, etſi modò divinitus inſtituto non vocentur. Propriam ajunt electionem, vel humanæ auctoritatis ordinationem ſufficere, ut quis ſit miniſter; non autem divinam vocationem requiri. Omnes vocationes & profeſſiones artium, opificiorum & officiorum in humana vita, quæ quiſque ſibi pro arbitrio eligit, aut ad quas per homines promovetur, habendæ ſunt pro vocationibus divinis, in quibus ex Dei mandato diligenter laborandum eſt, & in quibus benedictio Dei expectanda, ſi modò ad commoda humanæ vitæ neceſſariæ, & Scripturæ præceptis non contrariæ ſint. Sed tamen non omnes nominetenus à Deo in Scriptura ſunt inſtitutæ, tanquam inſtrumenta Dei in gubernandis hominibus, nec certis hominibus à

Digitized by Google

Deo demandatæ. Duo tantùm profeſſiones & functiones nominetenus in Scriptura inſtitutæ ſunt. Non approbatæ tantùm, ſed inſtitutæ, ſanctificatæ, & divinæ auctoritatis imagine donatæ. Quænam illæ?

1. Functio magiſtratus & publicorum poteſtatum. Hæ à Deo ſunt, ſunt ſervi Dei, gerunt imaginem Dei, & ſunt inſtrumenta, per quæ Deus genus humanum gubernat, ut patet ex Rom. 13. 1. 4. Pſal. 82. 6. 2 Chron. 19. 6. Vocatur quidem hæc functio ἀνθρωπίνη κτίσις 1 Petr. 2. 13.

Sed inde non ſequitur, quod non ſit divina ordinatio. Vocatur enim humana, non quia ab hominibus ſine Deo eſt excogitata, ſed quia à Deo in bonum humani generis eſt inſtituta, & quia vocatio perſonarum, functionem iſtam gerentium, fit mediante hominum electione atque conſenſu.

2. Functio miniſterii Eccleſiaſtici, tùm quatenus in docenda, tùm quatenùs in regenda Eccleſia conſiſtit. Hanc enim eſſe peculiarem functionem, divinitus inſtitutam, & certis quibuſdam perſonis divinâ vocatione mandatam atque commiſſam, per quam Deus regit Eccleſiam, non autem commune opus charitatis, omnibus Eccleſiæ membris conceſſum, quæ facultatem aliquam habent, & quod cuilibet liceat, ex proprio arbitrio & judicio capeſſere ſine Dei miſſione & Eccleſiæ conſenſu, clarum eſt in Scriptura. Jer. 23. 1. 2 Chron. 26. 16. 1 Sam. 13. 9. ut quidam putant Matth. 9. 38. Hebr. 5. 4. Actor. 13. 2. Rom. 1. 1. 1 Cor. 1. 1. Gal. 1. 15.

Atqui ajunt Sociniani & Mennonitæ, hæc quidem loca probant Prophetarum & Apoſtolorum vocationem eſſe divinam, ſed ab his non licet concludere ad paſtores & rectores Eccleſiæ ordinarios. *Reſpond.* Atqui hoc loco expreſſè illi dicuntur à Spiritu ſancto conſtituti, qui non erant Apoſtoli, nec Euangeliſtæ, ſed ordinarii paſtores & rectores Eccleſiæ Epheſinæ. Sic 1 Cor. 3. 5. 9. 10. 11. De Apollo & aliis verbi præconibus id dicitur, quòd de Apoſtolis, ſcilicet quod ſint miniſtri Dei, per quos Eccleſia credit, cooperatores Dei, ædificatores Dei. *Sic* Epheſ. 4. 11. expreſſè dicitur, quod ordinarii doctores & paſtores æquè à Chriſto conſtituti ſint ac extraordinarii Apoſtoli, Euangeliſtæ & Prophetæ. Sic 1 Cor. 12. 28. 29. 30. ubi doctores ab Apoſtolis diſtincti, dicuntur à Deo conſtituti.

Inſtant: Hoc quidem facilè conceditur de iis, qui ab Apoſtolis vocati ſunt, & in vocatione ſua acceperunt viſibiliter & miraculoſè dona Spiritus S. Etſi enim hi neque ab hominibus neque per homines vocati non ſunt ſicut Apoſtoli Gal. 1. 1. Tamen & ab ipſis Apoſtolis fuerunt vocati ac ordinati, & vocatio eorum obſignata fuit per viſibilem collationem donorum Spiritus S. Atqui cum his nihil commune habent hodierni paſtores, qui nec ab Apoſtolis vocati ſunt, nec dona Spiritus S. acceperunt viſibiliter, ſed, quidquid habent, per artes & ſtudia acquiſiverunt. Hi igitur non poſſunt judicari divinitus vocati, ſed tantùm humanâ ordinatione conſtituti. *Reſpond.*

1. Atqui

Digitized by Google

1. Atqui inſtitutio paſtorum & doctorum in Eccleſia illa, de qua agitur Epheſ. 4. 11. 1 Cor. 28. 29. Non eſt ad Apoſtolorum tempora reſtricta, ſed ſeſe extendit uſque ad finem mundi.

2. Etſi non ſunt ipſorum Apoſtolorum ore & manu vocati & conſtituti, ſunt tamen Apoſtolorum mandato & juſſu vocati & ordinati. Sicut enim Apoſtoli ipſi per χειροτονίαν populi χειροθεσίαν presbyterii Eccleſiis conſtituerunt paſtores & rectores Actor. 14. 23. & 1 Tim. 4. 14. 2 Tim. 1. 6. Ita mandârunt, ut illi, qui à ſe erant per Eccleſiam vocati ac ordinati, eodem modo iterum alios vocarent & ordinarent. Vide Tit. 1. 5. 2 Tim. 2. 2. 1 Tim. 5. v. 22.

Et hæc illa ſucceſſio, quæ nunquam interrupta fuit. Semper enim inde à tempore Apoſtolorum fuerunt legitimè vocati ac ordinati miniſtri, qui viciſſim alios legitimè vocârunt & ordinârunt cum conſenſu Eccleſiæ, eâ poteſtate, quam ab anteceſſoribus acceperunt: Etſi n. in Papatu hæc propagatio miniſterii multa vitia paſſa eſt, tamen non eſt penitus interrupta. Nam etiam in medio Papatu, virtute mandati Apoſtolici, vocati & ordinati ſunt miniſtri ad docendum verbum Dei, etſi vocatio illa multa vitia habuit.

3. Ideò etiam Chriſtus miniſterio à ſe inſtituto benedixit, illudque proprio ſuo ore approbavit uſque ad finem mundi. Matth. 26. 13. & 28. v. 20. Hìc non ſolis Apoſtolis, ſed omnibus eorum ſucceſſoribus benedicit.

Objectio. Atqui Apoſtoli non habent ſucceſſores. Sunt enim extraordinarii miniſtri, quorum officium tantum ad tempus duravit. *Reſpond.* In Apoſtolis duo conſideranda: 1. Opus. Hoc commune habent cum omnibus. Ideò ſibi ſubſtituerunt alios, ut opus prædicationis & adminiſtrationis Sacramentorum ac diſciplinæ nunquam ceſſaret. Vide quod de Timotheo dicitur 1 Cor. 16. 10. & de Apollo 1 Cor. 3. 5. 8. 9. Ideò hoc loco ordinarii miniſtri dicuntur paſcere, ſicut Apoſtoli Joh. 21. 15. 16. 17. Sic Petrus ſe collegam vocat ordinariorum presbyterorum. 1 Pet. 5. 1. Habent igitur in opere ipſo ſucceſſores. 2. Modus operis. Is extraordinarius & temporarius eſt, in quo non datur ſucceſſio, ſcil. quod immediatè à Deo vocati miraculoſè dotati, extra periculum erroris conſtituti, in totum mundum miſſi, & omnibus Eccleſiis docendis ac gubernandis præfecti fuerunt. Hac in re non habent ſucceſſores, quia hoc extra ordinem fuit, & caret ſucceſſione. Ordinarii enim miniſtri vocantur per Eccleſiam, acquirunt ſua dona per ſtudia, carent revelationibus ex cœlo, Scripturæ dictamini adſtricti ſunt, erroribus, ſi inde diſcedant, ſubjecti, & ſunt uni alicui particulari Eccleſiæ docendæ ac regendæ præfecti. Nugatur igitur Papa, dum ſe Petri Apoſtoli ſucceſſorem jactitat. Nugantur quoque, qui in ordinariis miniſtris miracula & miraculoſa dona requirunt. Nam, quod extraordinarium eſt, in ordinariis functionibus non invenitur, ſicut etiam in V. T. ordinarii ſacerdotes & Levitæ illis caruerunt, & per ſcholaſticas inſtitutiones ad officium ſuum adaptati ac inſtructi fuerunt in ſcholis Propheta-

Digitized by Google

rum. Firmum igitur eſt & certum, quòd etiam ordinarii Eccleſiæ miniſtri hodieque ab ipſo Spiritu S. Eccleſiis ſint præfecti.

Obj. Atqui in vocationibus Eccleſiaſticis multa ſæpè vitia committuntur, & tùm ex partè vocati, tùm ex parte vocantium aliquando paſſiones & artes illicitæ irreptant. Quomodo igitur iſtæ vocationes poſſunt eſſe à Spiritu ſancto. *Reſpond.* Iſta vitia committuntur ex parte hominum, non ex parte Spiritûs ſancti. Cùm autem homines & Deus idem opus faciunt, id opus ex parte Dei poteſt eſſe legitimum & ſanctum, cùm tamen ex parte hominum multis ſit inquinatum vitiis. Quid non ſæpè contingit in conciliandis matrimoniis? Et tamen quis neget matrimonia à Deo eſſe? Vitanda ſunt iſta vitia, tum ex parte vocati, tùm ex parte vocantium. Attamen cum operi divinitus inſtituto ac mandato ſeſe immiſcet aliquid humanum, id opus Dei non deſtruit. Serviat hæc doctrina:

1. Refutandis anabaptiſtis & eorum ſociis, qui ad conculcandam SS. miniſterii auctoritatem, negant vocationem eorum eſſe divinam. Omnibus, ajunt, licitum eſt publicam Eccleſiæ inſtitutionem capeſſere, etſi ordinis causâ conducit, ut certæ aliquæ perſonæ conſtituantur ab hominibus, quorum id ſit peculiaris & quotidiana profeſſio. Sicut, qui oculis læſi ſunt, ſemper laborant extinguere candelam: Ita hi homines gangrænâ impuræ doctrinæ infecti, non poſſunt ferre candelam in candelabro, ſed ſubter modio volunt abſconditam. Matth. 5. 15. Sicut functionem magiſtratûs vellent abolitam, ut ſcelera eorum eſſent impunia, ita lucem miniſterii oderunt, quia opera ipſorum mala ſunt. Quid igitur facient huic textui, qui tàm expreſſè etiam ordinariis presbyteris indicat, quod à Spiritu S. ſuper Eccleſiam conſtituti ſint?

2. Animandis miniſtris contra difficultates, quæ hoc opus facientibus occurrunt. Sciant ſe facere opus Spiritus S. idem opus cum Apoſtolis, & ſibi poſſe applicare promiſſiones Apoſtolis factas. Matth. 28. ult. Joh. 16. 13. Matth. 10. 19. 20.

Non quidem eôdem modô & eâdem menſurâ accipiunt gratiam Spiritus ac Apoſtoli, ſed tamen accipiunt quantum opus eſt ad ædificandam Eccleſiam ſibi commiſſam, ad ſervandum bonam conſcientiam, & ad conſequendam coronam.

3. Adhortandis auditoribus, ut nos reſpiciant tanquam illos, qui ſibi à Spiritu S. præfecti ſunt. Licet nobis uti adhortatione Pauli, quæ eſt 1 Cor. 4. 1. Qui noſtrum miniſterium, quamdiu illo ſecundum inſtructionem S. Scripturæ ritè defungimur, rejiciunt, eum rejiciunt, qui nos ſuper illos conſtituit. Licet vobis ingerere adhortationes Pauli Hebr. 13. 17. 1 Theſſ. 5. v. 12. 13. 1 Tim. 5. 17. Non commendamus nos vobis propter nos, ſed propter noſtrum opus, quô vos indigetis, ne pereatis. Non ex amore noſtri, ſed ex amore veſtri.

Obj. Quid opus habemus, ut aliquis nobis à Spiritu S. præficiatur, vel ſuper nos conſtituatur? Pugnat hoc

contra

Digitized by Google

contra libertatem Chriſtianam. Non ſumus infantes, ut in V. T. Gal. 4 2.3. Non ſumus ſub tutoribus. *Reſpond.* Non amplius ſumus ſub onere ceremoniarum, moleſtiarum & ſumptuum, quô ſacerdotium Leviticum gravabat fideles V. T. & quô etiamnum ſacerdotium Papiſticum gravat ſuos ſubjectos & ſua mancipia. Sed ſumus tamen ſub cura paſtorum; quos Spiritus S. nobis præfecit. Hi non dominantur noſtræ fidei, ſed ſunt adjutores noſtræ fidei. 2 Cor. 1. 24. 1 Petr. 5. 3. Quamdiu in imperfectione ſumus, in ignorantia, erroribus, periculis ſeductionum, infirmitatibus, adjutoribus, ducibus, paſtoribus opus habemus. Et his ſecundum Spiritus S. præſcriptum obedire, non eſt libertati Chriſtianæ contrarium. Aliud enim eſt libertas, aliud licentia, & libertinismus. Qui inſtitutionibus Chriſti in terris non vult ſubeſſe, nunquam cum Chriſto regnabit in cœlis.

II. Sed cur vocatio miniſtrorum Spiritui S. ſpeciatim tribuitur? Nonne ſumus miniſtri Chriſti? *Reſpond.* Idem fit Actor. 13. 2. Vide quæ in hunc locum diximus. Spiritus S. eſt vicarius Chriſti in terris, qui Chriſti nomine Eccleſiam docet & regit Joh. 16. 13. 14. Et ex hac poteſtate vicariatus Eccleſiæ miniſtros vocat, dotat, mittit, præficit; planè id quod blaſphemus Papa Romanus ſibi cupit adſcriptum. Chriſtus Rex Eccleſiæ, Spiritus S. vicarius hujus Regis, paſtores ſervi, viſibilia ac audibilia inſtrumenta hujus vicarii. Eſt argumentum, quô & perſonalitas & divinitas Spiritus S. lucidè demonſtratur.

III. Denique ii, qui v. 17. vocantur presbyteri vel ſeniores Eccleſiæ hic vocantur Epiſcopi. Ex hoc loco palam eſt, quòd ſecundum uſum Scripturæ omnes presbyteri ſint Epiſcopi, & quod vox Epiſcopus non ſignificet aliquem cæteris miniſtris poteſtate & juriſdictione ſuperiorem. Non aliquem, qui præeſt cæteris miniſtris; ſed aliquem, qui cum cæteris miniſtris præeſt Eccleſiæ. Sic Phil. 1. 1. Dicitur quòd una Eccleſia Philippenſis habeat plures Epiſcopos, & non niſi Epiſcopos & diaconos. Sic 1 Tim. 3. v. 1. ad 8. Paulus primò deſcribit, quas qualitates debeat habere Epiſcopus, deindè à verſ. 8. ad 14. deſcribit, quas qualitates debeat habere diaconus, & quidem Epiſcopis non alias adſcribit qualitates, quàm quas omnes presbyteri habere tenentur. Neſcit igitur Paulus diſcrimen inter Epiſcopos & presbyteros. Compara etiam Tit. 1. v. 5. cum v. 7. ubi perinde apparet, quod presbyter & Epiſcopus ſit idem. Sic 1 Petr. 5. 1. 2. Presbyteri dicuntur ἐπισκοπεῖν. Epiſcopus igitur ſecundum Scripturam non eſt inanis prælatus & ſupereminens, ſed ſollicitus & laborioſus ſuperintendens, (niet een proncker / maer een ſorger / niet een pronckenden uytſteecker / maer een ſorghvuldigen achtnemer op de Gemeynte. Pompoſum enim illud dominium, quod Epiſcopi iſti ſibi tribuunt, omnibus paſtoribus interdicitur. Matth. 20. 25. 26. 1 Petr. 5. 3. Ideoque concidit ſuâ ſponte Papiſtarum criminatio, quod, qui à ſimplici presbytero ordinatus eſt, non ſit ab Epiſcopo ordinatus, adeoque non ſit

Digitized by Google

ſit legitimè ordinatus. Epiſcopus enim & presbyter ſecundum Scripturam idem ſunt. Excogitatum eſt hoc commentum ob duas cauſas: 1. Ad retinendos pingues prælatorum reditus. Si n. officium cadit, cadunt quoque reditus. 2. Ad criminandam noſtram Eccleſiam. Sic enim argumentantur: Ubi non eſt legitima ordinatio, ibi non ſunt legitimi miniſtri, ubi hi non ſunt, ibi non ſunt legitima ſacramenta, ubi hæc non ſunt, ibi non eſt vera Eccleſia. Atqui ubi non ſunt Epiſcopi, ibi non eſt legitima ordinatio. Ergo. Si de Epiſcopis à presbyteris diſtinctis ſermo ſit, negatur major. Sat enim conſpicuum eſt ex ſuperioribus, quod Scriptura tales Epiſcopos ignoret. Laus Deo, quod contra hunc laqueum venatoris, quô tot rudes conſcientiæ illaqueatæ ſunt, tàm abundanter nobis Scriptura proſpexit in locis ſuprà citatis.

Actor, 20. v. 28.

Conc. CCXXIX.

Omnibus ſani judicii hominibus, ſive Chriſtiani ſint, ſive ethnici, Turcæ, Judæi, hæretici, notum eſt, quòd ſine bonis operibus & ſanctitate vitæ nemo poteſt ad ſalutem Dei pervenire. Eſt enim luce naturæ cognitum, eſt; non ſcripta, ſed nata lex, quòd, quicunque cupit venire ad Deum, debeat credere Deum eſſe, & eſſe remuneratorem iis, qui ipſum quærunt. Hebr. 11. 6. Soli athei, qui non credunt Deum eſſe, & Anabaptiſtici quidam excœcati libertini, qui putant, Chriſtum ſuâ morte acquiſiviſſe licentiam vivendi ut lubet, ſunt illi, qui hanc legem ignorare volunt. Qui verò ſani judicii ſunt, & rationis naturalis compotes, omnes ſciunt, quod ſine ſanctitate nemo videbit Deum. Tantò iniquius eſt, Papiſtas Euangelicos calumniari, quod ſine bonis operibus ſperent ſe ſalvatum iri, per fidem ſolam & à ſanctitate ſeparatam. Non ſumus pejores ethnicis, novimus æquè ac Pontificii, ſine bonis operibus neminem poſſe ſalvari, noſtris æquè ac Jeſuitæ docemus, curare, ut bonis operibus præſint, & ipsâ praxi melius per Dei gratiam oſtendimus; quàm ulli Papiſtæ, quòd non ſperemus nos poſſe ſalvari ſine bonis operibus. Hoc autem eſt, in quo Pontificiis contradicimus, hominem peccatorem, in peccatis natum & conceptum, ex ſe & ſuis viribus poſſe bona opera facere, iiſque pro peccatis ſuis ſatisfacere coram Deo ſe juſtum reddere, æternam vitam mereri, & ſuis vel aliorum hominum meritis Deo placere. Qui n. cum hac intentione bona opera facit, is fidem ſuam in bonis operibus collocat, non credit in Chriſtum, & ejus ſatisfactionem ac merita, ſed abnegat illa, cupit juſtificari per legem, & ſic à gratia excidit, & Chriſtus ipſi inutilis factus eſt, quia conculcat & impurum ducit ſanguinem N. T. per quem erat ſanctificatus & acquiſitus. Atque hæc eſt præcipua materia, quam docemur in hoc prælecto textu, & ſine cujus cognitione nemo Chriſtianus eſt ab ethnico & Turca diſtinctus. Deus Eccleſiam acqui-

Digitized by Google

acquiſivit ſuo ſanguine. Non dicit: Eccleſia ſeipſam acquirit, & ſervat ſuis operibus, ſed dicit: Deus Eccleſiam acquiſivit ſuo ſanguine.

Eſt in his verbis ſecundum argumentum, quo Apoſtolus presbyteros Epheſinos movet ad attendendum gregi & Eccleſiæ. Sitis diligentes in paſcenda Eccleſia Dei. Nam Deus Eccleſiam proprio ſanguine acquiſivit. Eſt validum argumentum. *Ne offendas fratrem, pro quo Chriſtus mortuus eſt*, inquit Paulus Rom. 14. v. 15. 1 Cor. 8. 11. Sic hîc: Ne per negligentiam veſtram perdite Eccleſiam, quam Deus proprio ſanguine redemit. Quod Deus tàm precioſè ſibi acquiſivit non debemus perdere ſive per offendicula, ſive per negligentiam. Etſi enim opus Dei deſtruere non poſſumus, & Deum à fine ſuo dimovere, tamen facere poſſumus talia, quæ ſuâ naturâ apta ſunt ad Eccleſiam perdendam, niſi Deus ſuâ curâ noſtram incuriam ſuperet & vincat, & cùm Deus ſuâ cura noſtram incuriam vincit, ne Eccleſiam perdat, hoc non liberat nos à culpa incuriæ. Diſcant igitur hinc miniſtri verbi, quantoperè ſint obligati ad cavendam negligentiam in officio. Habes autem in hoc textu.

1. Perſonam, de qua ſermo eſt. Deus.

2. Rem, quæ iſti perſonæ adſcribitur: habet proprium ſanguinem.

3. Actionem, quæ huic perſonæ tribuitur: proprio ſanguine acquiſivit Eccleſiam Dei.

I. De perſona extra dubium eſt, quòd Deus dicatur propriò ſanguine redemiſſe Eccleſiam: paſcite Eccleſiam Dei, quam acquiſivit proprio ſanguine. Nomen Dei in Scriptura dupliciter ſumitur: οὐσιωδῶς pro tota Trinitate Joh. 4. 24. vel ὑποστατικῶς pro una Trinitatis perſona. Et ſic hîc pro ſolo Filio, ut 1 Tim. 3. v. 16. Ille n. hic appellatur Deus, *qui carnis & ſanguinis eſt factus particeps*. Hebr. 2. 14. *qui caro factus eſt*. Joh. 1. verſ. 14. *qui carnem & oſſa habet* Luc. 24. v. 39. At ſolus Jeſus Chriſtus Salvator noſter habet carnem, oſſa & ſanguinem. Ergò ille vocatur Deus. Eſt igitur hic firmum argumentum, pro Deitate Chriſti. Sociniani excipiunt: 1. Syrus interpres pro Eccleſiam Dei legit Eccleſiam Chriſti. *Reſpond.* Authenticum præferendum tranſlationi. 2. Poſſe intelligi de Deo Patre. *Reſpond.* Non poteſt. Is enim non aſſumſit carnem & ſanguinem, ſed Filius. *Is habet proprium ſanguinem* Hebr. 9. 11. 12. 14. 1 Petr. 1. 19. Apoc. 5. 9. 1 Johan. 1. v. 7. 3. Chriſti ſanguis poteſt dici Dei ſanguis, ſicut noſtra corpora & noſtri ſpiritus dicuntur Dei 1 Cor. 6. ult. *Reſpond.* Noſtra corpora dicuntur Dei corpora eſſe, non quia ſunt propria corpora Dei, aut animæ Dei, ſed quia Deus illa per ſanguinem filii ſui ſibi emit in peculium, id quod de ſanguine Chriſti dici non poteſt. Hunc enim Deus ſibi non emit. Proprietas poſſeſſionis non facit eam proprietatem, quâ caro & ſanguis alterius poſſit dici meus proprius e. g. Caro & ſanguis illius, qui heri ſervus eſt, non poteſt dici heri propria caro vel proprius ſanguis. Teneamus hoc argumentum Deitatis Chriſti. Fulcrum fidei eſt, ſcire, quis ſit in quem credidimus, & quod po-

Digitized by Google

tens ſit ſervandi id, quod apud ipſum depoſuimus 2 Tim. 1. v. 12. Fides nil aliud eſt, quàm ſequeſtratio, quâ corpus & animam, quum irâ Dei & periculis hoſtium appetitur, in cuſtodiam Chriſti deponimus & concredimus. Quod ſi ne ſcimus, quis ſit, & quam potens ſit is, cui corpus & animam concredimus, non poteſt non labaſcere fides. Sed hic tibi dicitur quis ſit: Eſt Deus. Et quis Deo quicquam diffidat? Jam dicere potes: Si Deus pro nobis, quis contra nos, ſi Deus ſalvificat, quis poteſt condemnare, ſi Deus ſervat, quis poteſt perdere?

II. Deo tribuitur ſanguis, & quidem proprius. Deo quatuor modis in Scriptura tribuitur caro & ſanguis:

1. Ἀνθρωποπαθῶς, cùm per membra humani corporis exprimuntur attributa vel proprietates Deitatis. Sic Deo adſcribuntur aures, oculi, cor, viſcera, dextra manus &c. quia ſcil. aliqua ſimilitudo eſt inter proprietates Deitatis & membra corporis humani. Sicut n. homo per dextram ſuam operatur, per aures & oculos cognoſcit, per viſcera miſeretur: Ita in Deo quoque eſt potentia operandi & cognoſcendi, amor miſerandi.

2. Myſticè ſc. ſpiritualiter. Sic corpora noſtra Dei corpora, ſpiritus noſtri, Dei Spiritus 1 Cor. 6. ult. Sic Eccleſia dicitur *corpus Chriſti*, & *ſupplementum ejus, quid implet omnia in omnibus* Eph. 1. ult. & membra Eccleſiæ vocantur Chriſti membra. 1 Cor. 6. 15. & *Chriſti propria caro* Eph. 5. 29. *Pupillus oculi Dei* Zach. 2. 8. Quia eſt ſpiritualis quædam unio & communio inter Deum, Chriſtum ac fideles. Sicut propter ſingularem unionem & communionem, quæ eſt inter maritum & uxorem, parentes & liberos, illi omnes dicuntur eſſe una & mutua caro & ſanguis Eph. 5. verſ. 31. Geneſ. 29. 14. Ita propter ſingularem unionem & communionem cum Deo & Chriſto, Eccleſia & ejus membra ſunt caro & ſanguis Dei atque Chriſti.

3. Sacramentaliter. Sic panis cœnæ dicitur Chriſti caro, & vinum cœnæ dicitur Chriſti ſanguis Matth. 26. 26. 28. Idque propter ſacramentalem unionem, quæ eſt inter panem & carnem, vinum & ſanguinem, eamque partim analogicam, quia ſicut panis & vinum ſunt inſtrumenta corporalis nutritionis: ita caro & ſanguis Chriſti eſt medium ſpiritualis conſervationis in vita ſpirituali. Partim relativam, quia eſt ſigillum & pignus communionis cum corpore & ſanguine.

4. Perſonaliter, quia Chriſtus caro factus eſt, in carne manifeſtatus eſt, carnem aſſumſit, carnem & oſſa habet, carnis & ſanguinis particeps factus eſt, ſcil. per veram & naturalem nativitatem ex Maria virgine, mediante operatione Spiritus S. Phil. 2. Joh. 1. Luc. 24. Hebr. 2. 1 Tim. 3.

Sed quare illa caro & ille ſanguis, quem Filius Dei ex Maria aſſumſit, vocatur Dei proprius ſanguis & propria caro? Mariæ proprium eſſe conſtat, quia eſt ex ejus ſanguine factus? ſed quare Dei proprius? *Reſpond.* Quia non eſt perſona in ſe & per ſe ſubſiſtens, ſed ſecundæ perſonæ Deitatis inſita & perſonaliter cum Deo unita eſt. Sicut ſurculus

Digitized by Google

culus in arborem inſitus fit arboris proprius ramus & proprium lignum. Sicut corpus animæ inſitum ac unitum fit proprium corpus animæ, ſicut manus corpori inſita eſt propria corporis caro: Ita humana natura ex carne Mariæ aſſumpta ita inſeritur & unitur divinæ naturæ Chriſti, ut ſit Deitatis propria caro. Fideles ſunt caro Chriſti, quia per fidem & amorem ipſi adhærent & agglutinati ſunt, ipſamque amplectuntur: Sed humana natura ex Maria aſſumpta longè arctiori unione Chriſto inſeritur, & perindè longè alio modo Chriſti propria caro eſt. Sicut de uxore, fratribus & liberis meis dicere poſſum, vos eſtis caro & ſanguis meus, & tamen longè alio modo id dicere poſſum de proprio corpore: Ita alio modo humana Chriſti natura eſt Dei caro; alio modo fideles ſunt Dei caro & ſanguis. Hæc arcta unio inter carnem & Deitatem neceſſaria erat, ut nos redimi poſſemus. Non enim poteramus redimi, niſi ipſe Deus pro nobis pateretur & moreretur. Nuda enim creatura non poterat juſtitiæ Dei pro nobis ſatisfacere. At Deus in ſeipſo eſt ἀπαθὴς & ἀθάνατος. Debuit igitur humanam naturam tàm arctè ſibi unire, ut propriam carnem pro nobis in mortem dare poſſet. Verùm hìc quæritur: Cùm hìc proprium humanæ naturæ, ſcilicet ſanguis, tribuatur Deo ſeu divinæ naturæ, annon inde ſequatur, quòd communicatio idiomatum in eo conſiſtat, ut propria unius naturæ tribuantur alteri. e. g. Sicut hìc de Deitate dicitur, quòd habeat ſanguinem, ita de humanitate dici poſſit, quòd ſit omniſcia, omnipotens & habeat alias proprietates divinæ naturæ? *Reſpond.* Hic locus propriè non agit de communione idiomatum, ſed de unione naturarum, ex quâ communio idiomatum fluit. Sanguis enim non eſt proprietas humanæ naturæ, ſed pars illius, & hic denotat totam humanam naturam, quem Chriſtus pro nobis in mortem tradidit. Etſi igitur una natura tribuitur alteri, quòd ei inſita eſt, inde non ſequitur, quod, ſicut humanitas ipſi Deitati unita & ejus propria caro facta eſt, ita omnes proprietates humanæ naturæ in divinam naturam ſint transfuſæ vel contra, non magis, quàm quòd altera natura in alteram mutata ſit. 2. Si omnino contendas ſanguinem eſſe proprietatem humanæ naturæ, tùm dicimus, quòd iſta proprietas tribuatur non Deitati, ſed perſonæ à divina naturâ denominatæ. In eo enim conſiſtit communicatio idiomatum, quòd proprietates unius naturæ tribuuntur perſonæ ab altera natura denominatæ. *e.* g. Deus habet ſanguinem, Deus mortuus eſt, occiſus eſt, ludificatus, paſſus eſt, i. e. perſona, quæ Deus eſt, in carne ſuâ ſanguinem habet, mortuus, occiſus, paſſus, ludificatus eſt. Viciſſim. Homo Chriſtus eſt Dominus gloriæ, immortalis, omnipotens, omniſcius eſt; i. e. illa perſona, quæ homo eſt, ſecundum Deitatem ſuam eſt Dominus gloriæ, immortalis, &c. Hæc eſt vera communicatio idiomatum, non quòd proprietates unius naturæ transfuſæ ſint in alteram naturam. Naturæ enim in ipſa unione manſerunt diſtinctæ, & quælibet ſuas retinuit proprietates, ſed

Digitized by Google

in eo, quod propter unionem naturarum utriuſque naturæ proprietates tribuuntur perſonæ ab utravis natura denominatæ. Quoniam enim Chriſtus & Deus & homo eſt, ideò natura humana & divina ipſi poſſunt tribui, etiam humana tùm, cùm à Deitate denominatur, & viciſſim. Id quod nobis denuo magno ſolatio eſſe debet. Jam enim novimus Chriſtum eſſe talem perſonam, quæ ſine impedimento nos redimere potuit & ſervare poteſt. Si redimendi ſumus, fieri id debet, tum per potentiam, tum per humiliationem. Solâ potentiâ liberari non poteramus, quia eramus ſub juſtitia Dei, quem nullus potentior vincere poteſt. Si ſub ſolius Diaboli potentia fuiſſemus, per majorem potentiam liberari potuiſſemus, ſed quia ſub Deo eramus captivi, non per potentiam, ſed per ſubjectionem, quâ ſatisfieret juſtitiæ poſtulato, eramus liberandi. Viciſſim per ſolam paſſionem redimi non poteramus, ſed dignitas requirebatur, quâ paſſio unius perſonæ redderetur validum lytrum ad totum genus humanum liberandum. Chriſtus igitur carnis & ſanguinis factus eſt particeps, ut Deus in carne pati poſſet, & ut carnis paſſio ſufficiens pro nobis lytrum eſſet. Quod peccatis noſtris promeritum eſt, id omne præſtitum eſt. Et qui paſſus eſt, Deus eſt, cujus paſſio non poteſt non eſſe ſufficiens ad humanum genus redimendum. Hinc *Chriſtus eſt is, qui aperire poteſt, & nemo claudere* Apoc. 3. 7. *Occluſa erat miſericordia Dei per juſtitiam* Pſal. 77. 10. *Clauſus paradyſus per juſtitiam Dei* Gen. 3. 24. *Clauſa via ad cælum* Hebr. 9. v. 8. Chriſtus aperuit & eſt facta via & porta, quam ipſa Dei juſtitia claudere non poteſt. Eſt enim Deus & homo, qui & pati poteſt, & paſſioni ſuæ dare vim ac valorem reſerandi ipſam juſtitiam Dei. Jam nemo habet cauſam diffidendi, aut deſperandi. Qui diu in peccatis gravibus ſe volutârunt, in mortem & vitæ periculum conjecti, quærere ſolent, an etiam ſuperſit ſpes conſequendi veniam? Niſi pereat proprius ſanguis Dei, non poteſt intercludi ſpes veniæ. Una tantum eſt cauſa deſperandi, ſcil. nolle ſe convertere. Si hoc vis, ſive parva, ſive magna ſint tua peccata, non poteſt tibi intercludi acceſſus ad ſalutem. Sanguis Dei enim pro peccatoribus effuſus eſt via ad ſalutem, quæ nulli pœnitenti intercludi poteſt, ne per juſtitiam quidem Dei. Fac igitur tempeſtivè certum & manifeſtum, quòd ſis converſus, & non datur cauſa deſperandi.

III. Actio, vel opus quod Deo adſcribitur eſt, quod hoc ſuo proprio ſanguine acquiſivit Eccleſiam. *περιεποιήσατο*. Eſt vox generalis, & duo notat in Scriptura:

1. Opus Chriſti, quo dicitur nos & ſalutem noſtram acquiſiviſſe. Sic accipitur hoc loco, & 1 Petr. 2. 9. *λαὸς εἰς περιποίησιν*, i.e. populus à Deo electus, ut acquireretur per Chriſtum. Eph. 1. 14. *εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως*, i.e. ad plenam liberationem eorum, quos Chriſtus ſanguine ſuo acquiſivit.

2. Opus fidelium, quo ſibi dicuntur ſalutem acquirere & poſſeſſionem ejus adire. Sic accipitur 1 Theſſ. 5. 9. 1 Tim. 3. 13. Hebr. 10. 39.

Sed

Digitized by Google

Sed quare Chriſtus dicitur nos περιποιήσασθαι, acquiſiviſſe? *Reſpond.* propter duas cauſas:

1. Quia nos redemit & liberavit à ſervitute, cui ſuberamus. Sicut Abraham Lotum liberavit à captivitate Gen. 14. Ita Chriſtus nos liberavit ab ira ac maledictione Dei, à poteſtate Diaboli, à ſervitute peccati. Vide Gal. 3. 13. & 4. 5. Nec tantùm à maledictione & pœna, ſed etiam ab ipſo peccato 1 Petr. 1. 18. 19. Tit. 2. 14.

2. Quia nos ſibi acquiſivit in peculium, in quod ipſe paternè eſſet affectus, & à quo fideliter ſerviretur. Sicut David centum præputiis Philiſtæorum ſibi acquiſivit Michalem in uxorem 2 Sam. 13. 14. Sicut in bellis Romanis bellatores ex hoſtibus ſibi ſervos acquirebant, ita Chriſtus nos ſibi acquiſivit in domeſticos, quibus ille benefaceret, & à quibus coleretur. Vid. Tit. 2. v. 14. Luc. 1. 74. 75. Sic Chriſtus nos acquiſivit, liberando ſcilicet & appropriando, ut Deus nos amaret ut proprios filios, & nos Deum ut proprium patrem. Apoc. 5. 9.

Sed quare dicitur nos acquiſiviſſe ſuo ſanguine? *Reſpond. Quia ſanguinem ſuum dedit in pretium redemptionis pro nobis* Matth. 20. 28. Sanguis metonymicè ſumitur pro vita, quæ eſt in ſanguine, & quam per cruentam mortem pro nobis dedit in lytrum. Hoc igitur eſt, quod docet hæc vox, ſcilicet, quòd Chriſtus nos non aliter acquiſivit, quàm per cruentam mortem, vitam ſuam dando in lytrum. Hoc enim lytro juſtitiæ Dei pro peccatis ſatisfaciens nos liberos effecit ab ira & maledictione Dei, lege, & poteſtate Diaboli. Hoc item lytro meritus nobis eſt paternam Dei gratiam, adoptionem & ſimul ſpiritum adoptionis, quo nos à ſervitute peccati ſeparatos ſibi adaptat & adoptat in ſervos & filios filialiter ſervientes. Hujus ſatisfactionis & hujus meriti cauſâ effuſus eſt ſanguis Dei. Hæc ſunt duo ſignificata vocis περιποιήσασθαι, videlicet ſatisfactio & merita. Atque hæc eſt præcipua doctrina hujus textûs. Simul etiam primaria doctrina Euangelii, quam meritò latius contra Socinianos, eam negantes, probaremus & defenderemus, niſi in more nobis eſſet, doctrinas cathecheticas ex hoc Commentario ad locos communes remittere.

Una tantum quæſtio ſupereſt decidenda, videlicet: Cur hæc acquiſitio Eccleſiæ tribuatur ſoli ſanguini, i.e. morti Chriſti, cum tamen Eccleſia non minus acquiſita ſit, per præcedentes partes paſſionis, nec non per obedientiam præceptorum legis, ut eſt Rom. 5. verſ. 19. *Reſpondeo breviter*: Cruenta mors non excludit cæteras partes paſſionis & obedientiam legis ab hac acquiſitione, ſed ſola hoc loco & paſſim nominatur, quia eſt præcipua pars & colophon ejus lytri, per quod acquiſiti ſumus. Sine morte enim ſubſequuta cætera omnia fuiſſent fruſtranea, quia ante ſubſequutam mortem comminationi & poſtulato legis non foret ſatisfactum, quæ dixerat: *quocunque die peccaveris, moriendo morieris.* Et obedientia legis, & paſſiones ante mortem omninò pertinent inter ingredientia, ex quibus confectum eſt lytrum, quô acquiſiti ſumus; ſed niſi per mortem & ſanguinis effu-

Digitized by Google

effuſionem lytrum hoc eſſet perfectum & conſummatum, cætera initia nihil effeciſſent. Ex his diſcamus, quænam ſint beneficia, quæ per cruentam mortem filii Dei nobis acquiſita ſunt, videlicet libertas ab hoſtibus & proprietas in Deo, per quam Deus eſt factus noſter, & nos ejus. Cùm antehac per maledictionem divinæ juſtitiæ & legis eſſemus ſub poteſtate Diaboli & dominio peccati, nunc nec pœnam metuere, nec tentationibus peccati obedire neceſſe habemus. Cùm antehac à Deo eſſemus abalienati, & hoſtes illius, nunc à Deo amamur & Deum amamus, eique filiali reverentiâ, fiduciâ, amore & obedientia adhæremus, ut proprii filii proprio patri. Non quidem ita liberi, quin adhuc libertas ſit, quam expectamus, ut eſt Eph. 1. 14. Ubi ἡ περιποίησις dicitur exſpectare adhuc ἀπολύτρωσιν, Spiritus S. arrhabone obſignatam. Non ita Deo proprii & domeſtici ſumus, quin adhuc ſuperſit quædam peregrinatio à patria domo & hæreditate 2 Cor. 5. &c. attamen jus utriuſque & initia utriuſque beneficii habemus, dum hic ſumus. Et hoc ſervire debet:

1. Redarguendis iis, qui τῇ περιποιήσει ſeu acquiſitioni Chriſti diffidentes, aliorum ſatisfactiones & alia merita ſectantur, putantes, ſe poſſe ſeipſos redimere à peccatis & pœnarum pœnis in hac vel altera vita, vel aliorum meritis & ſatisfactionibus ac ſacrificiis poſſe redimi. Diximus ſuprà quàm hoc ſit periculoſum? Quàm neceſſarium eſt ad ſalutem bona opera facere & legi Dei obedire, tàm neceſſarium eſt ad ſalutem fiduciam non ponere in propriis operibus, nec merita & ſatisfactiones in iis quærere. Qui enim hoc facit, nec abnegat ſe, nec credit in Chriſtum, ſed abnegat Chriſtum, & credit in ſe Chriſtus eſt ſolus, unicus, & perfectus acquiſitor, qui Eccleſiam ſatisfactione & merito ſuo ſanguinis acquiſivit. Qui igitur ſuis & aliorum meritis ſe & ſalutem ſuam acquirere nititur, is abnegat merita & ſatisfactionem Chriſti, & non credit eſſe perfecta, is à gratia excidit, & non novit diſcrimen inter legem & Euangelium, nec differt ab ethnico.

Object. Chriſtus non omnia fecit, noſtrum etiam eſt facere aliquid. Chriſtus dicitur περιποιήσασθαι. Sed dicimur & nos. Si hæc vox ſignificat ſatisfactionem & meritum, tum & nobis ſatisfactio & merita competerent. Dicimur enim & nos περιποιήσασθαι. 1 Theſſ. 5. 9. 1 Tim. 3. 13. Hebr. 10. 39. *Reſp.* Non eſt novum eandem vocem habere diverſas ſignificationes cum diverſis perſonis adſcribitur. Cùm de Deo & Chriſto dicitur, ſignificat acquirere per merita, cum de homine, acquirere per uſum & acceptionem ejus, quod per ſatisfactiones & merita acquiſitum eſt. Aliud eſt acquirere, aliud acceptare acquiſitum. Declaremus rem per ſimilia. In familia pater acquirit hæredium, & filius acquirit, ſed alio modo pater, alio filius. Pater hæreditatem acquirit conſilio, prudentiâ, labore, pretio. Sed filius acquirit filialibus officiis patri ſerviendo, ut ita ſe gerat erga patrem, ut amorem patris erga ſe non extinguat, ſed patri det occaſionem ex paterno amore filialem obedientiam remunerandi lautâ hæreditate quam pepe-

rit,

Digitized by Google

rit, ita &c. Cùm invitaris ad convivium, non requiritur abs te, ut tu acquiras, merearis, vel feras ſumptus convivii (id enim convivatoris eſt, quo à caupone differt, qui te convivam non de ſuo, ſed de tuo tractat) ſed id ſolum requiritur, ut cum fame & ſiti accedas, depoſitis ſordibus veſtem nuptialem induas, liberaliter & hilariter comedas, & convivatori gratias agas, eique fidus ſis amicus. Sic &c.

II. Adhortandis iis, qui credunt ſe ſanguine Dei acquiſitos eſſe, & Dei peculium factum. Diſce niti hac περιποίησιν, nec movearis ad diffidentiam. Eſt enim ſanguis Dei, qui te acquiſivit, & acquiſitus es in peculium Dei, liber factus ab hoſtibus, ut impoſterum ambules ut Deo proprius & à mundo ac peccato liber. Non ut libertinus à lege ſolutus, ſed ut Chriſtianus, qui à lubentia & licentia peccandi ſeparatus, libera & lubenti obedientiâ Deo ſerviret. Hoc non faciunt

1. Qui diſſolutè ambulant, non ſecundum mandata Dei, ſed ſecundum voluntatem mundi, mundo ſe ſiſtentes conformes. In talibus certè Deus nil proprii habet, ſed mundus & Satan eos poſſident totos. An ideò vos ſibi acquiſivit Deus tàm carè, ut alterius eſſetis, & aliis ſerviretis? Nonne legiſtis verba Pauli 1 Cor. 7. 23. 1 Cor. 6. 20. 1 Petr. 1. 17. 18. 19. Si hoc obligat ad ſerviendum Deo, quod creavit verbo, quanto magis, quod redemit ſanguine? Cogitate, quod non eſtis veſtri juris 1 Cor. 6. 19. Ne ſacrificate Diabolo, quod tàm carè Deus ſibi emit. Date Deo cor, corpus, animam, vitam.

2. Qui dejectè ambulant. Cur ita dejectus es, an propter peccata, an propter crucem? Cur propter peccata dejectus? An Deus non habet ſanguinem, qui abluere poteſt peccata? Tu modò de converſione ſis ſollicitus. Cur propter crucem aut defectus es dejectus? Servus & filius non curant de victu & amictu, ſed ut hero & patri placeant. Si hoc agunt, curam rejiciunt in Dominum & patrem. An tibi non eſt herus fidelis, nec pater fidelis? An Deus non cuſtodiet peculium, quod tàm carè emit? Studeas probè quæſtionem primam noſtræ Catecheſeos. Ambulatis, ac ſi nullam proprietatem in Deo haberetis. In Deo omnia ſunt, & Deus totus veſter proprius eſt, & vos ejus, quid igitur poteſt deeſſe? *Quis odit propriam carnem?* Eph. 5. *Quis eſt, qui filio proprio panem petenti det lapidem?* Matth. 7. verſ. 9. Si Deum habes, quid plus cupis?

Actor. 20. 29. 30. 31.

CONC. CCXXX.

TErtia ratio adhortationem ſuadens, ſumitur à periculo. Attendite gregi. Nam lupi venient, & viri, qui perverſa loquentur. Eſt ac ſi nautis acclames, attendite navi. Nam procella ſurgit. Sicut nautæ tempore tranquillitatis poſſunt dormire, ſed ingruente venti ſuſurro, neceſſe eſt, ut evigilent. Ita cum Eccleſia eſt tranquilla, non adeò gravis & difficilis eſt paſtorum Eccleſiæ cura, quamvis nunquam ſuâ difficultate careat. Verum cum luporum ululatus

Digitized by Google

tus & hæreticorum ſtrepitus inſurgunt, paſtorum vigilantiâ opus eſt, aut perit Eccleſia. Sint ſani, qui ſibi ipſis arrogent facultatem concionandi æque benè ac Concionatores, lupos certè & hæreticos reprimere oves ſine paſtoribus non poterunt. Eſt igitur in hoc argumento vaticinium Pauli de venturis in Eccleſiam tyrannis ac ſeductoribus, cui vaticinio ſuperſtruit exhortationem ſuam de paſtorum attentione & vigilantia.

Eſt in hoc vaticinio. 1. Fundamentum vaticinii: novi. 2. Tempus de quo vaticinatur: poſt meum exitum. 3. Res quam prædicit: lupos graves venturos, qui gregi non parcant, & ex ipſis doctoribus Epheſinis viros ſurrecturos, qui perverſa doceant & diſcipulos poſt ſe abſtrahant.

1. Ego novi. Novi enim hoc. Unde ſciebat? 1. Conjiciebat & concludebat ex communi Eccleſiæ ſorte. Quia enim verſu præcedente docuerat, Eccleſiam eſſe gregem, facilè erat inde concludere, quòd luporum infeſtationi eſſet obnoxia.

2. Præcipuè tamen ſciebat ex revelatione Domini, ſicut 1 Tim. 4. verſ. 1. Hanc notitiam diſcere ab Apoſtolo debent omnes oves Chriſti, ut ſciant, & perpetuo ob oculos habeant, ſe habere ſuos lupos, qui quærunt devorare. Leonem habent circumeuntem. 1 Petr. 5. Sed iſte leo venatur per lupos. Ab his lupis nuſpiam tuta eſt Eccleſia, etiam non in illis terris, ubi lupos inveniri negant. Nec hoc tempore magis tuta eſt quàm olim, ſed etiamnum grex eſt, qui paſtoribus indiget ſibi attendentibus. Quicunque igitur ovem Chriſti ſe eſſe dicit, exuat ſecuritatem, & paſtorum ſuorum ductui ſeſe ſubmittat. Non ſuademus populo cæcam obedientiam erga doctores ſine probatione ſpirituum. Sunt enim paſtores, qui lupis oves produnt, imò ipſi lupi fiunt & oves devorant. Probanda igitur ab ovibus eſt paſtorum doctrina, ſecus quàm fit in Papatu. Attamen ideò non ſunt deſerendi paſtores, nec plus fidendum propriæ ſapientiæ, quàm paſtorum conſiliis, ne te paſtorum manuductioni planè ſubducas. Oves non ambulant cœci, ſed utuntur propriis oculis in obſervanda via, quâ ambulant, & tamen ſequuntur ductum paſtoris. Scholaſticus in tractandis ſtudiis proprio utitur ingenio, ſed an ideò non indiget manuductione magiſtri? Sic debent membra Eccleſiæ. Imò ovis cœca propriè ſequi non poteſt. Sequi enim eſt, oſtenſum & exploratum paſtoris ductum obſervare. Audire, ac obſecundare, & tamen probare doctorum ſuorum doctrinam ad ſacras literas, non pugnat. Ideò enim illis ipſis, quibus injunctum eſt ſpiritus probare, & doctrinam doctorum explorare 1 Joh. 4. v. 1. Actor. 17. Etiam injunctum eſt ductoribus obedire. Si contraria eſſent, Scriptura utrumque non injungeret.

II. Poſt exitum meum. i.e. poſt mortem meam. Vel etiam poſt abitum meum ex his locis. Non enim Paulo mortuo demum completum hoc vaticinium, ſed etiam vivente. Erant jam tùm, cùm Paulus hæc loqueretur, falſi doctores, de quibus Actor. 15. 1. & nominatim queritur de Alexandro, Phileto,

Digitized by Google

to, Hymenæo, Phygello, Hermogene 1 Tim. 1. 20. & 2 Tim. 1. 15. Apparet hinc; quid de ſucceſſione ſentiendum, de qua tantoperè gloriantur Pontificii. Paulus fuit Apoſtolus Epheſi per triennium commoratus. Succeſſores ejus fuerunt lupi. Succeſſio igitur Epiſcoporum non eſt argumentum, quod doctrina manſerit eadem.

III. Sequitur res, de qua vaticinatur. Vaticinatur de duobus:

1. Prædicit in Eccleſiam irruturos eſſe graves lupos, qui gregi non parcant, i. e. qui gregem occidant & devorent. Vocat lupos graves, i. e. graviter prementes & duriter tractantes oves Chriſti. Intelligit enim per lupos Eccleſiæ perſecutores, qui propter veritatis confeſſionem occidunt & graviter affligunt. Vox lupi in Scriptura non niſi metaphoricè uſurpatur, idque quatuor modis: 1. De bellatoribus & militibus Gen. 49. 27. Jer. 5. 6. Habac. 1. v. 8. *Bellum eſt beſtia devorans*. 2. De omnibus ethnicis & infidelibus à fide alienis & Eccleſiæ Chriſti infenſis Iſai. 11. 6. & 65. 25. Matth. 10. 16. 3. De tyrannicis magiſtratibus Ezech. 22. 27. Soph. 3. 3. 4. De falſis prophetis, qui hæreticas doctrinas Euangelio opponunt, & propter veritatis confeſſionem Eccleſiam igne & gladio perſequuntur, Hi illi lupi, de quibus hoc loco & Matth. 7. 15. Joh. 10. v. 12. Talis lupus fuit Saulus ante converſionem Actor. 8. 3. Tales lupi multi venerunt in Eccleſiam poſt diſceſſum Pauli, ut patet ex Judæorum & gentilium Imperatorum cruentis perſequutionibus, per Phariſæos & Philoſophos excitatis, qui ſanè non pepercerunt gregi, ſed eum comederunt inſtar panis. Propter hos lupos oportet paſtores gregi attendere, ut eum arment inſtitutionibus & adhortationibus ad patientiam, ne tempore tentationis deficiat.

2. Prædicit ex Eccleſia egreſſuros viros perverſa loquentes, & diſcipulos poſt ſe abſtrahentes. His verbis deſcribit hæreticos, qui ſub nomine Chriſtiano Eccleſiam à Chriſto ſeducunt. Hi enim ſunt 1. Qui ex ipſa Eccleſia & ex ipſo paſtorum ordine exſurgunt & progrediuntur 1 Joh. 2. 19. Deficiunt à vera Chriſti doctrina & deſerunt viam ſalutis. 2. Hi ſunt, qui perverſa loquuntur. Si tantùm deſererent Euangelium, illudque miſſum facerent, tolerabiles forent. Sed, quod peſſimum eſt, pervertunt Euangelium Chriſti Gal. 1. 7. *Pervertunt rectas vias Domini*, Actor. 13. 10. Pervertunt difficiliora loca Scripturæ 2 Petr. 3. 16. Hinc hæretici perverſi dicuntur Tit. 3. v. 10. 11. Quia pervertendo doctrinam, ſuam aliorumque mentes pervertunt, ut non poſſint Deo ſervire in ſpiritu & veritate. Meritò dicuntur pervertere doctrinam. Quod enim in ſe verbum vitæ eſt, in odorem mortis ad mortem convertunt, in fermentum, in peſtem, in cancrum animam depaſcentem, & ſic efficiunt, ut cor non ſit rectum coram Deo. Sicut lex Dei convertit animam Pſal. 19. v. 8. Ita hæreſis pervertit. 3. Hi quoque ſunt, qui diſcipulos poſt ſe abſtrahunt, i. e. qui corpus Eccleſiæ ſcindunt in partes, & Chriſtianos in mutuas contentiones, imò in bella exacerbant & concitant. Dum enim Euangelium

Chriſti corrumpere ac pervertere certatim ſatagunt, non ſolum inter ſe variis diſſident litibus, ſed etiam Eccleſiæ neceſſariam dant cauſam, ſe opponendi ac ſe & veritatem defendendi, unde non poſſunt non oriri contentiones & bella. Hi hæretici ac falſi doctores, ex ipſa Eccleſia orientes, etiam ſunt lupi gregi non parcentes, verùm non tàm aperti, ſicut priores, qui totius Chriſtianiſmi perſequutionem ſuſcipiunt, verùm tecti, extus oves, intus lupi Matth. 7. Tales quoque lupi poſt Pauli exceſſum fuerunt, Simon Magus, Nicolaitæ, Arrius, Sabellius &c. Et propter hos lupos præcipuè indiget Eccleſia paſtoribus ſibi attendentibus. Hi enim ſunt, qui lupis effringere dentes, obturare ora, & veritatem propugnare ac ſophiſmata retundere poſſunt, quibus nebulam offundunt hominum intellectui, ut veritatem ab erroribus diſcernere non poſſint.

Atque hæc interpretatio vaticinii. Huic ſuperſtruit adhortationem, quam & ſuprà dederat, ut vigilarent vel attenderent. Sicut enim paſtorum proprium eſt, ἀγραυλεῖν Luc. 2. v. 8. Ita vigilare eſt miniſtrorum verbi Hebr. 13. v. 17. Luporum adventus paſtoribus eſt cauſa vigilandi. Diſcamus hinc:

I. Eccleſiam in hoc mundo eſſe ſicut agnum inter lupos. Homo homini lupus, ſed præcipuè qui extra Eccleſiam ſunt, Eccleſiæ lupi ſunt. Graſſantur etiam infideles in ſe invicem, ut lupi, ſed tamen præcipuè in Eccleſiam conſpirant, ut eam devorent. Sicut lupi ſe invicem non vorant, niſi ex defectu ovium, ita infideles, quamdiu Eccleſiam habent, quam perſequantur, in ſeipſos non ſæviunt. Præcipuè tamen hinc diſcimus, quod Chriſtiani heterodoxi Chriſtianis orthodoxis lupi ſunt. Sicut corpus hominis non habet acriores hoſtes, quam anthraces & carcinomata ex ipſo corpore orientia & corpori adhærentia, ita Eccleſia non habet graviores hoſtes, quàm hæreticos & falſos doctores ex ipſa Eccleſia ortos, & de nomine Chriſti ac Eccleſiæ maximè gloriantes. Hi ſunt, qui maximè vaſtant & conſumunt Eccleſiam, idque non tantùm perſequutiones cruentas excitando, ſed præcipuè perverſos ſermones animabus inſerendo, quibus animas ipſas pervertunt, ut non ſint rectæ coram Deo, nec Deo in ſpiritu & veritate ſerviant. Hi ſunt, *qui tectè inducant hæreſes perditionis, & facto abnegant Dominum, de cujus redemptione verbis gloriantur.* 2 Petr. 2. 17. Hi ſunt illi, de quibus Tit. 1. 10. 11. *vaniloqui, ſeductores, totas familias pervertentes, male ſani in doctrina.* Vide 2 Tim. 3. 6. Ne itaque offendamur, cùm videmus Eccleſiam in hoc mundo ſciſſam & turbatam hæreſibus, variis doctrinis, ſchiſmatibus, perſecutionibus. Hæ turbæ non ſunt ſignum falſæ ſed veræ Eccleſiæ. In hac enim oportet, ut ſint hæreſes &c. 1 Cor. 11. Prædictum enim ita fore. Sicut corpus ſanum ſemper excernit excrementa, ſcabiem &c. Ita Eccleſia ſemper excernit homines in fide non ſanos.

II. Contra hos lupos in Eccleſia debere eſſe attentionem, quâ caveantur & reprimantur. Oves ipſæ ſibi debent cavere ab his lupis Matth. 7. 15. & paſtores

Digitized by Google

ſtores debent ſe his lupis opponere & contra ipſos contendere. Joh. 10. Diſplicet hoc hominibus ſecundum mundum ſapientibus, qui putant inter orthodoxos & heterodoxos non debere eſſe tantam antipathiam & contentionem, ſicut eſt inter oves & lupos, ſed ſine oppoſitione unicuique ſuos ſenſus in negotio religionis eſſe relinquendos. Nec debere eſſe ſeparationes, ſed promiſcuè ſerviendum Deo ſecundum ſenſum uniuſcujuſque. Falſum hoc eſſe, patet ex hoc loco, & Phil. 3. 2. Rom. 16.17. Eſai. 56. 10. Tit. 1. 9. Item ex illis, ubi ipſis ovibus injungitur ſtudium cavendi tales. Tit. 3. 10. Gal. 1. 8. 9. 1 Joh. 4. 1. Matth. 16. 6. 12.

Object. 1. At, qui iſtas contentiones, oppoſitiones, ſimultates & inimicitias inter orthodoxos & heterodoxos docent & fovent, charitatem & pacem impediunt, quæ debet eſſe inter homines. Rectius orbi & Eccleſiæ conſulunt, qui mutuam tolerantiam ſuadent.

Reſpond. 1. Qui docet à malis hominibus ſibi cavere, & malitiæ eorum legitimis modis ſe opponere, is malis hominibus non facit injuriam, adeoque non eſt autor odii & diſcordiæ, ſed facit, quod Deus facere juſſit. 2. Cautio & ſeveritas, quâ orthodoxi utuntur contra heterodoxos, non eſt talis, quæ impediat officia humanitatis, quæ ad concordiæ civilis conſervationem pertinent, nec eſt talis, quæ gradus heterodoxiæ non nôrit diſtinguere, & infirmitatibus piorum Chriſtianâ tolerantia ſuccurrere, vide 2 Tim. 4. 2. Talis tamen eſt, quæ præceptis Dei ſatisfaciat, gloriæ Dei conſulat, & animarum exitium præcaveat. Non igitur culpa turbarum, quæ ex religione oriuntur, eſt ex parte orthodoxorum, qui ſe heterodoxiæ opponunt, ſed ex parte eorum, qui errores ſeminant & defendunt.

Object. 2. At unde ſciam diſcernere lupos à paſtoribus, ſi veniunt in veſtitu ovium? *Reſpond.* Ex fructibus. Matth. 7. 16. Quomodo intelligendus hic locus? An per fructus hic intelliguntur bona opera, ut illi judicari debeant eſſe non lupi, ſed paſtores, qui gloriari poſſunt de bonis operibus? *Reſpond.* Non ſic. Tùm enim Phariſæus fuiſſet bonus paſtor Luc. 18. & Paulus Phil. 3. v. 6. Qui tamen erant lupi. Poteſt eſſe verus doctor, qui dicit & non facit. Matt. 23. Opera vitæ requiruntur ad bene eſſe boni doctoris, ſed non ſimpliciter ad eſſe. Judæ impii miniſterium nuſquam dicitur fuiſſe inutile, nec eorum, de quibus Phil. 1. 15. Efficacia verbi & ſacramentorum non pendet à pietate miniſtri, ſed à Deo. Non pietas Concionatoris, ſed verbum, quod prædicat, eſt potentia Dei ad ſalutem. Vid. 1 Cor. 3. 7. 2 Cor. 4. 7. Qui igitur ſunt illi fructus, per quos diſcernendi ſunt paſtores à lupis? *Reſpond.* Doctrina dulcis, nutriens, roborans, fœcunda inſtar mellis & cibi, apta ad producendam pietatem & conſolationem. Quorum labia tales doctrinas ſtillant, paſtores ſunt. Sterilis autem doctrina, quæ nec ad gloriam Dei, nec ad generandam pietatem & conſolationem utilis eſt, ſed potius generat contentiones, ſecuritatem, deſperationem, blaſphemiam &c. eſt fructus luporum & pſeudo-Prophetarum.

Digitized by Google

Hinc igitur proba ſpiritus an ex Deo ſint. Non eſt miniſterium paſtorum contemnendum propter infirmitates vitæ; ſed uſurpandum propter veritatem & utilitatem doctrinæ. Paſtorum eſt, præbere bonum pabulum & paſcuum, ovium eſt præbere fructum lactis. Quatenus paſtor eſt ovis, quæ ſalvari cupit, fructus ferre debet bonorum operum. Quatenus eſt paſtor ovium, præcipuus ejus fructus eſt utilis & fœcunda doctrina. Impietas paſtoris non parum retardat ædificationem, ſed tamen non planè impedit. Etiam ex ore impii potes fieri ſapiens ad ſalutem.

III. Diſcamus, quàm neceſſaria res ſit, ut puritas doctrinæ conſervetur in animis hominum. Ubi enim pura doctrina non eſt, ibi non poteſt eſſe pura & ſancta vita, nec ſincerum cor. Naturâ non novimus eſſe pii, ſed ex inſtitutione doctrinæ diſcendum eſt. Doctrina eſt ſemen pietatis, quæ ſi pura non eſt, lolium præfert & non fructus. Legite quantoperè Paulus reſtiterit impuritati doctrinæ in epiſtolis ad Romanos, Galatas, Philippenſes. Egregium eſt beneficium cum Deus facit ut eſt Joh. 3. 5. Scimus, quod in docendo & diſcendo non ſit ſubſiſtendum, verùm omnia transferenda ad opera. Attamen ſine doctrina non ſunt bona opera. Sicut in templo ſemper erat ignis in altari, & ſemper lampas in menſa, ita in Eccleſia ſemper ſacrificia gratitudinis, & ſemper verbum Domini. Faciamus igitur ſinguli ſecundum vocationem, quod in nobis eſt, ut puritas doctrinæ conſervetur. *Nam ſi tenebræ ſiemus & erroribus ducemur, facile ſerviemus voluptatibus.* Titum cap 3. verſ. 3.

Hactenus tertia ratio adhortationem ſuadens. Quarta ab exemplo Pauli petita eſt v. 31. Repetita potius, quàm nova. Repetitur enim ex v. 18. 19. 20. Ideoque nova interpretatione non indiget. Ego per triennium dies noctesque unumquemvis inter vos cum lacrymis hortatus ſum. Ergò vos non debetis eſſe negligentes, ſed meminiſſe mei laboris, eumque imitari. Triennium, i. e. ferè triennium, vide quæ dixi in Actor. 19. 10. τριετίαν docuit, ſicut Chriſtus τριήμερος in ſepulchro fuit. Matth. 12. 40. Quia docuit in tertium annum. Docuit cùm lacrymis, ſicut Deo ſervivit cum lacrymis. Vide quæ dicta ſunt in v. 19. *Dies noctesque docuit*, ſcilicet ferente occaſione. Non & *dies noctesque precatus eſt* 2 Tim. 1. 3. *die noctuque laboravit* 1 Theſ. 1. 9. & 2 Theſ. 3. v. 9. *Unumquemque docuit*, ut Col. 1. v. 28. Diligentiam ſuam in fungendo officio accuratè deſcribit, ut piis doctoribus exemplum ſit & calcar incitans ad imitationem, quanta quidem fieri poteſt ab iis, qui non, niſi ordinaria habent dona, & carent plenitudine divini ſpiritûs ac roboris, quæ Apoſtolatui fuit peculiaris, & præſertim doctori gentium.

Actor. 20. v. 32.

CONC. CCXXXI.

Hactenus explicuimus primam & ſecundam partem concionis Paulinæ, videlicet commendationem, qua ſuam vitam ſuoſque labores Epheſiorum

Digitized by Google

rum memoriæ & imitationi commendat, nec non Exhortationem, quâ Miniſtros Eccleſiæ Epheſinæ ad vigilantiam hortatur. Sequitur pars tertia, videlicet Conſolatio, quâ eoſdem Eccleſiæ Epheſinæ Miniſtros roborat contra difficultates & tentationes, quas exhortationi obtendere poterant & objicere. Videbat enim Paulus in animo auditorum verſantem, eoſque contriſtantem difficultatem duplicem. Prior erat imperfectio in ſpiritualibus, poſterior penuria in corporalibus. In ſpiritualibus opus tantum erat cœptum, vix fundamenta poſita, Eccleſia reſpectu hoſtium pauca numero & viribus impar, ipſi Miniſtri in donis ædificandi imbecilles. Meritò igitur queri poterant, abitum Pauli eſſe intempeſtivum. Quod ad temporalia, videbant, ſe non poſſe vacare officio paſtorali, niſi deponerent opificia, quibus ſe & familiam ſuſtentabant. Si autem hæc deſererent unde ſumerent panem? His objectionibus Paulus reſpondet: Commendo vos Deo & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt vos ſuperſtruere, & dare vobis hæreditatem inter omnes ſanctos. Unde ego victum & amictum accepi? Nullius argentum, neque aurum, neque veſtem concupivi, ſed manibus laboravi, & infirmitates aliorum tuli, ſequutus verbum Domini Jeſu, qui nos docuit, ſatius eſſe dare quàm accipere.

In hac conſolatione, quâ Paulus refutat ſcrupulos in animo paſtorum Epheſinorum oborientes, & alacritatem officii turbantes, duo habemus remedia, quibus contra has difficultates conſolatur. Prius eſt Deus & verbum gratiæ, poſterius eſt labor manuum: prius remedium opponitur utrique ſcrupulo, poſterius poſteriori ſoli.

In priori remedio habemus: 1. Remedium ipſum: Commendo vos Deo & verbo gratiæ. 2. Rationes, quibus conſolationem ab hoc remedio petitam, firmat, Is enim potens eſt vos ſuperædificare & dare, &c. Sequemur verba textus:

I. *Καὶ τανῦν.* q. d. quod nunc porrò attinet ad difficultates de veſtra infirmitate & penuria, quas obtendere poſſitis meæ ad vigilantiam in officio adhortationi. Hac enim voce objectiones auditorum tacitè proponuntur.

II. Fratres. Erant fratres Pauli propter Chriſtianiſmum, ſicut omnes Chriſtiani. Sed præcipuè appellat eos fratres propter communionem officii. Etſi enim Paulus erat Apoſtolus, illi autem non niſi ordinarii Paſtores unius particularis Eccleſiæ, Paulus tamen eos appellat fratres, ut intelligant, ſe quoad ſubſtantiam eodem cum Paulo officio fungi, etſi in accidentibus magna differentia ſit. Differunt Apoſtoli & Paſtores. Illi enim immediatè vocantur, & immediate docentur à Deo & præficiuntur toti Eccleſiæ. Hi verò vocantur per Eccleſiam, docentur per Scripturam, & præficiuntur uni particulari Eccleſiæ. Interim ſubſtantialiter non differunt, ſed faciunt idem opus. Nam ſi hoc non eſſet, ſi Apoſtoli & ordinarii Paſtores non facerent idem opus, tùm auxilium Apoſtolis in ſuo opere à Deo præſtitum, non poſſet ſolari ordinarios Miniſtros contra dif-

Digitized by Google

ficultates, quas in ſuo opere ipſis obtinuit. Jam autem dicit: Sumus fratres, facimus idem opus, ergò qui me juvit, & vos juvabit.

III. Commendo vos Deo & verbo gratiæ. Turbant vos ſcrupuli de infirmitate & penuria veſtra? Non habeo contra hos aliud reſponſum & remedium, quàm quòd vos commendo Deo & verbo gratiæ ipſius.

1. Commendo vos. παρατίθεμαι. Eadem vox uſurpatur Actor. 14. 23. & ſimilis Actor. 14. 26. & 15. 40. παραδίδομαι. Significat vox preces & votum, ut explicatur Act. 13. 3. vel etiam remiſſionem & relegationem animi dubitantis ad Deum. Duplici modo aliquem dicimus commendare Deo:

a. Voto. Precor Deum, ut is per verbum gratiæ ſit veſtrum remedium contra hos ſcrupulos animi.

b. Hortatione. q. d. Turbant vos ſcrupuli de infirmitate & penuria, abite ad Deum. Is ſupplere poteſt, quod deeſt. Conjicite hanc curam in hunc, & verbum gratiæ ipſius.

2. Commendo vos Deo. Quod tutius remedium monſtrari poſſit contra infirmitates & penuriam quàm Deus? Quid eſt, quod Deus dare & efficere non poſſit? Si Deum habetis, quid vobis deerit, quid ultrà cupiatis Pſal. 23. 1. & 73. 25. Etiam ſi ego diſcedam, modò Deus non diſcedat, etiamſi omnia media deficiant, etiamſi pater & mater deſerant, quamdiu Deus non deſerit, nihil periculi. Imitemur hoc conſilium Pauli, quoties diſcedimus ab amicis, vel amici diſcedunt à nobis. Ponamus nobis ob oculos, quod omnibus diſcedentibus Deus maneat nobiſcum. Amittimus parentes, mutamus Magiſtratus, Paſtores, &c. Sed ſemper idem Deus, qui nunquam diſcedit, & qui juvare poteſt ſine illis per quos juvit. Etſi vult juvare per homines & per inſtrumenta, annon poteſt ſibi proſpicere de aliis, loco eorum, quos tollit? Ne abjiciamus fiduciam cùm amittimus homines, ſed cogitemus, quòd retineamus Deum.

3. Et verbo gratiæ ipſius. Poterant excipere: Deus quidem poteſt ſupplere incommoda tui diſceſſus, modò velit. Reſpondet Paulus, quòd habeant verbum gratiæ, quo de voluntate ejus certi reddantur. Per verbum gratiæ hîc non intelligimus Chriſtum, qui ſicut eſt *verbum potentiæ* Hebr. 1. 3. Ita meritò appelletur *verbum gratiæ Dei, quam nobis revelavit & promeritus eſt* Ioh. 1. 18. Neque propriè intelligimus Euangelium, quod etiam vocatur *verbum gratiæ & verbum reconciliationis* Actor. 14. 3. 2 Corinth. 5. 19. Sicut enim lex verbum iræ ita Euangelium verbum gratiæ. Non omnimodè negem de Euangelio hîc ſermonem eſſe. Attamen non præcipuè de Euangelio loquitur Apoſtolus. Etiamſi enim Euangelium eſt potentia Dei nos roborandi & ædificandi in hac vita, & nobis largiendi poſſeſſionem cœleſtis hæreditatis poſt hanc vitam, tamen promiſſiones Euangelii, omnibus piis communes, non explent infirmitates & penurias Paſtorum Eccleſiæ in officio. Paulo autem hîc negotium eſt cum miniſtris Euangelii. Hos vult ſolari, contra infirmitates & penuriam.

Quid

Digitized by Google

Quid igitur verbum gratiæ hoc loco? *Reſp.* Gratioſæ promiſſiones Dei factæ Miniſtris Euangelii. Deus vocatis Euangelii Miniſtris peculiarem gratiam promiſit, quam alii Chriſtiani non habent cum ipſis communem. Sicut enim olim ædificatori templi acclamabatur, gratia, gratia Zach. 4. v. 7. Ita qui templum N.T. i. e. Chriſtianam Eccleſiam ædificant, iis Deus peculiarem gratiam promiſit, & largitur, ad hoc opus neceſſarium. Hæc illa gratia de qua Paulus gloriatur Rom. 1. 5. & 12. 3. & 15. 15. 1 Cor. 3. 10. 1 Cor. 15. v. 10. 2 Cor. 1. 12. 2 Cor. 12. 9. unde & dona docendi ipſis conceſſa vocantur χαρίσματα, i. e. dona ex gratia data 1 Cor. 12. v. 4. Et hoc illud verbum gratiæ, ſeu illa promiſſio gratiæ, quam Chriſtus dedit omnibus Paſtoribus, Eſa. 55. 10. 11. Matth. 10. 8. 9. 10. 19. 20. Matth. 28. 20. Huic verbo Paulus hos Paſtores commendat, jubetque in illo ſuam confidentiam reponere.

IV. Addit rationes, quibus hanc conſolationem firmat. Deo & verbo gratiæ commendati tuti eſtis & apti ad opus ad quod vos exhortor. Ille enim potens eſt, &c. Alii hoc ad Deum referunt, alii ad verbum gratiæ. Sed cur non ad utrumque? Deus potens eſt ædificare per verbum ut inſtrumentum. Verbum ſeu promiſſio potens eſt ædificare per Deum, i. e. per veritatem Dei, quâ promiſſio verbi neceſſariò impletur. Verbum gratiæ non poteſt deficere vel excidere ſalvâ Dei veritate, ideoque potens eſt ædificare illos, qui ei commendantur. Similis modus loquendi habetur 2 Cor. 9. 8. Judæ 24. Promiſſio Dei eſt promiſſio potens & verbum potens. Promiſſio potens eſt tutum fundamentum fidei. Ei enim nec facultas, nec voluntas deeſt. Ad quid autem potens eſt Verbum Dei? Ad utrumque ſcrupulum, qui vos turbat, tollendum. Nam:

1. Ideò ægrè fertis, me abire & non redire, quia adhuc infirmi eſtis, non ſolùm in fide & pietate, ſed præcipuè in donis ad ædificandam Eccleſiam neceſſariis? Sed ne turbemini hoc ſcrupulo: Habetis enim verbum gratiæ, quod potens eſt vos ſuperædificare, i. e. perficere quantum opus eſt. Habetis Scripturam ſacram, cujus lectio non tantùm vos poteſt reddere ſapientes ad ſalutem, *ſed etiam homines Dei*, i. e. ſervos Dei *in Euangelio poteſt perfectos reddere, & ad omne opus ſuum perfectè inſtructos* 2 Tim. 3. 16. 17. Habetis etiam promiſſiones Dei in vocatione veſtra acceptas, quæ vos non ſinent impares operi, ad quod vocati eſtis. Paulus fundamentum poſuerat Epheſi, & tùm Eccleſiam collegerat, tùm Miniſtros ei perficiendæ architectos præpoſuerat. Sed tùm ædificium tùm architecti adhuc infirmi erant & imperfecti. Non ſine cauſa igitur turbantur diſceſſu Pauli. Paulus verò Scripturæ, Euangelio, & promiſſionibus in vocatione acceptis hoc adſcribit, quòd poſſint etiam ipſo abſente cœptum ædificii opus in Eccleſia Epheſina perficere. Non ero prolixus in explicanda voce ſuperædificare. Quomodo enim fiat ædificatio Eccleſiæ, prolixè explicatum in Actor. 4. 11. & Actor. 9. 31.

2. Ideò formidatis recipere vocationem

tionem paſtoralem, quia vobis non proſpectum de victu & amictu? Fuerunt maxima ex parte opifices, manibus victum parantes. Iſta opificia erant deſerenda, ſi paſtoralis cura recipienda. Unde igitur victus & amictus? Huic ſcrupulo Paulus duplicem opponit conſolationem. 1. à Potentia Dei & verbo gratiæ. 2. à Suo exemplo. Hâc vice tantùm de priori. Ne turbet vos, inquit, ſcrupulus de victu & amictu. Deus potens eſt vobis hæreditatem dare inter omnes ſanctos: Dupliciter hoc poteſt exponi:

a. De hæreditate cœleſti. q.d. Deus vobis dabit hæreditatem illam magnam, quam dabit omnibus ſanctis. Ne quæſo pertimeſcite penuriam & paupertatem. Deus enim potens eſt, ut per verbum gratiæ vos ſatis divites reddat. *Faciet enim vos hæredes Dei & cohæredes Chriſti* Rom. 8. 17. *dabit vobis glorioſam illam hæreditatem.* Eph. 1. 18. & illam quæ deſcribitur 1 Petr. 1. 4.

b. De hæreditate terreſtri. Solatur quidem promiſſio cœleſtis hæreditatis animum triſtem, ne mergatur in deſperationem, cùm per paupertatem & penuriam pereundum eſt, ſed hoc ſolatium non ſuſtentat vitam corporalem, ut laborare poſſis in opere Domini & vocatione paſtorali. Mihi itaque omninò probabile fit, Paulum hîc aliam quandam reſpicere hæreditatem, videlicet illa Eccleſiaſtica bona & media, quæ Deus per liberalitatem Sanctorum paravit & quotidiè parat ad ſuſtentationem S.S. Miniſterii in Eccleſia. Videtur enim mihi Apoſtolus manifeſtè hac phraſi alludere ad tribum Levi, quæ non habebat propriam portionem terræ, ſed inter omnes tribus in omnibus Iſraëlitarum habitationibus habebat ſuam hæreditatem, quâ ſuſtentabatur & vivebat. Vide Num. 18. 20. 21. Tale patrimonium, talemque hæreditatem, Deus hoc loco videtur promittere Miniſtris ordinariis N. T. & reverâ ſequentibus temporibus præſtitit, cùm per liberalitatem Sanctorum, & præcipuè Chriſtiani Magiſtratus. S.S. Miniſterio paravit annuos reditus, quibus effectum eſt, ut & Miniſtri à manuum labore liberati vacare poſſint ſuo officio, & membris Eccleſiæ Evangelium poſitum ſit ἀδάπανον, ut loquitur Paulus 1 Corinth. 9. 18. Etſi enim Papatus hiſce bonis abuſus eſt ad luxum & ſuperbiam, in ſeipſis tamen ſunt patrimonium & hæreditas, quam Deus dedit S.S. Miniſterio Eccleſiaſtico per liberalitatem Sanctorum & Chriſtianorum Magiſtratuum inter omnes Sanctos, i.e. in omnibus ac ſingulis Eccleſiis, & ab hoc uſu non debent dimoveri, etſi ab abuſu meritò purgantur. Actor. 26. 18. etiam aliquid habetur de κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις. Sed ibi notatur, gentes fore συγκληρονόμους Iſraëli Eph. 3. 6. Hîc autem notatur in ſingulis Eccleſiis S.S. Miniſterio proſpectum in patrimonio, quô ſuſtentetur.

I. Poſſem hinc docere, Deum S.S. Miniſterium N. T. non minus ſibi ſeparâſſe in peculium, illudque peculiari gratiâ & curâ complecti, atque fecit Sacerdotio Levitico V.T. Id enim docet Paulus hoc textu, dum ordinarios Miniſtros Epheſinæ Eccleſiæ ſolatur

Digitized by Google

hoc argumento, quod habent ſpeciale verbum gratiæ à Deo, & peculiare patrimonium. Poſſemque hoc dogma applicare tùm ad refutandos eos, qui vocationem S. S. Miniſterii in Eccleſia negant fieri divinitùs, tùm ad conſolationem eorum, qui ad Miniſterium vocati, anguntur ſcrupulis, de infirmitatibus ſuis & penuria. An Deo boves curæ ſunt? 1 Cor. 9. 9. i. e. an boum causâ legem tulit illam Deut. 25. 4. an non potiùs, ut indicaret ſe peculiarem curam gerere de ſuſtentatione eorum, qui opus ejus faciunt in Eccleſia N. T. vide 1 Tim. 5. 18.

II. Sed cum hoc alibi inculcaverim, malo nunc generalius quid ex hoc textu docere, ſcilicet, quo pacto relevandus & erigendus ſit animus hominis Chriſtiani, cum conſideratione ſpiritualis infirmitatis, & corporalis penuriæ dejicitur. Hi erant duo ſcrupuli Paſtorum Epheſinæ Eccleſiæ, iidem ſunt omnium ferè Chriſtianorum. Idem igitur conſilium, quod Paulus illis erigendis applicuit, nos nobis erigendis applicemus.

1. Querimini de infirmitatibus? Commendate vos Deo, qui potens eſt vos ſuperædificare. Legimus de imprudenti quodam ædificatore, qui cœperat ædificium & perficere non poterat, Luc. 14. 28. 29. 30. An Deum talem ædificatorem putamus? Qui incepit bonum opus, nonne perficiet? Vide Philip. 1. 6. Hebr. 12. 2. Eph. 2. 19. ad fin. *Object.* Deus quidem potens eſt nos ædificare, ſed non vult ipſe nos ædificare, verùm nobis hanc curam injunxit ut noſmet ædificemus. Col. 2. 7. 1 Petr. 2. 5. Judæ 20. *Reſp.* Deus ut ſapiens architectus fundamentum poſuit. Noſtrum eſt, proſpicere quomodo ſuperædificemus. 1 Cor. 3. 10. 11. 2 Petr. 3. 17. Quod ſi ego infirmus ſum, & meipſum ſuperædificare non poſſum, quid ſolatii contra meam infirmitatem? *Reſp.* Diſtinguendum eſt inter laborem ædificationis & benedictionem per quam ædificium creſcit, & ædificatio ſuccedit. Labor ædificationis nobis mandatus eſt, ſucceſſum laboris Deus in ſe recepit. Sicut in agricultura agricola quidem plantat, rigat, arat &c. Sed cauſa tamen incrementi non eſt labor agricolæ, ſed Deus. 1 Corinth. 3. Ita in hac ſpirituali ædificatione labor hominibus mandatur, ſucceſſus à Deo promittitur. Pſalmo 127. 2. dicitur. *Si Deus non ædificat domum, fruſtra laborant architecti.* Sic in hac ſpirituali ædificatione labor noſter fruſtra foret, niſi Deus ſucceſſum laboris in ſe recepiſſet. Quoniam autem Deus hoc fecit, nos laboremus & media ædificationis uſurpemus, curam autem ſucceſſus cum omni fiducia in Deum rejiciamus, nec nos ullâ dubitatione torqueamus. Vide Job. 8. 5. 6. 7. & 22. 23. Jacob. 1. 21. & quæ diximus in Actor. 4. 11. Conc. 49. facite hoc, & ædificabimini.

2. Querimini de penuria? Commendate vos Deo & verbo gratiæ, qui potens eſt vobis dare hæreditatem inter Sanctos. Nihil eſt, quod magis turbat & dejicit fideles, quàm cura & metus penuriæ in rebus ad vitam temporalem ſuſtentandam requiſitis. Cur tantoperè metuimus jacturam patris,

Digitized by Google

matris, mariti, peſtem, pluvias, ſiccitatem, bella, vaſtationes, &c. Scilicet quia his venientibus tolluntur media vivendi, ut neſciamus, quid edendum, quid bibendum & quo veſtitu veſtiendi ſimus. Sed quæſo vos, annon habemus Deum & verbum gratiæ, qui potens eſt nobis dare hæreditatem? Si ſumus hæredes Dei & cohæredes Chriſti, ſi nobis in cœlis reſervatur immarceſſibilis, impolluta, & incorruptibilis hæreditas, ſi non tantùm ſumus hæredes mundi, cœli, vitæ æternæ. Sed Deus ipſe eſt noſtrum hæredium Pſal. 16. 5. quid nobis deerit? Cur noſmet tàm dejicimus metu paupertatis, qui nos credimus adeò divites?

Object. Atqui tu cum hac tua hæreditate mercatum abeas in forum, & tentes, an hac hypotheca quiſquam tibi vel aſſem aut teruncium crediturus ſit! Non ſufficit poſt hanc vitam divitem fieri, etiam hic victus & amictus eſt habendus?

Reſp. 1. Etiamſi fame & frigore pereundum & moriendum ſit, annon magnum eſt ſolatium, quòd ſcis, te mortuum revicturum & fruiturum hæreditate Dei? An ſpes futuræ glorioſæ hæreditatis non eſt digna jacturâ hujus vitæ? Poſito, quòd fame & ſiti ac frigore non tantùm torquendus, ſed & conſumendus ſis, an ideò finita tua felicitas, an ideò non manes hæres ſummæ felicitatis? Verum eſt, ſicut Chriſtus per mortem in gloriam ſuam intravit, ita & nos non niſi per mortem hæreditatem noſtrã poſſidebimus Sed, ſicut Iſraëlitæ non formidârunt tranſire mare rubrum, deſertum, Jordanem, ut terreſtrem hæreditatem adirent, ita nobis non eſt metuenda mors, ſive violenta ſit, ſive naturalis, ſive fames, ſive ſitis nos enecet, ut ad cœleſtem hæreditatem perveniamus.

2. Si temporalia cupis, non eſt quod ad homines mercatum eas. Illi enim hâc hypothecâ nihil concredent. Sed abi ad Deum, huic per filiales inclamationes & per filialia officia evince, quòd ſis ejus hæres, qui jus habeas in omnia bona, & non negabit tibi neceſſaria in hac vita. Sicut enim bonus pater non tantùm id agit, ut filio poſt mortem bona relinquat, ſed & vivus filium alit & educat, & filialiter ſervientem remuneratur paternè, ita Deus, &c. Si fert voluntas Dei, ut ante hæreditatis poſſeſſionem ipſi in terra ſervias, annon alet, ut ſervire poſſis ejus conſilio? Sicut hæredes in V.T. parum differebant à ſervis Gal. 4. 2. 3. Ita & hæredes in N. T. omnem ſervilem conditionem nondum depoſuerunt, & tamen hæredes veri ſunt. Si Deus alit hoſtes, annon alet hæredes? Lege argumenta, quibus Chriſtus hanc curam retundit Matth. 6. à 25. uſque ad finem, præſertim v. 33.

Actor. 20. v. 33. ad finem.

CONC. CCXXXII.

ALterum remedium, quò Paulus conſolatur Paſtores Epheſinos contra penuriam & defectum mediorum vivendi, petit à ſuo exemplo. Ego etiam fui in neceſſitate & penuria victus & amictus. Sed, cùm fui, non concupivi

Digitized by Google

cupivi alterius aurum, argentum, veſtes, ſed hæ manus ſervierunt, non tantùm mihi ſuſtentando, ſed etiam iis, qui mecum fuerunt. Vide Actor. 18. 3. Non fuit in opificio educatus Actor. 22. 3. Sed ad Apoſtolatum inter gentes miſſus, victus acquirendi gratiâ, vel didicit, vel inter miraculoſa dona accepit à Deo artem manuariam, ſicut Bezaleel. Exod. 31. 3. Et dat rationes duas, cur ita fecerit: 1. Ut hoc pacto cæteros Miniſtros Euangelii doceret, propriis potius manibus laborandum eſſe, ad ſublevandos infirmos, quàm intempeſtivâ ſtipendii exactione, infirmos à fide avertere. 2. Quia recordabatur verbum Chriſti, beatius eſſe dare quàm accipere.

I. Dicit, ſe nullum, vel nullius argentum, aurum, veſtes concupiviſſe, ſed manuum ſuarum labore ſuas, & eorum, qui ſecum erant, neceſſitates ſublevâſſe & explêſſe. Paulus paſſim, præſertim 1 Cor. 9. expreſsè docuit, ſibi licitum eſſe, ſtipendium accipere pro prædicatione Euangelii. Accepit etiam, cùm datum eſt, idque cum gratiarum actione 2 Cor. 11. 8. 9. Phil. 4. 10. ad 19. Sed tamen non concupivit, non quæſivit dona, Phil. 4. 17. non exegit, efflagitavit & invitis extorſit ſtipendium, ſed, quantum poſſibile fuit, conatus eſt auditoribus ſuis ἀδάπανον θεῖναι τὸ εὐαγγέλιον. 1 Corinth. 9. Imò in locis, ubi avaritia & tenacitas major erat, expreſsè proteſtatus eſt, ſe nolle accipere, etiamſi offerretur. 2 Cor. 11. v. 9. 10. Non igitur hic locus poteſt comparari cum illo, quod legimus de Samuele 1 Sam. 12. 3. neque cum illo, quod eſt 2 Cor. 7. 2. Hiſce enim locis Paulus proteſtatur, ſe non feciſſe quod erat illicitum. Hoc autem noſtro loco gloriatur, ſe non feciſſe, quod licitè poterat facere. Non igitur hic locus eſt dicendi de turpi lucro, dorophagia, avaritia & injuſta extorſione, ſed de provido uſu libertatis in rebus indifferentibus & licitis.

II. Sed quare ita fecit, quare non poſtulavit ſtipendium pro labore?

Reſp. 1. Ut doceret ſuo exemplo infirmos eſſe ſublevandos, i.e. 1. Pauperiores, ex quibus Eccleſia tum temporis ut plurimum conſtabat, non eſſe gravandos. 2. Avariores & tenaciores intempeſtivâ exactione ſtipendii non eſſe avertendos ab Euangelio. Talibus enim Euangelium vix gratis obtrudi poteſt, nedum ut magno ſumptu emere velint. Hoc argumentum latè premit Paulus 1 Cor. 9. ubi dicit, ſe apud Corinthios ideò abſtinere ab efflagitatione ſtipendii, quia, etſi licitum ſit, tamen non ædificet.

2. Quia recordatus ſit verborum Chriſti, dicentis, beatius eſſe dare, quàm accipere. *Hîc quæritur*, ubi Chriſtus ita dixerit? Certè nuſpiam extant hæc verba in Scriptura. Ideò Pontificii hinc concludunt pro traditionibus. Ajunt enim, hîc eſſe exemplum traditionis non ſcriptæ. *Reſp.* 1. Quod ſacra Scriptura expreſsè teſtatur à Chriſto dictum eſſe, id non eſt traditio non ſcripta, ſed eſt pars S. Scripturæ. Atqui, quòd beatius ſit dare quàm accipere, in ſacris libris expreſsè ſcribitur à Chriſto dictum eſſe. Ergò non eſt traditio non ſcripta.

Digitized by Google

Quomodo igitur ex hoc loco evinces, eſſe extra & præter Scripturam aliquas traditiones non ſcriptas, pari pietatis affectu recipiendas? Hoc utique dictum non eſt extra Scripturam, ſed in illa. 2. Etſi autem non citatur hoc dictum ex aliquo Euangeliſta, qui facta ac dicta Chriſti conſignârant, rectè tamen concluditur ex doctrina Chriſti, quàm Euangeliſtæ deſcribunt. Dare enim Chriſtus paſſim in dictis ſuis præcepit, commendavit, laudavit ſed accipere nuſpiam nec præcepit, nec laudavit, vide Matth. 5. 42. Luc. 6. 35. 38. Et paſſim liberalitas in dando laudatur & beata prædicatur in Scriptura, quæ tota Chriſti verbum eſt. Vide Pſal. 112. 5. 6. 7. 8. 9. Sunt tales boni ſervi, qui talenta concredita benè impendunt, Deo fœnerantes Luc. 19. 17. Prov. 19. 17. *Hilarem datorem Deus amat* 1 Cor. 9. Quia propriè accedit ad naturam Dei, qui omnibus dat & à nemine accipit. Refutat hoc monachos, qui paupertatem eligunt præ poſſeſſione, & mendicationem feliciorem prædicant, quàm dationem. Aliud Paulus ſuadet, cùm hoc loco ait, laborandum eſſe, ut infirmos ſuſcipere poſſimus, ſicut Eph. 4. 28. Etſi autem beatius eſt, dare quàm accipere, inde tamen illi, qui ſuo labore victitare non poſſunt, ſed coguntur ab aliorum liberalitate accipere unde vivant, non debent concludere, ſe non eſſe poſſe beatos, nec à Deo amari. Non enim damnatur innocua paupertas, ſed tantùm hoc agitur & urgetur, ut Chriſtiani ſint ita generoſo animo, ut malint in labore & ſudore proprio pane veſci, quàm ignaviæ indulgere, & alienâ liberalitate vivere. Si hæc generoſitas eſſet in hominibus, non forent tàm multi qui ἀτάκτως incederent.

Hic jam quæritur, an Paulus hoc ſuo exemplo omnes Paſtores Eccleſiæ obliget ad recuſandum ſtipendium, & victitandum labore manuum, adeò, ut qui hoc non faciunt, ſint mercenarii & non veri Paſtores? *Negamus*. Paulus enim à ſtipendio abſtinuit, non quia nefas & illicitum erat ſtipendia accipere vel exigere, ſed quia libertate ſuâ noluit abuti ad dandum infirmis ſcandalum. Anabaptiſtæ, Weigeliani, Brouniſtæ, & quicquid fanaticorum hodie Eccleſiam turbat, & miniſterium in contemptum adigere, & Eccleſiam hoc neceſſario adminiculo privare ſatagunt, uno ore clamant, illicitum eſſe, ut, qui Euangelium annunciant, labori manuum ſe ſubducant, & pro Euangelii annunciatione ſtipendium accipiant, ſed volunt ut opificia exerceant, & ut alii cives victitent, vel ſaltem ut mendicationis quodam genere auditorum fores pulſent, & ab uno quoque eorum accipiant, quantum ab illo amantur, & quantum docent vivunt atque agant ex ejus ſententia. Ex re itaque erit his famaticis os obturare. Argumenta hæc ſunt:

1. Si Ethnici aluerunt ſuos Sacerdotes, etiam Chriſtiani debent. Conſequentiam probat Apoſtolus 1 Cor. 9. 11. Comparato cum 2 Cor. 11. 20. Ubi patet, quòd loquatur de pſeudo-Apoſtolis. Atqui Ethnici aluerunt Gen. 47. 22.

2. Si Sacerdotes & Levitæ V. T. accepe-

Digitized by Google

acceperunt ſtipendia, etiam miniſtris N. T. licet. Conſequentiam probat Paulus 1 Cor. 8. 9. 10. 13. Atqui illi acceperunt. Num. 18. 8. &c.

3. Chriſtus ipſe accepit Joh. 12. 16. Luc. 8. 3.

4. Apoſtoli acceperunt 1 Corinth. 9. 4. 6.

5. Chriſtus juſſit, & Apoſtoli juſſerunt, ut miniſtris præbeatur ſtipendium, 1 Cor. 9. 14. Gal. 6. 6. 1 Tim. 5. 17. & æquitatem hujus mandati probant ex jure naturæ & gentium, Matth. 10. 10. 1 Cor. 9. 7. Si miles juſtè accipit ſtipendium, ſi vinitor edit ex vinea, paſtor de lacte gregis, æquum quoque eſt, ut, qui Eccleſiam plantant, paſcunt, cuſtodiunt, ex Eccleſia vivant. 1 Cor. 9. 11.

Obje&#7;. 1. Matth. 10. v. 8. 9. gratis accepiſtis, gratis date. *Reſpond.* Chriſtum hic non loqui de labore prædicandi, patet, quia ſubjungit: operarius dignus mercede. Loquitur igitur de miraculoſis donis ſanandi ægros, quod beneficium Chriſtus noluit quæſtui haberi, ſicut faciunt medici & chirurgi, nec hoc propriè ad Apoſtolatum pertinebat, & ſine labore præſtari ægris poterat. Chriſtus tempore carnis ſuæ voluit circumire, benefacere & ſanare immediatè & per diſcipulos, idque gratis Actor. 10. 38.

Obj. 2. Ibidem; ne comparate aurum, argentum, æs, zonas, marſupia. *Reſpond.* 1. Intelligendum hoc de prima legatione, non de toto miniſterii curriculo. Alioquin Paulus peccâſſet contra hoc præceptum, dum manibus ſibi victum comparavit. 2. Si ad totum miniſterium pertinet, prohibetur comparatio laborioſa & ſollicita ſine fide.

Obj. 3. Mich. 3. 11. Reprehenduntur ſacerdotes, qui pretio docent, & Prophetæ, qui pecuniâ divinant. *Reſpond.* Reprehenduntur, qui legitimo ſtipendio non contenti, quæſtum aucupantur, jus Dei corrumpentes, & ſolatium diſpenſantes iis, quibus non competit, idque favoris & munerum causâ. Vide eodem capite, v. 5. & cap. 2. 11. vide Jerem. 14. 13.

Obj. 4. 2 Theſſ. 3. 10. Si quis nolit operari, etiam non edito. *Reſpond.* Hoc opponitur iis, qui munere ſuo non funguntur. Qui autem funguntur, ii ſatis laborant, etiam cum inſipientibus videntur otiari.

Obj. 5. Attamen Apoſtolus hoc textu dicit, ſe nullius aurum &c. concupiviſſe, & hoc ordinariis miniſtris in imitationem proponit. *Reſpond.* Non dicit, ſe non accepiſſe, quod dabatur lubenter ab iis, qui dare ſine incommodo poterant. Quod enim ſic acceperit, patet ex Phil. 4. 16. & 2 Cor. 11. 9. Sed dicit ſe non concupiviſſe, i. e. non extorſiſſe ab invitis, & ab illis, qui tempore illo perſecutionis dare non poterant, ſed dediſſe operam, ut in exactione debiti ſtipendii, infirmiorum & pauperiorum animo & penuriæ ſubveniret, ne quam Euangelio remoram injiceret. Hoc eſt, quod ordinariis paſtoribus in imitationem proponit, cum ſimilia tempora ſunt iis, de quibus Paulus loquitur. Poſtquam autem Deus vel majorum curâ & liberalitate SS. miniſterio de hæreditate & patrimonio proſpexit, vel tempore pacis Eccleſiis dat media, unde ſuppleri paſto-

Digitized by Google

rum poſſit neceſſitas, perperam urgetur hæc imitatio Pauli. Tempore enim pacis non eſt infirmitas, ſed avaritia & negligentia Eccleſiæ miniſtris non proſpicere de ſtipendio.

Hactenus concio Pauli, ſequitur diſceſſus Pauli ab Epheſiis, qui fit cum precibus, lacrymis, amplexibus, triſtitiâ & officioſâ deductione.

I. Concionem precibus finivit. Dignum hoc & hodieque imitandum. Verbo enim prædicato impetranda eſt divini ſpiritus benedictio. *Quæritur* autem de genuflexione inter precandum, an abſolutè neceſſaria? *Reſpond.* Neceſſariam eſſe dicimus, ſed non abſolutè neceſſariam. Neceſſaria: Nam pleraque exempla ſanctorum eam habent, & humiliatio tum animæ tum corporis, quæ in precibus neceſſaria eſt, eam requirit. Non tamen abſolutè neceſſaria. Dantur enim exempla, quod ſtantes & accumbentes & decumbentes & procumbentes precati ſint ſancti. Luc. 18. 13. Matth. 26. 26. 27. Iſai. 38. 2. Matth. 26. 39. & in externis corporis geſtibus major ſemper habenda eſt ratio caritatis, quàm geſtuum in cultu divino. Cùm igitur caritas impedit, non eſt neceſſarium. Interim neceſſarium, cùm non datur impedimentum, quod præcipuè locum habet in precibus domeſticis & privatis, & in ſoliloquiis ad Deum.

II. Cur ita plorant & triſtes ſunt? An nihil profuerat concio Pauli, quâ eos contra diſceſſum ſuum fuerat conſolatus? *Reſpond.* Imò profuit. Dimiſerunt enim Paulum, deducentes ad navim, & Eccleſiæ curam cum fiducia in Deum receperunt in ſe alacriter, nec impetuoſe reluctati ſunt voluntati Dei, nec quicquam fecerunt Chriſtiano homine indignum. Cur igitur ita triſtes ſunt, plorant, amplexantur? *Reſpond.* 1. Solatium Chriſtianorum non tollit naturales affectus. Non pugnat cum Chriſtiano ſolatio triſtem eſſe ex jactura amicorum, ſed ita triſtem eſſe, ut ii, qui ſpem non habent 1 Theſſ. 4. 2. Nec tollit infirmitates fidei, & reliquias illegitimæ triſtitiæ, ſed tantum accendit ſtudium, conatum atque luctam triſtitiam vincendi. Sicut enim ſolatium non eſt perfectum, ita non perfectè tollit triſtitiam. 3. Nec impedit officia amoris, & præſertim benefactoribus debita. Etſi non debebant in deſideranda Pauli præſentia eſſe immoderati, tamen debebant Paulum pro tanto ſuo labore amare, & ſincerum amorem ipſi teſtari. Et hoc eſt, quod faciunt ſuo fletu, amplexibus, oſculis, amicâ & honorificâ deductione. Optandum foret hoc diſcerent imitari, qui tàm leviter miniſtros & magiſtratus conſueverunt condemnere, & eorum contemptu non tantùm Euangelio remoram objiciunt, ſed etiam Remp. & Eccleſiam in turbas conjiciunt. Nimis communis hodie eſt vox illa Num. 16. 3. Et quis inde fructus, niſi veritatis ſalvificæ perditio? *Obj.* At vocati Concionatores habent ſua vitia, ſunt ſicut filii Samuelis & Eli, ſicut ſacrificuli Pontificii, qui anſam dant populo malè de ſe loquendi. *Reſp.* 1. Utique benè docent, quod præcipuum eſt in paſtoribus. 2. Quod ad vitam, plerumque plures habent judices, qui quærunt & venantur, quàm vitia quæ inveniuntur. Etſi facinora vitæ etiam

Digitized by Google

etiam in paſtoribus non ſunt diſſimulanda, tegere tamen & non exaggerare eorum infirmitates ſecundum Scripturam eſt. Dum in adminiſtratione verbi & Sacramentorum puri ſunt, & Scripturæ conformes, ſuper communibus vitæ infirmitatibus nec leviter judicandi, nec acriter traducendi ſunt. Utiles enim ſunt Eccleſiæ antiſtites, & tantò utiliores, quantò parcius judicantur & traducuntur.

Actor. 21. v. 1. *ad* 15.

Conc. CCXXXIII.

QUicquid ſcriptum eſt, noſtrâ cauſâ ſcriptum eſt, & facit ad noſtram ſalutem Rom. 15. Ergò etiam exigua illa, quæ ſunt in hoc textu, non ſunt inutilia, etiamſi nobis ita videantur. Non decet nos eſſe ſapientiores Spiritu ſancto, qui prudenter elegit, quod conſignari voluit, & nil in Scriptura tàm parvum, quod non in maximis materiis ſæpè lucem præbeat. Tertium iter Pauli, quod vocavimus Epheſinum, habet ſuum egreſſum & regreſſum. Egreſſûs ultima meta fuit Corinthus. Corintho partim per terram, partim per mare regreſſus eſt in Aſiam, & Mileti cum Epheſino Synedrio colloquutus eſt. Sequitur nunc, quomodo regreſſum ſuum perfecerit, donec Hieroſolymam venit, & quid Hieroſolymæ atque in Judæa ipſi contigerit, donec quartum ſuum iter ingreſſus eſt, quod regreſſu caret. Reliquum regreſſus tertii itineris hoc cordine perfectum eſt:

1. Mileto, per ventum depulſus, & à cariſſimis Epheſiis ſuis avulſus, navigavit in Inſulam Coum recto curſu.

2. Sequenti die ex Coo navigavit in Rhodum, Inſulam aliam littori Aſiaticò vicinam.

3. Ex hac Inſula navigavit Pataram, quæ eſt civitas in continente Lyciæ.

4. Pataræ invenerunt navem, quæ curſum ſuum in Phœnician deſtinaverat, Syriæ Provinciam, Galilææ vicinam.

5. Cum hac navi egreſſi, reliquerunt littus Aſiæ, aſcenderuntque auſtrum verſus, donec magnam Inſulam Cyprum à ſiniſtra haberent inter navem & Aſiam, atque ita verſus Syriam navigantes Tyrum appulerunt.

6. Tyri manſerunt per ſeptem dies, cumque Paulus à diſcipulis per ſpiritum præmonitus eſſet, ne aſcenderet Hieroſolymam, exiit tamen, & cum diſcipulis in littore precatus flexis genibus & factâ ſalutatione navem conſcendit, diſcipulis ad ſua revertentibus.

7. Hac navi Palæſtinæ litus legens Ptolemaida pervenit, quæ erat civitas pertinens ad tribum Aſer, olim vocata Acco Jud. 1. 31. Ubi per diem unum manſerunt, diſcipulos ſalutantes. Hactenus navigaverat ex occidente verſus orientem, nunc ex ſeptentrione verſus auſtrum navigat, ut Hieroſolymæ fiat propinquior.

8. Ptolemaide Cæſaream venit, terreſtri, ut videtur, itinere, poſt abſolutam navigationem v. 7. ubi multis diebus commoratus eſt, & ubi aliquid notabile

Digitized by Google

le ipſi contigit.

9. Cæſareâ denique, aſſumptis quibuſdam comitibus, terreſtri itinere Hieroſolymam pervenit v. 16.

Hîc quæritur, quô fine Spiritus S. tàm accuratè & tam circumſtantialiter conſignaverit illa loca, per quæ Paulus hunc regreſſum tertii ſui itineris conſummavit? *Reſp.* 1. Ad firmandam fidem hiſtoriæ. Circumſtantiæ loci & temporis multum faciunt ad fidem hiſtoriæ. 2. Ad deſcribendam diligentiam Pauli in diſſeminando Euangelio. Poterat eum Deus unâ navi Mileto rectà deducere Hieroſolymam, aut in urbem maximè vicinam, ſed datâ operâ per Inſulas mittit, ut paſſim Eccleſias luſtret. Etſi enim feſtinans in Pentecoſte Hieroſolymæ eſſe nullibi diu moratus eſt, tamen adiit loca multa. Deus iſtum virum fecerat ipſo Sole clariorem. Ubicunque lucebat ſemel, ibi ſemper dies erat. Doceat hoc non deſperare de ſucceſſu & progreſſu Euangelii propter magna impedimenta. Deus facili medio poteſt ſecundare. Sicut exiguâ candelâ tota urbs poteſt in flammam dari, ita exigui temporis inſtitutione Euangelicâ tota aliqua natio poteſt reddi particeps Euangelii. Factum hoc non tantùm tempore Apoſtolico, ſed & patrum noſtrorum memoriâ, in Germania, Gallia, Belgio, Anglia, Daniæ, Suecia, Polonia. Impedimenta tum erant majora quàm nunc, veritas eadem, & Papatûs ſuperſtitio æquè magna atque nunc. Idem Deus, qui tunc deſtruxit Satanam, etiam nunc poteſt. Modò nos ſecundum profeſſionem veritatis piè vivamus.

Videndum nunc ordine. Quod Paulò ſingulis in locis, per quæ tranſiit, contigerit. Ipſorum locorum deſcriptioni inhærere, & narrare, quicquid hiſtoriæ de ſingulis ſuppeditant, non eſt ex uſu cathedræ. Seligemus quod aliquid difficultatis & nobilitatis habeat.

I. Plerique interpretes animum applicant ad modum illum loquendi, qui eſt v. 1. Cumque fieret, ut avulſi ab iis proficiſceremur. Ajunt hoc non intelligendum de ſimplici digreſſione. Hoc enim indigitatur per aliud vocabulum ἀναχθῆναι. Neque de clamore nautarum, quô vocabantur ad navem, ſecundum verſum Ovidii:

Sævus ubi à puppi longo clamore magiſter,
Diſſipat amplexus atque oſcula fida revellit.

Sed declarari hac voce ægritudinem animorum à ſeinvicem diſcedentium, quæ talis erat, ut ſcindi & quaſi gladio à ſe invicem dirimi viderentur & ſeparari. Et revera talis eſt ſeparatio amicorum, cum vel per itinera vel per mortem ſeparantur. Amicorum animæ ſunt quaſi conglutinatæ 1 Sam. 18.1. Ideoque cum ſeparantur, eſt, ac ſi dilacerarentur. Apparet hoc in iis, qui tantùm vinculo naturali ſibi invicem conglutinati ſunt. Vide exemplum Davidis. 2 Sam. 18.33. Similiter in iis, qui per vinculum Chriſtianæ Philadelphiæ & amicitiæ ſibi juncti ſunt. Vide exemplum Eliæ & Eliſæi. 2 Reg. 2. 2. ad 13. Nobis tamen ex hoc exemplo diſcendum, quod Deo evocante diſcedendum libenter, etiamſi ægrum eſt. Paulus & fratres Epheſini oſculis & amplexi-

bus

Digitized by Google

bus ſibi invicem cohærebant cap. 20. ult. Cùm tempus eſſet ſequendi vocationem divinam, per ſpiritum rumpunt vincula naturæ. Paulus in navem abit, illi ad ſua redeunt, i. e. ad ſuam vocationem, ut dicitur v. 6. Sic nos faciamus, cùm mors nos ſeperat ab amicis. Non hæc res tota committenda tempori, ſed vis facienda, & avellendus animus ab iis, à quibus ſeparamur. Bonum eſt, ut, dum Deus nos ſinit cohabitare & convivere, ſtudeamus precibus & mutuâ charitate nos invicem retinere. Sed cùm Deus nos ſeparat, divellendus quoque animus per Spiritum ſanctum. Sic David 2 Sam. 12. 20. Cogitandum eſt 1. Nos nihilominus manere in unione & communione cum Chriſto, etiamſi per mortem ſeparemur. Communio Sanctorum immortalis eſt, quia moriuntur in Domino Apoc. 14. Sicut in vita ſumus unum corpus 1 Cor. 10. v. 17. Rom. 12. 5. 1 Corinth. 12. 27. ita & in morte. Conjugium cum Chriſto non ſeparatur per mortem Oſ. 2. 18. 2. Nos denuò conventuros & in æterna præſentia victuros. vide Matth. 24. v. 31. 1 Theſſ. 4. v. 17. Hebr. 12. 23. Careamus mutuò conſpectu ad tempus, ut æternum ſimus congregati.

II. Prætemavigatâ Coo, Rhodo, Patara, Cypro, quippe ubi nihil notabile Paulo contigit, quod conſignatum ſit, Tyrum cum Paulo appellimus, ubi hac vice noſtra navis onus exponet. Tyri autem ſequentia contigerunt:

1. Paulus Tyri invenit diſcipulos, cum quibus manſit ſeptem dies. Hîc notandum eſt complementum vaticiniorum quæ ſunt Eſa. 23. 18. Pſal. 45. v. 13. Pſal. 84. 4. Tyrus in Scriptura & hiſtoriis celebris eſt commerciis, opificiis & divitiis, celebris ſuâ ſuperbiâ, celebris & amicitiâ & inimicitiâ erga Iſraëlem, celebris denique deſtructione per Alexandrum M. ab Iſraëliticis Prophetis paſſim prædictâ. Hoc quoque in loco Deus Eccleſiam ſuam condidit, & tùm demum hæc urbs, quamvis deſtructa, veram pulchritudinem accepit.

2. Illi diſcipuli Paulo dicebant per Spiritum, ne Hieroſolymam iret. Paulus ductu & impulſu Spiritus S. Hieroſolymam properabat. Actor. 20. 22. Quomodo igitur hi diſcipuli per Spiritum Paulo vetant iſthuc ire? An Spiritus poteſt vetare, ad quod ipſe impellit? *Reſp.* Duo ſunt in præmonitione diſcipulorum. 1. Prædictio inſtantium perſecutionum. 2. Conſilium non eundi. Prius faciebant per Spiritum S. poſterius verò faciebant per carnem & intempeſtivum Pauli amorem, ſicut Petrus Matth. 16. v. 22. Hinc monemur:

a. Ne quid addamus revelationibus à Deo acceptis, ſed id tantùm doceamus, quod à Domino accepimus 1 Corinth. 15. 3. qui demit & qui addit, uterque maledictus Apoc. 22. 18. 19. Vide caſum Prophetæ, proprio motu aliquid revelationi addentis 1 Reg. 13. 17. 18. &c. Conjice igitur, quid de traditionibus & verbo non ſcripto Papiſtarum ſentiendum ſit.

b. Quòd caro ſe miſceat ſpiritui, & ipſius Spiritus S. opera commaculet. Quod per ſpiritum fiebat, habebat ſuas

Digitized by Google

carnales maculas. Etiam juſtitiæ noſtræ maculatæ Eſa. 63. *etiam cum bonum facimus, peccamus*, Eccleſ. 7. v. 20. etiam tùm, *cùm ſpiritu ſervimus legi Dei, carne ſervimus peccato.* Rom. 7. Sciamus hoc; ne cupiamus propriâ juſtitia coram Deo ſubſiſtere, ſed abnegemus noſtram juſtitiam, & involvamus nos pallio juſtitiæ, quod Chriſtus peperit Eſa. 61. 10. Etiam veſtes noſtræ lavandæ ſunt ſanguine agni Apoc. 7. 14. i. e. bona opera. Etiam preces & totus cultus noſter indiget ſuffitu, quo fætor ejus arceatur & Deo gratus ſit. Apoc. 8. 3. Cùm igitur omnia fecimus, quæ debemus, ſciamus, nos minimè juſtificatos, ſed eamus extra nos, & tùm perſonæ, tùm operum juſtificationem quæramus in Chriſto.

c. Ut fugiamus importunas amicitias, quibus nos invicem invitamus, & nobis invicem indulgemus ad facienda, quæ ſunt injuſta vel damnoſa. Ex perverſa amicitia pervenit, quòd Paulo diſſuadent locum, ad quem Spiritus S. eum vocabat. Ex amicitia nos invicem invitamus ad potandum, ad luxuriandum, ad fugiendas perſequutiones. Optandum foret, nos invicem ita excitaremus ad cultum Dei & ad fugam vitiorum. Vide quid de talibus amicitiis Scriptura judicet Jud. 19. 5. 6. 7. 8. 1 Reg. 13. 17. 18. Etiamſi Propheta vel Angelus nos invitet ad faciendum quod prohibitum eſt, non eſt obediendum Gal. 1. 8. Recuſandum malum, etiamſi offendantur amici 1 Petr. 4. v. 4. Hoc eſt ſe avellere ab amicis.

3. Paulus nihilominus exit, deductus ad navim à diſcipulis, eorumque uxoribus & liberis, cumque flexis genibus precatus eſſet, navem conſcendit, illi ad ſua redeunt. Hìc non tantùm vides, quàm parum Paulus importunis amicis obſecundaverit, ſed etiam vides

a. Exemplum honoris & reverentiæ, quam auditores exhibent Doctori Euangelii. Non tantùm ipſi deducunt Paulum, ſed & ipſos liberos tempeſtivè adſuefaciunt honorandis Euangelii Miniſtris. Probè hinc diſcamus liberis noſtris ingenerare æſtimium Euangelii & S. S. Miniſterii, ne contemptores ejus evadant. Teſtimonium Eccleſiæ de divinitate Scripturæ & S.S. Miniſterii non eſt quidem præcipuum argumentum fidei, ſed eſt tamen primum argumentum. Scripturæ non crediſſem, niſi me moviſſet authoritas Eccleſiæ. Sic filios ad Eccleſiam & cultum publicum invitat, ſi vident parentes eam tanti æſtimare. Applica exemplum Samaritanorum Iohan. 4. v. 39. comparato cum 42. Quàm huic contrarium eſt, quod nunc apud nos ſolenne eſt, ubi parentes eunt in templum, & liberi intereà exeunt luſum in campis & plateis. Educatio prava liberorum, eſt perditio Reip. & Eccleſiæ. Eph. 6. 4. Luc. 2. 41. Deut. 6. 7.

b. Commendationem precum. De neceſſitate genuflexionis inter precandum diximus in cap. 20. 36. Diſcamus hinc preces præcipuè neceſſarias eſſe itinerantibus. Cùm enim iter facimus, deſerimus commoda & auxilia, quæ Deus domi noſtræ dedit nobis, nec alibi facilè paria invenimus auxilia humana,

Digitized by Google

mana. Curandum igitur, ut ſit nobiſcum Deus, Dux, Comes, Defenſor, Adjutor. Sic Paulus precabatur felix iter. Rom. 1. 10. & Jacob Gen. 28. v. 20. Precibus etiam abſentes juvare poſſumus. Cùm Tyriis & Paulo eſſet diſcedendum, precibus ſe invicem Deo commendârunt. Auxilia humana ſe non extendunt per multa locorum interſtitia. Preces tamen juvare poſſunt etiam illos, qui ſunt in ultimis mundi horis. Caritas eſt & communio Sanctorum res Eccleſiæ in toto orbe precibus ſuis concludere, & perpetuò Hieroſolymorum Hoſanna cantare. Matth. 21. Fac bene Tzion. Pſal. 51. Nos ſumus in pace. Ne tamen ceſſemus orare pacem aliorum.

c. Denique hinc diſcendum, cultum non abrogare opera vocationis. Tyrii Pauli doctrinâ auditâ, eoque ad navim deducto, redeunt ad ſua, i.e. ad ſuam vocationem. Sex diebus operaberis, ſeptimo erit Sabbathum. Non eſt hîc perpetuum Sabbathum, ſed Sabbathum cum labore. Malè faciunt monachi, qui abjecto labore honeſtæ vocationis totam vitam cultui ſe conſecrare ajunt. Mali item, qui neglecto cultu divino, totum tempus voluptatibus & curis vitæ impendunt. Deus & cultum & laborem requirit, & utrique ſuum tempus deſtinavit. Chriſtianiſmus non alit ignaviam illam muliercularum, de qua 1 Timoth. 5. 13. Vide 2 Theſſ. 3. 10. 11. 12. Laboremus hîc & redimamus tempus, quò & Chriſtianiſmo & vocationi ſatisfiat, & tandem veniet Sabbathiſmus æternus in cœlo.

Actor. 21. v. 7. adib.

Conc. CCXXXIV.

Nullum eſt opus, quod homo facit in mundo, quin facere cogatur cum labore & periculo. Angeli opus ſuum faciunt ſine labore & defatigatione, & nos quoque cùm in cœlum venerimus. Sed dum hîc ſumus, nihil poſſumus facere bonum ſine labore, fatigatione, tædio & periculo. Reſpice agricolam, mercatorem, opificem, ipſos ſtudioſos, qui manuum labore non victitant, opus tamen eorum non eſt ſine labore, tædio, periculo. Eminet in hoc opus Apoſtolorum, qui ſanè ſummo cum tædio, labore, periculo opus ſuum perfecerunt. Cœpimus nuper explicare diurnum illud, ſeu diarium, vel itinerarium, quo conſignatur regreſſus Pauli ex tertio itinere verſus Hieroſolymam. Vidimus, quomodo Corinthum regreſſus Philippos, tranſfretavit ex Europa in Aſiam, & Miletum uſque pervenit. Vidimus nuperrimè, quomodo Mileto ſolvens per Coum, Rhodum, Pataram profectus, Cyprum prænavigavit & Tyrum appulit, & quod ibi ipſi contigit. Sequitur nunc, quomodo Tyro ſolvens Ptolemaiden, Ptolemaide Cæſaream, Cæſarea tandem Hieroſolymam pervenit.

I. Tyro ſolvens perfecta navigatione Ptolemaida pervenit. Hactenus navi ferè vectus erat. Ptolomaide mari deſerto, terreſtri itinere Hieroſolymam petiit. Eſt hæc urbs in littore Pa-

Digitized by Google

læſtinæ ſita pertinens ad tribum Aſer. In hac urbe non niſi unam diem manſit, & diſcipulos ſalutavit: Salutatio hic non ſignificat meram apprecationem ſalutis, ſed & inſtitutionem in Euangelio attamen brevem, adeò ut hanc Eccleſiam non niſi à limine ſalutaverit, ut habet Proverbium, & *ἐν παρόδῳ* viderit, ut 1 Corinth. 16.7. Tyri moratus eſt dies ſeptem v. 4. Cæſareæ dies plures v. 10. Sed Ptolemaide non niſi diem unum. Diſpenſatio externorum mediorum ſalutis etiam in ipſis Eccleſiis non eſt ubique æqualis. Alicubi Paulus docuit per aliquot annos, alicubi per aliquot menſes, alicubi per aliquot dies, alicubi vix divertit. Sic & hodiè Deus non omnibus Eccleſiis eâdem abundantiâ, claritate, efficaciâ & diuturnitate ſinit prædicari Euangelium, ſed Miniſterium Euangelii aliis in locis & rarius & infirmius eſt, quàm in aliis. Sicut in temporalibus non omnes homines æquè lautè cibat, & tamen omnibus eandem formam gratitudinis præſcribit Deut. 8. 10. 11. Ita animas diſcipulorum paſcit diverſimodâ diſpenſatione Euangelii, & tamen omnes obligantur ad eam gratitudinem, quæ eſt Pſal. 147. v. 12. 19. 20. Ne ſpernamus igitur Miniſtros Dei legitimè vocatos, ſi tanta non habent dona, nec verbum tantâ cum claritate & efficaciâ ac aſſiduitate nobis adminiſtrant ac vellemus, ſed tantò ſimus attentiores, credentes Deum benedicturum omnibus ſuis ſervis legitimè ad hoc opus vocatis, & ſecundum Scripturam opus ſuum facientibus.

II. Ptolemaide Cæſaream cum comitibus, inter quos Lucas ſeipſum profitetur, venit, ubi duo notabilia contigerunt:

1. Paulus diverſorium habuit in æde Philippi Euangeliſtæ, qui erat unus ex ſeptem, & habebat quatuor filias, virgines, quæ prophetabant. Philippus erat unus ex ſeptem, i. e. ex ſeptem illis Diaconis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, qui conſtituebantur ab Eccleſia, auſpicio Apoſtolorum, per occaſionem cujuſdam exortæ murmurationis ſuper diſtributione eleemoſynarum. Act. 6. Sed, ſi Diaconus erat, cur vocatur Euangeliſta? *Reſp.* Quia poſt perſecutionem Sauli, per quam Hieroſolymitana Eccleſia diſſipata fuit, Hieroſolymâ diſceſſit, & Euangelio per alias urbes prædicando operam dedit, & ſic Apoſtolorum cooperarius factus eſt, & primò quidem Samariæ, ut videre eſt Actor. 8. 3. 4. 5. Apud hunc divertit Paulus cum Luca & comitibus, idque quod duo egregia dogmata nobis commendat:

. Collegas in eodem officio ſibi invicem præcipuè debere omnem humanitatem & amicitiam. Hic unus Apoſtolus, & duo ad minimum Euangeliſtæ ſub uno tecto vides hoſpitantes Hic præcipuè locum habet illud Pſal. 133. 1.

.. Converſionem debere tollere inimicitiam. Philippus Actor. 8. 4. nominatim ponitur inter illos, quos Paulus perſecutione ſuâ fugaverat. Et tamen nunc Philippus hoſpitio excipit hunc ipſum Paulum perſequutorem ſuum per plures dies. Commendat nobis hoc exemplum reconciliationem

cum

Digitized by Google

cum iis, à quibus paſſi ſumus injurias. Si Pilatus & Herodes occaſione paſſionis Chriſti potuerunt fieri amici Luc. 23. annon nos poſſumus reconciliari cum proximo, cùm tempus eſt, ut uterque accedamus ad ſacrum memoraculum mortis Chriſti, pro noſtra reconciliatione cum Deo?

Hic Philippus habebat quatuor filias prophetantes. Habebat filias quatuor. Euangeliſta habebat filias. Non erant ſpuriæ, ſed filiæ legitimæ, à Philippo benè educatæ. Ergò non illicitum eſt Miniſtris Euangelii in conjugio vivere, & liberos educare. Hebr. 13.4. Hæ filiæ prophetabant. Quid hoc ſibi vult? Utique mulieribus non eſt conceſſum prophetare, vel in Eccleſia loqui. 1 Cor. 14.34.35. *Reſp.* Vox prophetare quatuor modis ſumitur in Scriptura:

1. Significat vaticinari, ſeu per revelationem Spiritus S. futura prædicere, ſicut hoc ipſo capite Agabus. Et hi ſunt Prophetæ, ſeu prædictores propriè dicti.

2. Significat ſtudere in ſacra Prophetia, ſeu ſeſe exercere in ſcrutatione rerum divinarum, atque per hanc exercitationem conſequutum eſſe egregiam intelligentiam in myſteriis fidei, ut poſſis fidei tuæ confeſſionem edere, & confeſſionis tuæ rationem reddere cuivis exigenti, ut loquitur Petrus 1 Petr. 3.15. utque poſſis in quotidiana converſatione proximum cum ædificatione ad pietatem hortari Hebr. 10.24. & præſertim, ut poſſis ſapientibus precibus Deum quotidiè colere. Sic Prophetarum filii dicuntur prophetare, & Saulus cùm illis 1 Sam. 10. v.10.11. Sic ſumitur vox hæc Joël 2. v. 28. Actor. 2. 17. Et ſic rectè dicuntur prophetare non tantùm Studioſi Theologiæ in Academiis, qui Eccleſiis docendis ac regendis ſe conſecrant per liberalium artium & facultatum ſtudia, ſed etiam catechumeni Eccleſiarum (Catechiſmus diſcipelen) qui peculiari zelo & diligentiâ in cognitione myſteriorum fidei, ſub inſpectione paſtorum ſuorum, ſeſe exercent, ſive ſint maſculini, ſive fœminini ſexus. Sic igitur prophetare idem eſt, quod μαθητεύειν. q.d. diſcipulare, ſeu diſcipulum eſſe, ut hæc vox uſurpatur Matth. 27. 57. de Joſepho Arimatheenſi, καὶ αὐτὸς ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ.

3. Significat cultui publico intereſſe: ſic ſumitur 1 Corinth. 11.4.5. Iſto loco prophetare nil aliud ſignificat, quàm publicis precibus & verbi Dei explicationibus intereſſe per modum auditoris. Vult Paulus in cultu publico inter precandum & audiendum obſervari prudens diſcrimen inter viros & fœminas etiam in externis geſtibus & habitu, ut omnia ibi fiant decorè, tanquam in præſentia Dei & Angelorum.

4. Significat cultui publico præeſſe, ſeu λειτουργεῖν, publicis ſacris operari Act. 13.1.2. Erant quidam Prophetæ & Doctores λειτουργοῦντες. Sic hæc vox accipitur 1 Cor. 14.1.2. & paſſim, interdiciturque mulieribus, imò viris omnibus non permittitur. Non enim ſcopus Pauli in illo capite eſt Sectariorum libertatem prophetandi introducere, & omnibus viris, qui aliquo pa-

Digitized by Google

ſto garrire aliquid de rebus divinis poſſunt, concedere jus publicè docendi in Eccleſia, citra formam legitimæ vocationis, ſed Apoſtolus reſpicit tempora primitivæ Eccleſiæ, quibus dona miraculorum & prophetiæ abundabant, ordinatque, uti cùm multi Doctores & Prophetæ in una Eccleſia convenirent, nihil geratur per confuſionem, ſed omnia fiant ordine & decenter.

Quòd ſi quæris, cur hæ filiæ Philippi dicantur prophetâſſe? *Reſpondeo:* prophetârunt primo & ſecundo ſenſu, ſcilicet, 1. Quia fuerunt inter illos, qui habuerunt donum prædicendi futura: Hoc enim donum in V.T. non tantùm viris ſed & fœminis dabatur, ut patet in exemplis Deboræ & Huldæ. Judic. 5. 2 Reg. 22.14. & Mariæ, matris Domini Luc. 1.47. &c. & Annæ Luc. 2. 36. adeòque & his filiabus potuit eſſe datum. 2. Quia fuerunt inter illos, qui ſingulari zelo ſe conſecraverant ſtudio catecheſeos, & per hoc conſequutæ erant inſignem intelligentiam rerum divinarum, ut poſſent edere confeſſionem fidei, & in quotidiana converſatione alios ad pietatem hortari.

Sed cur expreſsè additur, quòd hæ filiæ fuerint virgines? Papiſtæ dicunt, hoc ideò fieri, ut in hoc exemplo cœlibatus commendetur ſupra conjugium; cùm hæ filiæ perpetuo cœlibatui ſe devoventes, & ſic monialem vitam ſuo exemplo initiantes, virginitate ſuâ donum prophetiæ meruerint. Hæc interpretatio falſa eſt. Nam, ne quid nunc dicam de abominabili doctrina & opinione meriti humani apud Deum, Paulus 1 Corinth. 7. conjugium & cœlibatum res indifferentes appellat, quorum uterque ſtatus æquè licitus & æquè ad pietatem utilis eſt, niſi quod conjugium difficultates temporalis vitæ accumulat, & tempora perſecutionis difficiliora reddit portatu. Cœlibatus igitur non eſt melior vel ſanctior, quàm conjugium, ſed tantùm eſt commodior, gemächlicher/ & minus ſubjectus cruci, ſicut viciſſim ſtatus conjugii hoc habet privilegium, quod liberior eſt à tentationibus ac peccandum in iis, qui donum continentiæ non habent. Vide 1 Corinth. 7. 8. 9. 26. 27. 28. 32. ad 39.

Alia igitur ratio quærenda, cur Paulus tàm expreſsè annotat, has filias prophetantes fuiſſe virgines. Et quæ illa? ſcilicet ut ſtudium prophetandi ſeu exercendi ſeſe in myſteriis fidei & doctrina Catechiſmi nobis commendet, dum adhuc ſumus juniores, & in cœlibatu conſtituti. Erant adhuc virgines, & tamen jam-tùm prophetabant. Hoc tempus aptiſſimum eſt diſcendi prophetiam. Nam poſtquam conjugium ingreſſi ſumus, curæ mundanæ ita multiplicantur, ut non poſſimus adeò multùm vacare ſtudio catechetico 1 Cor. 7. 32. 33. 34. Non dico hoc, quaſi conjugiū à ſtudio prophetiæ nos planè abſolvat, ſed quia iſtud ſtudium, in cœlibatu non cœptum, in conjugio parum promovetur. Virgo, quæ cœlibatum ſuum tranſegit poliendo & comendo, & in quotidiana converſatione cum juvenibus, ſine ſtudio prophetiæ & œconomiæ, poſt conjugium in neutro proficiet, & non erit niſi onus & plaga mariti.

Digitized by Google

ritî. Itaque virgines noſtræ hoc exemplum filiarum Philippi probè obſervent, & tùm œconomiæ, tùm prophetiæ diligenter ſtudeant, dum ſunt virgines.

Non avocamus virgines à ſtudio œconomiæ, ut in ſola prophetia juventutem ſuam occupent, ſed utrumque illis commendamus. Eſt ſecundum naturam N.T. ut juvenes & virgines prophetent Joël. 2. Requiritur ab utriſque Pſal. 148. 12. & Deo præcipuè gratus eſt cultus, qui à junioribus proficiſcitur. Pſal. 8. 3. Eccleſ. 12. 3.

Alterum, quod Paulo Cæſareæ contigit, eſt prophetia Agabi, qui cingulo Pauli ſeipſum ligans vincula Pauli prædicit, & quid occaſione hujus prædictionis inter Cæſarienſem Eccleſiam atque Paulum contigerit.

Agabus Interpretibus videtur idem, qui famem tempore Claudii futuram prædixit Antiochiæ Actor. 11. 27. 28. Famem & vincula prædicit Agabus. Non enim prophetarũ vaticinia ſemper erant Euangelica de beneficiis Meſſiæ erga Eccleſiam, ſed ſæpè legalia de oneribus & plagis erga impœnitentes, vel etiam de caſtigatione & cruce piorum.

Ad vaticinandum uſus eſt ſymbolo, cingulo ſeipſum ligans, ſicut moris eſt prophetis ſymbolis uti vel externis ſignis. Eſa. 20. 2. 3. Jerem. 2. 3. Ezech. 12. 3. 4. 5. 6. 18. Mos Dei eſt, non tantùm per verba audibilia, ſed etiam per ſigna viſibilia homines docere ſuam voluntatem, quia homo habet duos diſciplinares ſenſus, & quia, quod non tantùm auditur, ſed etiam videtur, efficacius movet. Sic etiam doctrinam fœderis per Sacramenta quaſi viſibilem facit, ut Chriſtus quaſi ante oculos nobis crucifigatur. Gal. 3. Sit nobis igitur uſus Sacramentorum æquè commendatus ac uſus verbi. Utraque enim ſunt inſtrumenta Dei, per quæ Deus Spiritus S. in nobis operatur.

At cur denuò Deus Paulo hæc vincula prædicit? Sciebat utique ex tot prædictionibus antea factis Actor. 20. 23. & 21. 4. Cur ergò denuò prædicit? *Reſp.* Facit hoc, ut per continuas commonefactiones Paulus eſſet in præparatione animi ad has afflictiones lubenter ſuſcipiendas, ſciens, eas ſibi divinitus eſſe prædictas & præparatas. Deus non ſubitis calamitatibus ſuos filios obruere ſolet, ſed eos de calamitatibus præmonere, commonefaciens ante verbera. Sicut impiis ſolet præmittere minas, antequam punit Pſal. 7. v. 12. 13. 14. Ita pios commonefacere antequam affligit & calamitatibus viſitat. Sic Actor. 9. 16. Paulum de cruce commonefacit ſtatim à prima vocatione. Sic Actor. 27. 23. 24. 26. Sic Iohan. 21. 18. Sic Matth. 10. 16. 17. Luc. 22. v. 31. Nobis quidem hodiè non fiunt commonefactiones & prædictiones adeò particulares: Attamen commonemur.

1. Per generalia vaticinia Scripturæ. Matth. 16. 24. Marc. 10. 30. Ioh. 16. v. 33. Actor. 14. 22. Matth. 10. 34. Luc. 24. 26. 2 Tim. 3. 12. Hebr. 9. 27. 1 Petr. 5. 8.

2. Per exempla Sanctorum, qui nobiſcum in mundo vivunt. Quis eſt, qui ſine cruce vitam finiat. Reſpice majores,

Digitized by Google

majores, minores, æquales, peregrinos, domeſticos, conſanguineos. Quis horum omnium ſine miſeria & morte cœlum conſequutus eſt? Si has commonefactiones divinas de cruce & morte crediderimus, & ſemper ob oculos habuerimus, proderunt ad duo:

1. Ut non incidamus in ſecuritatem. Si Petrus prædictionem Chriſti de lapſu crediđiſſet, & ſeriò conſideráſſet, cautior fuiſſet in lapſu evitando. Conſiderátio crucis poteſt animam cuſtodire in perpetua diſpoſitione ad vigilandum, temperantiam, preces, ne incidamus in tentationes, ſed ſi deponimus cogitationes de cruce, facilè effundimur in voluptates & ſecuritatem.

2. Ut crux prævíſa tàm graviter non obruat. Tela prævíſa minus nocent. Vide dicta Iohan. 16. 1.2.3.4. 1 Theſſ. 3.3. 1 Petr. 4.12. Hebr. 12.5.6. Ne ſit peregrinum. Eſt enim proprietas filiorum Dei & membrorum Chriſti.

Actor. 21. *v.* 12. *ad* 17.

CONC. CCXXXV.

SEquitur, quid inter Paulum & comites atque diſcipulos iſto loco habitantes ſuper prophetia Agabi actum ſit. Comites Pauli, quibus Lucas ſeipſum includit, & *οἱ ἐντόποι*, i.e. diſcipuli Cæſareæ habitantes, auditâ Agabi prophetia de vinculis Pauli, unanimiter rogant, ut non aſcendat Hieroſolymam. Quod non bene fecerint diſſuadentes id, ad quod à Spiritu S. vocabatur, diximus ſuprà in verſu 4. Interim nota, ipſos quoque comites Pauli, imò ipſum Euangeliſtam Lucam in hanc infirmitatem incidere. Et nos, & illi, qui iſtius loci erant rogabamus. Dudum ſciverant, inde ab initio itineris, talia Paulo Hieroſolymis obventura eſſe, ut patet Actor. 20.22. & tamen non retinuerant Paulum, ſed potius hucuſque deduxerant. Sed poſtquam urbi adeò vicini fiunt, & denuò de his vinculis intelligunt, deficit animus & incipit ſuadere ſubductionem, idque cum lacrymis & fletu, ut Paulus indicat verſu ſequenti. Non totum hoc opus condemnamus. Proficiſcitur enim ex vero amore ergá Paulum, quem in uſum Eccleſiæ cupiunt inter vivos retentum. Attamen infirmitas carnalis ſubeſt, quod ſuo conſilio indulgent contra revelatum conſilium Spiritus S., & quod hactenus in revelato Spiritus S. conſilio acquieſcentes, nunc demum incipiunt deficere, ubi periculum in vicinia eſt. Tales ſumus omnes. Novimus nobis multa patienda & denique moriendum eſſe. Dum autem hæc procul abſunt, fortes ſumus & parati ad ſubeundum, ut patet in exemplo Petri Matth. 26. 33. & 35. Verùm ubi in conſpectum veniunt, contremiſcimus & de effugio cogitamus. Matth. 14. 28. cum 30. Non rectè facimus. Chriſtus enim ideò de talibus nos præmonuit, ut cum fient & venient, prædictionum recordemur, & tùm parati ſimus ad ſuſcipiendum Iohan. 16. 2. 3. Non tamen hæc infirmitas argumentum eſt, nos veram fidem non habere. Vides enim eandem

Digitized by Google

dem in ſanctiſſimis Pauli comitibus, & in ipſis Evangeliſtis Luca & Philippo. Illi ipſi ſancti viri, qui in conſcribendo ſacro canone extra periculum errandi fuerunt conſtituti, à talibus fidei & vitæ infirmitatibus non fuerũnt immunes, ut non tantùm patet ex his Euangeliſtis, ſed etiam ex Petro Matth. 16. 22. Galat. 2. 11. 12. Paulus tamen huic infirmitati in ſe locum non concedit; ſed in comitibus eam reprehendit, & ſeipſum magis obfirmat, ſuamque conſtantiam in opere Domini coram omnibus profitetur.

Reprehendit diſſuaſionem comitum hoc argumento: quia veſtro fletu mihi frangitis cor. Veſtrum, inquit, erat, me ad horam tentationis, ad quam me divinitus vocari videtis, conſolationibus veſtris animare. At verò jam veſtris ejulationibus cor mihi conteritis & emollitis, animum mihi non additis, ſed demitis. *Object.* Atqui bonum & Chriſtianum eſt, habere cor molle & fractum. Hoc enim Deus non aſpernabitur Pſal. 51. 19. 2 Chron. 34. 27. Qui igitur ad hoc aliquid contribuit, benè facit. *Reſp.* Duplex eſt durities & mollities cordis. 1. Cùm eſt durum contra Deum, & molle pro Deo. 2. Cùm eſt durum pro Deo, & molle contra Deum. Cor eſt durum contra Deum, & molle pro Deo, cum fortiter audet peccare contra Deum, & non audet ſuſcipere pericula, crucem atque luctam, ad quam à Deo vocatur. Sic ſumitur cor molle Deut. 20. v. 8. Et tale eſt cor omnium impiorum & irregenitorum. Duri ſunt & audaces ad peccandum contra Deum, ſed ſi Dei causâ aliquid periculi ſubeundum eſt, molles ſunt & effœminati, μαλακοὶ 1 Corinth. 6. 9. qui nullis poſſunt reſiſtere tentationibus. Non audent credere in Deum & illi quicquam boni confidere, non audent mundo negare ullam obedientiam in malis, non audent vocantem Deum ſequi cum aliquo periculo, quia cor ipſorum nimis molle & timidum eſt. Peccare autem, potare, pejerare, blaſphemare, adulterari, ſcortari, opprimere ſtrenuè audent, inſtar heroum, ut eſt Eſa. 5. 22. Hæc durities & mollities cordis damnabilis eſt. In corde autem regenitorum alia eſt mollities & durities. Sunt duri pro Deo, molles contra Deum. Audent in Deum ſperare etiamſi occidat, audent Deum vocantem ſequi, etiamſi moriendum ſit. Sed tàm molles ſunt corde contra Deum, ut etiam à minima offenſione Dei timeant tanquam ab inferno. Sicut bonus & honeſtus miles, quamdiu novit ſe pugnare pro juſta cauſa contra maleficum hoſtem, fortis eſt & durus in pugnando, inſtar leonis. Sed ubi pugnandum ipſi pro mala cauſa contra Dominum non malum, liqueſcit ipſi cor, ut aqua. Sic pii in ferenda ac ſuſcipienda cruce Dei ſunt fortes ac duri, verum in faciendis peccatis ſunt molles & timidi. Sed ſi Paulus pium cor habuit quod ad peccandum molle, & ad patiendum pro Deo durum fuit, cur quæritur cor ſibi mollefieri per ejulationem comitum? *Reſp.* Hoc fit, quia Chriſtiana fortitudo ad ſubeunda neceſſaria pericula in piis non eſt tàm perfecta, ut variis tentationibus non poſſit concuti

Digitized by Google

& minui. Spiritus quidem promptus, ſed caro infirma eſt, i.e. caro ſpiritui reluctando vim ſpiritus infirmat. Sicut vinum clarum poteſt reddi turbidum, ſi concutiendo fæces moveas, ita ſi ejulando & lachrymando humanas paſſiones, ſub dominio ſpiritus latentes, cieas atque moveas, vis ſpiritus infirmatur ac liqueſcit, & fortitudo ſpiritualis patitur eclipſin ac deliquium. Pii enim non ſunt ſine carne & ſanguine, nec ſine humanis paſſionibus, non ſunt ferrei, & lapidei ſine ſenſu, ſed tantùm per ſpiritum carnem frænant ac retinent. Quod ſi autem externis aliorũ lachrymis & ejulationibus caro & paſſiones humanæ irritantur, hoc parit concuſſionem & infirmitatem boni propoſiti, ut patet in exemplo morientium, qui, quantumvis habent lætum propoſitum hinc migrandi & cum Chriſto vivendi, tamen conjugis & liberorum ejulatu & cor eorum affligitur ac quaſi ſcinditur, & lætum propoſitum moriendi retardatur. Vides igitur, quo pacto nobis invicem corda induremus & emolliamur. Induramus nos invicem contra Deum, cùm nos invicem animamus ad audendum, quod Deus vetat, dicentes ut Eſa. 22. 13. 2 Petr. 3. 3. 4. Emollimus verò nos invicem, cum terrores Domini nobis invicem proponentes, nos movemus ad fidem. 2 Cor. 5. 11. dicentes, ut 1 Cor. 10. 22. Viciſſim induramus nos invicem pro Deo, cùm nos invicem animamus ad recipiendam crucem ad quam vocati ſumus, vel hortantes nos invicem ad faciendam voluntatem Domini, dicentes, ut eſt Pſal. 122. 1. 2. *adſcendam in domum Domini*. & ut Chriſtus diſcipulis ait Iohan. 16. 33. *eſtote bono animo*. Emollimus verò nos invicem contra Deum, cùm diſſuademus quod Deus jubet, dicentes ut Matth. 16. 22. *Sis tibi ipſi propitius, parce conjugi, liberis, amicis, ſibi &c.* Diſcamus igitur prudentes eſſe circa neceſſitates & pericula amicorum, ut eſt Pſal. 41. 2.

Non tantùm autem Paulus reprehendit importunitatem amicorum, animum ejus à bono propoſito dejicere conantium, ſed quantò plus illi animum ejus ſatagunt dejicere, tantò plus ipſe animum obfirmat, dicens. Ego paratus ſum, non tantum vinciri, ſed etiam mori, pro nomine Chriſti. Nota

1. Ἑτοίμως ἔχω. q. d. in parato habeo. Notat hæc vox deliberatum propoſitum & ſanctam obfirmationem animi eene verſtyvinge ende welbedachte reſolutie / ad ſubeunda pericula vitæ. Scriptura alibi vocat vitam in manu ponere Iud. 12. 3. Pſal. 119. 109. Sicut, ſi quis cimelia ſua promit ex ciſta & gerit in manu, paratus dare qui exigit, ſic ſe dixit paratum ad tradendam animam ſuam creatori ſuo. 1 Pet. 4. 19.

2. Non tantùm vinciri, ſed & mori paratus eſt. At tantùm vincula prædixerat ſpiritus, cur igitur ad mortem ſe parat? *Reſp.* Incertum erat, quis futurus vinculorum exitus. Actor. 20. 22. parat igitur ſe ad extrema & ad quemvis exitum. Sic nos, cum in morbum conjicimur, rectè facimus, ſi nos paremus ad mortem. Etſi enim morbus non

eſt

Digitized by Google

eſt certum ſignum mortis, eſt tamen ſignum mortalitatis. Ægrotus ſum. Ergò mori poſſum. Parabo me igitur, ac ſi ſciam me moriturum.

3. Argumentum, quo animum adeò paratum reddit ad vincula & mortem, eſt, quia fit pro nomine Jeſu, i.e. ad honorem Jeſu Salvatoris mei, ſicut Phil. 1. 29. Actor. 5. 41. Hoc pacto enim obſignat veritatem Chriſti ſuo ſanguine, teſtatur ſuam in Chriſtum fidem, amorem, gratitudinem, excitatque alios ad ſimilia in Chriſtum officia. Quis non moriatur ad ejus honorem, qui mortuus eſt ad noſtram ſalutem? Quis non ad tempus moriatur pro eo, qui nos fecit æternùm vivere? Quis non corpus ſuum patiatur fieri ſacrificium ad honorem Chriſti, quod tamen alioquin lege naturæ fiet eſca vermium? Diſcamus ſimili modo nos obfirmare contra pericula ad quæ vocamur divinitus, nec ſubterfugere nitamur mediis illicitis. *Object.* At Petrus ita faciendo peccavit Matth. 26. 33. 35. *Reſp.* Non peccavit proponendo cum Chriſto mori, ſed obliviſcendo propriæ infirmitatis confuſionem, & divini auxilii ſtipulationem. Paulus autem totum hujus itineris propoſitum formaverat in ſpiritu Actor. 19. v. 21. & 20. 22. i.e. in nomine & cum invocatione Spiritus S. Petrus autem in carne propoſuerat, i.e. cum fiducia in proprias vires.

Quid jam comites Pauli faciunt, ubi vident ſe precibus & fletu nihil poſſe efficere?

Reſp. I. Vident Paulum non perſuaderi. Paulus non erat alienus à ſapientia & virtute, quæ vocatur εὐπείθεια. Iac. 3. 17. Erat εὐπειθής, quod ſatis patet ex hujus capitis verſu 26. Vide quæ diximus in Actor. 19. 30. 31. Et tamen hîc dicitur μὴ πειθόμενος. Nimirum ſuper mandatis Spiritus S. non deliberabat cum carne & ſanguine Gal. 2. Sed ſimpliciter omne conſilium rejiciebat. Contra mandata Dei non eſt deliberandum cum carne & ſanguine, ſed repudianda omnia conſilia. Nullum enim argumentũ tàm efficax, ſive ſumatur à decori, ſive à commodo, ſive ab utili, ſive à periculoſo, quod poſſit diſſuadere, quod Deus jubet. Utinam ſic facerent, qui ad cœnam Domini vel alterius cujuſdam præcepti divini obedientiam invitati rem communicant cum amicis. Hoc eſt in rebus divinitùs injunctis conſulere cum carne & ſanguine. Sic quàm multi ſint, qui propriis promiſſionibus & juramentis ſe obligârunt ad nuptias cum aliqua perſona. Poſtquam divino vinculo ad has nuptias obligati ſunt, tum demum deliberant utrum promiſſis ſtare velint nec ne. Hoc eſt cœleſti vocationi inobedientem eſſe Act. 26. 19. Sic qui in eligenda religionis profeſſione conſulunt, an ſit utile, an ſine indignatione amicorum fieri poſſit &c. In caſibus dubiis inquirere, an res aliqua cum jure divino conſiſtere poſſit nec ne, licitum eſt. Sed cum jus Dei clarum eſt, & caſus deciſus eſt communibus ſuffragiis, eorum, qui jura Dei labiis ſuis cuſtodiunt, & propriæ etiam conſcientiæ dictamine, tum adhuc velle deliberare cum carne & ſanguine, an Deo parendum ſit, nec

ne, hoc verò à pio corde alienum eſſe debet.

II. Videntes Paulum non cedere precibus,acquieſcunt atque dicunt, fiat voluntas Domini. Sic faciunt omnes pii. Cùm vident ſe legitimis mediis non poſſe avertere, quod non lubenter patiuntur vel faciunt, acquieſcunt in providentia Dei & voluntatem ejus declaratam ſibi ſinunt placere. Vide Chriſtum Matth. 26. v. 39. 42. Davidem 2 Sam. 15. 25. 26. Hiskiam 2 Reg. 20. 19. Abrahamum Geneſ. 22. 8. Samuelem 1 Sam. 16. 1. Paulum 2 Cor. 12. v. 8. 9. Eli 1 Sam. 3. 18. Et ratio quoque ita ſuadet. Nam

1. Cùm natura & Dei voluntas contrariæ ſunt, utrum æquum eſt prævalere? Vide quid Chriſtus de ſe dicat Ioh. 6. 38. an non nos idem de nobis dicamus? an æquum eſt vel cupere ut Dei voluntas ſubſit voluntati noſtræ?

2. Etiamſi id, quod ſecundum Dei voluntatem fit, ſit contra noſtram voluntatem, tamen non erit contra noſtram ſalutem. Deus enim per omnes providentiæ ſuæ partes intendit & aſſequitur ſuam gloriam & piorum ſalutem. Providentia Dei poteſt voluntati noſtræ eſſe contraria, ſed non ſaluti noſtræ. Noſtra voluntas eſt corrupta, ſæpe deſideramus quæ nocerent, ſi darentur. Deus igitur ſapientior nobis, melius nobis conſulit, faciens quæ nolumus, ut faciat quæ nobis proſunt. Fidelis pater ſic facit liberis ſuis, fidelis medicus ægris. Annon Deo licitum ſit ita facere nobis? Sufficit igitur quod dicitur 2 Corinth. 12. 9. 1 Corinth. 10. v. 13. Rom. 8. 28. Exitus & eventus ſemper erit felix, etſi media ſæpè ſint vobis contraria & carni gravia atque acerba.

3. Si quotidiè petimus ut fiat voluntas Domini, neceſſe eſt, ut etiam in voluntate Dei acquieſcamus, nec illi reluctemur mediis illicitis. Alioquin precatio noſtra hypocritica eſt, inſtar Judæ, qui prodens precabatur ut ſalvus eſſet Jeſus.

4. Acquieſcere in Deo & ejus voluntate (ἡσυχάσαμεν inquit textus) eſt pars Chriſtianæ fidei. Vide Latinam verſionem noſtræ Catecheſeos quæſt. 21. fides eſt fiducia, quâ in Deo acquieſco, certò ſtatuens. Acquieſcere enim hîc non tantùm eſt deſiſtere à diſſuadendo, ſed videtur idem eſſe, quod εὐδοκεῖν ut Matth. 3. 17. ut profiteatur Lucas, ſe & comites conſilium Pauli tandem approbâſſe, & ſibi placere ſiviſſe quemcunque eventum Deus dare voluerit, confidentes, omnia ceſſura in gloriam Dei, proſperum curſum Euangelii, bonum Eccleſiæ, ipſius Pauli ſalutem. Sic honorat Deum & ei gratum eſt, cùm voluntatem Dei approbamus, etiam cùm naturæ contraria eſt. Imitemur hoc, cùm videmus nobis per providentiam Dei aliquid obvenire, quod ingratum eſt. Licet uti juſtis mediis & remediis, licet ubi deprecationibus apud Deum & homines. Sed cum his nihil perficimus acquieſcamus dicentes, fiat voluntas Domini. Placeat nobis, quicquid Deus fecerit, ſi vel occidat, confidamuſque omnia bene facturum ad ſalutem noſtram. Voluntas Dei menſura noſtræ proſperitatis. Cùm nobis fit, quod vult Deus, ſalvi ſumus, cùm nobis

Digitized by Google

nobis fit, quod volumus nos, ſæpè perimus. Si vel vellet Deus omnes plagas Ægypti ſuper nos irruere, tamen non conſumerent. Etſi enim Deus eſt ignis conſumens, tamen non poteſt conſumere eos, qui ſanguine Chriſti abluti, & ſpiritu ejus imbuti ſunt. Demus modò operam, ut hoc ſimus, tum non eſt quod ulla abs re timeamus. *Object.* At quomodo poſſumus beneplacitum habere in eo quod contra naturam eſt. *Reſp.* 1. Placet nobis quod contra voluntatem noſtram eſt dupliciter: 1. Quatenus eſt beneplacitum Dei, quem amamus. 2. Quatenus dat nobis fructus bonos. Ideò nobis placet quia amatiſſimo noſtro Deo placet, & quia in ſe ingratum gratos tandem pariet fructus Hebr. 12. 11.

III. Non tamen deſerunt Paulum, ſed parant ſe, & cum Paulo aſcendunt Hieroſolymam, ubi pati debebat, aliqui etiam ex Cæſarienſibus diſcipulis aſcendunt unà, & præſertim ſecum ducunt quendam diſcipulum veterem, apud quem diverterentur. Nota

1. Etſi comites & diſcipuli Paulum non poterant liberare ab inſtanti periculo, tamen ideò non deſerunt, ſed ſequuntur ipſum ad locum paſſionis, ut ipſi in calamitate ſua aſſiſtant conſilio & auxilio. Humanum auxilium & ſolatium in divinis afflictionibus patienti valdè gratum eſt. Etiamſi enim ex manu Dei liberare non poteſt, tamen levamentum adfert. Hinc Chriſtus à Deo afflictus admodum querebatur, quòd ab hominibus deſereretur. Matth. 26. 40. Pſal. 69. 9. 21. Pſal. 38. 12. Hinc tantoperè nobis mandatur, ut afflictis in afflictione aſſiſtamus Pſal. 41. 2. Rom. 12. 14. Matth. 25. 35. 36. 2 Tim. 1. 16. Hebr. 13. v. 3. Job. 19. 13. &c. Requirit hoc communio ſanctorum. Sicut enim in corpore uno membro patiente omnia compatiuntur, 1 Cor. 12. 26. Ita debet eſſe inter membra Chriſti, & qui hoc non habet, non eſt verè inſitus Chriſto. Extendamus noſtrum ſolatium & auxilium quantum poſſumus, non tantum ad conſanguineos, ſed etiam ad pauperes & adflictas Eccleſias, ne in nos quadret querela Amos 6. 6. O utinam inter nos nullus hujus officii defectus eſſet, dum ſumus in opima pace! Sed proh dolor nos cuticulam curamus, & aliorum neceſſitatibus parum compatimur! *Obj.* Non poſſumus aliis aſſiſtere ſine noſtro periculo. *Reſpond.* Propter incertum periculum non eſt deſerendus proximus in certa neceſſitate ſine auxilio. Aliquid audendum eſt pro liberatione proximi, etiam cum aliquo periculo. Quid enim aliud ſibi vult illud 1 Joh. 3. v. 16. Sæpè prætendimus periculum, ubi non eſt periculum, ſed ſolus defectus amoris, ſola deſidia & voluptas nos retrahit ab officio. Annon in medio periculo Deus æquè nos poteſt cuſtodire ac extra periculum? Vide Matth. 16. 25. Eſt, fateor, hac in re prudentiâ opus, ne nimis audacter & temerè agentes, Deum tentemus, & ſine extrema neceſſitate nos conjiciamus in certiſſimum periculum. Sed tamen, ubi verus amor proximi eſt, & petitur ſapientia à Deo, ibi non eſt impoſſibile conſcientiam ſuam liberare. Applicetur huc illud Jacobi c. 1. 5.

Digitized by Google

2. Præcipuè etiam notabile eſt, quòd ſecum ducunt antiquum quendam diſcipulum, cui domus erat Hieroſolymæ, apud quem Paulus cum comitibus diverteretur & hoſpitaretur. Antiquus diſcipulus eſt, qui in doctrina Euangelii radicatus, in regenda Eccleſia & ferenda cruce longo tempore exercitatus prudentiam haberet conſulendi Paulo in difficultatibus ſuis. νεόφυτοι enim ad hoc ſunt inepti. 1 Tim. 3. 6. Docet nos hæc prudentia magni æſtimare viros in Chriſtianiſmo adultos, & per experientiam habentes prudentiam rerum agendarum. Præſertim antiqui doctores in Eccleſia magni æſtimandi. Juniores plerumque pluris æſtimantur propter vigorem in docendo, ſed ſenum prudentia reſpicienda, quæ Eccleſiæ vel maximè neceſſaria. Hinc ipſe Paulus ſe à ſenectute commendat Philem. 8. 9. Sic in Republ. præferenda conſilia ſenum & non juvenum, qui cæco zelo, & calidis conſiliis, ac novitatis ſtudio omnia perdunt. Vide Eccleſ. 10. v. 16. 1. Reg. 12. 14. Iſai. 3. 2.

Actor. 21. *v.* 17. *ad* 27.

CONC. CCXXXVI.

PErvenimus tandem cum Paulo in Judæam & civitatem Hieroſolymam. Vidimus, quæ in itinere per ſingula loca ipſi obvenerunt, inter quæ præcipuum fuit multiplex prædictio Spiritus S. de inſtantibus Hieroſolymæ vinculis & afflictionibus. Videndum nunc porrò, quid ibi Paulo contigerit, & quomodo prædictiones Spiritus S. de vinculis & afflictionibus Pauli impletæ ſint; donec quarto itineri ex Judæa verſus occidentem accinctus eſt, id quod durat ab hoc verſu, uſque ad caput vigeſimum ſeptimum. Poteſt autem redigi ad tria capita.

1. Primum eſt humana exceptio Pauli & comitum, facta à fratribus & ſynedrio Hieroſolymitano in ædibus Jacobi Apoſtoli v. 17. 18. 19. 20.

2. Secundum eſt occaſio, quâ Paulo ſupervenit acerba illa paſſio, quam Spiritus S. tot locis prædixerat, quæ fuit certum aliquod conſilium à presbyterio Chriſtianorum Hieroſolymitanorum Paulo ſuppeditatum, & à Paulo ſuſceptum. v. 20. part. poſtr. ad 27.

3. Paſſio ipſa, quæ Paulo ſecundum Spiritus S. prædictionem in Judæa ſupervenit, habens varias partes. Paſſus enim eſt

a. In templo, à ſeditioſis Judæis v. 27. ad 31.

b. In caſtello Romano, ſub Præfecto militiæ & præſidii à v. 31. hujus capitis, uſque ad cap. 23. v. 11.

c. Sub Felice Judææ Præſide cap. 23. v. 11. ad cap. 25.

d. Sub Portio Feſto, Felicis ſucceſſore cap. 25. 26.

Exceptio Pauli fuit privata & publica. Privata deſcribitur v. 17. fratres nos recipiebant læti, i. e. multi fratres & multa membra Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ad nos veniebant in hoſpitium noſtrum, ædes Mnaſonis, atque ibi nobis de adventu gratulabantur. Non erat hoc fundatum ſuper aliqua neceſſitudine & notitia ac familiaritate, quam hi fratres habuerint cum Paulo, ſed fluebat

Digitized by Google

bat ex amore in tantum Dei ſervum, cujus labore tàm ubere benedictum erat. Nobis non licet hoc officium præſtare Paulo, ſed phraſis tamen, quæ hic de exceptione Pauli uſurpatur, eadem reperitur de receptione verbi Apoſtolici, *ἀσμένως ἀποδέχειν*. Actor. 2. 41. Vide etiam Actor. 17. 11. Non venit ad nos hodie Paulus, venit tamen quotidie ad nos ejus verbum. Si Paulus vel alius quiſpiam Apoſtolus hodie ad nos veniret, nemo noſtrum foret, qui non accurreret ad excipiendum. Sed cùm verba Apoſtolorum ad nos veniunt, vix in templum venire dignamur ut excipiamus. Venit ad nos regnum Dei, ſed parum lætè à nobis recipitur.

Publica Pauli exceptio (**verwelkomminge**) fuit in ædibus Jacobi, in quibus Pauli excipiendi causâ totum presbyterium Hieroſolymitanum convenerat. Duo fuerunt Apoſtoli Jacobi, alter filius Zebedæi, Jacobus Major vocatus cum fratribus ſuis Boanerges. Marc. 3. v. 17. ab Herode occiſus Actor. 12. 2. Alter filius Alphæi vocatus Minor. Marci 15. 40. & frater Domini Gal. 1. 19. Atque ille poſterior eſt Jacobus, de quo hoc loco, qui & auctor habetur epiſtolæ quam hujus nominis habemus. Indigitat Scriptura hunc Jacobum multum fuiſſe Hieroſolymæ. Vide præter hunc locum Actor. 12. 17. Gal. 1. 19. Actor. 15. 13. &c. unde Papiſtæ colligunt, ipſum ſemper ſediſſe Hieroſolymæ, atque Eccleſiæ iſtius Epiſcopum fuiſſe, & inde concludunt, Epiſcoporum ordinem ab initio in Eccleſia Chriſtiana fuiſſe, adeoque eſſe divinæ inſtitutionis. Sed reſpondemus 1. Si Jacobus fuit Apoſtolus, non potuit unius Eccleſiæ Epiſcopus fuiſſe: Hæc enim pugnant, quia Apoſtolus eſt omnium Eccleſiarum Epiſcopus & doctor. Jacobum multum fuiſſe Hieroſolymæ certum quidem eſt, ſed inde non ſequitur ſemper fuiſſe, nec unquam alibi docuiſſe. Non omnes Apoſtoli æquè multum peregrinati ſunt, ſed tamen non fuerunt unius particularis Eccleſiæ doctores, etſi in una aliqua celebri Eccleſia diu manſerunt, ut Jacobus Hieroſolymæ, Johannes Epheſi. 2. Si tamen Jacobus ideò Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus vocatur, quod eam plerumque & præ cæteris docuit atque rexit, inde non ſequitur iſtud genus dominantium Epiſcoporum hoc exemplo confirmari, quod Papiſtæ defendunt. Jacobus enim non fuit Epiſcopus propter dominium, ſed propter officium docendi, quod cum omnibus paſtoribus habuit commune. In hoc conventu

1. Facta eſt ſalutatio.

2. Paulus ſigillatim enarravit, quæ Deus inter ethnicos per miniſterium ipſius effecerat.

3. Presbyteri Hieroſolymitani hoc audientes glorificârunt Dominum.

I. Paulus ſalutavit, i. e. apprecatus ipſis eſt pacem & benedictionem Dei in opere, quod faciebant pro nomine Chriſti. Salutatio eſt proprietas humani generis, quâ teſtantur homines ſe ratione præditos. Beſtiæ neſciunt quid ſint, unde veniant, cujus virtute vivant. Ideò convenientes ſe invicem non ſalutant. Sed homines, ſcientes ſe non eſſe à ſeipſis, ſed creaturas Dei, & virtute Dei vivere, ideò in omni conventu

Digitized by Google

ventu Deum ſibi invicem ingerunt in memoriam, & ejus opem apprecantur. Hinc nulla gens tàm barbara & ethnica, quin ſuas habeat ſalutandi formulas, & mirum profectò eſt, iram & odium tantum poſſe, etiam apud Chriſtianos, ut ſalutare ſeinvicem vix ſuſtineant.

II. Paulus non narrat, quæ ipſe inter gentes fecerit, ſed quæ Deus per ſuum miniſterium. Vide ſimilem humilitatem ejus 1 Corinth. 15. v. 10. Sat honoris eſt, eſſe miniſtrum Dei, honor effecti operis adſcribendus eſt Deo. Si quis inter homines ſervus in efficiendo opere ſui Domini felix & fidelis eſt, pro hoc non ſervus Domino, ſed Dominus ſervo debet gratias. Sed ſi quis homo à Deo vocatur ad faciendum opus Domini, & is homo in ſua vocatione non tantum diligenter laborat, ſed etiam multum efficit operis ad gloriam Dei, & utilitatem Eccleſiæ, is homo nihil ſibi, ſed totam gratiam Deo debet, tum quod Deus ipſum dignatus eſt huic labori adhibere, tum quòd voluntatem, vires & ſucceſſum dedit. Vide Actor. 5. 41. Si quòd afflicti ſunt, multò magis quòd benedicti ſunt, debent gratias & gloriam Deo. Qui hoc non facit, is ſucceſſibus ſuis inflatur, & ſic incidit in laqueos diaboli. 1 Tim. 3. v. 6.

III. Ideò ſeniores auditis Pauli in docendo ſucceſſibus admirabilibus non Paulum laudant, ſed Deum glorificant. Prudenter factum. Laudibus enim alios inflare non eſt Chriſtianum. *Obj.* At laus & honor alit artes, annon licet laudare homines ob res benè geſtas? Paulus laudavit Corinthios 1 Cor. 11. 2. *Qui bonum facit, habebit laudem* Rom. 13. 3. 1 Petr. 2. 24. *Reſpond.* Non dico, nos non debere laudare homines, ſed non ita laudare, ut inflemus, vel ut injuſtè & præter modum laudemus, quod fit

1. Cum laudamus ſic, ut non moneamus de viribus divinitus acceptis, & non de ſuo, dicentes, ut 1 Corinth. 4. v. 7.

2. Cum laudamus ſine mentione defectuum & peccatorum, dicentes ut 1 Cor. 11. 17. & 22. Poſſumus laudare ad excitandum, ſed cum hac duplici cautione & admonitione, per quam prævenitur inflatio.

3. Cum laudamus ad adorationem, ſicut Papatus mortuos pro concione in feſtis iis dicatis præter modum ſolet extollere, ut populus excitetur ad ſuperſtitioſam admirationem & adorationem.

4. Præſertim cum laudamus in ſe ſatis ſuperbos, qui ſeipſos laudare non dedidicerunt, ignorantes illud Prov. 27. 2. Hactenus Pauli exceptio privata & publica. Sequitur occaſio vinculorum & afflictionum, quas Spiritus S. toties prædixerat. Seniores Eccleſiæ peractis congratulationis & exceptionis complementis Paulum commonefaciunt, ſiniſtrum rumorem de ipſo ſpargi & foveri Hieroſolymis, non tantum inter hoſtes Eccleſiæ, ſed etiam inter multa millia Judæorum, qui fideles facti erant. Nota, quàm efficax fuerit Euangelium, etiam inter Judæos multa millia vel multæ myriades Judæorum converſi. Etſi Deus populum judaicum rejecerat, tamen ſecundum electionem reliquias

Digitized by Google

reliquias ſibi haud exiguas reſervaverat. Rom. 11. 1. 2. 3. & non relinquit nos Scriptura ſine ſpe, fore, ut tandem ſub finem mundi tota Judæorum gens à Judaiſmo corrupto ad profeſſionem Chriſtianæ religionis perveniat Rom. 11. 25. 26. Additur tamen, quòd hi Judæi, quamvis fideles, tamen eſſent zelotæ legis. Credere in Chriſtum, & ſtudioſum ac zeloſum obſervatorem eſſe legis, non pugnant, ſed potiùs poſterius ex priori proficiſcitur. Fides enim ad novam obedientiam legis impellit, & per charitatem, lege præceptam, efficax eſt Gal. 5. 6. Verùm hìc per legem intelliguntur ceremoniæ Moſaicæ, per quas Chriſti adventus olim erat adumbratus, & quæ poſt adventum Chriſti extra uſum & neceſſitatem erant conſtitutæ. Harum ceremoniarum adhuc erant zelotæ omnes ferè Judæi ad Chriſtianiſmum converſi. Hæc erat infirmitas. Qui enim credebant ſe in Chriſti morte habere perfectam reconciliationem cum Deo, non debebant hærere in umbris officio defunctis, in elementis mundi, in figuris impletis. Ex hac infirmitate fideles Judæi Hieroſolymitani indignationem conceperant contra Paulum, cùm audirent ipſum omnes Judæos, qui inter gentes diſperſi erant, in ſuis peregrinationibus non cogere ad obſervationem ceremoniarum, poſtquam ad Chriſtum converſi eſſent. Hoc enim ita interpretabantur, quaſi Paulus Judæos doceret deficere à lege Moſis, non circumcidere infantes, nec ambulare ſecundum mores Judaicæ Eccleſiæ uſitatos. Hæc indignatio contra Paulum falſis & injuſtis fundamentis erat ſubnixa. Paulus enim non docebat à lege Moſis deficere, nec vetabat ſecundum mores Eccleſiæ Judaicæ ambulare. Hæc erat odioſa perverſio ſanæ doctrinæ Pauli. Paulus docebat, legem Moſis nos non obligare ad obſervationem ſuarum ceremoniarum per adventum Chriſti impletarum, nec peccatorem poſſe juſtificari per obſervationem legis, ſed uſum legis in eo conſiſtere, ut agnitis ex illa peccatis Chriſtum per fidem amplexi ſecundum legis præſcriptum ſtudeamus Deo eſſe grati. Hæc non eſt Apoſtaſia à lege; ſed eſt uſus legis, ſecundum notitiam Euangelii Rom. 10. 2. Qui homines ad Chriſtum ducit, non docet eos deficere à Moſe.

Etſi autem indignatio fidelium Judæorum contra Paulum erat injuſta, tamen ſeniores Eccleſiæ reddebat ſollicitos. Agnoſcebant illi Paulum pro fratre, audiverant quanta Deus per miniſterium ejus effeciſſet inter gentes, & fatebantur, hunc virum pro Apoſtolo Domini Jeſu Chriſti eſſe agnoſcendum. At indignationem Judæorum fidelium contra ipſum videbant eſſe generalem, nec ſciebant, quo pacto ex animis offenſis poſſet excuti, niſi Eccleſia congregetur, & aliqua offenſis fiat ſatisfactio. Conſilium igitur proponunt, ut, cum ſint inter Judæos fideles quatuor viri, qui votum Naziræatus habentes, finitis annis, in lege definitis, caput ſuum ſint raſuri, & in templo illa ſacra facturi, quæ in lege poſt expletos Naziræatus annos requirantur, ipſe quoque cum iſtis quatuor viris idem faciat. Sic enim fore putabant, ut Judæi fide-

Digitized by Google

les, videntes Paulum legis patriæ ceremonias obſervare, ſiniſtram opinionem de ipſo dimittant. Diſputant hîc docti, utrum Paulus ipſe Naziræatus votum vel antea in ſe habuerit Actor. 18. 18. vel nunc ſuſceperit, & cum his viris depoſuerit, an verò tantum interfuerit & præfuerit tanquam patronus & adjutor horum quatuor virorum ſacris, ut ita aliquam modò communionem haberet cum Judaicis ceremoniis, quod ad ſcopum ſufficiebat. Nos litem hanc non decidimus. Quibus autem in rebus conſtiterit illa ſanctificatio, quâ votum Naziræatus ſuſcipiebatur & finiebatur, & quales illæ ceremoniæ, quarum hîc fit mentio, & quid ſpirituale per ceremonias Naziræatus adumbratum ſit, non eſt hujus loci explicare. Vide & lege, quæ de hoc dicuntur. Num. 6.

Verum quoniam hoc conſilium videbatur pugnare contra ſynodale decretum, Hieroſolymæ conditum, & Paulo traditum, ut ſecundum illud inter gentes res ſuas ageret, ideò ipſi hanc objectionem præoccupant v. 25. reſpondentes, hoc decretum ethnicorum cauſâ factum eſſe, ut illi credentes facti ad obſervationem ceremoniarum Moſaicarum non compellerentur, niſi in quibuſdam, in quibus ſcandali cauſâ aliquid foret faciendum, ſed Judæorum credentium aliam eſſe rationem, quippe qui putent ſe lege patriâ adhuc teneri obſervare has ceremonias, ut proinde his aliquid concedendum, & eorum infirmitati ſe accommodandum, donec melius informarentur. Paulus huic conſilio obediens ejus exequendi cauſâ in templum Judaicum ingreditur, quæ res ipſi occaſio eſt, quâ ſuperveniunt afflictiones, quas Spiritus S. prædixerat. Judæi enim infideles, ipſum in templo conſpicientes, in ipſum irruunt, capiunt, trudunt, percutiunt, donec per Præfectum militarem ex manibus eorum eripitur. *Quæritur* hic, an conſilium hoc à ſenioribus rectè datum, & à Paulo ſine peccato ſuſceptum ſit? Videtur utique pugnare contra id, quod Paulus in Petrum dixit Gal. 2. 11. 12. 13. 14. ubi Petrus ſe accommodans Judæis fratribus Hieroſolymâ venientibus, ſe ſubducit à converſatione cum ethnicis, & ideò à Paulo reprehenditur. *Reſpond.* Non poſſum inclinare in partes eorum qui dicunt, hoc conſilium ex carne & ſanguine profectum eſſe, & aliquid humanæ infirmitatis in ſe habere. Nam 1. proficiſcitur ab iiſdem ferè viris, à quibus decretum illud ſynodale profectum. Actor. 15. qui dicebant, viſum eſt Spiritui S. & nobis. 2. Neque Paulus unquam aliquam pœnitentiam hujus conſilii profeſſus eſt, ſed potius ſuum hac in re exemplum nobis in imitationem propoſuit, 1 Cor. 9. 19. 20. 3. Paulus aliâs quoque ſimile quid fecit Actor. 16. 3. & 18. 18. 4. Neque huic facto ſimile eſt factum Petri, quod Paulus reprehendit, Gal. 2. 11. 12. Petrus enim volebat Chriſtianos gentiles, Judaicis ceremoniis non adſuetos, inducere, ut Iudaizarent v. 14. non edentes cum ethnicis à Chriſtianiſmo averſis, id quod erat contra decretum ſynodicum Actor. 15. Paulus verò Judæus naturâ & Judaicis ceremoniis adſuetus illis hac vice uſus eſt, tanquam re licitâ & indifferenti, ad lucrandos & ſedandos inquietos

Digitized by Google

tos animos infirmorum Chriſtianorum, ex Judæis converſorum.

Ad hanc hiſtoriam rectè intelligendam, maximè neceſſaria eſt diſtinctio inter errorem falſorum illorum doctorum, qui in Synodo Hieroſolymitana Actor. 15. condemnati ſunt, & inter infirmitatem horum credentium Judæorum, qui omnes erant zelotæ legis. Illorum enim error erat fundamentalis, & cum fide conſiſtere non poterat. Credebant enim ceremonias legis omnibus hominibus abſolutè neceſſarias, tanquam medium, per quod juſtificarentur à peccatis. Horum verò error non erat fundamentalis, ſed cum vera fide conſiſtebat. Credentes enim ſe per ſola merita & ſatisfactionem Chriſti juſtificari, tantum comprehendere non poterant, quomodo à Judæis Chriſtianis licitè poſſent omitti ceremoniæ, quas Deus tantopere præceperat Judæis. Utrumque igitur conſilium fuit ex Spiritu S. Et ut gentiles converſi non cogerentur obſervare ceremonias, & ut Judæi converſi ad tempus finerentur uti ceremoniis impletis, donec inutilitatem & non neceſſitatem earum cum tempore rectius comprehenderent. Qui igitur Petrum reprehendit, quod ſuo exemplo fideles, ex gentibus converſos, induxit in gratiam Judæorum ab ethnicorum converſione abſtinere, is, Judæus cum eſſet, Judaicis ceremoniis in gratiam infirmorum Judæorum rectè uſus eſt. Petro res erat cum falſis doctoribus, Hieroſolymæ condemnatis, ſed Paulo res erat cum fidelibus Judæis, infirmitatem habentibus cum fide, quibus proinde in uſu ceremoniarum aliquid indulgendum, & accommodatione aliqua ſerviendum erat.

Etſi enim ceremoniæ legis Moſaicæ iſto tempore non amplius erant neceſſariæ, tamen erant licitæ Judæis, ſi quando uſus eorum conduceret, ad alios Judæos lucrandos. Synagoga debuit cum honore ſepeliri, nec turpiter & præcipitanter ex Eccleſia ejici, ſicut ſuperſtitiones ethnicæ humanis corruptionibus inductæ, ſed ſenſim in deſuetudinem venere. Ante Chriſtum ceremoniæ erant mortales, poſt Chriſti adſcenſionem mortuæ, poſt confirmatum Euangelium mortiferæ.

Obj. At quomodo poterat hoc conſilium eſſe ex Spiritu ſancto, cùm tam malè ſucceſſerit? *Reſpond.* Etiamſi Paulus ſuper executione hujus ſalutaris conſilii in perſecutionem incidit, inde tamen non ſequitur, quòd conſilium ipſum malè ſucceſſerit, & ſcopum ſuum aſſequutum non ſit. Etſi enim infideles Judæi Paulum hac occaſione adorti & perſequuti ſunt, fideles tamen Judæi Paulum, à quo tantoperè erant averſi, cœperunt amare tantò ardentiùs, & uſum, vel potius inutilitatem impletarum ceremoniarum didicerunt melius comprehendere; nec poſtea legimus hanc rixam de obſervatione ceremoniarum inter fideles Judæos amplius motam eſſe. Inferamus hinc ſequentia dogmata:

1. Etiam fideles graves poſſe in religione tenere errores, fundamento tamen non contrarios. Vide hoc latè tractatum in cap. 18. verſ. 25. 26. Conc. 8.

2. Errores in religione ſemper pa-

rere offenſiones & indignationes animorum erga eos qui ſecus ſentiunt.

3. Prudentum Theologorum eſſe hiſce animorum exacerbationibus occurrere placidâ accommodatione, ſi rerum natura eſt indifferens, & accommodatio non plus facit ad offirmandos malos in malitia, quàm ad eripiendos bonos ex infirmitate, nec plus ad tollendam Chriſtianam libertatem, quam ad illam ſtabiliendam.

Actor. 21. *v.* 27. *ad* 33.

CONC. CCXXXVII.

HActenus Pauli Hieroſolymam delati exceptio, nec non occaſio, quâ ipſi ſupervenerunt afflictiones, quas toties in itinere Spiritus S. ipſi prædixerat. Sequuntur nunc afflictiones ipſæ, quæ ipſi obveniunt partim in templo à ſeditioſis Judæis, partim in arce Antonia à Duce Romani præſidii, partim Cæſareæ ſub Felice & Feſto Romanorum in Judæa vel Syria Præſidibus & vicariis.

Cùm ex conſilio Seniorum Chriſtianæ Eccleſiæ eſſet in templo, & aſſiſteret ſacris eorum, qui Naziræatus votum deponebant, ibique jam per ſeptem ferè dies verſatus eſſet, conſpectus eſt & agnitus Judæis, & ſic tumultus ac ſeditio contra ipſum coorta eſt, quâ periiſſet, niſi à Chiliarcha Romani præſidii fuiſſet ex periculo ereptus.

De hac ſeditione ſequentia ſunt in textu:

1. Auctores: Judæi ex Aſia concitabant totum populum in auxilium ſuum, clamantes, viri Iſraëlitæ, venite in auxilium, unde commota eſt tota civitas, & populus concurrit. Judæi ex Aſia, ſcil. infideles, qui toties Paulum perſequuti erant in Aſia. Actor. 14. & 17. fuerunt inſtigatores hujus ſeditionis, populus verò Hieroſolymitanus adjutores, in quo numero tamen non putamus fuiſſe Judæos Chriſtianos. Etſi enim hi quoque non bene de Paulo ſentiebant, non eſt tamen probabile, eos ſe huic ſeditioni immiſcuiſſe.

2. Prætextus ſeditionis: 1. Hic eſt vir, qui ubique locorum omnes homines docet contra hunc populum, hanc legem, hunc locum. 2. Qui polluit quoque locum hunc ſanctum, inducendo Græcos in templum, quem prætextum inde arripiunt, quod Trophimum Epheſium in urbe cum ipſo viderant.

3. Plagæ, quæ Paulo ex hac ſeditione acceſſerunt, commota eſt tota urbs, arripuerunt Paulum, traxerunt extra templum, clauſerunt fores, verberârunt, ut eſt v. 32. & quæſiverunt eum occidere.

4. Liberatio ex hac ſeditione: Rumore ad Chiliarcham delato, aſſumptis militibus & centurionibus accurrit & Paulum ſeditioſis eripit.

I. Hìc ante omnia vides, quod bonum conſilium non ſemper bene ſuccedat. Sæpè, cùm ſumus in difficultatibus, rem benè nobiſcum perpendimus, cum prudentibus deliberamus. Deum invocamus, bona conſilia ſequimur, & tamen non benè res ſuccedit. Paulus magnis erat implicitus difficultatibus. Nam neque apud fideles, neque apud

Digitized by Google

apud infideles Iudæos, ideoque nuſquam in urbe tutus erat, & ſynedrio quoque periculum creabat. Quid facit? Ad effugiendam fidelium indignationem, ex conſilio ſeniorum, ſe accommodat fidelium infirmitati, ſed per hoc ipſum incidit in infidelium Iudæorum rabiem. Queritur de hoc David Pſal. 120.7. q. d. ego intendo omnibus mediis mihi illos conciliare, qui mihi ſunt inimici, ſed ipſis illis mediis plus exacerbantur. Simile exemplum habes cap. 22. ubi Paulus Iudæos placare ſatagit, narratione ſuæ ad Chriſtianiſmum vocationis, ſed tantò magis exacerbat. Ratio eſt, quia Deus nos quidem alligavit bonis mediis & conſiliis, ſed ſe non alligavit, ſed conſiliorum noſtrorum exitum & ſucceſſum reſervavit ſuo conſilio. Vide Eccleſiaſtis 3. v.10. 11. Unum eſt conſilium, quod rectè uſurpatum ſemper bene ſuccedit, ſcil. conſilium Euangelii, de converſione ad Deum. Luc. 7. v. 30. In cæteris Deus nos vult uti probo conſilio, & tamen ſibi reſervat conſiliorum ſucceſſum. Hoc ideo obſervandum, ut cùm bona conſilia ſequuti non obtinemus optatum finem, nos non torqueamus inani pœnitentia cùm deficit ſucceſſus. Sufficiat nobis feciſſe officium, & feramus ſucceſſum quemcunque, confidentes Deo, fore ut bonum conſilium non careat fructu, etiamſi careat ſucceſſu, quem nos optabamus. Applica huc conſilium Ioabi & mentem ejus circa illud 2 Sam. 10.9.10.11. Diſponebat omnia prudenti conſilio, ſed conſilio tamen non fidens ſe parabat ad quemvis exitum.

II. Habemus hîc denuò exemplum concitatæ ſeditionis, ab iis qui Euangelio erant inobedientes, ſicut & habuimus Actor. 17. 5. Theſſalonicæ & Actor. 18. 12. Corinthi, & Actor. 19. v. 25. Epheſi. Seditio eſt tumultus populi, gladium rapientis, & vim exercentis, quæ Magiſtratui competit, ſive ſit contra Magiſtratum, ſive contra alios. Peccatum ſemper eſt, & incurrit in illud Geneſ. 9. 6. Matth. 26. 52. Apoc. 13. 10. Unde plerunque viſibilis vindicta Dei ſeditioſos ſequitur, ut patet in exemplis Miriam Num. 12. 1. 2. 10. Corc & ſociorum Num. 16. 31. Abſolomi 2 Sam. 18. 9. Simei 1 Reg. 2. 41. Sebæ 2 Sam. 20. 21. Theudæ & Judæ Actor. 5. 36. 36. & hi Judæi, qui toties contra Paulum ſeditiones excitârunt, quàm miſerè tandem ſeditionibus & omnis generis miſeriis perierunt in obſeſſa Jeruſalem? Unde à ſeditione egregiè dehortatur Salomo Prov. 24. v. 21. 22. *Object.* Atqui ſæpè per ſeditiones populi multa mala corriguntur in Republ. & Eccleſia, quæ correcta non fuiſſent, ſi non oborta fuiſſet populi ſeditio, ut patet inter alia exempla ex tempore reformationis à Papatu, quæ multis in locis non eſt facta per curam Magiſtratuum, ſed per ſeditiones & tumultus populorum. *Reſp.* Deus ex tenebris lucem & ex malo bonum novit producere, ſed ideò quòd malum eſt, nobis non eſt licitum. Solet Deus negligentiam & peccata Magiſtratus plectere per ſeditiones populi, ſed ideò non ſunt juſtificandæ ſeditiones. Pugnant enim contra quintum præceptum legis, ſunt ſcandalo & de-

Digitized by Google

decori Euangelio, & perveniunt ex impatientia, quæ Chriſtianos non decet, ſuntque nihil aliud, quàm privata vindicta toties in verbo Dei prohibita. Si quid aliquando boni Deus elicit ex ſeditionibus, conſiderandum eſt contrario, quoties malè ſuccedant, & huc applicandum illud Chriſti Matth.18.7. Sunt quidem ex conſilio Dei. Et tamen væ autoribus. Idololatræ & hoſtes veræ religionis plerumque Chriſtianis objiciunt, quod ſint ſeditioſi Eſdræ 4 12. Eſther 3.8. & 9.29. 1 Petr. 2.12. Collatio cum v. 13. præſertim præconibus verbi Exod. 5.4. 1 Sam.22. v.9. 1 Reg.18.17.18. Amos 7.10. Luc. 23.2.4.5. Actor. 4.18. & 16.20. & 17. 7. & 18.13. Et à Papiſtis hodieque noſtris objicitur, dicentibus, ante noſtram doctrinam nunquam fuiſſe tot bella & ſeditiones. Sed rectè talibus ingeritur tritus verſiculus. Quis tulerit Grachos de ſeditione quærentes? Quod ipſi faciunt, aliis impingunt. Vide Act.17.5.6.7. verſibus inter ſe comparatis. Verum eſt, quòd prædicatio & profeſſio veri Chriſtianiſmi, ſæpè pariat ſeditiones in mundo Matth.10.34. 35. Sed hoc fit per accidens, non vitio Euangelii, nec vitio qui eorum Euangelium prædicant & profitentur, ſed vitio mundi Euangelium odio habentis. Sicut Sol facit ut cœlum obducatur vaporibus & nubibus, non vitio ſuo, ſed vitio ſordidæ & paludoſæ terræ, ſuper qua lucet: Ita Euangelium excitat ſeditiones, non vitio ſuo, ſed vitio hominum quibus prædicatur, & qui ſplendore Euangelii reſolvuntur in odium & iram. Diſcamus igitur ob profeſſionem veritatis ſeditiones malorum perferre. Sed præcipuè diſcamus ſeditiones vitare. Fateor ſubindè aliquid eſſe in Republ. & Eccleſia, quod Rectores & Magiſtratus non corrigunt neque tollunt, & quod tamen populum non injuriâ urit & torquet. Sed diſcamus potius patientes eſſe, quàm ſeditiones moliri. Hoc enim remedium & turpe atque illicitum eſt, & prætereà periculoſum, ſemper plus noxæ adferens, quàm mali tollens. Inſtruat nos præſens terrarum facies in omnibus ferè Rebuſpublicis. Regna & Reſpubl. hodiè crepant undique tumultibus. Sed poſtquam diu tumultuatum eſt, quid tandem efficitur, quod tantis turbis & erroribus dignum ſit? Sicut per aliquot retrò annos cœlum planè fuit inſtabile atque liquidum & molle, ita omnes Reſpubl. ſeditionibus crepant & diffluunt. Caveamus ne noſtro vitio noſtræ quoque Reipubl. idem contingat. Ferramus potius vitia Reipubl. ſi quæ ſunt, per patientiam, quàm ut Rempubl. ipſam evertamus per ſeditionem. Deus autem Magiſtratibus noſtris det oculos apertos & animos ſollicitos, ut tempeſtivè tollant ſcandala & abominationes, quæ impatientem multitudinem juſtè poſſint irritare.

III. Pergimus ad prætextus, quibus populum concitant & ſeditionem palliant. Hi duo ſunt:

1. Prior petitur à doctrina Pauli: Omnes ubique docet contra hunc populum, hanc legem & hunc locum. Sunt ferè iidem prætextus quibus palliabatur perſequutio protomartyris

Digitized by Google

Actor. 6. 13. niſi quod ad locum & legem hîc additur populus. Dicunt Paulum docere contra populum, quia docebat Deum non eſſe ſuſceptorem perſonæ, ut ſolos Judæos amaret, ſed in omni populo acceptum ipſe eſſe qui Deum timeat & operetur juſtitiam Actor. 10. 35. imò Deum propter infidelitatem Judæorum verbum ſalutis ab ipſis abſtuliſſe, & Apoſtolos juſſiſſe cum Euangelio ſuo ſe convertere ad gentes Actor. 13. 46. 47. Unde & Paulus ſeceſſit à Judæis, Chriſtianos diſcipulos à corpore Judæorum ſeparavit, Judæorum Synagogas non amplius agnoſcens pro vera Eccleſia Actor. 19. v. 9. Dicunt deinde Paulum omnes homines docere contra legem, ſcilicet legem Dei & Moſis, ut patet Actor. 6. v. 11. quia Paulus docebat peccatorem per opera legis non poſſe juſtificari, & ceremonias legis, poſt impletionem ſignificationis ſuæ per Chriſti adventum & paſſionem factæ non amplius eſſe neceſſarias. Hoc illi ita interpretabantur, quòd Paulus totam religionem Judaicæ Eccleſiæ damnaret, quod falſum erat. Non enim veræ, ſed apoſtaticæ Eccleſiæ Judaicæ doctrina erat, hominem juſtificari per opera legis, & ceremonias fore æternas. Aliter credidit Eccleſia Judaica priſca, ut patet Dan. 9. 24. Etiam fideles Judæi malè de Paulo hoc nomine ſentiebant, quaſi moliretur & doceret totalem apoſtaſiam à religione Moſis v. 21. hujus capitis, cùm tamen non niſi veram intentionem & impletionem legis Moſaicæ doceret. Dicunt denique Paulum docere contra locum ſanctum, ſcil. urbem & templum, partim quia docebat, templum & ceremonias ejus non niſi umbras eſſe, impoſitas uſque ad tempora emendationis Hebr. 9. 9. 10. partim quia damnabat inanem illam fiduciam, quam in templi ædificium reponebant, Ierem. 7. 4. putantes ſe tàm diu eſſe Eccleſiam Dei, quamdiu ſacrum templum ſecum haberent. Partim denique, quia ſubindè infidelibus Judæis inculcabat prædictiones Chriſti de futura templi & urbis deſtructione Matth. 23. 37. Luc. 19. 43. 44. Sunt iidem prætextus, quibus hodieque Papiſtæ ſuam contra nos perſequutionem palliant, dicentes, nos docere omnes ubique homines deficere ab antiqua Eccleſia Catholica, ab antiqua Catholica & Apoſtolica religione, & populum abſterrere ab eorum templis, tanquam ſpeluncis idololatriæ & ſuperſtitionis. Sufficiat nobis, quod patimur propter eandem cauſam, propter quam paſſi ſunt Apoſtoli. Habebimus enim ideò etiam eundem vindicem. Ab Eccleſia & religione antiqua & Apoſtolica non deficimus, nec deficere docemus, ſed novam Synagogam anti-Chriſti Romani, quæ à vera Eccleſia & religione antiqua apoſtaſiam fecit, & ad Judaicam ſuperſtitionem ac gentilem idololatriam defecit, deſerimus, ne quid impurum tangentes plagarum ejus fiamus participes, utque tyrannidem ejus evadentes Deo ſerviamus ſecundum puritatem Euangelii in pace & tranquillitate.

2. Alter prætextus petitur à facto Pauli, ſed ficto. Quoniam enim in ur-

Digitized by Google

be cum Paulo viderant Trophimum, natione Epheſum ac ethnicum, attamen ad Chriſtianiſmum converſum, & Pauli in hoc itinere comitem Actor. 20. 4. Ideò ſuſpicantur, vel potius fingunt, eum à Paulo in templum quoque eſſe introductum, & hoc interpretantur pollutionem templi ſancti. Vides hîc, quod hi homines cùm laborant inopiâ argumentorum, quibus ſuam ſeditionem defendant, ſuſpiciones & mendacia in auxilium vocent. Vidimus Trophimum cum Paulo in urbe. Ergò eum induxit in templum. Odium perſonæ ex arena nectit pallium perſequutionis. Et planè tales conſequentia, quales in nos ſolent torqueri: Reformati credunt etiam peccata hominum eſſe ſub potenti gubernatione ac directione Dei, & fieri ſecundum Dei conſilium & voluntatem. Ergò Deus Reformatorum eſt autor peccati, pejor Diabolo. Reformati negant carnem Chriſti eſſe ubique. Ergò negant omnipotentiam Dei, majeſtatem Chriſti, veritatem ſacramentorum. Tales conſequentias poteſt nectere odium. Vides etiam quàm ſuperſtitioſi fuerint Judæi circa diſcrimina locorum. Non diffitemur, templum Hieroſolymitanum habuiſſe ceremonialem aliquam ſanctitatem, & potuiſſe pollui Exod. 29. v. 37. & 40. 9. Sed tamen Judæorum ſuperſtitio circa hanc ſanctitatem non eſt probanda. Putabant enim ſe, quantumvis impios & profanos, ſanctos fieri cum ſuo cultu, ſi in hunc ſanctum locum venirent. Et ſi quis Chriſtianus in hoc templum veniret, templum pollui. Salsè hoc refutat Propheta Hagg. 2. 12. 13. 14. 15. Ideoque mirum eſt etiam Papiſtas hanc ſuperſtitionem reſumſiſſe, cùm tamen & Chriſtus & Apoſtoli clamitent in N. T. ſanctitatem ceremonialem locorum ceſſare, & locorum diſcrimen deſiiſſe Iohan. 4 21. & prætereà ne in V. quidem T. locorum ſanctitas talis fuerit, ut vel impurus quiſpiam in loco ſancto ſanctus fieri, vel purus in loco non ſancto impurus fieri potuerit. Curemus modò, ut cor & corpus noſtrum ſit ſanctum, & ut *quocunque in loco puras manus ad Deum elevemus* ut eſt 1 Timoth. 2. 8. & erimus nos & cultus noſter Deo accepti, etiamſi non ſimus in loco luſtrato. Si verò impuri ſumus corde, corpore & vita, non ſanctificabimur etiamſi in Papæ ſinu ſederemus, imò etiamſi eſſemus incluſi ventri illi ſancto, qui Chriſtum geſtavit, ut colligitis ex Luc. 11. v. 27. 28. Dediſcamus ſuperſtitionem circa externa Sacramenta, quæ ſanctimoniam aliquam habent. Non eſt illa ſanctimonia talis, ut ſanctum poſſit reddere hominem, qui corde & vita impurus eſt, ſed potius à talibus profanantur quæ ſacra ſunt. Adferamus igitur ſanctimoniam ad ſacra, **heyligheydt in 't Heylighdom.**

Actor. 21. v. 33. ad finem.

CONC. CCXXXVIII.

IV. SEquuntur plagæ, quas Paulus ab hac ſeditione paſſus eſt: Injiciebant ipſi manus, comprehendebant Paulum, trahebant illum extra templum, claudebant fores v. 27. quærebant

Digitized by Google

rebant ipſum occidere. v. 31. Ideoque ipſum incipiebant percutere. v. 32.

1. Traxerunt ex templo. Non erat Paulus in ipſo templo, neque in Sancto, neque in Sancto Sanctorum. Nam in illud non niſi Sacerdotes, in hoc non niſi ſummus Sacerdos ſemel in anno intrabat. Fuit in interiori templi atrio, ubi altare holocauſtorum erat, & ubi ceremoniæ Nazaræorum perficiebantur. Inde eum extraxerunt in porticum Salomonis, vel etiam in atrium gentium, & tùm à Sacerdotibus clauſæ ſunt fores templi, ne eò iterum ſe reciperet, & cornua altaris tanquam aſylum apprehenderet, ſicut Adonia & Joab 1 Reg. 1. 50. & 2. 28. unde non potuiſſent eum abſtrahere. Etiamſi enim in quibuſdam caſibus licitum erat delinquentes etiam ab altari abſtrahere & occidere Exod. 21. 14. hoc tamen fieri non poterat ſine cognitione Magiſtratus. 1 Reg. 2. v. 30. 31. Extrahunt igitur Paulum ex templo, ne in templo ipſo juxta altare homicidium committerent. Tantum enim potuit apud eos ſuperſtitio loci, quamvis aliquando eò proceſſit eorum malitia, ut ne loci quidem reſpectus potuerit comprimere homicidia Prophetarum. Matth. 23. 35. Reverentia tamen loci etiam prohibuit, ne legitima ſupplicia ibi fierent 2 Reg. v. 11. 15. Quòd autem templi fores claudunt, fit, ne quo pacto regreſſus altare prehenderet, unde abſtrahi non poſſet.

2. Extractum percutiunt cum intentione occidendi. Peccatum igitur ipſorum non ſolùm fuit ſeditio contra quintum, ſed & homicidium contra ſextum præceptum. Fatentur ipſi Joh. 18. 31. ſibi non licere quenquam occidere, quod poteſtas vitæ ac necis adempta erat etiam Magiſtratui Judaico per Romanos, & tamen ſibi ipſis permittunt homicidium privatum & violentum. Neque putandum, quod ſint liberi ab homicidio, quoniam homicidium propoſitum impeditur. Nam tales quoque ut homicidæ in Scriptura damnati ſunt Gen. 27. 41. & 37. 20. comparat. cum Gen. 42. 21. 22. 1 Reg. 19. 2. 10. 2 Reg. 6. 31. 32. Ioh. 8. 4. 41. 44. Actor. 23. 12. Quod ſi ſolum propoſitum occidendi tantum eſt peccatum, quid non erit ipſum homicidium? Si is qui ſine voluntate & propoſito occidendi per meram imprudentiam aliquem occidit, tamen opus habebat aſylo & liberatione per mortem Pontificis Exod. 21. 30. quantò damnabilius eſt ipſum homicidium ſponte & datâ operâ perpetratum? Caveamus à talibus peccatis, quippe quibus & conſcientiam propriam vaſtamus, & proximo maximam, quam poſſumus, injuriam infligimus, & terram, in qua habitamus, inquinamus, & ſupplicia Magiſtratuum in nos provocamus, vel ſi hæc evadimus, iram Dei & maledictionem ejus non evadimus 1 Tim. 1. v. 9. 1 Ioh. 3. 15. Apoc. 22. 15. & 21. 8. Caveamus etiam occaſiones homicidii, ut ſunt odium, iracundia, ebrietas. Qui enim occaſiones non vitat, à peccato non eſt immunis. 1 Ioh. 3. 15. *Object.* Atqui Moyſes Ægyptium occidit. *Reſp.* Non ex ira, ſed ex inſtinctu Dei, ſicut Magiſtratus ex juſſu.

V. Sequitur denique liberatio Pauli

Digitized by Google

ex hoc periculo: Gubernator enim urbis, ſeu præfectus Romani præſidii Claudius Lyſias, audito rumore, cum centurionibus & militibus accurrit, & Paulum eripit. Non eripuit illum cum intentione parcendi Paulo, ſed tantùm ut ex manu ſeditioſorum ereptus in manum judiciis tradatur, nec occidatur niſi cognitâ causâ, habetque adventus ejus tantum formidinis, ut illicò ceſſent Paulum percutere, unde hæc duo obſervare licet:

1. Quod Magiſtratus nemini debeat pati vim inferri. Unius viri liberandi causâ hîc Chiliarcha ſe injicit in medium confluxum populi, quo ferè comprimebatur, ut eſt v. 35. Potuiſſet dicere, unius hominis causâ me & milites non conjiciam in periculum, eſt homo non meæ religionis, ſed Chriſtianus, potuiſſet à ſe remittere ut Gallio Actor. 18. Sed non facit: Juſtitia adminiſtranda omnibus ſine reſpectu perſonarum.

2. Deus pios non ſemper liberat per pios, nec Eccleſiam ſemper per Magiſtratus Eccleſiæ addictos. Optandum quidem Eccleſiæ, ut ſemper habeat Magiſtratus, qui ex amore Eccleſiæ & veræ religionis religionem & Eccleſiam defendant, ſed non ſemper obtinebitur. Archipaſtor noſter Chriſtus oves ſuas non ſemper defendit per Paſtores, qui ſunt verè ποιμένες λαῶν, ſed ſæpè oves defendit per canes. Non ſemper judices & ſalvatores ex Eccleſia, ſed vindices ex hoſtibus largitur Eccleſiæ. Sic David, cum ab Iſraëlitis perſequutionem pateretur, ab alienigenis defenſus eſt. Joſeph cum à fratribus ad mortem peteretur, apud Ægyptios victum & honores invenit. Per ambitioſum Jehu Eccleſiam liberavit ab idololatrico Achab. Sic Hiſkiam ab Aſſyrio liberavit per Regem Cuſs. Sic per Cyrum Perſam Iſraëlitas liberavit ex captivitate Babyloniorum. Sic per Ahaſverum Judæos ex laniena Hamanis eripuit. Sic poſt aſcenſionem Chriſti etiam inter Ethnicos Magiſtratus Eccleſiæ defenſores excitavit, nec hodieque deſunt Reges & Magiſtratus, qui, quamvis ab Euangelio alieni, tamen ab injuriis ſacrificulorum Euangelicos defendunt. Placeat nobis hic modus gubernandi mundum & Eccleſiam qui Deo placet, & diſcamus precari pro omnibus 1 Timoth. 2. 1. Non imaginantes, penes eos ſemper fore dominium mundi, penes quos eſt veritas Euangelii, ſicut Judæi putabant adventum Meſſiæ ſecum portaturum dominium ſuper Romanos. Pios ſæpè oportet vivere ex gratia impiorum, & Deus novit etiam corda impiorum flectere ad protectionem piorum. Quod ſi autem etiam illi Magiſtratus, qui à religione verâ alieni ſunt, ſui eſſe officii exiſtimant religionis Profeſſores defendere, contra vim injuſtam hoſtium, quid non debent illi Magiſtratus, qui ſe veræ religioni profitentur addictos?

Hactenus, quid Paulus paſſus ſit in templo à ſeditioſis Judæis, & quomodo per Chiliarcham Romani præſidii ex hac ſeditione liberatus ſit. Sequitur quid paſſus ſit ſub ipſo hoc liberatore ſuo Claudio Lyſia. Etſi enim is præſenti morti Paulum eripuit, hoc tamen non

Digitized by Google

non fecit eo animo, ut ipſum immunem & impunem dimitteret, ſed ut prius judicialiter in cauſam ejus inquireretur, ne puniretur inauditus & non convictus. Hoc fine 1. Apprehendebat Apoſtolum & jubebat ipſum vinciri duabus catenis. 2. Quærebat ex populo, quis eſſet & quid feciſſet. 3. Sed cum propter promiſcuum turbæ clamorem nihil certi poſſet cognoſcere, jubebat ipſum captum & vinctum abduci in caſtellum. 4. In hac abductione Paulus ita compreſſus eſt à turba, ut à militibus portandus eſſet, donec in ſcalam caſtelli veniſſet, populo interim clamante, tollatur, tollatur. 5. Cum jam Paulus inducendus eſſet in caſtellum, illicò recordatus conſuetæ ſuæ fortitudinis, Græco idiomate à Chiliarcha petiit, ut ſibi liceret loqui & apologiam facere. 6. Verum hoc malè ipſi ceſſit. Cum enim ex hoc alloquio Chiliarcha intelligeret, Paulum callere linguam Græcam, ſuſpicionem contra illum ſuccepit, quòd non eſſet Judæus, ſed quòd eſſet ille Ægyptius, qui nuper ſeditione excitatâ 4000. ſicarios in deſertum eduxiſſet. 7. Paulus igitur hanc ſuſpicionem diluit, & veniam loquendi ad populum ſibi impetrat. 8. Inſtituit igitur cap. 22. orationem apologeticam, quâ miraculoſam ſuam converſionem enarrat, ſperans populum ita mitigatum vel convinctum iri. 9. Sed tantum abeſt ut mitigetur, ut potiùs magis exaſperetur & tumultum augeat. 10. Et Chiliarcha quoque hoc tumultu commovetur, ut eum torturæ ſubjicere inciperet ad extorquendam delicti confeſſionem. 11. Ab hac tamen tortura Paulus ſeipſum præſervat allegatione privilegii, quòd eſſet civis Romanus. 12. Ut tamen præfectus cognoſceret cauſam ſeditionis, ſequenti die ſenatum Judaicum ad ſe vocat, & Paulum ipſis præſentem ſiſtit, ut ex confrontatione de cauſa cognoſceret. 13. Sed capite vigeſimo tertio deſcribitur, quòd etiam hoc colloquium nihil certi Chiliarchæ de cauſa Pauli indicaverit, quodque Judæorum inſidiis petitum tandem Cæſaream ad Felicem provinciæ Præſidem à ſe ablegaverit. Hæc ſumma eorum, quæ Paulo ex ſeditione Judæorum liberato ſub Claudio Lyſia contigerunt.

Etiamſi igitur Paulus per Claudium Lyſiam ex manu ſeditioſorum Dei gratiâ ereptus fuit, tamen etiam ſub manu liberatoris ſui gravia paſſus eſt. Nam 1. Vinctus eſt catenis inſtar malefici. 2. Compreſſus eſt à populo, ut ferè exanimatus, niſi à militibus fuiſſet portatus. 3. Paſſus eſt ſuſpicionem & exprobrationem, quòd eſſet dux & caput latronum. 4. Ligatus fuit ad torturam. 5. In ſenatu Judæorum ferè laceratus fuit. 6. Inſidiis conjuratorum ad mortem petitus fuit. In genere hinc diſcimus, quàm graves plagas Deus etiam piis & exemplariter ſanctis ſuis immittere poſſit, Paulus certè vir ſanctiſſimus, & tamen afflictiſſimus, cui non adeò multum defuit, quin plagæ ejus ipſius Chriſti plagas exæquaverint, ſi in externis & corporalibus velis hærere, & non reſpicere angores inferni & iram Dei, quam Chriſtus ſolus propter peccata noſtra ſuſtinuit.

Digitized by Google

Quæ cauſa quæſo, quòd Deus etiam ſanctiſſimos adeò affligit? Hoc Deus facit.

1. Juſtè. Nihil enim infligit præter merita. Etſi ſancti per gratiam Chriſti juſti ſunt, tamen non deſinunt in ſeipſis eſſe rei, ut Deo adimatur omne jus caſtigationis.

2. Benignè, ut non habeas cauſam querendi. Nam cùm pios verberat, pios per verbera ſanat & ſanctificat, verborum dolores ſuo robore ſuſtinere largitur, & tandem tanto fructu atque premio remunerat & compenſat, quo cum afflictiones ipſæ dignæ non ſunt ut comparentur Rom. 8. Sunt igitur plagæ piorum & juſtæ & beneficæ afflictiones, de quibus nemo juſtè queri poteſt.

In reliquo hujus capitis nihil eſt, cui cum aliqua ſingulari ædificatione inſiſtere prolixè poſſimus. Quatuor obſerva:

1. Quàm efficaciter providentia Dei, in verbo manifeſtata, dominetur ſuper conſilia hominum. Deus paſſim prædixerat, Hieroſolymis vinctum & afflictum iri Paulum Actor. 20. 23. & 21. 11. Non occiſum iri prædixerat, ſed vinctum iri. Judæi quærebant omni ope occidere. Sed quia ex Deo non erat, non occiditur, ſed tantùm juſſu Claudii vincitur duabus catenis. *Quærat aliquis*, quî Actor. 21. 11. dicatur, Judæos Paulum vincturos & gentibus tradituros eſſe, cùm tamen ipſi gentes eum vinciant? *Reſp.* Judæi dicuntur vincturi, quia ipſi Paulo manus injecerunt, eum comprehenderunt, & ſic occaſionem dederunt, quòd ab Ethnicis militibus vinctus eſt. Diſcamus nihil metuere à conſiliis & machinationibus impiorum. Sunt enim ſub conſilio Dei. Si Deus vult ut vivam, nemo me poteſt occidere. Applica illud Dan. 3. 15. 16. 17. 18. & conſilium Gamaliëlis hîc valet Actor. 5. 38. 39.

2. Quàm corruptus fuerit Reipubl. Iſraëliticæ ſtatus. Unus Ægyptius peregrinus potuit corradere & in deſertum educere 4000. homines, qui latrociniis & prædationi darent operam. Quis ille Ægyptius fuerit, quando hæc hiſtoria contigerit, an ſit eadem ſeditio de qua Actor. 5. 36. 37. nec ne, an verò ex Joſepho hæc hiſtoria petenda, non eſt quòd curioſè rimemur. Hoc inde certò conſtat, quod mores populi præter modum tùm temporis fuerint corrupti, ubi tanta facilitate tot homines ad latrocinia potuerunt educi. Oritur hoc ex prava educatione liberorum. Qui enim in juventute inſtitutionibus & virgis non corriguntur, poſteà non formidant, etiam periculo patibuli peccare.

3. Horum latronum & prædonum caput atque dux habitus & nominatus fuit ſanctiſſimus Apoſtolus, ſicut & Chriſtus Dominus noſter inter latrones crucifixus, & inter maleficos reputatus eſt. Eſa. 53. & Luc. 23. Non ægrè hoc tulit Paulus, nec commotus eſt, ſed leni negatione diffiteri crimen ſatis habuit. Noſtra verò ubi hac in re patientia, qui levi aliquo convitio à proximo læſi potius cœlum & terram movemus, quàm ut convitium aliquod patienter feramus? Vide 1 Petr. 2. 23. Luc. 6. 22. 23.

4. De-

Digitized by Google

4. Denique obſervanda venit mirabilis parrheſia, quâ in media ſeditione tantoque tumultu, cauſæ ſuæ memor, paratus eſt ad apologiam coram populo inſtituendam, eamque inſtituit tàm elegantem ac efficacem, ut appareat ipſum in mediis turbis ab omni turbatione animi immunem fuiſſe. Sic hic quoque impleta Chriſti promiſſio Matt. 10. 20. Diſcamus & nos dicere quod Deus ſit in infirmitate potens, fidelis ad faciendum, quod imponit, & in ſimili neceſſitate ſimilem, quantum opus eſt, expectemus animorum noſtrorum corroborationem.

Actor. 22. v. 1. ad 6.

Conc. CCXXXIX.

PAulus in extremis turbis conſtitutus, ex quibus ab armato urbis præſidio vix eripi poterat, non ita dejectus & inops eſt conſilii, ut nihil auſit neque poſſit tentare ad ſeipſum juvandum, ſed animo ſumpto, & veniâ à Chiliarcha impetratâ, inſignem & concinnam ad populum inſtituit concionem, quâ hiſtoriam miraculoſæ ſuæ converſionis ad Chriſtianiſmum, vocationemque ad Apoſtolatum enarrat, ſperans fore, ut hoc medio animi ſævientis populi ſedarentur, & illâ ſimul occaſione agnitio Chriſti in hoc populo accenderetur, præſertim ut hac apologiâ dilueret objecta crimina, doceretque ſeditionem hanc non habere juſtam cauſam in Paulo. Apologiæ enim & defenſionis cauſâ hanc concionem præcipuè inſtitutam eſſe v. 1. expreſſè dicitur. Habemus in illâ:

1. Præfationem.
2. Concionem ipſam.

Præfatio habet 1. Compellationem: Viri fratres & patres. 2. Admonitionem: Audite meam ad vos apologiam. 3. Fructum & effectum præfationis: Cùm audirent alloquentem linguâ Hebræâ, tantò magis ſiluerunt & auſcultârunt. v. 1. 2.

Concio ipſa nihil eſt aliud, quam narratio hiſtorica, quâ Paulus enarrat 1. Qualis fuerit antequam Chriſtianus fieret. 2. Quo pacto & quibus mediis ad Chriſtianiſmum converſus, & ad miniſterium Euangelii vocatus ſit.

I. Compellat Judæos nomine fratrum & patrum, priori nomine populum, poſteriori ſeniores & ſacerdotes intelligens. Nititur autem hæc compellatio duplici fundamento, politico & Eccleſiaſtico. Politicè & civiliter fratres & patres appellat, tum ut ſe naturâ Judæum teſtetur, tum ut ſe virum prudentem oſtendat, qui pro diſcrimine ſtatuum cuilibet amorem & honorem nôrit tribuere & deferre. Eccleſiaſticè appellat fratres & patres, ut teſtetur ſe non abjeciſſe & exuiſſe omnem communionem cum Judæis & ſacris Moſaicis. Etiamſi enim ceremonias Judaicas poſt impletionem per Chriſtum non judicabat ad ſalutem neceſſarias, etſi corruptam Judæorum doctrinam non probabat, etſi diſcipulos à ſynagoga ſeparaverat, etſi Judæos excœcationi & rejectioni vicinos declaraverat, tamen gratiam Dei & Spiritus S. & verbum ſalu-

Digitized by Google

tis nondum penitus à Iudæis ablatum profitebatur, ſed multos eſſe in illo populo ſciebat, qui Deum ex animo timebant, & vel ad Chriſtum aliquo pacto jam tùm converſi erant, vel adhuc converti poſſent, ideoque fraternam charitatem erga hunc populum non exuit; ſed ſalutem ejus ſperat & quærit, ideoque intra communionem Iudaicæ Eccleſiæ manet, quantum cum bona conſcientia ſine ſcandalo, & cum ædificatione fieri poteſt. Vide Rom. 9. 1. 2. & 10. 1. 2. & 11. 1. 2. 25. 26. Quibus omnibus locis Paulus teſtatur, ſe ſummoperè dolere, quòd Iſraël non recipiat Euangelium, quod non deſinat precari ut ſalventur, quod non credat planè rejectos, ſed Deum habere inter illos ſuos electos, & quamvis ad tempus obduratio ipſis contigerit, tamen poſt ingreſſam plenitudinem gentium ſalutem ad ipſos reverſuram. Atque adeò docet nos Apoſtolus, quàm cara nobis eſſe debeat unitas Eccleſiæ & populi Dei, & quam ægrè diſcedendum ab illis qui aliquid Chriſti habent, ſi modò ſalvâ conſcientiâ & Chriſtianâ libertate inter illos manere poſſimus, nec per blaſphemias & tyrannidem expellamur.

II. Et hortatur, ut audiant ſuam apologiam. Legimus Matth. 27. v. 13. 14. Quod Dominus Ieſus, etiam monitus à Pilato, ad criminationes Iudæorum nihil reſponderit. Cur igitur Paulus adeò promptus ad apologiam? *Reſpond.* Chriſtus nec ſemper reſpondit, nec ſemper tacuit ad objecta crimina. Tacuit, cùm ſe vidit ſine fructu reſponſurum. Reſpondit cùm operæ pretium ſe facturum vidit. Sic Paulus hìc ſe defendit reſpondendo, quia ſpes erat non improbabilis, in tanto populi confluxu rationabili deductione ſuæ cauſæ aliquorum ſaltem animos tactum iri ſenſu veritatis, quod & ſine dubio factum. Nobis autem ex hoc Pauli exemplo diſcendum, ut, cùm opus eſt apologiam pro ſe inſtituere, id fiat cum omni lenitate & humanitate. Paulus à Iudæis captus, diffamatus, percuſſus & ad necem quæſitus non rependit opprobriis opprobria, ſed fratres & patres appellat ſuos hoſtes. Sic & nos decet lenitate & humanitate vincere obtrectatores, ut apologiæ noſtræ non ſint acerbæ recriminationes, ſed rationabiles & manſuetæ cauſæ noſtræ defenſiones. Prov. 15. 1. & 25. 15. Col. 4. 6. Sicut qui prurientem ſcabiem ſcabit duriter, non tàm ſcabiem, quàm ſeipſum lædit, ita qui ad aliorum criminationes recriminatur acriter, non lædit niſi ſuam famam. Si hoc diſcerent multi, non forent ſibi ipſis adeò moleſti jurgiis.

III. Etſi autem Paulus hac Apologiâ non compeſcuit furorum ſeditioſorum, tamen blandâ præfatione hoc effecit, ut diu audiretur, quod ideò præſertim factum, quod Hebraicè illos alloqueretur. Hebraica Lingua in ſua puritate, qualis habetur in deſcriptione V. T. tùm temporis non amplius fuit uſitata & vulgaris, ſed dialectus Syriaca, quæ hic videtur vocari Hebraica, quia inde orta, etiamſi ad Chaldaicam deflectens. Poteſt etiam fieri, ut Paulus vir literatus, verâ Hebraicâ linguâ uſus fuerit, quam populus intellexerit & libenter audiverit, etſi vulgari uſu non

Digitized by Google

non triverit. Videmus hinc, quantum apud vulgus poſſit accommodatio ad captum & mores illius. Hebraicè loquitur, Hebræum ſe eſſe gloriatur, Hebræorum ritibus ſe commendat, ad Hebræos peculiarem epiſtolam ſcribit, Iudæis factus ut Iudæus, & ut ſub lege conſtitutus, omnibus ſe accommodat, ut illos lucrifaciat. Phil. 3. v. 4. 5. 6. 1 Cor. 9. 20. 21. Hanc accommodationem, cum intentione lucrandi alios, licet imitari, attamen cum duplici cautela:

1. Ne quid faciamus, quod non habet naturam indifferentium, ſed eſt in genere mali. Non enim ſunt facienda mala, vel interdicta, ut eveniant bona. Rom. 3. Nec ad lucrifaciendos alios tangendum quod impurum eſt, aut aliqua communio habenda cum operibus tenebrarum. 2 Cor. 6. 14. Eph. 5. v. 11. Maluiſſet Paulus non præire in templum, nec aſſiſtere ceremoniis Naziræatus, Actor. 21. Quia & ſumptuoſum erat & verè Euangelicum gentium doctorem non delectabat de Chriſtiana libertate tantum concedere. Quia tamen res erat indifferens, & ſpem ædificationis habens, accommodat ſe, & facit, quod maluiſſet non facere.

2. Ne quid fiat in præjudicium Chriſtianæ libertatis. Cùm enim quod ex libertate facimus, noſtro exemplo habetur pro neceſſario, non eſt faciendum quod liberè facere poſſemus. Hinc idem Paulus, qui hic & capite præcedente adeò ſeſe Iudæis accommodavit, recuſat ſeipſum accommodare, & reprehendit accommodationem Petri Gal. 1. 4. 5. & 2. 12. 13. 14.

Accedimus ad concionem ipſam, cujus materia & effectus duplex ad finem capitis nobis deſcribitur.

Quantum ad materiam, non eſt niſi hiſtorica narratio, qualis Paulus fuerit ante Chriſtianiſmum, & quomodo fuerit converſus ad Chriſtianiſmum, quomodo denique ad miniſterium Apoſtolatus in genere, & ſpecialiter ad miniſterium inter gentes obeundum vocatus fuerit. Eſt igitur materia ferè eadem, quæ Actor. 9. fuit tractata, ubi eadem hiſtoria converſionis & vocationis Pauli à Luca deſcribitur; & in qua plurima recurrunt, quæ Actor. 9. à nobis ſunt tractata, ut neceſſe non ſit futurum diu huic concioni inſiſtere.

Scopus narrationis eſt ſatisfacere Chiliarchæ, qui ipſum habebat pro vagabundo aliquo & ſeditioſo latrone, nec non Iudæis, qui ipſum habebant pro hoſte Iudaici populi, legis & templi, nec ferre poterant, Chriſtum, quem crucifixerant illi, prædicari ut vivum & Salvatorem mundi, ethnicoſque admitti ac invitari ad communionem Iudæorum. Ad hæc omnia refutanda Paulus enarrat ſuam educationem, ſuum zelum pro lege contra Chriſtianos ſuam denique vocationem ad Chriſtianiſmum & miniſterium, ſpeciatim inter gentes. Dividamus igitur concionem in tres partes:

1. Prima narrat, qualis fuerit ante converſionem.

2. Secunda narrat, quo pacto converſus & ad Apoſtolatum vocatus ſit.

3. Tertia narrat, quomodo ſpecialiter ad ethnicos docendos vocatus ſit.

Nar-

Digitized by Google

Narratio primæ partis bimembris eſt. Nam

1. Enarrat, quomodo natus & in juventute ſua educatus & inſtitutus ſit, ut inde Chiliarcha poſſet concludere, Paulum non eſſe vagabundum latronem Ægyptiacum. Sum genere Iudæus, natus in nobiliſſima civitate Tarſus, educatus in celeberrima hac civitate Ieruſalem, præceptorem ac magiſtrum habui Gamalielem, & in patria lege accuratiſſimè fui inſtitutus. Ergò ne me putate hominem vagabundum, latronem, latrociniis deditum, aut ſimile quid. Tria hic enarrat ornamenta & honeſti animi indicia. Benè natus, benè educatus, benè inſtitutus. Natus ex celebri Iudæorum gente, patriam habens urbem nobilem in Provincia Romani imperii inclyta. Educatus fuit in urbe orbis nobiliſſima, quam Deus cœli ſibi ipſi in habitaculum elegerat, quæque doctrinâ ac miraculis, nec non exemplaribus pietatis parem non habebat. Præceptorem habuit Gamalielem, peritum legis, in magno pretio apud totum populum. Actor. 5. 34. à quo in lege patria inſtitutus fuit accuratiſſimè κατ᾽ ἀκρίβειαν νόμου, i. e. in omni apice patriæ religionis, non ſicut in Eccleſia & œconomia liberi & catechumeni inſtituuntur à paſtoribus & parentibus, ſed ſicut ſtudioſi Theologiæ in Academiis inſtituuntur à Profeſſoribus, methodo artificiali & accuratâ, ut eſſet vir literatus, & eruditus legis peritus, cognitione & zelo legis ſuperans plurimos ſui generis Galat. 1. 14. Hoc tamen non ita intelligendum, quòd veram atque accuratam cognitionem legis & Scripturæ Moſaicæ à Gamaliele adeptus ſit. Nam ſi hanc habuiſſet, converſione opus non habuiſſet. Lege enim Moyſis rectè intellectâ Chriſtus agnoſcitur, ad quem lex Moſis pædagogus eſt Gal. 3. Intelligit igitur, ſe in traditionibus & cabalis Iudaicis, nec non in gloſſis falſis ſupra legem Moſis, quorum tùm major inter Iudæos erat auctoritas quam ipſius Moſis Matth. 5. 21. Vide Gal. 1. 14. probè fuiſſe inſtitutum. Præcipuè autem in præciſis obſervatiunculis & regulis Phariſæorum Actor. 26. 5. Obſervemus hinc: quòd benè natum, educatum & inſtitutum eſſe ſint tria inſignia ornamenta hominis, quæ homo honeſtus meritò optat, deſiderat atque quærit. Quantum poſſit honeſta nativitas, Salomon indicat Eccleſ. 10. 17. & Eſaias cum Regem Babyloniæ aurorâ natum appellat. Iſai. 14. 12. Sicut aurora eſt gratiſſimum diei, ita qui ex nobilibus naſcuntur, ſunt delitiæ Reipublicæ. Fortes creantur fortibus & bonis. Etſi enim ſæpè fit degeneratio, nec filii ſemper fiunt hæredes dotum paternarum, ſed ſæpè impletur vetus verbum: *Heroum filii noxæ*; tamen honeſta nativitas ſemper optanda, & tum naturale medium, tum etiam ſtimulus ad virtutem eſt & gloriam. Non fit caſu, quòd alii nobili, alii ignobili loco naſcuntur, ſed eſt ex providentia Dei, ut per nobiles ignobiles regantur, & eſt res miſera, cùm deficiunt nobiles, qui cæteros gubernare & defendere poſſint. Iſai. 34. 11. *Obj.* 1. Aſt pauci nobiles vocantur ad ſalutem 1 Cor. 1. 26. Ergò nobilitas non eſt optanda. *Reſpond.* Hoc tantùm ſequitur: Ergò nobilitate non eſt niten-

Digitized by Google

tendum, nec in ea confidendum aut ſuperbiendum, ſed etiam qui celſo loco nati ſunt, debent eſſe humiles corde, ne nativitatis gloria per ſuperbiam ipſis cedat in præjudicium ſalutis, ſemper memores illius, quod legimus Eccleſ. 6. 10. *Obj.* 2. Atqui damnabile eſt, quod homines adeò adſpirant ad magnitudinem & nobilitatem mundanam, ut nobiles poſſint relinquere poſteros. *Reſpond.* Non eſt damnabile ad honores & nobilitatem contendere per artes, virtutem & res benè geſtas, ſed damnabile eſt, eò contendere per fas & nefas, & cum injuria aliorum. Alioquin quòd in ſe licitum ſit, patet ex 2 Sam. 7. 9. & ex laudationibus & epicediis heroum divinitus factis Iudic. 5. & paſſim. Hoc ſervit 1. Ut moneantur juvenes vitare ſcortationes & cohabitationes inhoneſtas, quibus fructum lumborum ſuorum ſpoliant optimo ornamento humani generis. 2. Ut precemur Deum, ne deficiant inter nos, qui illuſtri locô nati heroës eſſe poſſunt, & patriæ defenſores. Illuſtres familiæ præbent optimos patriæ defenſores. Sed parum prodeſt benè natum eſſe, niſi benè educeris. Eccleſiaſtici 22. 7. Sicut palmites vitis non fructificant, niſi regantur curâ vinitoris, ita liberi, niſi regantur curâ parentum. Hinc Achab, quantumvis impius, filios ſuos 70. inter magnates urbis diſtribuerat, ut eos educarent, 2 Reg. 10. 6. Et Eli propter neglectam filiorum educationem cum filiis punitur, 1 Sam. 3. 13. 14. Vide Prov. 4. 3. 4. Curam Davidis in educatione Salomonis, & præcepta Pauli de educatione liberorum Eph. 6. 4. Qui non benè educant filios, non habent, quod exprobrantibus filiorum vitia reſpondeant. Prov. 27. 11. Educatio bona ſæpè non impedit filiorum degenerationem, ſed etiam piis & ſedulis in educatione parentibus ſui ſunt Abſoloni & Ammones, Simeones & Levi &c. *Filii ſtolidi, qui ipſis ſunt indignatio & amaritudo*, Prov. 17. 25. *ærumnarum cauſa*, Prov. 19. 13. & 26. Attamen parentes, qui officio educationis ſatisfaciunt, habent quod reſpondeant exprobrantibus. Poſſunt enim dicere. Dum ego feci officium, filiorum vitia non ſunt mea, & ſpero, Deum tandem labori meo benedicturum, ut emendentur.

Conſiſtit autem educatio filiorum in quatuor partibus.

1. In inſtitutione. Deut. 6. 7. 20. Hæc vis vocis ἐκτρέφετε. Eph. 6. 4. & 1 Tim. 4. 6. Sicut corpus nutritione indiget, quæ per cibum & potum fit, ita anima indiget nutritione, quæ fit per inſtitutionem: Non morietur anima ſine cibo, ſicut corpus, attamen non proficiet in ſapientia & gratia apud Deum & homines, niſi inſtitutionibus nutriatur.

2. Diſciplinâ Prov. 13. 24. & 22. 15. & 23. 13. 14. Diſciplina ſola, ſine manſuetudine inſtitutionis παροξύνει, exacerbat filios Epheſ. 6. verſ. 4. Sed viciſſim inſtitutio ſine diſciplinâ nihil prodeſt.

3. Exemplo bono Tit. 2. 7. Epheſ. 5. v. 1. Nihil efficacius in educatione, quàm exempla bona vel mala. Achab dederat filios ſuos benè educandos, ſed ſuo exemplo fecit ipſos homicidas. 2 Sam. 6. 32.

Digitized by Google

4. Precibus Prov. 31. fili votorum. Quid filius votorum? i. e. pro quo Domino tot vota nuncupavi, & quotidiè nuncupo, ut benè habeas & te benè geras. Nôrunt pii parentes ſuam educationem eſſe tantum medium ſalutis liberorum, quod ſine benedictione Dei non prodeſt. Ideo curis addunt preces.

Utinam educatio liberorum plus nobis cordi eſſet. Omnia faciunt, & omnia patiuntur parentes propter liberos ut vivant. Id unum nimis negligenter curânt, ut benè vivant. Et tamen neque per gladium politicum, neque per miniſterium Eccleſiaſticum hoc facilè obtinetur in illis, quibus domeſtica educatio defuit. Tertium ornamentum honeſti hominis eſt literatura & eruditio, in qua Paulus gloriatur, dum ſe ad pedes Gamalielis ſediſſe & κατ' ἀκρίβειαν patriæ legis inſtitutum eſſe dicit. Ad pedes magiſtri ſedere, eſt phraſis ſcholaſtica, & de ſtudioſis ac auditoribus dicitur Luc. 10. 39. Sicut & Deut. 33. v. 3. Omnes ſancti dicuntur ad pedes Dei ſedere, & ex verbis ejus percipere, i. e. à Deo doceri tanquam à magiſtro. Paulus igitur fuit ſedulus diſcipulus & auditor Gamalielis. Unde & Feſtus ipſi perhibet teſtimonium magnæ eruditionis Actor. 26. 24. & in laudem Moſis conſignatum eſt, quod in omni ſcientia Ægyptiorum eruditus Actor. 7. 22. & Iſaias gloriatur, in docta ſua lingua Iſai. 50. 4. & David gloriatur, quod Doctoribus ſuis doctior ſit, Pſal. 119. & doctorum magna gloria Dan. 12. 3. Verum eſt, quod poſſimus ſine ſcholaſtica eruditione honeſti eſſe, honoribus fungi, cœlum adipiſci, ſi modo mediocrem cognitionem veritatis habeamus. Sed interim non eſt contemnenda eruditio & bonarum literarum ſcientia. Hæc enim non tantùm egregium ornamentum vitæ eſt, ſed egregiè conducit, imò neceſſaria eſt, ut doctrina veritatis maneat in ſua puritate, & doceatur populus cum vi & claritate, ut contradictoribus obturetur os, ut verbum Dei rectè ſcindatur, ut politia & jus ac juſtitia populo rectè adminiſtretur, aliique uſus humanæ vitæ promoveantur. Eruditio ſcholaſtica & Academica eſt Sol, per quem videt populus. Et ſi eruditionem ex mundo tollas, facilè redibunt tempora tenebrarum, ſicut erant in Papatu, unde docti obſervant, bonarum literarum reſtitutionem fuiſſe initium reformationis. Non igitur negligenda, ſed ſedulo quærenda eruditio & bonarum literarum ſcientia, & in eum uſum ſcholarum cura nobis debet eſſe quàm commendatiſſima.

En hæc ſunt tria illa ornamenta, quibus Paulus ſe commendat, ut diluat ſuſpicionem vagabundi latronis. Ubi enim hæc tria ſunt, videlicet honeſta nativitas, educatio & inſtitutio, ibi non facilè locum habet vita inhoneſta. Id quod merito debent obſervare, qui inter nos magno loco nati, honeſtè educati, & in bonis literis eruditi ſunt, quorum hæc Eccleſia non paucos habet, ut curent vitam ſuam reſpondere his qualitatibus. Turpe enim & inauditum Paulo, talium qualitatum homines haberi pro inhoneſtis. Et tamen non deſunt ex hoc genere, qui idiotis & plebejis turpiùs vivunt. Quibus Deus pro aliis tot adjumenta & incitamenta

ad

Digitized by Google

ad virtutem dedit, & tamen turpius vivunt, quam alii. Quid Deo reſpondebunt, aut quô pactô hominum nomen tuebuntur? Rectè talibus oggeritur illud Chriſti: *quibus multum datum eſt* &c. Luc. 12. 48. i. e. ei multum pœnæ infligetur, ſi nil boni fecit.

II. Alterum membrum primæ narrationis habet narrationem, quomodo Paulus educatus & inſtitutus in juventute, poſteà ætate virili ſe geſſerit erga legem & religionem, ubi narrat 1. Præciſitatem ſuam in obſervatione legis Judaicæ, prout tum temporis in ſchola doctorum urgebatur in qua ſe paria feciſſe dicit cum ipſis. 2. Rigoroſam perſecutionem contra Chriſtianos, cujus teſtem invocat ſummum ſacerdotem, & ejus literas ad magiſtratum Damaſcenum. Enarrat hæc Paulus, non ut glorietur in ſuperſtitione ſua circa legem, & perſequutione contra Chriſtianos, neque ut edat confeſſionem peccatorum apud Judæos, ſed ut Iudæis ſubminiſtret argumentum excuſandi Paulum, quòd non ex levitate, aut impietate religionem mutaverit, nec naturâ hoſtis ſit Iudaicæ religionis. Foret hic locus loquendi de Pauli zelo pro Deo & lege contra Chriſtianiſmum, & demonſtrandi, non fuiſſe zelum bonum, qui ipſum excuſare poſſit coram Deo. Sed demonſtravimus hoc cap. 8. 3. 4. & cap. 9. 1. 2. Reſtat ſolummodo inquirere, an Paulus poſſit credi fuiſſe ante Chriſtianiſmum regenitus, cùm tanto zelo legis Dei fuerit ductus, ut etiam in juſtitia, quæ ſecundum legem eſt, dicat ſe fuiſſe irreprehenſibilem, Phil. 3. 6. zelum in ſeipſo non fuiſſe bonum cap. 8. fuit demonſtratum. Sed *quæri poſſit*, annon Paulus habuerit cor ſincerum coram Deo, quo ad hunc erroneum zelum protruſus ſit, adeò ut converſio ejus ad Chriſtianiſmum non ſit prima ejus converſio, quâ ex impio pius ſit effectus, ſed tantùm major illuminatio, qua ad agnitionem veri Meſſiæ fuit traductus, ſicut Simeon, Anna, Cornelius &c. *Reſpond.* Non fuit regenitus ante converſionem ſuam in itinere Damaſceno. Fuit enim acerbiſſimus hoſtis & perſequutor Chriſti & Eccleſiæ Chriſtianæ, ut de ſe fatetur Phil. 3. 6. & 1 Tim. 1. 13. Gal. 1. 13. Simeon, Cornelius &c. carebant quidem cognitione veri Meſſiæ, ſed non in corde gerebant acerbum odium ac amaram hoſtilitatem contra Chriſtum ſicut Paulus. quod ſe ait in juſtitia legis fuiſſe irreprehenſibilem, non intelligendum eſt de vera ſanctimonia vitæ, ſed de ſuperſtitioſa & rigida obſervatione ceremoniarum & traditionum patriarum, (quæ vocatur lex πατροπαραδότως 1 Petr. 1. 18. Marc. 7. 8. Matth. 15. 2. ut nemo Phariſæorum haberet quod reprehenderet Gal. 1. 14. Fuit igitur Paulus ante converſionem Damaſcenam ſuperſtitioſus ac ſuperbus Phariſæus, ac hoſtis acerbiſſimus gratiæ Euangelicæ per Chriſtum partæ, qui ſicut Chriſti, ita & Spiritus S. non fuit particeps. Cavendum igitur, ne putemus zelum populi Papiſtici pro traditionibus humanis, & inimicitiam ejus contra Reformatos aliquid pietatis & veræ religionis in ſe habere, ut excuſari poſſint. Superſtitio eſt & inimicitia contra Chriſtum, qualis etiam in Paulo fuit. Cavendus igitur Papiſmus, quàm cara nobis

Digitized by Google

bis eſt ſalus animæ. Sed de hoc perverſo Pauli zelo, itemque de literis commendatitiis Paulo datis, latius dictum cap. 8. v. 3. 4. & c. 9. v. 1. 2. Illud unum conſiderabile, quod propter Chriſtianiſmum Paulus homines voluit puniri. Non diſputo nunc, quam poteſtatem puniendi ſynedrium Judaicum ſibi habuerit relictum. Hoc noto, quod Paulus adeò perverſus, ut punire vellet bona opera. Pœnæ delictis deſtinatæ ſunt, & qui pœnas delictorum infligit bonis operibus, perverſiſſimus perſequutor eſt.

Actor. 22. 6. *ad* 17.

CONC. CCXL.

IN tractatione hujus hiſtoriæ ſæpè nobis cogitandum illud Dei ad Ananiam Actor. 9. v. 16. Oſtendam Paulo, quanta oporteat pati &c. Reverâ ipſi oſtendit, tum per vaticinia, tum per experientiam. Probè expertus eſt Paulus, quantum oportuerit pati, poſtquam ad Chriſtum converſus eſſet. Cum enim anteà caperet, nunc ipſe capitur, cum antea vinciret, nunc vincitur, cùm antea lapidaret, nunc ipſe lapidatur, cum antea populos & magiſtratus contra oves Chriſti excitaret, nunc ſeditiones & ſævitiæ contra ipſum excitantur, nobis omnibus in exemplum, quod converſio à peccatis non liberet ab afflictionibus in terris. Non quod converſio fructum non habeat etiam in hac vita. Cum enim converſi affliguntur, roborantur virtute & potentia Spiritus S. & reficiuntur certitudine & prægustu æternæ vitæ, ut in media triſtitia gaudeant, miſcenturque afflictiones benedictionibus, ut ſemper, ſicut oppreſſionum, ita & conſolationum ſint participes. 2 Cor. 1. Interim Deus ſibi non ademit libertatem etiam converſis peccatoribus guſtandum dare poculum plagarum, peccando promeritarum, ut magis humilientur, probentur, emendentur, & ad Deum quærendum acuantur. Nunquam tamen magis oſtendit, quàm in regreſſu tertii itineris ex occidente verſus Hieroſolymam. Vidimus quomodo poſt periculoſam ſeditionem in templo, qua percuſſus & miſerè tractatus eſt, devenerit in manus & vincula Romanorum, ex quibus ipſum uſque ad horam mortis fuiſſe liberatum ſacra pagina non teſtatur, etſi hiſtoriæ Eccleſiaſticæ contrarium teſtentur. Poſtquam per Romanos milites ex preſſura ſeditioſi populi liberatus, in gradus Romani caſtelli fuit conſtitutus, à Chiliarcha Romano impetravit veniam faciendi apologiam ad populum, quam in tres partes diviſimus, & primam ſuperiori concione abſolvimus.

Secunda pars apologiæ, quam Paulus ex gradibus arcis Antoniæ ad populum Judaicum fecit, enarrat, quibus mediis ad Chriſtianiſmum converſus, & ad Apoſtolatum vocatus ſit. Quoniam autem tota hæc hiſtoria capite nono ſatis plenè fuit explicata, non poſſumus hic inſtituere aliquam repetitionem, ſed lectorem eò remittimus, & non niſi pauca quædam, ibi præterita, hic attingimus.

I. Et primo quidem de luce illa, quæ Paulum circumfulſit, aliquid adhuc dicendum,

Digitized by Google

cendum. Pontificii & quidam alii ex hac luce volunt elicere tenebras ubiquitatis vel omnipræſentiæ corporis Chriſti, ut inde transſubſtantiationi & orali manducationi carnis Chriſti prætextum quærant. Sic enim argumentantur: Si corpus Chriſti aliquando ſimul fuit & in cœlo & in terra, tum poteſt eſſe ubique vel in pluribus locis ſimul. At verum prius. Unde probant? Ex hoc loco: Poſt aſcenſionem Chriſtus cœlo nunquam exit, ſed ibi manet uſque ad ſecundum adventum in terras. Actor. 3. 21. Pſal. 10. 1. 2. Et tamen ex hoc capite patet, Chriſtum poſt aſcenſionem aliquando fuiſſe in terris ſuo corpore. Nam, inquiunt, hæc lux, quam Paulus hîc vidit, fuit nihil aliud, quàm lucidum & glorificatum corpus Chriſti. Ergò corpus Chriſti aliquando ſimul fuit in cœlo & in terra. Vide quantum fundamentum habeant idola ubiquitatis, transſubſtantiationis & oralis manducationis carnis Chriſti: Sed reſpondeo:

1. A poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Poſito, quòd Chriſtus ſuo corpore poſſit eſſe ſimul in pluribus locis, an inde ſequitur quòd ſit? Dogma de corporali Chriſti præſentia in terris poſt aſcenſionem requirit teſtimonia Scripturæ.

2. Ubi hoc habetur, quòd Chriſtus poſt aſcenſionem ſuam nunquam relinquat cœlum? Cœlum quidem uſque ad ultimum diem eſt ordinarium domicilium corporis Chriſti, ſed inde non ſequitur, quòd inde nunquam poſſit exire, & ſe hominibus in terra conſpiciendum exhibere. Hanc libertatem Chriſtus ſibi nuſquam ademit, ſaltem quod nobis conſtet.

3. Sed unde probant, iſtam lucem, quem Paulus hîc vidit, fuiſſe ipſam lucem ſplendidi & glorificati corporis Chriſti? Fuit utique lux excœcans & non permittens, ut quiſquam à Paulo videretur, ut eſt v. 8. cap. 9. & c. 22. 11. Nos diximus & demonſtravimus in cap. 9. quòd fuerit partim fulgur quoddam corporale ex nubibus, viſum tùm à Paulo, tùm à comitibus, partim ſplendor, coruſcatio & φωτισμὸς quidam Spiritus S. conſcientiam Pauli perſtringens & perterrens detectione peccati. Unde igitur illi probant, fuiſſe ipſius corporis Chriſti fulgorem & ſplendorem? Probare hoc volunt ex dictis, ubi Paulus dicitur vidiſſe ipſum Chriſtum Actor. 9. 27. Actor. 22. 14. Actor. 26. v. 16. 1 Corinth. 9. 1. 1 Corinth. 15. 8. Sed his dictis illud non probatur. Chriſtus enim videtur ab hominibus, non tantùm cùm colore & ſplendore ſui corporis incurrit in oculos noſtri corporis, ſed etiam cùm videtur in externa aliqua figura, ſicut in deſerto videbatur in columna nubis & ignis, in templo videbatur per fumum, in baptiſmo Chriſti Spiritus S. videbatur in ſpecie columbæ. Videtur etiam per ecſtaſin Actor. 18. 9. & 23. 11. Actor. 22. 17. 18. Apoc. 1. 13. 17. Videtur etiam per fidem in verbo & Sacramentis Johan. 8. 56. Non ſequitur igitur: Paulus vidit Chriſtum. Ergo ipſum corpus Chriſti incurrit in corporales oculos Pauli. Potuit enim videre in externis ſignis præſentiæ, ſicut Moſes Exod. 3. 2.

Digitized by Google

4. Non tamen negaverim Paulum hoc loco ipſis corporalibus ſuis oculis vidiſſe ipſum Chriſti corpus ſplendore ſuo in oculis Pauli coruſcans. Vidit fulgur corporale ex nubibus, circumfulſus eſt radiis Spiritus S, intus in conſcientia, ſed ſimul potuit ipſum Chriſti corpus glorioſum videre. Sicut enim vox, quam audivit, fuit ex ipſius ore v. 14. ita probabile eſt, lucem, quam vidit, fuiſſe ex ipſius Chriſti corpore. Et loca ſuperius allegata ex Actor. 9. v. 27. & 22. 14. & 26. 16. & 1 Cor. 9. 1. & 1 Cor. 15. 8. omninò videntur poſtulare hanc fidem, quòd Paulus ipſum Chriſtum hominem viderit corporaliter. Poſt reſurrectionem viſus Dominus à multis, poſt aſcenſionem à nemine, præterquam à Stephano & Paulo. Sed inde non ſequitur Chriſti corpus fuiſſe in terra. Potuit enim virtute Chriſti corporalis viſus Pauli ita roborari, ut, quod in cœlis erat, in terris conſpiceret. Sic Stephanus ſublatis in cœlum oculis Jeſum vidit ſtantem ad dextram Dei Actor. 7. 55. Et non abs re eſt, quòd lux, quam Paulus hîc vidit, dicitur veniſſe cœlitus ſupra claritatem Solis Actor. 26. 13. quod non tantùm indicat lucis hujus ſplendorem fuiſſe Solis ſplendore clariorem, ſed etiam ipſo loco ſuperiorem Sole. Non igitur ex hac luce ullo modo elici poteſt tenebricoſum monſtrum ubiquitatis, transſubſtantiationis & corporalis præſentiæ ac manducationis.

Si quid ex hac luce volumus elicere & concludere, concludamus hoc: Quòd Chriſtus, etiamſi à terris abſens, tamen ſuis ſanctis in terris poteſt ſe præſentem ſiſtere, & conſpiciendum exhibere, ut poſſint gloriari, Salvatorem ſuum eſſe ſecum & à ſe viſum. Poteſt enim per verbum & ſacramenta efficaciter ſeipſum nobis communicare, ut ſimus in ipſo, & ipſe in nobis: poteſt in mediis tenebris noſtræ mentis nobis cœlitus lucere, ut videamus ſemitam, quâ ad cœlum comeandum eſt, poteſt in tenebris triſtitiæ & angoris terreſtris, imò in tenebricoſa valle mortis nobis ſalutem ſuam videndam & gloriam cœli guſtandam exhibere, poteſt denique in defectibus & neceſſitatibus noſtris corporali & cœlitus demiſſo auxilio nobis teſtimonium exhibere, quòd curam noſtri gerat in cœlis. Videmus ipſum etiamnum in ſacramentis, & vocem ex ore ejus audimus in verbo. Feramus igitur libenter abſentiam Chriſti à terris, & exilium noſtrum in terris, quo à patria & ſponſo noſtro abſentes erramus in deſerto hujus mundi. Etiam abſens Chriſtus nobis præſens eſt præſentiâ ſpirituali, & tali, quæ ad ſalutem nobis ſufficit. Vide Deut. 31. 6. & Joſuæ 1. 5. Matth. 28. 20. Iohan. 14. 18. *Dominus nobiſcum.* Hebr. 13. 5. 6. Etſi cœlum procul eſt à nobis, Chriſtus non eſt procul, etſi corpus procul eſt, ſpiritus non eſt procul, imò per ſpiritum etiam unionem habemus cum corpore.

Hæc ſunt, quæ de apparitione Chriſti in itinere Pauli Damaſceno annotanda reſtabant. Cætera omnia cap. 9. explicata ſunt.

II. Venimus ad miniſterium Ananiæ, quo Deus uſus eſt ad Paulum in converſione confirmandum, ubi habemus

Digitized by Google

mus deſcriptionem Ananiæ v. 12. & officium quod Paulo præſtitit: Reſtituit ei viſum, annunciavit vocationem ad Apoſtolatum, & excitavit ad recipiendum baptiſmum, & ad invocationem nominis Chriſti. v. 13. 14. 15. 16.

1. De deſcriptione Ananiæ actum Actor. 9. 10.

2. De reſtitutione viſûs ſatis actum Actor. 9. 18. Unum tantùm notabile. Quòd in imperativo modo loquitur, ἀνάβλεψον. Injungit Paulo τὸ ſanari à cœcitate, & τὸ videre, tanquam officium quod debebat. Deus hominibus ſæpè præcipit ſua beneficia. Quod homines facere non poſſunt, id Deus ipſis præcipit, cùm ipſe illud in ipſis vult efficere. Sic infra v. 16. *ablue tua peccata*. Sic Eph. 5. 14. *Evigila qui dormis, & ſurge*. Sic Eph. 4. 23. *Renovamini ſpiritu mentis*. Matth. 8. 7. *Volo purus ſias*. Cur hoc facit Deus? *Reſp*. Ut hoc mandato moniti ſentiamus impotentiam, excitemur ad preces deſiderii plenas, cum fide beneficium à Deo expectemus, & nos ipſos ad conandum quod debemus excitemus, denique initiis gratiæ acceptis bene utamur ad creſcendum in gratia Dei. Non igitur ex his locutionibus demonſtrari poteſt, vires aliquas ad ſpiritualia officia peragenda in irregenitis ſupereſſe, à quibus merita Chriſti & efficacia Spiritus S. conditionaliter dependeant, & per quarum uſum vel abuſum propoſitum Dei poſſit fieri irritum, ſed hoc tantùm ex his loquendi modis concluditur, quòd Deus nos non velit ſalvare ſine nobis, ſed quòd ſalvificam ſuam vim & operationem ita circa nos exerceat, ut nos ad operandam ſalutem noſtram excitet, operans in nobis & τὸ velle & τὸ perficere, & quòd nos per doctrinam de efficacia gratiæ, & per divites promiſſiones Euangelii non ad negligentiam, ſed ad deligentiam in operatione noſtræ ſalutis debeamus moveri, ſicut hoc utrumque adſtruitur Phil. 2. v. 12. 13, *Operemini cum timore & tremore. Deus enim eſt qui operatur*. q. d. Operemini ſalutem. Non enim fruſtra operabimini, quia Deus operationem ſalutis, vobis mandatam in ſe recipit perficiendam. Exaggeratio divinæ gratiæ non debilitat, ſed acuit & excitat in nobis ſtudium ſalutis. Utrumque nobis neceſſarium eſt, excitatio & hortatio ad officium quod debemus & promiſſio certæ gratiæ, qua Deus faciat quod jubet.

3. Sequitur annunciatio vocationis ad Apoſtolatum. v. 14. dixit ei: *Deus Patrum noſtrorum præordinavit te ad voluntatem ejus cognoſcendam, ad videndum illum Iuſtum, & ad audiendam vocem ex ore ejus, quia eris ipſi teſtis, & apud omnes homines ejus rei quam vidiſti & audiviſti*. Revocat ipſi in memoriam quid in itinere ipſi contigerit, & indicat, quâ de causâ & quo fine hoc ipſi contigerit.

. Primò, inquam, rememorat, quid in itinere Damaſceno Paulo contigerit. Quod enim vox προχειρίσατο hic non ſignificet electionem & præordinationem Pauli æternam, ſed vocationem temporalem, in itinere factam, patet ex capite 26. v. 16. *Ad hoc apparui tibi* προχειρίσασθαί σε ὑπηρέτην, *ut te aſſumerem, vocarem, efficerem miniſtrum* &

Digitized by Google

& teſtem eorum quæ vidiſti. Quòd enim προχειρίζειν ſignificet aſſumere vel ſumere aliquid ad uſurpandum, probant docti ex Joſuæ 3.12. ſecundum LXX. Interpret. & ex 2 Machab. 3,7. Eſt igitur, quaſi dicat: Deus in itinere te adortus eſt, & tanquam inſtrumentum ſuum in manus ſumpſit (heeft u aengetaſt ende in ſijn handt genomen/ ofte voor de handt genomen) per quod operaturus eſt. Exprimitur igitur hac voce non tàm electio Pauli ad Apoſtolatum ab æterno, quàm vocatio & præparatio ejus ad Apoſtolatũ, facta in itinere per lucem cœleſtem. Hujus vocationis deſcribitur cauſa efficiens & forma atque modus. Efficiens eſt; Deus patrum noſtrum. Filius Dei Jeſus Chriſtus propriè apparuit Paulo, eumque vocavit Act. 9.17. & 26. 15. Is vocatur Deus patrum, i.e. Judæorum & Iſraëlitarum V. T. ut Paulus intelligat ſe non vocari ad alium Deum colendum, vel ad deficiendum ab antiqua religione, unde etiam Hebraicâ linguâ Jeſus ipſum alloquutus eſt. Actor. 26. 14. ut indigitaret, ſe eſſe Deum Hebræorum. Eſt inſigne argumentum Deitatis Chriſti. Non cœpit Chriſtus eſſe & exiſtere cum N. T. ſed jam olim fuit Deus Hebræorum. Forma atque modus vocationis Pauli conſiſtit in eo, quòd 1. Fecit Paulum ſcire ſuam voluntatem. 2. Fecit ipſum videre illum Juſtum. 3. Fecit ipſum audire vocem ex ore illius. Quomodo Chriſtus in itinere Damaſceno Paulum fecit ſcire ſuam voluntatem? Dum quærenti, quid vellet à ſe fieri, mandavit ire Damaſcum, atque expectare, quid in nomine Domini ſibi ibi nunciaretur. v. 10. & 9. 6. τί με θέλεις ποιῆσαι. Quis ille Juſtus quem vidit? Ipſe Jeſus Chriſtus ſecundum humanam naturam. Is enim innocens ſine peccato, & humana natura Chriſti eſt inſtrumentum filii Dei, Dei patrum noſtrorum, per quod juſtitiam noſtram nobis acquiſivit, ſatisfaciendo tùm præceptis, tùm maledictioni legis pro nobis. Quam vocem ex ore Chriſti hominis Paulus audivit? Non vocem in aëre formatam, ſicut illa Matth. 3. 17. & Iohan. 12. 29. Sed ipſius Chriſti hominis, in cœlis conſtituti, loquelam atque vocem proprii oris. Qualia autem verba Paulus ex ore Chriſti audiverit, non tantùm hîc & Actor. 9. deſcribitur, ſed præcipuè Actor. 26. 15. 16. 17. de quibus ſuo loco, niſi quod hoc in anteceſſum annoto, in iſtis verſibus, qui ſunt Actor. 26. v. 15. 16. 17. videri eſſe aliquam conglomerationem omnium verborum, quæ Paulus audivit, tùm ex ore ipſius Chriſti, tùm ex ore Ananiæ, tùm denique in viſione illa ecſtatica, de qua hoc capite 22. v. 17. ad 22. En hoc illud, quod Paulo in itinere contigit.

.. Deinde indicat, quò fine hoc ipſi contigerit, & qua de cauſa? Ut apud omnes homines teſtis eſſet eorum, quæ vidiſſet & audiviſſet. Compara Actor. 26. 16. i. e. ut eſſet teſtis & præco, quòd Jeſus Chriſtus, quem Judæi crucifixerant, vivat, & in cœlis ſedeat ad dextram Patris in gloria. Hujus rei αὐτόπτης teſtis & præco eſt Apoſtolus, qua in re excellit cæteros Apoſtolos, qui Chriſtum quidem ideò in

carne

Digitized by Google

carne viderunt. Actor. 10. 41. 1 Johan. 1. 1. 2. ut idonei Chriſti teſtes eſſent, ſed Paulus vidit ipſum in gloria, & ex cœlo audivit loquentem & ſeſe manifeſtantem. Eſt igitur totum hoc quaſi Ananias dicat: Nôſti Paule, quòd aliâ cum voluntate & intentione Hieroſolymâ exieris, aliâ Damaſcum ingreſſus ſis. Hieroſolymâ exiiſti voluntate tuâ & ſummi Pontificis, cum intentione capiendi & occidendi. Sed in itinere Deus te adortus eſt, & te fecit ſcire ſuam voluntatem, ſc. ut ires Damaſcum, & hîc expectares, quid tibi porrò in nomine Domini ſit injungendum. Veniſti igitur huc non tuâ voluntate, ſed ex obedientia voluntatis iſtius, qui in itinere te adortus eſt. Vidiſti quoque illum Juſtum, videlicet Jeſum Nazarenum, quem hactenus ut injuſtum perſequutus es, & proprio ore loquentem audiviſti. Hæc omnia tibi ſcias contigiſſe eo fine, ut impoſterum ſis miniſter & teſtis αὐτόπτης, quod Jeſus Nazarenus vivat in cœlis & in gloria.

4. Tertia pars miniſterii Ananiæ circa Paulum eſt, quòd ipſum juſſit properare ad baptiſmum, & ad invocationem nominis Chriſti. Quid ceſſas, inquit, q. d. Non eſt nunc tempus deliberandi cum carne & ſanguine, ſed neceſſe eſt obedire citò viſioni cœleſti, ut ſcopo ejus ſatisfaciens te accingas teſtimonio de Chriſto apud omnes homines, id eſt, apud omnes gentes, perhibendo. Ut autem hoc poſſis, ante omnia perfice illa, quæ ad profeſſionem Chriſtianiſmi neceſſaria ſunt. Non enim potes recipi inter Doctores Eccleſiæ, niſi te prius profitearis membrum Eccleſiæ. Surge igitur & Baptizare ac ablue peccata tua. Invoca nomen Domini, i. e. publicâ invocatione nominis Chriſti te profitere Chriſtianum. Sed has phraſes proximâ concione exponemus latiùs.

In præſentiarum concludamus hac obſervatione: Quam commendata nobis eſſe debeat Pauli Doctrina. Qualis enim ejus vocatio, talis ejus doctrina. At vocatio verè cœleſtis. Ergò & doctrina. Sunt homines, qui, quod in epiſtolis ejus ſunt quædam δυσνόητα, & cum carnali ratione minus convenientia, epiſtolas Pauli minoris æſtimant. Sunt, qui & ideò minoris faciunt, quòd nimis ſtrictus in urgenda vitæ ſanctimonia. Sed talibus meritò proponimus quæſtionem Pauli 1 Cor. 9. 1. Annon ſum Apoſtolus, annon vidi Dominum Jeſum? Non tantùm vidit Chriſtum ecſtaticè & in viſione nocturna Actor. 18. 9. & 22. 17. & 23. 11. 2 Corinth. 12. Sed & hoc loco corporaliter, non minùs quàm cæteri Apoſtoli. Teſtatur igitur quod vidit & audivit v. 15. & 26. 16.

Diſcamus igitur doctrinam Pauli attendere, eamque tanquam cynoſuram & regulam interpretandi cæteras Scripturas habere. Pauli enim ſcripta totius Scripturæ clavis ſunt & commentarius. Deus ipſum commendat Actor. 9. quòd ſit vas electum. Dicat licet Petrus, multa δυσνόητα eſſe in illis, ſunt tamen clavis cæteræ Scripturæ. Non Petrus vult absterrere à Pauli lectione, ſed tantùm commendare, ne ad ſapientiam tanti viri accedamus perver-

Digitized by Google

fis mentibus, ideò ipſum à ſapientia commendat. Pontificii colligunt prærogativas Petri, ut probent ipſum fuiſſe Apoſtolorum Principem. Sed Pauli plures ſunt. Clarius ex una parte humana merita humanaſque ſatisfactiones condemnat, & doctrinam de mera ac libera efficaci gratia Dei in noſtra prædeſtinatione, juſtificatione & regeneratione urget; ex altera parte neceſſitatem novæ obedientiæ erga legem Dei acrius inculcat, atque adeò tùm diſcrimen legis & Evangelii, tùm neceſſariam conjunctionem utriuſque rectius demonſtrat. Retineamus itaque has duas columnas doctrinæ Paulinæ; & ſi quid eſt obſcurum in aliis libris, id totum ad illas exigamus, nec ulla ſpecie, ullove colore ab illis dimoveamur. Hoc poterit dare ſolatium & roborare patientiam in adverſitatibus. Nam ſi abnegatis operibus legis, eorumque meritis in ſola gratia Chriſti juſtitiam quærimus & nihilominus toto corde, ſecundum omnia mandata legis internè & externè, Deo obedire conſtanter laboramus, & contra omnia peccata fortiter pugnamus; hæc verò vita & praxis eſt, quæ Deum glorificat, Diabolum confundit, conſcientiam tranquillat, proximum ædificat, afflictiones ſalutares reddit, mortem vincit, cœlum occupat. Nos igitur, qui naturâ Gentes ſumus, hunc magnum Doctorem Gentium, cui ſe Chriſtus ex cœlo conſpiciendũ exhibuit, & quem ex ſuo ore verba audire fecit, magni æſtimemus, ejuſq; doctrinam ſectemur.

Sequamur etiam ejus exemplum in mutanda religione, ſi opus eſt. Non naſcimur, nec educamur omnes in profeſſione veræ religionis, ſed multi ſic naſcuntur & educantur, ut adulti teneantur mutare religionem in qua educati ſunt, & omnes ad mutationem religionis à ſecus ſentientibus tentamur. Quomodò tùm agendum? Sicut Paulus. At quomodo is egit?

1. Non reſpexit quod fuit antea. Erat Hebræus ex Hebræis, circumciſus octavâ die, zelotes legis maximus, inſtitutus probè, perſequutor Chriſtianorum. Multi nolunt errores deſerere, quia fuerunt tales, nati in illa Eccleſia, inſtituti &c. Paulus non ſic:

2. Non conſultavit cum carne & ſanguine. Multi nolunt religionem mutare, quia offenderent parentes & amicos, nocerent ſibi in re œconomicâ. Paulus non ſic.

3. Sed ante omnia hoc curavit, ne viſioni cœleſti eſſet inobediens, i.e. ne illuminationi Spiritus S. reſiſteret.

In Actor. 22. v. 16. *ad* 22.

CONC. CCXLI.

SUbſtitimus nuper in ſecunda parte apologiæ Paulinæ, quâ narrat, quibus mediis & modis ad Chriſtianiſmum converſus, & ad Apoſtolatum vocatus ſit. Prius medium fuit lux ex cœlo viſa; alterum medium fuit miniſterium Ananiæ. De priori nîl aliud conſideravimus, quàm hanc unam quæſtionem, an ex hac luce conſpicuum ſit, Chriſtum ſuo corpore aliquando ſimul fuiſſe in cœlo & in terra, & an hoc ſit ſufficiens fundamentum tranſſubſtantiationis & corporalis præſen-

Digitized by Google

præſentiæ in Cœna? De poſteriori vidimus

1. Deſcriptionem perſonæ Ananiæ. v. 12.

2. Miniſterium Ananiæ circa Paulum, conſiſtens in tribus:

a. Quòd viſum ei reſtituit. v. 13.

b. Quod vocationem ejus ipſi annunciavit ad Apoſtolatum v. 14. 15.

c. Quod ad baptiſmi uſum, & ad invocationem nominis Jeſu ipſum excitavit.

De poſtremo aliquid dicendum reſtat, videlicet:

I. Quod Paulum excitat ut baptizetur & abluatur à peccatis. Tres hîc expediendæ quæſtiones: 1. Cur peccata dicantur ablui, & quid ſit abluere peccata. 2. Cur à Paulo requiratur ablutio peccatorum? 3. Qualis ſit connexio inter baptiſmum & ablutionem peccatorum?

Ablutio de duabus rebus dicitur: 1. De ſordibus, quæ corpus ſpoliant ornatu ſuo, reddunt fœdum, fœtidum, & ingratum, 1 Petr. 1. 21. Peccata ſunt ſordes, quæ corpus & animam inquinant. Quod ſi nolumus eſſe fœdi, fœtidi & ingrati Deo, neceſſe à peccatis abluamur. 2. Debita ex tabula mercatoris vel judicis dicuntur elui & deleri. Debita & delicta debitorem creditori & judici reddunt exoſum, execrabilem, niſi ex albo deleantur & expurgentur. Peccata naturâ ſunt debita Matth. 6. 12. Quod ſi nolumus coram Deo eſſe rei, exoſi, deteſtabiles, neceſſe eſt peccata noſtra deleantur. Applica huc illud 1 Cor. 6. 11. Tit. 3. 3. cum 5. Coloſſ. 2. 14. ἐξαλείψας τὸ χειρόγραφον. Quomodo autem fit hæc ablutio & deletio peccatorum? Hæc quæſtio ſubdividi poteſt in duas:

1. A qua re abluantur & deleantur peccata? Quæ illa res, quam peccata maculant & ex qua abluuntur & delentur? *Reſp.* Sunt 1. Corpus & anima noſtra. Hæc enim polluta ſunt & coram Deo fœda, fœtida, rea, ingrata, exoſa, abominabilia, opus habentia ablutione & purgatione Ezech. 16. 49. 2 Corinth. 7. 1. Hebr. 10. 22. Apoc. 1. 5. 2. Bona opera renatorum. Hæc quidem in ſe ipſis, ut à Spiritu S. proficiſcuntur, & fiunt ex amore Dei, cum intentione ſervandi legem, ſunt ſancta & pura, ſed quatenus fiunt ab imperfectis hominibus inquinantur à carne & ſanguine, & ſunt coram Deo impura, Eſa. 64. 6. & proinde non ſunt Deo grata, niſi abluantur. Hoc illud Apoc. 7. 14. *ablüere ſtolas ſuas.* Naturâ nudi ſumus. per regenerationem ſtolas accipimus. Sed has per carnis reliquias maculamus. Abluendæ igitur ſunt in ſanguine agni.

2. A quo & quo modo abluuntur? Fit hæc ablutio & deletio peccati tripliciter: pro oblivionem ſeu remiſſionem, per expiationem & per mortificationem. Primum eſt opus Patris, ſecundum Filii, tertium Spiritus S. Pater dicitur abluere peccata, cùm remittit, obliviſcitur, non recordatur, non imputat, ſed procul à ſe & à nobis removet Pſal. 51. 9. Pſal. 103. 12. Eſa. 43. v. 25. Pater enim judex eſt, contra quem peccata committuntur. Filius dicitur abluere peccata. Ille enim mediator eſt, qui Patrem reconciliat. Nihil

Digitized by Google

uſitatius, quàm quòd Chriſtus nos lavit ſuo ſanguine Apoc. 1. 5. 1 Ioh. 1. 7. Hæc ablutio peculiariter dicitur expiatio. Sicut ex adverſariis & tabulis mercatoris & judicis debita & delicta non delentur, niſi per pretium ſolutionis & ſatisfactionis, ita peccata noſtra ſcripta ſunt ſtilo ferreo in adverſariis (ſchultboeck) juſtitiæ divinæ Ierem. 2. 22. & 17. 1. Non tantùm in conſcientiis ipſorum, ſed etiam coram me ſcripta. Sanguis enim, quem altari meo ſine fide & converſione affundunt, coram me nîl eſt aliud, quàm chirographum & teſtimonium peccatorum ipſorum, Deut. 32. 34. Eſa. 65. 6. nec inde delentur niſi per pretioſum ſanguinem Filii Dei, quâ juſtitia Dei ſatisfit, & ira ejus exſtinguitur. Et ſine hac elutione ex libro juſtitiæ nunquam delentur ex memoria Dei, ſed manent altâ mente repôſta. Spiritus S. etiam dicitur abluere noſtra peccata. Is enim eſt aqua abluens peccata Ezech. 36. 25. unde dicimur abluti per Spiritum Dei noſtri, 1 Corinth. 6. 11. Eſa. 4. 4. Et quomodo Spiritus S. abluit peccata? 1. Dum delet & eluit ex conſcientia, ne nos accuſent & torqueant. Peccata noſtra non tantùm ſunt ſcripta coram Deo, ſed etiam coram nobis, in propriis conſcientiis, tanquam in libro. Hi libri non tantùm aperientur in ultimo judicio Apoc. 20. 12. ſed etiam hîc per ſpiritum ſervitutis. Spiritus S. autem roborans fidem in ſanguinem & ſatisfactionem Chriſti, delet in nobis torquentem peccati recordationem. 2. Prætereà ſicut aqua ſordes corporis tollit, ne amplius maculent, ita Spiritus S. ipſa peccata noſtra mortificat, & inefficacia reddit, ne toties nos maculent, & tandem penitùs à corpore & anima ſeparabit. Sicut in balneo, poſtquam ſordes à corpore per ſudorem & fricationem ſolutæ ſunt, per aquam abluuntur: ita poſtquam peccata noſtra per ſanguineum ſudorem Chriſti ſoluta & deleta ſunt ex albo juſtitiæ Dei, abluuntur per ſpiritum (worden afgeſpoelt) Ecce hoc modo fit ablutio peccatorum. Sanguis Chriſti eluit peccatoris reatum & culpam ex adverſariis divinæ juſtitiæ per ſatisfactionem: Spiritus S. eluit & expurgat ipſum peccatum ſecundum materiam ſuam ex nobis, idque inchoativè in vita, perfectè per mortem. Et ſic Deus Pater peccata non punit, ſed condonat & obliviſcitur, & remittit ac ſi facta non eſſent. Quod ſi autem ablutio peccatorum fit à Deo Patre, Filio & Spiritu S. cur hîc Paulo injungitur: ablue peccata, vel abluere à peccatis? Eſt enim verbum medium, activè & paſſivè ſignificans. Sic paſſim nobis injungitur ablutio peccatorum. Eſa. 1. 15. 16. Ier. 4. 14. *Reſp.* Hoc non ita intelligendum, quaſi Deus hoc opus nobiſcum dividat, & partem peccatorum ipſe abluat, reliquum nobis abluendum committat. *Sanguis enim Chriſti purgat nos ab omni peccato*, 1 Iohan. 1. 7. *& quem Chriſtus lavit, totus purus eſt.* Iohan. 13. 10. Sed ita intelligendum, quod Deus ſuam noſtri ablutionem ita in nobis inſtituat, ut nos ſine nobis non faciat puros, ſed excitet nos ad purgandos nos ipſos. Facit nos puros & purgantes. Facit nos puros, per expiationem

Digitized by Google

tionem peccatorum & remiſſionem. Facit nos purgantes per regenerationem & ſanctificationem Spiritus S.

Eſt puritas Deo grata, tùm ſumus à peccatis immunes, & non rei. Eſt etiam puritas Deo grata, cùm peccata habentes laboramus nos à peccatis purgare, nobis ipſis diſplicentes, & propriam impuritatem nauſcantes ac amolientes. Utramque puritatem Deus in nobis efficit, & ſic totum opus ablutionis & purgationis noſtræ eſt ſolius Dei opus, & tamen à nobis quoque requiritur, & nobis tribuitur. Deus enim ita purgat, ut nos faciat purgantes. Quid igitur illud, quod nos ad purgationem noſtri conferimus, & cur nos noſtra peccata dicimur abluere? *Reſpond.*

1. Abluimus peccàta per lacrymas pœnitentiæ. Impuritas noſtra non tam in eo conſiſtit, quod peccata habemus, quàm in eo, quod peccata amamus. Hæc noſtra impuritas, quod ſumus φιλήδονοι potius quam φιλόθεοι 2 Tim. 3. 4. quod delectamur ſordibus peccati. Ab hac autem impuritate nos abluimus per pœnitentiám, quâ incipimus deteſtari, odiſſe & deplorare peccata noſtra, ſicut Maria Magdalena. Luc. 7. v. 44.

2. Abluimus peccata per fidem. Sicut aqua abluit maculas, ſed manu fricante applicata, ita Deus erexit fontem in domo Iſraël contra omne peccatum, omnemque impuritatem Zach. 13. v. 1. Sed noſtrum eſt in hoc fonte nos lavare per fidem, ſicut Naaman in Jordane 2 Reg. 5. & ſicut ægri in piſcina. Johan. 5.

3. Abluimur à peccatis, cùm nos patimur ablui, nec ablutionem peccatorum impedimus, ſicut Deus queritur Ezech. 24. 13. *Purgavi & non eſtis purgati.* Quomodo impedimus purgationem Dei? Cum datâ operâ & præfractâ malitiâ noſmet in peccatis & peccatorum occaſionibus volutamus inſtar ſuis lotæ 2 Petr. 2. 20. 21. 22. nec ſtudemus nos immaculatos ſervare Deo.

4. Abluimus peccata, cum diligenter utimur externis lavacris verbi & ſacramentorum, quæ Deus inſtituit tanquam externa media, per quæ nobis communicat ſanguinem & ſpiritum Filii, quô à peccatis lavamur. Ideò enim verbum & ſacramenta vocantur lavacra nos purgantia à peccatis Epheſ. 5. & Tit. 3.

Atque hìc datur occaſio tranſeundi ad quæſtionem tertiam, ſcilicet, quæ ſit connexio inter baptiſmum & ablutionem peccatorum, & quare utriuſque mandatum hic conjungatur: baptizare & abluere à peccatis? *Reſpond.* Hoc ideò fit, quia externus aquæ baptiſmus, & interna peccati ablutio à ſe invicem dependent, ut cauſa inſtrumentalis & effectum. Per externum enim baptiſmum interna peccati ablutio datur, confertur & obſignatur. Sicut in contractu emptionis proprietas rei emptæ confertur emptori per ſigillatum inſtrumentum contractûs, ita per externum aquæ baptiſmum nobis confertur, applicatur & obſignatur interna ablutio peccatorum, facta per ſanguinem Chriſti. Propriè loquendo ablutio peccatorum non fit per aliquod externum medium, ſed immediatè per ſanguinem & merita Chriſti. Sicut enim

Digitized by Google

enim non datur aliud medium, quo eluuntur maculæ & ſordes ex corpore, præter aquam, ita ſanguis Chriſti peccata non eluit ex albo divinæ juſtitiæ per aliquod aliud inſtrumentum, ſed immediatè & per ſe. Attamen externus aquæ baptiſmus impropriè & ſacramentaliter dicitur eſſe medium & inſtrumentum ablutionis peccatorum, idque propter tres cauſas.

1. Quia per externum aquæ baptiſmum Deus nobis donat & confert atque obſignat proprietatem in meritis & ſanguine ac ſatisfactione Chriſti, inſerens nos in ſuam Eccleſiam, & dans nobis teſtimonium atque externam teſſeram, quòd ſimus ſui domeſtici & confœderati. Paulus in itinere converſus cœperat credere in Jeſum Nazarenum, atque adeò jus & proprietatem habebat in ſanguine & meritis Chriſti, vi promiſſionis verbi: Sed in baptiſmo fit viſibilis & ſolennis tranſportatio (opdraght) hujus proprietatis.

2. Quia per ſignificationem & rationalem conſiderationem naturalium proprietatum aquæ, quibus apta eſt ad expurgandas & abluendas ſordes corporis, Spiritus S. operatur in mentem & conſcientiam noſtram, roborans noſtram fidem in promiſſam ablutionem peccatorum per ſanguinem Chriſti, ut fide roboratâ purgantem & peccata abluentem ſanguinem Chriſti tantò robuſtius & efficaciùs nobis applicemus & adſpergamus. Deus quidem per baptiſmum, abſolutè conſideratum, ablutionem peccatorum & proprietatem in ſanguine Chriſti omnibus baptizatis offert & confert. Verum hæc oblatio dependet à conditione fidei. Neceſſaria itaque etiam eſt altera vis baptiſmi, ſcilicet, ut fidem roboret in electis & regenitis, quô gratiam oblatam recipiamus.

3. Quia per externi baptiſmi receptionem nos confitemur & teſtamur, nos naturâ impuros eſſe & ablutione indigere, confitemur etiam & teſtamur nos credere, quod per ſanguinem & merita Chriſti à peccatis noſtris perfectè abluti ſimus, quantùm ad culpam peccati, & tandem perfectè abluendi ſimus, quantum ad maculam peccati & inhabitationem.

En hæc eſt vis & operatio, quam externus aquæ baptiſmus habet in ablutione peccatorum, & propter quam ablutio peccatorum ipſi tribuitur. Tota nimirum vis externi baptiſmi conſiſtit in ſignificatione & obſignatione, per quam Deus pater nobis confert & donat proprietatem in meritis & ſanguine Chriſti, per quam Spiritus S. noſtram fidem roborat, ut abluentem ſanguinem Chriſti tantò fortius nobis adſpergamus & applicemus, & per quam nos confitemur & teſtamur nos credere, quòd naturâ impuri, per ſanguinem Chriſti abſoluti ſimus. Non igitur eſt, quod cum Pontificiis ex hoc loquendi modo, quo externo baptiſmo peccata dicuntur ablui, concludamus, quod per aquam baptiſmi peccata abluantur ex opere operato, ſive meritoriè, & moraliter, ſive phyſicè, ſicut pharmaca morbidos humores expellunt, vel ſicut aqua Betheſdæ morbos ſanabat, vel ſicut ſcalpellum petram ſcindit. Eſt enim modus loquendi improprius & ſacramen-

Digitized by Google

mentalis. Sacramenta autem non operantur niſi per modum ſigni & ſigilli. Rom. 4. 11. Hæc interpretatio hujus phraſeos, ſicut convenit cum natura ſacramentorum, ita convenit cum articulis fidei, nec quenquam eorum lædit. Liberat à ſuperſtitione, ut non ponamus inanem fiduciam in terreſtria elementa, nec adoremus ea, ac ſi eſſent ipſe Chriſtus, ſed corda ſurſum tollamus ad cœlum, ubi Chriſtus eſt, & in ipſo ſolo quæramus ablutionem peccatorum per fidem ex bono corde proficiſcentem. Et tamen hæc interpretatio non parit neglectum & contemptum ſacramentorum, ac ſi eſſent nuda ſigna, nullam vim in negotio juſtificationis habentia, ſed potius excitat nos, ut ſacramenta appetamus tanquam ſalutaria media, per quæ in proprietate ſanguinis ac juſtitiæ Chriſti, nec non in illius applicatione & certificatione ſeu certioratione roboremur.

II. Alterum, quod in ſecunda parte apologiæ Paulinæ explicandum reſtat, eſt, quod Ananias Paulum invitat ad invocandum nomen Domini. Legimus Actor. 9. in fine verſus 11. quod Dominus Ananiæ prædicit eum Paulum inventurum eſſe precantem. Quod ſi precantem invenit, cur ad prǽcandum excitat? *Reſpond.*

1. Precabatur quidem Paulus, ſed non invocabat nomen Domini, ſcil. Jeſu. Invocabat Deum patrum ſuorum, ſed nondum ſpecialiter invocabat Jeſum Nazarenum. Ad hoc igitur excitat. Non enim hoc tempore amplius ſufficiebat, ad ſalutem, ſi quis invocabat Deum Iſraëlis cum ſpe & fiducia venturi Meſſiæ. Suffecerat olim, ſed nunc requirebatur, ut crederent Meſſiam veniſſe, ut crederent Jeſum Nazarenum eſſe illum Meſſiam, & ut hunc Jeſum, tanquam unigenitum Dei Filium, & unicum Salvatorem mundi colerent & adorarent, ut omnes filium honorent ſicut patrem Joh. 5. 23. Et ad hoc Ananias Paulum excitat.

2. Precari & invocare nomen Domini, aliquando idem eſt quod publicam profeſſionem edere religionis Gen. 4. 26. Hortatur igitur Paulum, ut ſurgat & veniat in congregationem Eccleſiæ Chriſtianæ, & interſit publico cultui. Sicut enim cultus publicus in ſeipſo neceſſarius eſt & mandatus, ita præcipuè Paulo erat neceſſarius. Non enim poterat capeſſere Apoſtolatum & miniſterium verbi in Eccleſia, niſi prius publicè Chriſtianiſmum profeſſus, & inter membra Eccleſiæ receptus eſſet.

3. Excitat ipſum ad ſpeciales preces, quales ad uſurpationem baptiſmi requiruntur. βάπτισαι ἐπικαλεσάμενος baptizare cum invocatione. Sacramenta enim non ſunt uſurpanda ſine precibus. In ſeipſis enim non habent niſi vim ſignificativam & obſignatoriam, quæ nihil in nobis operatur, niſi Spiritus S. per hanc ſignificationem & obſignationem fidem noſtram confirmet, & fructum ſacramentorum in nobis producat. Quoties igitur ad ſacramenta accedimus, petenda eſt Dei benedictio. Sacramenta non debent adminiſtrari aut recipi, neque ſine verbo neque ſine precibus. Sine verbo ſunt nuda elementa, quæ nihil neque ſignificant neque obſignant, & ſic non ſunt ſacramenta.

Digitized by Google

menta. Sacramentorum enim vis conſiſtit in ſignificatione & obſignatione, & per hanc Spiritus S. operatur. Sine precibus ſunt vacuæ ceremoniæ, ſine ſpiritu. *Spiritus enim S. fidelibus non datur, niſi petentibus* Luc. 11. v. 13. Sicut igitur Chriſtus Cœnam adminiſtravit cum εὐλογίᾳ & εὐχαριστίᾳ Matth. 26. 26. 27. 1 Cor. 10. 16. Ita & hoc loco baptiſmus jubetur recipi cum invocatione nominis Domini. Sacramenta non habent vim roborandi fidem in ſeipſis, ſed à Deo. Hic igitur precandus, ut ſacramentis benedicat.

III. Tertium aliquod addi poteſt, ſcil. quod ad uſum baptiſmi & precum jubet accelerare. τί μέλλεις; quid tibi vis illâ ceſſatione? propera ad baptiſmum. Dictum hoc omnibus, qui à Deo ad ſalutem vocantur. Annon credis fidelis Chriſtiane, quod infans tuus recens natus pertineat ad Eccleſiam & fœdus Dei? Quid igitur ceſſas aquam baptiſmi ipſi adminiſtrare? Annon convictus es, Chriſtiane negligens, quòd nullam in te ſalutem habeas, quod impurus ſis, quod ablutione indigeas per ſanguinem Chriſti, quod vitam in te non habeas, ſed opus habeas per ſacrificium carnis Chriſti vivificari, roborari, nutriri? Quid igitur ceſſas uti verbo & ſacramentis? Ne ſimus tardi ad obedientiam vocationis divinæ.

Actor. 22. *v.* 17. 18. 19. 20. 21.

CONC. CCXLII.

TErtia pars apologiæ Paulinæ eſt hiſtorica narratio vocationis ipſius ad docendum Euangelium inter Gentes. Secunda parte narraverat, quô pactô & quibus mediis ad Chriſtianiſmum, & in genere ad Apoſtolatum, vocatus ſit. Nunc narrat, quo pacto ſpecialiter ad docendas Gentes vocatus ſit, per viſionem ecſtaticam in urbe Jeruſalem. 1. Viſio non fuit corporalis ſed ecſtatica. 2. Finis ejus fuit vocatio Pauli ad docendas Gentes. 3. Contigit Paulo, poſtquam converſus Hieroſolymam venit. 4. Cumque precaretur in templo. 5. Materia precationis colligenda eſt ex Actor. 9. 26. ad 31. 6. Qualis fuerit hujus precationis exauditio, hic textus declarat. In vocatione prima, & viſione ac compellatione illa cœleſti, quæ Paulo in itinere Damaſceno contigit, etiam facta eſt mentio Gentium, dictumque Paulo, quod non ſolùm Judæos, ſed & Gentes deberet docere, ſicut fecerunt omnes Apoſtoli. Vide Actor. 9. 15. & 22. 15. & 26. 17. 18. Sed tamen hac viſione ecſtatica ſpeciale aliquid Paulo revelatur, ſcil. quod ipſe præcipuè Gentium doctor ſit futurus, & ad Gentium Apoſtolatum vocatus ſit, ſicut cæteri Apoſtoli præcipuè in Judæis convertendis laborârunt Actor. 13. 2. Galat. 2. v. 7. 8. 1 Tim. 2. 7. 2 Tim. 1. 11. Et hæc vocatio ſpecialiter Paulo fuit notificata Hieroſolymis per viſionem ecſtaticam, ſicut poſteà Antiochiæ etiam externè per Eccleſiaſticam ſeparationem fuit facta Actor. 13. v. 2. Hæc viſio Paulo contigit ubi poſt converſionem ſuam Damaſco Hieroſolymam reverſus eſt, ſicut etiam dicitur Actor. 9. 26. Patet autem ex Gal. 1. 17. 18. 19. Paulum non ſtatim poſt converſionem ſuam Hiero-

Digitized by Google

Hieroſolymam rediiſſe, ſed partim in Arabia, partim Damaſci in Syria per integrum triennium manſiſſe, & tum demum Hieroſolymam veniſſe, ac non niſi quindecim diebus ibi manſiſſe cum Petro, vidiſſeque Jacobum fratrem Domini, & neminem prætereà Apoſtolorum. Additur Actor. 9. v. 26. ad 31. hiſtoria alia, quæ durantibus iſtis quindecim diebus Hieroſolymæ Paulo contigit, ſcil. quod fruſtrà ſe conatus eſt adjungere fratribus, donec per Barnabam ipſis fuit reconciliatus, quodque de Chriſto prædicavit, & diſputavit de illo cum Judæis Græcanicis, donec ad mortem expetitus, & tùm à fratribus abductus eſt. Contigit autem ipſi hæc viſio cùm in templo precaretur. Paulus Chriſtianus precatur in templo Judaico. Faciebant id tùm temporis adhuc etiam cæteri Apoſtoli & Chriſtiani Actor. 3. v. 1. Non religione & obſervantiâ præcepti ceremonialis Deut. 12. v. 5. 2 Chron. 7. 12. 13. Sed quia intempeſtivum adhuc & curſui Euangelii noxium erat abrumpere communionem cum Judæis in externis cultus exercitiis. Neque etiam mirum, ſi Paulus in converſione νεόφυλος, majori adhuc, quàm neceſſe erat, templi ceremonialis æſtimio fuit occupatus. Nam etiam Apoſtoli ab initio converſionis ſuæ non fuerunt perfecti, ſed quotidie in cognitione & praxi Chriſtianiſmi creverunt, ut patet ex infirmitatibus eorum, quamdiu cum Chriſto in carne verſabantur, nec non ex Petri exemplo Actor. 10. Gal. 2.

Quod ſi autem hunc locum comparemus cum Actor. 9. 26. 27. Comperiemus Paulum, peculiari ſolicitudine motum ad has preces aſcendiſſe. Venerat Hieroſolymam conjuncturus ſe Chriſtianis, & Chriſtum prædicaturus. Sed eò veniens inter duo extrema coanguſtatur. Judæi, quod à perſequutione ceſſaverat, & Chriſtianus factus erat, ipſum odio perſequebantur. Chriſtiani, quòd tantus eorum perſequutor fuerat, ipſum metuebant, nec ipſi fidebant. Sic neminem habebat cui loqui poſſet, aut quocum converſari. Interim ipſe ardebat amore Chriſti, & zelo propagandi Euangelium, ut, ſicut antea fuerat noxius perſequutor, ita nunc poſſit eſſe utilis Eccleſiæ doctor. Compreſſus igitur inter averſionem hominum & inter deſiderium docendi adſcendit in templum, ardenterque precatur, ut Deus ipſi aperiat januam, & efficiat ipſi exitum & introitum cum Chriſtianis & Judæis, ut officio & zelo ſuo inter Judæos & Chriſtianos ſatisfacere poſſit Hieroſolymæ, & ut multos Judæos Chriſto poſſit lucrifacere. Paulus enim tunc temporis adhuc parum, aut nullo modo ſitiebat converſionem Ethnicorum, ſed hoc totum ideò hic refert, ut Judæis oſtendat, ſe per Chriſtianiſmum in tantum non eſſe factum hoſtem gentis Judaicæ, ut unicè hoc petierit à Deo, ut ſibi Hieroſolymis liceret manere, & Judæos convertere. In hac precatione Chriſtus ipſe apparet, ut Paulus eum videat & audiat, partimque deſiderio ejus ſatisfacit, ut patet ex Actor. 9. 27. 28. 29. Partim ad alium ſcopum, divinitus præfixum, animum ejus deflectit. Fuit tamen hæc viſio & auditio Chriſti non realis & corporalis,

Digitized by Google

ſicut illa in itinere Damaſceno, ſed ecſtatica, qualis illa Petri Actor. 10. 10. & qualis illa Pauli, fortaſſis etiam eadem illa, de qua 2 Cor. 12. 3. 4.

Diſcendum nobis hinc, quòd preces Chriſtianorum, proficiſcentes ex deſiderio pietatis, non deſtituantur divino reſponſo. Cùm precarer, contigit mihi. Confer Dan. 9. v. 21. Non caſum deſcribit aut contingentiam aliquam, ſed vim & exauditionem precum ſuarum. Paulus precabatur, ſed precabatur ex pio deſiderio. Ex deſiderio enim propagandi Euangelium, & oſtendendi, ſe jam tam ſincerum eſſe Chriſti ac Eccleſiæ ſervum, atque antea fuerat perſequutor Chriſti & Eccleſiæ, precatur ut ſibi detur janua atque introitus ad Judæos & Chriſtianos. At hanc precationem apparet Chriſtus, & Paulum exaudit. Magna eſt differentia inter preces, quæ proveniunt ex deſiderio pietatis, & inter illas, quæ proveniunt ex deſiderio felicitatis. Nam 1. preces pro felicitate etiam homini naturali ſunt poſſibiles, ſed preces pro pietate non niſi regenitis. Senſum ac dolorem ex infelicitate, & deſiderium proſperitatis omnes habent homines, ſed ſenſum peccati, dolorem ex injuſtitia, deſiderium, famem ſitimque pietatis non habent niſi qui per Spiritum S. regeniti ſunt. Preces igitur pro felicitate fluunt ex natura, ſed preces pro pietate fluunt ex Spiritu S. Cum Paulus dicit Rom. 8. 26. nos neſcire quid precandum, niſi Spiritus S. nos precari doceat, id quidem in genere felicitatis locum habet, in quo ſæpè noxia petimus, niſi Spiritus doceat utilia precari, ſed præcipuè in rebus ad pietatem pertinentibus, ubi non tantùm naturâ ignoramus, quæ ſit juſta & accepta Dei voluntas, ſed etiam caremus appetitu & deſiderio earum rerum, quò ad eas petendas inſtigemur, niſi Spiritus S. illud in nobis accendat. 2. Prætereà, qui precatur, quæ ad felicitatem ſuam pertinent, ejus preces fluunt ex amore ſui ipſius. Sed qui precatur, quæ ad pietatem pertinent, ejus preces fluunt ex amore Dei. Ideò enim petimus & deſideramus eſſe pii, quia pietas placet Deo & facit ad ejus gloriam. Non placemus Deo per felicitatem, ſed per pietatem. Non mirum igitur, ſi preces pro pietate citius à Deo audiuntur, quàm preces pro felicitate. Salomonis preces ideò tàm facilè à Deo audiebantur, quòd non petebat divitias, longævam vitam, victoriam contra hoſtes, ſed ſapientiam & prudentiam benè regendi populum Dei. 1 Reg. 3. 10. 11.

Multò magis placuiſſet Deo, ſi petiiſſet, ut daret Deus, ut etiam ipſe piè viveret, nec Deum offenderet ſuâ idololatriâ ſimilibuſque peccatis, nec Eccleſiæ ſcandalum daret. Si tuus filiolus abs te petit pira, poma & ſimilia, quæ ad ejus palatum explendum faciunt, das quidem, ſed non ſunt preces, quæ te admodùm delectant. Sed ſi veniat ac dicat, pater mi, doce me, quæſo, quid mihi agendum, ut te non offendam, nec ſim tibi cordolio, ſed potius uſui & delectationi, hæ verò preces viſcera tua commovent. Sic ſi felicitatem petis à Deo, non quidem peccas, ſed eæ demum preces Deo gratæ, ſi petas pietatem, ut libereris à peccatis, quæ

Digitized by Google

Deum offendunt, ut adapteris ad facienda, quæ Deo grata ſunt, ut non ſis ſervus inutilis, ſed ſemper aliquid Deo lucrari poſſis, ut ſicuti ſcandalis peccatorum Deum & Eccleſiam offendiſti, ita viciſſim tibi liceat te Deo ſiſtere ac probare ſervum fidelem, ad ejus laudem & ædificationem aliorum. O quàm raræ ſunt hæ preces inter nos. Cùm aliquod incommodum, deliciis, quieti, honoribus contrarium nos premit, novimus importunè fatigare cœlum, donec liberemur. Sed cùm in peccatis ambulamus, in cultu defecimus, nomen Domini blaſphemavimus, proximum offendimus, nullum deſiderium contrarii in nobis eſt, quod fervidas protrudat preces, ut in pietate perficiamus. Pudefaciat nos exemplum Pauli, qui tàm acriter apud Deum inſtitit, ut ſibi liceret ſcandalum Eccleſiæ datum contrario ædificationis zelo eluere. Similes pro pietate preces habes 1 Chron. 29. 18. 19. Pſal. 19. 14. Pſal. 51. 12. 13. 17. Pſal. 90. 12. Pſal. 119. 36. 37. & paſſim. Pſal. 139. v. 23. 24. Pſal. 143. 10. Actor. 8. 22. Marc. 9. 24. Rom. 7. 24. Jac. 1. 5. Ne quid nunc dicam de votis Apoſtolicis, qualia ſunt Eph. 1. 17. 18. 1 Theſſ. 5. 21. Hebr. 13. 20. 21. 1 Petr. 5. 10. & paſſim in epiſtolis. Tales preces precemur, & non deſtituet nos Dei exauditio. *Object.* Annon licet etiam felicitatem petere, ſanitatem, divitias, honores, liberos, pacem, victorias, mortem placidam, vitam æternam? *Reſpond.* Licet, ſed non niſi poſtquam petiimus pietatem. Vide Matth. 6. 33. Etiamſi nunquam peteres felicitatem, tamen, ſi pietatem petas, & obtineas, felicitas adjicietur. Hæc enim ab illa ſeparari non poteſt. Ergò in precibus ſemper prior cura ſit pietatis. Solummodò crede. Credenti & pio omnia poſſibilia. Marc. 9. v. 23. Juſtitia enim Dei, merita Chriſti, promiſſiones tùm legis tùm Euangelii non patiuntur, ut à pietate ſeparetur felicitas. Vide Rom. 8. 28. Poteſt piorum felicitas ad tempus abſcondi, ſed non poteſt tolli.

Sed videamus particularius, quid ſit, quod Paulus ſuis precibus obtinuit? Petiit, ut ſibi apud Judæos liceret prædicare Euangelium, populum ſuum Chriſto lucrifacere, & Eccleſiam, quam vaſtaverat, iterum ædificare, an obtinuit? *Reſpond.* Si rem probè inſpicias, triplicem fructum habuerunt preces Pauli:

1. Vidit Chriſtum. Fuit extra ſeipſum, raptus in paradyſum ſeu tertium cœlum, audivitque verba ineffabilia, & ſummas accepit revelationes. Videtur enim hæc ecſtaſis & illa, de qua 2 Corinth. 12. 3. 4. &c. eſſe planè eadem.

2. Obtinuit aliquo pacto quod petiit. Obtinuit enim, ut mediante Barnaba Eccleſiæ Hieroſolymitanæ reconciliatus eouſque admiſſus ſit, ut cum Chriſtianis converſaretur, in nomine Chriſti cum parrheſia loqueretur, & Judæos etiam diſputando adoriretur, ut eſt Actor. 9. 27. 28. 29.

3. Obtinuit revelationem divinam, quâ ipſi ſignificatum fuit, miniſterium ſuum apud Judæos fore irritum, quaque ipſi promiſſa fuit miſſio ad Gentes. Feſtina, inquit ad ipſum Chriſtus, &

Digitized by Google

exi Hieroſolymâ. Nam non recipient tuum de me teſtimonium. Paulus precatus erat ut ſibi contingeret facultas & occaſio Hieroſolymæ & inter Judæos, ubi Chriſtum perſequutus erat, Chriſtum prædicandi. Fructus precationis fuit, quòd Deus ipſi revelavit laborem ejus iſto in loco fore irritum, juſſitque ut inde exiret, & meliori occaſioni prædicandi Chriſtum ſeſe reſervaret. *Quæritur hic*, qualis illa ſcientia fuerit, quâ Deus præſcivit & prædixit Hieroſolymitanos non recepturos eſſe Pauli teſtimonium de Chriſto; an fundamentum hic habeat figmentum de ſcientia Dei media & incerta atque fallibili? *Reſpond.* Non habet. Nam non fuit præſcientia incerta & fallibilis, ſed fuit ſcientia viſionis, ut vocatur in ſcholis. Duo enim Deus prævidit: 1. Vidit in cordibus Judæorum præfractum odium contra Paulum & Euangelium. Sicut in Kehelitarum corde vidit infirmum & inſufficiens defendendi Davidem conſilium 1 Sam. 23. 11. 2. Vidit in ſeipſo definitum conſilium & voluntatem non utendi Pauli miniſterio ad lucrifaciendos Judæos. Non igitur hinc concludi poteſt in Deo eſſe ſcientiam aliquam mediam, i. e. incertam & fallibilem, quæ pendeat à voluntate & arbitrio hominum.

Sed an Paulus in hac revelatione Chriſti acquieſcit, & mandato exeundi paret? Imò dupliciter tergiverſatur & obluctatur:

1. Objiciendo & reſponſando, v. 19. 20. q. d. O Domine Jeſu non eſt mirum, Judæos averſos eſſe à meis concionibus, recordantur enim, quantus fuerim Chriſtianorum & Stephani perſequutor. Ideò infideles Judæi me oderunt ut apoſtatam, fideles mihi diffidunt ut hoſti. Sed tu Domine per ſpiritum tuum mihi potes ſubvenire, mihique largiri acceſſum ad eorum corda, eaque ad me audiendum flectere. Quod ad malefacta Pauli attinet, quæ hic recenſet & confitetur, ea explicata ſunt cap. 7. 58. & c. 8. 1. *Unum quæritur hic*, an rectè fecerit Paulus, quod contra mandatum Dei ita tergiverſatus eſt reſponſando? *Reſpond.* Non eſt illicitum Chriſtianis cum Deo deſcendere in humilem communicationem ſuper revelata ejus voluntate, & precibus inſtare, etiam poſt datam repulſam. Habes ſimilia exempla in Maria, non credenti Angelicæ revelationi niſi poſt communicationem Luc. 1. v. 34. in Anania Actor. 9. 13. 14. Huc pertinent tergiverſationes Moſis & Jeremiæ Exod. 3. 11. Jer. 1. 6. Utut enim iſtæ tergiverſationes non ſint ſine omni infirmitate humana, tamen, ſi ſint humiles & non obſtinatæ, Deus eas dignatur aliqua replicatione. Sic etiam inſtare precibus poſt repulſam laudatur & fertur in Abrahamo Geneſ. 18. v. 23. ad fin. & in Cananæa Matth. 15. 23. 24. &c. Ejuſmodi inſtantiæ in precibus non tàm ſunt tergiverſationes contra Dei voluntatem, quàm humiles deprecationes repulſæ. Ideò etiam Deus Paulum dignatus eſt replicâ ſeu reſponſo ſecundo, quo mandatum exeundi repetiit, & aliâ promiſſione deſiderio ejus ſatisfecit. *Exi.* Etiamſi enim hoc in loco tuâ operâ uti non volo, mittam te tamen longè hinc ad Gentes, ubi deſiderio tuo in

Digitized by Google

in ædificanda mea Eccleſia & propagando meo Euangelio, ac teſtanda tua erga me fidelitate abundè ſatisfiet.

2. Tardando. Etſi enim iteratò juſſus fuerat citò exire, tamen adhuc videtur tardâſſe, & ſe apud Judæos inſinuare tentâſſe, donec propter perſequutionem Judæorum exire Hieroſolymâ coactus eſt Act.9.28.29.30. qua in re ſive magnam Pauli diligentiam laudare velis, quòd ad exeundum ſe parans ὡς ἐν παρόδῳ aliquo ſaltem pacto pio deſiderio erga Judæos ſatisfacere conatus eſt, ſive infirmitatem aliquam Pauli agnoſcere non detrectaveris, quâ contra mandatum Dei plus æquo tergiverſatus ſit, donec mandato acceſſit neceſſitas & coactio, hoc quoque proderit ad confirmandam doctrinam illam conſolationi noſtræ aptiſſimam, quòd etiam ſanctiſſimi quique habeant ſuas in hac vita imperfectiones. Niſi enim ſciremus, etiam Sanctos poſſe peccare, inter Sanctos Dei nos, propter quotidianas noſtras infirmitates, recenſere non poſſemus.

Verùmenimverò congrua toti textui doctrina hæc eſt: quòd exauditio piorum precum non ſemper reſpondet piorum votis. Paulus exauditur, verùm non ut vult. Piorum piæ preces ſemper audiuntur, & nunquam fiunt ſine fructu. Si enim omne bonum opus habet ſuam mercedem Matth.10.42. quomodo piorum piæ preces poſſent eſſe ſine fructu? Adde promiſſiones Chriſti Matth.7.7.8.9.10.11. Iohan. 14.13.&15.7.&16.23. Si Chriſtus ſemper auditur Iohan.11.v.42. tùm etiam piæ piorum preces, quæ in Chriſti nomine fiunt, & per Chriſti interceſſionem Deo offeruntur, non ſunt ſine exauditione. Piæ piorum preces ſunt inenarrabiles gemitus ipſius Spiritus S. Rom. 8.26. Cùm igitur Spiritus ſecundum Deum pro ſanctis interpellat, annon Deus, qui ſenſus ſpiritus ſui intelligit, ſpiritum ſuum exaudiret? Rom. 8.27. Si quis Pater terrenus filium ſuum vix unquam fruſtra à ſe petere quicquam patitur Matth.7. v.9.10.11. an Deus pateretur Sanctos in nomine Chriſti per Spiritum S. fruſtra ad ſe extendere deſideria cordis? Nunquam igitur fiunt piæ preces ſine exauditione & fructu. Attamen non ſemper ita exaudiuntur ut nos volumus. Pauli preces auditæ. Obtinuit enim conſpectum Chriſti, aliquem introitum ad Chriſtianos & reconciliationem cum illis, & denique benedictionem ſui miniſterii inter Ethnicos. At tamen non obtinuit quod volebat, ſcilicet ut Hieroſolymis liceret manere, & lucrifacere ſuum populum, ædificareque Chriſtianos, quos offenderat. Neceſſaria itaque nobis eſt illa ſubjectio animi ſub beneplacitum Dei, quæ eſt Pſal.51.20. Matt.26.42. 2 Cor. 12.8.9. Sufficiat nobis, quod tantum à Deo accipimus, quantum neceſſarium eſt, ut ſalvi fiamus. Eramus enim miſeri, condemnati, hoſtes, abominabiles. Quanta gratia, quod ſalvi ſimus! An juſtè poſſumus queri, quod non plus accipimus, quàm neceſſarium eſt, ut ſalvi ſimus? Cætera, ſine quibus poſſumus ſalutem obtinere, licet petere, ſed decet in beneplacito Dei acquieſcere. Satis enim exauditæ ſunt

Digitized by Google

noſtræ preces, cùm tantum obtinemus, quantum opus eſt, ut Dei gratiæ ſimus participes, & ſalvi fiamus, nec decet murmurare, cùm non obtinemus, quod volumus, vel cùm nobis recuſatur, quod aliis datur, ſed Deo relinquenda eſt ſua libertas, ut de ſuo faciat, quod vult Matth. 20. Sæpè melius eſt quod obtinemus quàm quod optamus. Aliam quoque doctrinam textus ſuppeditat, ſcil. æquum eſſe ut, qui Eccleſiæ ſcandalum dedit, aliis injuriam fecit, ſcandalum & injuriam ædificando & benefaciendo compenſet. Hoc enim, cum occaſio negaretur, precibus Paulus à Deo impetrare voluit, ut facere poſſet. Quia fuerat blaſphemator, perſequutorque Chriſti & Eccleſiæ, ideò poſt converſionem ſuam nil anxius optabat, quàm ut blaſphemationem & perſequutionem pari ædificatione Eccleſiæ & magnificatione Chriſti poſſet compenſare. Vide exemplum Davidis Pſal. 51. 14. 15. 16. q. d. pravo exemplo ſeduxi multos ad peccatum, jam dabo operam, ut alios ædificem. Exemplum Petri Luc. 22. 32. Inſignis confeſſor Chriſti factus eſt, qui abnegator fuerat. Similiter agendum in reparatione injuriarum proximo illatarum, Num. 5. 7. 1 Sam. 12. 3. Luc. 19. v. 8. Sic de reparatione caſtitatis violatæ leges ſunt Exod. 22. 16. 17. Deuter. 22. v. 28. 29. Tales reparationes tùm potiſſimùm ſunt neceſſariæ, cùm proximus læſus eas flagitat, nec aliter juvari, & placari poteſt. Matth. 5. 23. 24. Ipſe cultus externus abrumpendus & differendus, donec offenſo proximo ſatisfiat. Eſt quidem actualis reparatio aliquando impoſſibilis, & habet ſuos limites prudentiâ piâ moderabiles, ſicut Paulo non licuit reparare damnum, quod intulerat, eo quidem modo quo voluiſſet, ſed tamen animus reparandi debet adeſſe, & precandus Deus, ut det occaſiones officio ſatisfaciendi. Sicut non decet eſſe in hac materia κυμινοπρίστην, ſeu ſcrupuloſum cumini & menti decimatorem ſicut Phariſæi erant Matth. 23. 23. Ita non eſt leviter fingenda impoſſibilitas & difficultas reparationis, nec ſunt deglutiendæ viduarum ædes, honor, proſperitas, pax proximi, & tum placidè obdormiſcendum cum frigida profeſſione pœnitentiæ. Quæ poteſt eſſe pœnitentia, quam diu peccatorum noſtrorum fructibus nos oblectamus, vel proximum cruciamus? Qui verè reſipiſcit peccatum abolere conatur cum fructibus illius. Si hoc facimus, juſtitiæ quidem divinæ ſic faciendo non ſatisfacimus, nec remiſſionem peccati meremur, attamen capaces nos reddimus juſtitiæ ac meritorum Chriſti, quæ non dantur ac imputantur niſi iis, qui contrito corde de peccatis ſeriò reſipiſcunt, & qui peccata ſua per contrariam juſtitiam abrumpunt, ut eſt Dan. 4. 27.

Actor. 22. v. 22. ad finem.

CONC. CCXLIII.

ABſolvimus Apologiam Pauli, ſequuntur ejus effecta. Tantum abeſt, ut Paulus hac ſuâ apologiâ liberatus ſit, ut potiùs majori periculo implicitus fuerit. Populum enim magis exacerbavit, & Præfecto militiæ occaſio

Digitized by Google

ſio fuit ſeveriùs in Paulum inquirendi, ut culpam aliquam in Paulo inveniret, quam ad ſedandum furorem populi ſupplicio aliquo plecteret, atque ita denuò Paulus ſuo exemplo confirmavit doctrinam, quam in v. 27. cap. 21. propoſuimus, ſcil. quòd bonum conſilium atque remedium non ſemper medetur noſtris difficultatibus.

I. Exacerbatio major ſeditioſi populi deſcribitur v. 22.23. ubi tria de illa conſignantur:

A. Præcipua occaſio iſtius exacerbationis: audiverunt ipſum ad hoc uſque verbum, videl. uſque ad ultimum verbum verſus præcedentis: Exi, mittam te procul ad gentes. Facilè apparet quòd Pauli apologia ſit incompleta, & quòd plura fuerit additurus, niſi fuiſſet ſermo ejus interruptus clamore populi. Quod de profectione Damaſcena de perſequutione Chriſtianorum, de viſione & voce cœleſti, de reſtitutione viſûs, nec non de baptiſmo Pauli per Ananiam, de ecſtaſi Pauli in templo, de colloquio inter Deum & Paulum narratum erat, tanquam hiſtoriam, quæ nihil haberet carni adverſum vel ingratum, avidè audiverant, ſed cùm adderet, ſe divino mandato juſſum Judæos relinquere, & ad Gentes prædicatum ire, hoc verò ferre non poſſunt. Occupaverat enim eos hæc duplex opinio: 1. Quòd virtute carnalis privilegii & geniruræ ex Abrahamo eſſent ſoli hæredes Regni Dei ab inteſtato, quorum Deus quaſi adſtrictus debitor eſſet. 2. Gentes propter præputium adeò abominabiles eſſe Deo, ut non poſſet illis ullam exhibere gratiam, adeoque planè illicitam & nefandam rem eſſe Gentibus prædicare Euangelium & gratiam Dei, planè ſicut hodieque putatur Deum non poſſe eſſe gratioſum iis, qui non ſunt Romano-Pontificii.

Object. Sed annon erat nefas in V.T. verbum Dei prædicare Gentibus? Chriſtus prohibet Apoſtolis Matth. 10. 5. 6. Et Chriſtiani ducunt grande nefas Petrum ad incircumciſos introîſſe iiſque Euangelium prædicaſſe & Sacramenta adminiſtraſſe. Actor. 11. Multò magis igitur in Vet. Teſt. nefas fuit exire in plateas Gentium. Gentes erant canes, ſoli Iſraëlitæ oves & filii, quibus pabulum & panis verbi debebatur Matth. 15. Unde & Petrus ipſe ſcrupuloſus erat ad Gentes prædicatum ire. Actor. 10. *Reſp.* 1. Si omnino illicitum fuit gentibus prædicare Euangelium, quonam pacto tot Gentes fuerunt facti proſelyti: In veteri quoque teſtamento verum fuit illud Petri Actor. 10. 35. Vetuerat Deus nimiam & periculoſam converſationem cum Gentibus, ſed non omne ſtudium, datâ occaſione, Gentes lucrandi, unde & Iſraëlitæ ſua Biblia Gentibus communicârunt per verſionem LXX. interpretum. Verum quidem eſt, quod ſoli Judæi erant populus ſanctus, filii & domeſtici ac oves Dei, Ethnici verò erant canes & oleaſter ſylveſtris, populus abjectus. Sed qui Judæi erant, non erant ſuo jure & merito, ſed ſingulari Dei gratiâ. Qui Gentes erant, non erant ſingulari & majori merito, ſed liberâ & ſingulari diſpenſatione divinæ juſtitiæ. Liberum igitur erat Deo Judæos ex

trunco

Digitized by Google

trunco exſcindere & Gentes inſerere, Apoſtolos à Judæis avocare & ad Gentes mittere, nec ſcelus, ſed pietas erat, Deo in hac miſſione obedire.

Diſcamus hinc:

1. Quod ſublimes de ſeipſo conceptus & opiniones ſunt præcipua cauſa ex qua oritur perſequutio Euangelii. Judæi Pauli Euangelium non perſequebantur, quod illud in ſeipſo judicarent eſſe impium vel abſurdum, ſed quia erat contra eminentiam populi Judaici, quam ſibi ſuper omnes homines imaginabantur. Non poterant pati, ſe Gentibus æquiparari vel poſtponi, ſed ſe ſolos pro populo Dei haberi volebant. Sic hodieque Romanenſes doctrinam Reformatam oderunt ac perſequuntur, non quia aliquid mali, abſurdi, injuſti aut turpe in ea animadvertunt, ſed quia non poſſunt credere quicquam boni & divini reperiri poſſe præterquam in Romana Eccleſia. Hæc ſola Eccleſia Dei Catholica, intra quam Deum & Spiritum S. ſuis meritis ſe concluſum tenere putant. Cogitandum his hominibus, quòd quantumvis verum foret, quòd olim fuerit ſola Catholica Eccleſia, id tamen ſibi potuiſſe contingere, quod Judæis, ut propter idololatriam & alia ſua peccata à Deo deſeri potuerint, & Euangelium ad alios mitti, qui per Dei gratiam meliores illius fructus ederent. Matth. 21. 41. Deponamus confidentiam in externa quædam privilegia à Deo accepta, ſive nationalia ſint, ſive domeſtica, ſive perſonalia, & ſemper cogitemus, quod non jure nec merito noſtro ſimus, quod ſumus, ſed ſingulari Dei gratiâ, adeoque quod Deus à nobis auferre poſſit donum quod dedit, niſi ſimus humiles ac grati, talentumque noſtrum ad gloriam Dei providè & ſollicitè impendamus. Vide Rom. 11. 17. ad 22.

2. Multi verbum Dei prædicatum audiunt lubenter, ſed euſque **tot daer-en-toe**. Judæi Paulum magnâ cum tranquillitate audiebant concionantem, ſed ἄχρι τούτου τοῦ λόγου uſque ad illud verbum, quô ſcilicet tangebat ulcus ipſorum, & dejiciebat imaginationem propriæ eminentiæ ſupra omnes Gentes. Sic multi audiunt & amant verbum tàm diu, quàm diu non contrariatur libidinibus & affectibus, ſed ubi hiſce ſe opponit, repellunt. Sic Herodes Johannem lubenter audivit eò uſque donec diceret, *non eſt tibi licitum fratriam habere in uxorem* Matth. 14. 4. 5. cum Marc. 6. 20. Non decet ita facere, ſed in omni verbo Dei beneplacitum habere. Multa ſunt in verbo, quæ contrariantur noſtræ rationi, opinioni, affectui, libidini, ſed ideò non decet quicquam ex verbo Dei rejicere, ſed toti totum ſe ſubmittere. Si ſecus facimus, limitamus ſanctum Iſraëlis Pſal. 78. 41. Deus non vult à nobis limitari, neque in fide, neque in obedientia. Non in fide, ut credamus, quamdiu res declarata vel promiſſa convenit cum noſtra ratione, vel quamdiu videmus probabilia media, per quæ fieri poſſit, ſed vult ut abſolutè credamus, quicquid promiſerit. Neque in obedientia, ut tàm diu præceptis obediamus, quamdiu non ſunt contra noſtras opiniones vel libidines, ſed vult ut opiniones,

Digitized by Google

niones, libidines, conſilia, affectus & quicquid in nobis eſt, verbo Dei cedat, eique ſe ſubmittat.

B. Acerba verba, quæ contra Paulum loquuti ſunt. Suſtulerunt vocem, & dixerunt: Tolle hunc, non eſt conveniens ut vivat, i. e. non eſt dignus, qui vivat. Vociferando abruperunt & ſuffocârunt Pauli ſermonem ne ulterius audiri poſſet. Paulus plura loquutus fuiſſet, & narrationem ſuam de divina vocatione applicâſſet ad expoſtulationes Judæorum obtundendas, quibus ægrè ferebant, Paulum Gentes Judæis in diſpenſatione verbi Dei æquare, imò præponere. Sed quia hæc res carnalibus illorum conceptibus contraria erat, ideo vi veritatem opprimunt, ne amplius audiatur. Hoc non eſt cedere veritati, ſed reſiſtere veritati, veritatem in injuſtitia detinere Rom. 1. *Veritatem à ſe repellere,* 1 Tim. 1. *Contra veritatem ſe obdurare,* Act. 18. Aliud poſtulabat Iacobus c. 1. 21. Sicut qui paroxiſmo febris laborat, non poteſt guſtare dulcedinem cibi potuſve, ita qui irâ accenſus eſt, ei non ſapit verbum Dei.

Acerbiſſimam autem ferunt contra Paulum ſententiam, ſcil. quod non dignus ſit, qui vivat, ſed tollatur ex terra. Populus non habet poteſtatem ferendi ſententiam, ſed magiſtratus, multò minus populus iratus & furioſus. Ira enim viri & populi non operatur juſtitiam Iacob. 1. Sententia, quam de Paulo ferunt, aliter ſe habet, ſi comparetur cum juſtitia divina, aliter, ſi cum forenſi. Reſpectu divinæ juſtitiæ Paulus quidem non erat dignus ut viveret, ſi in ſeipſo & ſua naturâ conſideraretur. Omnes enim homines naturales morte digni ſunt. Rom. 1. ult. Gen. 3. & quòd irregeniti in terris vivunt, non eſt, quod vita digni ſunt, ſed quod patientiâ Dei eos ad pœnitentiam invitat, antequam in mortis carcerem detrudat. Si autem Paulus conſideretur, ut κεχαριτωμένος Θεοῦ membrum Chriſti, juſtificatus ejus ſanguine, ne reſpectu divinæ quidem juſtitiæ indignus eſt vita temporali & æterna. Gratia enim Dei per Chriſtum facit dignos vita temporali & æternâ, Luc. 7. 4. & 20. 35. At illi demùm indigni, qui ſeipſos per infidelitatem vita æterna indignos æſtimant Actor. 13. Si hæc ſententia conferatur cum juſtitia forenſi & civili, ne ſic quidem vera eſt. Juſtitia enim civilis non poſtulat ad necem niſi blaſphemos & malefactores. Paulus autem nihil fecerat, quod vel vinculis vel morte dignum erat Actor. 23. 29. & 26. 31. Sed hæc eſt ſors piorum, ut ab iis qui maximè ſunt indigni, indigniſſimè tractentur. Vide Hebr. 11. 38. Mundus impius dignus non eſt, qui virum ſanctum adſpiciat.

C. Acerba facta. Non tantùm ſententiam condemnationis iniquè ferunt, ſed etiam vim minantur judici, niſi Paulum occidat. Hoc fine furioſè vociferantur, veſtes ſuperiores, quæ violentos motus impedire poſſent, humi projiciunt, & pulverem in aërem ſpargunt, minitantes hoc pacto, ſe Paulum lapidaturos, vel etiam ipſi Capitaneo vim illaturos, nî Paulum occidat.

Dicendum hic foret de ſeditionibus & vi populi contra legitimum Magiſtratum,

Digitized by Google

ſtratum, quàm ſit illicita. Sed diximus id nuper cap. 21. 27. Injuſtè faciunt, qui juſtas cauſas rebellione & violentiâ promovent, nedum qui Magiſtratum cogere volunt ad opprimendam juſtitiam & veritatem Euangelii, ſicut hi Judæi.

II. Sequitur inquiſitio Chiliarchæ, quâ Paulo per torturam extorquere voluit confeſſionem alicujus maleficii, ut cum aliqua ſpecie juris in gratiam populi eum occidere poſſet, & quo remedio Paulus hoc prævenerit.

1. Chiliarcha videns populum minitari vim, ſubduci Paulum jubet in caſtellum. Hactenus benè, quod furori populi noluit tradere illum, de cujus reatu nihil conſtaret. Vide Pſal. 82. 4. Prov. 24. 11.

2. Attamen volens populo aliquo pacto ſatisfacere, ſicut Pilatus, torturæ ipſum ſubjecit, juſſitque ad equuleum loris ligatum ſcuticis torqueri, ut reſciſceret ex Pauli confeſſione, ſi criminis alicujus reus eſſet. Judex non judicat de maleficiis occultis & incertis, ſed de quibus conſtat Prov. 18. 13. qui ſententiam fert antequam audivit, turpe facit. Cùm tamen crimina non ſunt certa, inquiſitione aliquâ uti judici licet, ut veritatem exploret. Iob. 29. 16. Sine inquiſitione enim prudenti & accuſator poteſt fallere judicem, ut innocenter puniret, & reus poſſet fallere judicem, ut crimina manerent impunita. Sed de inquiſitione per torturam quæritur, an Chriſtiano judici licita ſit? *Reſp.* 1. Si perſona, quæ interrogatur, eſt infamis, & à talibus vel ſimilibus criminibus non immunis. Sicut enim Paulus vult, ut contra viros honoratos non facilè recipiatur accuſatio 1 Tim. 5. 19. Ita qui ſunt alioquin honeſtæ famæ, tali inquiſitioni non ſunt facilè ſubjiciendi. 2. Si indicia ſunt talia, ut judici dubitare de crimine commiſſo non liceat. Inquiſitio enim per torturam non infligitur ad convincendum judicem, ſed ad extorquendam confeſſionem rei, ut ſupplicii juſtitia tantò ſit evidentior, & reo oſtium aperiatur ad admittendas adhortationes ad pœnitentiam. Non igitur laudandum videtur Chiliarchæ factum, non tantùm, quia hominem ſanctum & Chriſtianum torqueri juſſit, ſed quia torqueri juſſit virum quem videbat honeſtum & literatum, & de cujus crimine nullis indiciis erat convictus. Prudentia igitur hac in parte commendanda Magiſtratibus. Quid autem dicemus de Inquiſitione Hiſpanica, quâ hæreſeos ſuſpecti, tamdiu torquentur, donec veritatem confeſſi ad ſupplicium rapiantur, aut veritatem abnegantes Chriſto fiant infideles, & æterni exitii periculum incurrant. Hæc verò verè tyrannica Inquiſitio, quam Deus non alio modo puniet, quàm quod tales tortores tradet illi tortori, de quo Matth. 18. v. 34. βασανίζω explorandi cauſâ torqueo.

3. Paulus ab hac tortura ſe liberat per allegationem ſui juris, quod eſſet civis Romanus. Omnes enim tales erant donati hac immunitate, ut tàm ſervilibus torturis & ſuppliciis ſubjici non poſſent, imò ſecundum legem Semproniam indictâ cauſâ, ſine præviâ ſententia condemnationis, affligi non poſſent.

Digitized by Google

poſſent. Et Chiliarcha hanc immunitatem tanti æſtimabat, ut expaveſceret, cùm audiret ſe tentâſſe flagellationem Romani civis. *Quæritur hic*, cur Paulus hac immunitate non fuerit uſus Philippis, ſed flagellari ſe paſſus ſit, antequam ſe Romanum eſſe protulit. Actor. 16. 37. *Reſp.* 1. Poteſt fieri, ut Paulus præviderit ſe ibi fruſtrà allegaturum ſuum privilegium, cùm eſſet in medio furore populi. 2. Poteſt fieri, ut hujus remedii ſuppeditatione Deus tùm Paulum noluerit à flagellatione præſervare ſicut nunc. Non enim per accidens & caſu, ſed ex libera ſuggeſtione Dei piis incidunt vel in mentem veniunt remedia & conſilia, quibus ſe ex anguſtiis liberent. Matth. 10. 18. 19. Diffidamus noſtræ prudentiæ, & pendeamus à Deo. Nam etiam quæ ſcimus remedia uſurpare non poſſumus, niſi Deo ſuggerente. Diſcimus hinc:

1. Quòd licitum ſit Chriſtianis juribus & privilegiis politiæ uti ad ſuam defenſionem, & quod proinde falſa ſit Anabaptiſtarum Theologia de Magiſtratura. Paulus hîc utitur, & Actor. 25. 10. *Object.* At videtur pugnare contra 1 Cor. 6. 7. *Reſp.* Non pugnat. Paulus enim neceſſaria judicia non improbat, ſed laudat Rom. 13. ſed improbat abuſum judiciorum, quòd Chriſtiani levi de cauſa, ſpretis accommodationibus & mediationibus Eccleſiaſticis, ad tribunal infidelium provolarent, & infirmis ſcandalum darent. Sic Matth. 5. 40. Chriſtus non vetat judicium legitimum, ſed contentiones leves & non neceſſarias, de injuriis, quæ ferendæ potius, quàm vindicandæ ſint. Decet Chriſtianos operam dare, ut ſeinvicem non laceſſant, nec litigandi cauſam dent. Sed cùm data eſt, innocenti licet ſe defendere.

2. Quòd licitum ſit technis & ſtrategematis prudentibus ſeipſum à periculo liberare. Sed hujus doctrinæ ſedes proprie eſt Actor. 23. v. 6. 7. Mediis utendis obſtricti ſumus.

3. Quàmdiu leges ſunt in autoritate & veneratione, tàmdiu piis pax eſt. Expaveſcit Chiliarcha, cùm ſe audiit peccaviſſe contra legem Romanam, & Paulum dimittit. Petamus igitur, ut apud nos quoque Magiſtratus atque lex ſit in veneratione 1 Timoth. 2. v. 2.

Actor. 23. *v.* 1.

CONC. CCXLIV.

CLaudius Lyſias, poſtquam Paulum ex ſeditioſis manibus Judæorum eripuiſſet, omnia media adhibuit, ut cauſam tumultuationis contra Paulum reſciſceret, ſaltem ut aliquid eliceret, quod ſpeciem juris præberet, Paulum in gratiam Judæorum plectendi vel è medio tollendi. Hoc fine interrogat Judæos tumultuantes, quid Paulus fecerit. Cùm per tumultum alius hoc alius aliud clamaret. Paulum ipſum audit loquentem in ſcalis caſtelli, & ſe coram Judæis defendentem. Cùm hæc apologia Pauli per tumultum & minas Judæorum abrumperetur, flagris in Paulum inquirere jubet, ut criminis alicujus confeſſionem ipſi

Digitized by Google

extorqueret. Cùm verò Paulus ab hac tortura ſe liberâſſet per provocationem ad jus civitatis Romanæ, poſtero die Lyſias Paulum deducit ex caſtello in urbem, atque ibi inter Senatum Judaicum & inter Paulum confrontationem,ut loquuntur,inſtituit,ut ex illa de reatu vel innocentia Pauli aliquid cognoſcere poſſet. Et quid in hac confrontatione geſtum ſit & effectum, in præſentiarum examinare aggredimur. Habemus hìc

1. Breve alloquium Pauli ad Senatum v. 1.

2. Abruptionem hujus alloquii per injurioſam Pauli percuſſionem, unâ cum concertatione quapiam ſuper iſta percuſſione.

3. Sanctum Pauli ſtratagema, quâ, ad procurandam liberationem ſui ipſius, accuſatores ſuos inter ſe diviſit & commiſit, & in mutuam exacerbationem conjecit.

4. Abductionem vel reductionem Pauli ex hac confronatione in caſtellum re infectâ.

In alloquio Pauli ad Senatum habemus 1. Geſtum. 2. Verba illius. Geſtus eſt: Intuitus eſt in Senatum. Non eſt hic geſtus ſignum impudentiæ & audaciæ, ſed Chriſtianæ parrheſiæ, ſuper bona cauſa fundatæ, indicium, qualem Chriſtus promittit ſuis Apoſtolis in defenſione Euangelii Matth. 10.17.18.19.20. Luc.12. 11.12. Luc. 21.14.15. Sunt fideles humiles nec immunes à timore. Attamen cùm veritas apologiâ & defenſione eget, non carent neceſſaria parrheſia, quâ ſeipſos heroas oſtendant pro cauſa Dei.

In verbis Pauli eſt provocatio ad bonam conſcientiam, q.d. Non eſt mihi cauſa aut difficultas me coram conſeſſu veſtro defendendi. Converſatus enim ſum coram Deo omni bona conſcientia uſque in hunc diem. Ita ambulavi omnibus diebus vitæ meæ, ut non extimeſcam etiam coram judicio Dei rationem reddere meæ vitæ,itaque nec coram veſtro conſeſſu doctrinæ & vitæ meæ rationem reddere erubeſco. Utitur voce πολιτεύειν, ſicut Phil.1.27. & 3.20. Sicut enim is cenſetur vir honeſtus & bonus civis, qui vitam ſuam inſtituit ſecundum leges & ſtatuta curiæ civicæ,ita is bonus Chriſtianus,qui in domo Dei erga reliqua membra & præcipuè erga Deum ſecundum jura & ſtatuta ejus rectè converſari ſtudet 1 Tim.3.15. Qui ſolus vivit, non niſi ſeipſum curat. Sed nobis ſciendum, quòd ſimus conſtituti in converſatione cum Deo & proximo,præſertim membris Eccleſiæ. Danda igitur opera, ut inveniamur boni converſatores cum aliis, neminem lædentes, ſuum cuique tribuentes, Deum honorantes, proximum ædificantes. Præcipuè tamen hæc vox reſpicit miniſterium Pauli. Rectores enim Reip. propriè dicuntur πολιτεύεσθαι, quò etiam pertinet illud 1 Timoth. 3.15. Cùm igitur dicit θεῷ πεπολίτευμαι, eſt, q.d. Ex quo à Deo vocatus fui ad officium Doctoris in Eccleſia tùm Judaica, tum Chriſtiana, bona cum conſcientia in iſto Dei miniſterio verſatus ſum. Si Paulus ſimpliciter dixiſſet,ſe bonâ conſcientiâ coram Deo ambulâſſe,nulla hic foret difficultas. Poſſet enim hoc intelligi de tempore

Digitized by Google

tempore poſt ejus converſionem, quo reverà omni bonâ conſcientiâ ambulavit Deo Actor. 24. 16. 2 Cor. 1. 12. Sed dicit ſe uſque ad hunc diem bonâ conſcientiâ ambulaviſſe, i. e. ſemper, totâ ſuâ vitâ. Quomodo autem hoc verum? An etiam ante converſionem, an etiam tùm cùm eſſet blaſphemus, convitiator, perſequutor Eccleſiæ, bonâ conſcientia ambulavit Deo? *Reſpond.* Dupliciter homines ambulant bonâ conſcientia: 1. Cum agunt ſecundum menſuram regulæ ſibi præſtitutæ. 2. Cum agunt ſecundum menſuram ſcientiæ, quam habent. Qui agunt quod ſciunt non eſſe agendum, illi agunt contra conſcientiam, & ambulant malâ conſcientia. Sed qui agunt, quod agere decet ſecundum præſcriptum regulæ divinæ, illi bonâ conſcientiâ ambulant. Qui verò ambulant ſecundum id quod putant agendum eſſe, & quod tamen contra regulam eſt, illi intendunt benè agere, & tamen male agunt. Quoniam tamen intendunt benè agere, ideò etiam dici poſſunt bonâ conſcientiâ ambulare, quia malum quod faciunt, faciunt ex bona intentione. Et hoc ſenſu Paulus etiam ante converſionem ſuam poteſt dici bonâ conſcientiâ Deo ambulâſſe & ſerviiſſe. Etſi enim Paulus non erat regenitus, & inter pios numerandus, tamen non erat atheus, & religionis contemptor, ſed erat religioſus cultor Dei, legem patriam ex conſcientia erga Deum obſervabat, & etiam cùm Eccleſiam & Chriſtum perſequebatur, putabat ſe Deo rem gratam facere, ſtudebat etiam conſcientiosè præcepta legis obſervare, Deum precari, honeſtè vivere. Hoc ſenſu Paulus etiam ante converſionem ſuam bonâ conſcientiâ ambulavit Actor. 26: 4. 5. 6. 7. 9. Gal. 1. 14. Phil. 3. 6. 1 Tim. 1. v. 13. Hoc ſenſu multi Euangelium Dei rejecerunt, Eccleſiam Dei perſequuti ſunt, & ita bonâ conſcientiâ graviſſimè peccârunt. Joh. 16. 2. Rom. 10. v. 2. 3. Talis conſcientia poteſt appellari bona, comparativè ſcil. reſpectu eorum, qui ex mera malitia contra conſcientiam & ſcientiam peccant, ſed non eſt bona reſpectu Dei & verbi illius, à Deo & verbo approbata, nec ad ſalutem ſufficiens. Si enim talis conſcientia Deo placeret, & ſalutem daret, tum in omni religione ſalus eſſet, fruſtranea eſſet contentio pro fide ſanctis tradita, graviſſimis peccatis ſalus poſſet obtineri, & tum nulla doctrina foret tàm falſa, quin, qui eam credunt, ſalvari per illam poſſint. Et fruſtrà maledicerentur qui aliud Euangelium prædicant. Gal. 1. Legite hiſtoriam Regum Judaicorum, quorum annotatur impietas & pœna impietatis. Quæ impietas illis objicitur? Non injuſtitiæ, ſcortationis &c. ſed ſemper alienæ doctrinæ. Quò fine tam ſtrictè in N. T. injungitur ſeparatio & fuga ab Antichriſto, ſi in omni religione, quam bonâ fide recipis, ſalvari poſſis? Etſi igitur Paulus etiam ante converſionem ſuam ambulavit bonâ conſcientiâ, tamen tùm non fuit inter pios & ſalutis capaces, ſed conſcientia ejus per converſionem debuit mutari, meliorari & emendari, ut ad ſalutem conſequendam ſatis bona eſſet.

At enim ut hoc rectius intelligatis, conſtitutum nobis eſt, doctrinam de

Digitized by Google

conſcientia, occaſione hujus textus, integram vobis proponere, licet fieri unâ concione non poſſit. Quoniam enim finis legis & totius Theologiæ eſt bona conſcientia, pura conſcientia, ex quo omnis pietas, omnis conſolatio, omnis felicitas profluit, ut videre eſt Actor. 24. 16. 1 Tim. 1. 5. 6. 18. Hebr. 10. 22. Meritò omni Chriſtiano curæ eſt, nôſſe quid ſit conſcientia, & quid bona ac mala conſcientia inter ſe differant. Hiſce igitur duobus capitibus totum hoc thema vobis explicabimus, ſcilicet:

I. Quid ſit conſcientia, ſeu quæ ſint conſcientiæ naturales, & eſſentiales proprietates.

II. Quæ ſit conſcientia bona, & quæ mala. Hac vice de primo:

Hebræi non aliud habent nomen, quo conſcientiam appellant & exprimunt, quàm nomen cordis 1 Sam. 24. 6. 1 Joh. 3. v. 20. quia conſcientia eſt proprii cordis, propriæque animæ ſcientia: Non eſt informatio extrinſecus adveniens, ſed eſt proprii cordis, & propriorum renum eruditio Pſal 16. 7. Apud Græcos verò, Latinos & Germanos à ſciendo nomen ſortitur, appellaturque talis ſcientia, quâ quis ſibi ipſi notus eſt, & ſibi aliquid conſcius eſt, 1 Cor. 4. 4. Qui ſibi ipſi notus eſt, ille dicitur habere conſcientiam. Qui ſibi ipſi non eſt notus, eſt ſine conſcientia. Scientia eſt aliarum rerum notitia. Sed conſcientia eſt notitia ſui ipſius. Eſſe & ſimul ſcire quid ſis, facere aliquid, & ſimul ſcire quid facias, eſt conſcientia. (een mede-weeten.) Sibi aliquid conſcire. Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ. Secum habitare: Tecum habita, & nôris &c. In proprium cor ire, in ſeipſum reflectere, trabem in proprio oculo videre, ſeipſum judicare, ſeipſum tentare & probare, attendere ſuis viis & ſibi ipſi. Talibus & ſimilibus loquendi modis exprimitur natura conſcientiæ.

Ex his deſcriptionem conſcientiæ hanc damus: Conſcientia eſt judicium hominis de ſeipſo, quo, per comparationem ſui ipſius cum lege & Euangelio, obſervat & agnoſcit, quid in ſe legi & Euangelio ſit conforme vel contrarium, & ex his vel cum gaudio concludit, quòd Deum amicum, vel cum dolore, quòd inimicum habeat.

Conſcientia eſt judicium hominis de ſe ipſo. Hoc ex ipſo nomine didicimus: Deus, qui eſt Dominus hominis, eſt etiam proprius judex hominis. Attamen Deo placuit, in ipſo homine tribunal erigere, & hominem ſui ipſius judicem conſtituit, declarans ſe non velle hominem judicare aliter quàm ſecundum judicium, quod de ſeipſo homo ferre poteſt. Luc. 19. 22. Hoc ideò fecit, quia magnoperè conducit ad glorificandam Dei juſtitiam in judiciis Pſal. 51. v. 5. 6. Ideò voluit hominem eſſe *αὐτοκατάκριτον* Tit. 3. v. 11. ut non habeat quod murmuret, cùm ita à Deo judicatur, ſicut ipſe æquum judicat Rom. 1. 20. Ideò debuit eſſe *αὐτοκατάκριτος*, ut eſſet *ἀναπολόγητος*. Hinc Deus judicia ſua nobis ipſis judicanda exponit Iſai. 5. 3. 4. Iſai. 1. v. 18. Ideò hominem fecit ſui ipſius judicem, ut homo divinis ſuper ſe judiciis juſtitiæ teſtimonium exhiberet. Eſt igitur conſcientia non tantum facultas nobis con-

creata,

Digitized by Google

creata, ſed præcipuè actio nobis injuncta & præcepta 1 Cor. 11. v.31. 2 Cor. 13.5.

Sicut autem in omni judicio ſequentia concurrunt ſcil. 1. Accuſatio & examinatio. 2. Evidentia & convictio. 3. Sententia. 4. Exſequutio: Ita hæc eadem concurrunt in illo judicio, quod conſcientia appellatur. Nam in illo habes:

1. Probationem ſui ipſius 1 Cor. 11. 28. 2 Cor. 13. 15. Hæc probatio ſui ipſius conſiſtit in comparatione ſui ipſius cum lege & Euangelio. Sicut enim in judicio politico accuſatus probatur ſecundum leges & ſtatuta, ſicut qui de facie ſua judicare vult, utrum pura ſit nec ne, non poteſt hoc præſtare niſi per comparationem faciei cum ſpeculo, ita qui de ſe ipſo vult cognoſcere, utrum ſit, qualis eſſe debet nec ne, is ſeipſum & ſuas actiones comparat cum lege & Euangelio. Hæc enim eſt regula, ſecundum quam noſmet metiri debemus, & cui tenemur eſſe conformes, & ſi ab hac diſcrepamus, non ſumus, quales eſſe debemus. *Obj.* Atenim qui non habent legem nec Euangelium, quomodo illi ſeipſos probare & judicare poſſunt? *Reſpond.* Illi ſibi ipſis lex ſunt. Habent enim opus legis inſcriptum cordibus. Eô ipſô enim fine Deus etiam poſt lapſum in homine reliquum fecit lumen naturæ, ut homo haberet regulam & menſuram, quâ ſeipſum metiri, & ſecundum quam de ſeipſo judicium ferre poſſit, & cùm à Deo judicatur, proprio judicio judicium Dei juſtificare neceſſe habeat. Euangelio ad condemnationem non indigent, qui Euangelium non habent. Lex enim ad condemnationem eorum ſufficit. Primus igitur conſcientiæ actus eſt ſeipſum ad tribunal Dei citare, & ſeipſum probare, an legi Dei conformis ſis nec ne.

2. Agnitio ſui ipſius, quâ obſerves & agnoſcas, quid in te rectum ſit vel ſecus. 2 Corinth. 13. 5. annon nôſtis vos ipſos. Per probationem videmus, quales eſſe debeamus, per agnitionem intuemur quales ſimus. Hæc agnitio teſtis eſt hujus judicii, quo cauſa judicanda redditur judici evidens, & propter hanc agnitionem ſui ipſius dici ſolet, quòd conſcientia mille teſtes, ſicut & in S. Scriptura conſcientia teſtis & teſtimonium vocatur Rom. 2. 15. & 9. 1. 2 Cor. 1. 12.

Non ſufficit Scripturam dicere nos eſſe peccatores, non ſufficit alios de nobis teſtari, quòd ſimus boni vel mali, ſed teſtimonium ejus rei oportet ſit in nobis ipſis, & ut ipſi nobis conſcii ſimus quales ſimus, & quid fecerimus, ut ita malum & bonum, quod in nobis eſt, propriis oculis videamus & ſentiamus. Hoc eſt trabem in proprio oculo videre, ſeipſum nôſſe & perſpectum habere. Qui neſciunt, quid faciant, ſunt ſine conſcientia. Hæc ſecunda pars ejus judicii, quod conſcientia appellatur, & ubi hæc non eſt, ibi non eſt conſcientia.

3. Sententia de ſe ipſo, quâ homo ſibi ipſi pronunciat & notificat in quo ſtatu ſit coram Deo, an Deum propitium, an inimicum habeat. Hoc enim ex comparatione ſui ipſius cum lege & Euangelio Dei ſine errore concludi poteſt, idque tali argumento: Qui contra legem

Digitized by Google

legem peccavit, & ad Chriſtum non eſt converſus, is Deum habet inimicum. Ego contra legem peccavi, & ad Chriſtum non ſum converſus. Ergò ego Deum inimicum habeo. Vel tali argumento: Qui à peccatis legis ſecundum præſcriptum Euangelii ad Chriſtum converſus eſt, is Deum habet amicum. Ego à peccatis contra legem commiſſis ſecundum præſcriptum Euangelii ad Chriſtum converſus ſum. Ergò ego Deum habeo amicum. Hic eſt ſyllogiſmus conſcientiæ, qui includitur in verbis Pſal. 27. 8. 9.

Hanc ſententiam ſibi ipſi ferre non tantùm licitum, ſed maximè neceſſarium eſt. Neceſſarium enim nobis eſt vel maximè ſcire, quomodo Deus erga nos ſit affectus. Si hoc neſcimus, nec gaudium, nec ſolatium, nec quicquam, quod ad pietatem pertinet, locum in nobis habere poteſt. At ſcire hoc non poſſumus, niſi per tale judicium conſcientiæ, quô ex noſtris affectibus erga Deum concludimus, quomodo Deus ſit affectus erga nos. Hoc reſpectu conſcientia propriè habet nomen judicis 1 Joh. 3. 19. 20. 21. Reſpectu examinationis eſt accuſator, reſpectu agnitionis eſt teſtis, reſpectu ſententiæ eſt judex.

4. Exſequutio ſententiæ in ſe ipſo. Sicut ſententia judicis non tantùm controverſiam determinat, ſed etiam plena eſt auctoritatis, cujus vi perſona condemnata vel abſoluta movetur & diſponitur ad faciendum, quod judicio determinatum eſt: Ita etiam in conſcientiæ judicio tanta eſt vis & auctoritas, ut ſententiâ condemnationis vel abſolutionis ſuper nos latâ omnes facultates noſtræ moveantur ad triſtitiam vel lætitiam, pro ratione ſententiæ, quâ deinde triſtitiâ vel lætitiâ impellimur vel ad ſtatum condemnationis effugiendum, vel ad ſtatum abſolutionis gratè agnoſcendum. Et ſic conſcientia non tantùm eſt judex, verum etiam exſequutor, qui nos facit facere, ad quod per ſententiam conſcientiæ obligamur. Pulſat cor 2 Sam. 24. 10. vincit & conſtringit hominem Actor. 20. verſ. 22. 2 Cor. 5. 14. ulciſcitur & varios motus operatur 2 Cor. 7. v. 11. ut non poſſit non agere, quod conſcientia judicat agendum. Actor. 4. 20. Urit, rodit, mordet eos, quos condemnavit econtra quos abſolvit, eos ſupportat & roborat, reficitque inſtar jugis convivii: Vide Iſai. 66. 24. Marc. 9. 44. Prov. 15. 15. & 18. 14. Et ſic omnia, quæ in religione agimus vel omittimus, ex conſcientia agimus vel omittimus. Hæc fons & primum mobile totius religionis in homine, & quæ opera ex hoc fonte non profluunt, non poſſunt placere Deo. Videmus igitur, quàm neceſſarium ſit, ut homo conſcientiam habeat, & ex conſcientia Deo ſerviat. 1 Tim. 1. 5. Proindè exercitium conſcientiæ nobis ſit quàm commendatiſſimum, ut in nobis ipſis probandis, agnoſcendis, judicandis ſimus ſeduli. Nam ſi hoc facimus, vis hujus conſcientiæ operabitur in nobis, impellet, conſtringet nos, tanquam exſequutor, ut faciamus, quæ conſcientia ex lege & Euangelio nobis injungit. Si conſcientiam non habemus, nullum eſt in nobis calcar, quo ad operandam ſalutem & ho-

Digitized by Google

& honorandum Deo reddamur ſolliciti ac ſeduli. Sicut in urbe, quæ non habet curiam, nulla eſt honeſta & civilis converſatio, ita in homine, qui ſine conſcientia eſt, nulla eſt pietas. *Obj.* Quis eſt qui non habeat conſcientiam? Annon congignitur, annon & impii habent. Tit. 1. 15. *Reſpond.* Non omnes homines habent conſcientiam. Sicut enim ſunt, qui ambulant ſecundum, alii qui contra conſcientiam, ita etiam ſunt, qui ſine conſcientia agunt quicquid agunt, (ſonder achterdocht.) Congenita nobis eſt potentia & facultas conſcientiam faciendi, ſed actualis conſcientia nobis non eſt congenita. Hinc vulgatus eſt loquendi modus, conſcientiam alicujus rei facere, (conſcientie maecken/) & qui non faciunt, dicuntur non habere conſcientiam. Multi enim ſunt, qui ſeipſos non judicant, & proindè conſcientiam non habent. Conſcientia enim eſt judicium de ſeipſo. At quot ſunt homines, qui ſeipſos non judicant, ſed ſine conſideratione & penſitatione factorum agunt quicquid agunt? Sicut multi patresfamilias perpetuò occupati ſunt in ornandis ædibus, comparandis veſtibus, tractandis convivis, curando corpore, ſed obliviſcuntur rationarium in manus ſumere, & ſubducere calculos quid reditus œconomiæ ferre poſſint, & ſic in erogando ſe occupant, donec exhauſto fonte verſuram faciunt: Ita multi in dimetiendis cœlis, perluſtrandis terris, cenſendis aliorum actionibus, curandis mundi negotiis adeò ſunt occupati, ut obliviſcantur in ſe ipſos reflectere, ſeipſos in examen vocare, judicare quid ſit, quod faciant, & quid de ſe tandem futurum ſit. Sic fit, ut totum mundum lucrentur, & ſeipſos perdant, alios cenſent, emendant, reformant, feſtucas ex oculis eorum extrahunt, ſed ſeipſos ſinunt quales ſunt, tum ipſis ſemper eſt curia vacans, nullum ibi exercetur judicium. Nunquam ſunt domi. Diſcamus quæſo, conſcientiam facere, ut nihil agamus, quin ſciamus & judicemus, quid ſit quod agimus. Diſcamus nobiſcum habitare, nos ipſos probare, judicare, alioquin conſcientiam non habemus, ſed ſumus homines, reprobi & perverſi, qui ſeipſos non nôrunt 2 Cor. 13. v. 5. Non debemus eſſe peregrini in proprio ſinu. Pythagoras ſuis diſcipulis conſuluit in aureo carmine, ut ſingulis diebus ſub veſperam ſe examinent, ſe ipſos ſcrutantes & interrogantes: πῆ βαρέβην, τί δ' ἔρεξα, τί δὲ μοὶ δέον οὐκ ἐτελέσθη; Multò magis decet nos obedientes eſſe magno doctori Gentium & monitum ejus conſiderare 1 Cor. 11. 31. O ſi nos judicaremus per propriam conſcientiam, multas lites propriâ determinatione præveniremus, multa quoque judicia Dei à nobis averteremus. Sed quia conſcientiam noſtram patimur ſtare, dormire, vel extra nos perpetuò expatiari, & in aliis judicandis occupari, fit ut ſimus ſine conſcientia, & tùm ita nos gerimus, ut noſmet obnoxios faciamus, judiciis Dei & aliorum hominum. Denuò itaque dico: Diſcite facere conſcientiam, i. e. excitare & uſurpare vim conſcientiæ vobis congenitam ad judicandos vos ipſos. Multi gloriantur de conſcientia, ſed reverâ vivunt ſine conſcientia & ſine ſcruta-

Digitized by Google

tione ac dijudicatione ſui ipſius, currentes inſtar equorum qui aurigam excuſſerunt. Nihil igitur facite, quin nitamini conſcire quid ſit quod facitis.

Actor. 23. v. 1.

CONC. CCXLV.

QUod in civitate eſt horologium publicum, id in homine quovis eſt conſcientia. Sicut enim vi horologii tempus diei hominibus indicatur, ut ſciant menſuram & occaſiones ſuarum actionum, ita conſcientia homini index & judex eſt, ſecundum cujus ductum vitam ſuam inſtituit. Qualis igitur eſt conſcientia hominis, talis eſt vita hominis. Si horologium conſcientiæ eſt benè conſtitutum, bonus erit vitæ curſus, ſin malè illud, hic quoque malus. Sicut enim ex abundantia cordis os loquitur Matth. 12. v. 34. Ita ſecundum indicium & judicium cordis ac conſcientiæ totus homo incedit ac ambulat. Sicut autem horologium non tantùm habet ſuas partes eſſentiales, ex quibus conſtat, ſed etiam accidentales ſuas proprietates, quibus variatur & vel corrumpitur vel rectificatur: Ita & conſcientia hominis habet non ſolùm ſuas intrinſecas & eſſentiales proprietates, ex quibus conſcientia conſtat, ſed habet etiam externas ſuas variationes, quibus interdum bona interdum mala eſt. Sicut horologium non tantùm aliquando motu ſuo caret & quieſcit, nec temporis ullum facit indicium, ut dicamur eſſe ſine horologio, ſed etiam motum malè vel benè facit officium, ut vel fallat, vel rectè d[illegible]at: Ita conſcientia hominis non tantùm aliquando planè quieſcit, (ſtaet ſtille) ut homo ſit ſine conſcientia & ſine judicio ſui ipſius, ſed etiam cùm exercetur, ita variatur, ut aliquando malè judicet, aliquando benè, unde conſcientia in bonam & malam diſtinguitur. Superiori concione eſſentiales proprietates conſcientiæ vidimus, ut ſciamus, quid conſcientia ſit, & quid ad hoc requiratur, ut quis dici poſſit conſcientiam habere. Jam porrò videbimus accidentales conſcientiæ proprietates, per quas conſcientia hominis variatur, & illi, qui conſcientiam habent atque exercent, aliquando bonam, aliquando malam habent conſcientiam.

Ad haſce conquirendas non exiguâ opus eſt indagine, & meritò exclamamus illud Prophetæ Jer. 17. 9.

Ut compendio hanc rem agamus, præcipuè indagabimus, quid ſit conſcientia mala. Hoc enim ubi noverimus, ſpontè intelligemus quid ſit conſcientia bona, & facilè oſtendi poterit, quibus mediis reddi poſſit bona. Sicut autem eſſentiales partes vel proprietates conſcientiæ ſunt quatuor, ita accidentalia conſcientiæ vitia, quæ eam faciunt conſcientiam malam, ſunt quatuor:

I. Prima pars eſſentialis conſcientiæ eſt probatio ſui ipſius per comparationem ſui ipſius cum lege & Euangelio. Hæc pars conſcientiæ corrumpitur & fit mala per ignorantiam & errorem, quô quis legem & Euangelium non intelligit.

II. Secunda pars eſſentialis conſcientiæ eſt agnitio ſui ipſius, quâ quis in-

Digitized by Google

telligit & ſentit, quid in ſe rectum vel pravum ſit. Hæc pars conſcientiæ corrumpitur per duriciem cordis, quâ fit, ut quis ſeipſum & proprias actiones non nôrit, & vitia ſua non ſentiat, nec contra ſeipſum teſtetur nec pro ſe.

III. Tertia pars eſſentialis conſcientiæ eſt ſententia ſupra ſeipſum, quâ quis ſibi ipſi annunciat atque dictitat, quô ſit in ſtatu reſpectu Dei, an Deum amicum an inimicum habeat.

IV. Quarta pars eſſentialis conſcientiæ eſt exſequutio, quâ quis ſecundum ſententiam ſupra ſe latam ſeſe gerit atque habet.

Quadruplex igitur eſt mala conſcientia.

1. Conſcientia cæca & errans in agnitione legis & Euangelii.

2. Conſcientia dura & ἀναίσθητος in agnitione ſui peccati, ut homo de ſe non teſtetur uti decet.

3. Conſcientia fallens in judicando ſuo ſtatu coram Deo. Cùm homo ſecundum teſtimonium conſcientiæ ſeipſum non condemnat vel abſolvit, ſed per intercurrentes exceptiones, prætextus, excuſationes, ſententiam de ſeipſo ſufflaminat.

4. Conſcientia mordens atque rodens per nimium ſenſum iræ divinæ, cùm ſcil. homo poſt latam condemnationis ſententiam ſibi ipſi ſit carnifex, & pœnas de ſeipſo ſumit, negligens media reconciliationis cum Deo. Et ſic mala conſcientia eſt malus ſcrutator, malus teſtis, malus judex, malus exſequutor. Bona verò conſcientia eſt quæ legem & Euangelium ſine errore intelligit, quæ peccata in ſe habitantia & à ſe commiſſa videt, agnoſcit & fatetur, quæ remediis contra peccata ſibi applicatis, ſeipſam à condemnatione abſolvit, quæ denique gaudio ſalutis ſuæ repleta eſt.

I. Conſcientia cæca & errans in doctrina legis & Euangelii eſt mala conſcientia. Talis eſt conſcientia atheorum, qui Deum & animæ immortalitatem negant. Talis eorum, qui præter unum Deum alios ſibi imaginantur, qui in uno Deo SS. Trinitatem perſonarum abnegant, qui SS. Scripturæ veritatem in dubium vocant, qui aliquem articulum Catholicæ & indubitatæ fidei negant, qui aliquod præceptum legis ſolvunt & non neceſſarium judicant, qui legis & Euangelii diſcrimen non intelligunt, qui idololatriam, ſuperſtitionem & ἐθελοθρησκείαν approbant, & fabulis ac præceptis hominum conſcientiam ſuam adſtringunt, qui opinione propriorum meritorum & propriæ ſufficientiæ inflati ſunt. Hi omnes ambulant malâ conſcientiâ. Sunt enim onuſti reatu inobedientiæ contra revelatam veritatem, ignorant quoque jus Dei, & proindè inepti ſunt ad ſeipſos ſecundum jus Dei rectè judicandos. Sicut judex, qui leges & jura civitatis non rectè intelligit, eſt judex malus & perverſus, ita conſcientia, quæ jus legis & Euangelii non rectè intelligit, rectum judicium de homine ferre non poteſt. Sicut oculus cæcus, luſcus, vel alio modo corruptus non eſt idoneus ſcrutator earum rerum, de quibus debet ferre judicium: Ita conſcientia cæca & errans in religione eſt mala conſcientia & judex perverſus in ſinu hominis. Huc perti-

Digitized by Google

net illud Chriſti Matth. 6. 22. 23. Hinc tales vocantur perverſi Tit. 3. 10. 11. Ἀστήρικτοι στρεβλοῦντες τὰς γραφὰς πρὸς τὴν ἰδίαν ἀπώλειαν. 2 Petr. 3. 16. averſi à veritate, in fide non ſani fabulis & præceptis hominum addicti dicuntur, mentem & conſcientiam habere pollutam Tit. 1. 13. 14. 15. vocantur fatui & ſtolidi Gal. 3. 1. Falſa doctrina eſt fermentum quod totam maſſam corrumpit Matth. 16. 6. Unde experientia probat, quod ab hominibus, qui tales conſcientias habent, nihil boni proficiſcatur, ſed ſchiſmata, laniena, cædes, convitia, fraudes, æquivocationes &c. Sumite exemplum à Phariſæis, & ab eo, qui inter illos optimus, ſcil. Paulo ante converſionem. Quamdiu Phariſaicis erroribus imbutus erat, quid aliud erat, quàm conviciator, oppreſſor, calumniator?

Obj. 1. An igitur omnes damnas, qui in religione errant? Si malam conſcientiam habent, utique ſunt damnati. *Reſpond.* Non eſt mihi poteſtas à periculo damnationis abſolvendi illos, qui in erroribus contra legem & Euangelium hærent. Nam contra legem & Euangelium credere æquè peccatum damnabile eſt, ac contra legem & Euangelium facere. Commiſeratio erga tales nobis non deeſt, nec ſpes fore, ut Deus multos eorum ante finem vitæ eouſque ſaltem illuminet agnitione legis & Euangelii, quantum ad humiliationem & fidem in Chriſtum neceſſarium eſt. Interim errores extenuare, & à periculo damnationis abſolvere non eſt noſtrum. *Habent Moſen & Prophetas, hos audiant.* Si non audiunt, ſuâ culpâ cæci ſunt.

Obj. 2. Multi horum in his erroribus quietè vivunt & quietè moriuntur. Ergò non habent malam conſcientiam. *Reſpond.* Tranquillitas non eſt ſignum bonæ conſcientiæ. Nam etiam qui in magnis peccatis vivunt, plerumque quieti ſunt uſque ad mortem. Nec nobis conſtat, quàm quieti ſint multi in hora mortis, qui contra Euangelium propriam juſtitiam ſtabiliunt. Mala conſcientia ad tempus poteſt eſſe tranquilla, & quaſi ſævus canis dormiens, donec divinitùs excitetur, quod aliquando non fit nec in vita nec in morte, fiet tamen in ultimo judicio Apoc. 6. 15. 16. & 20. 12.

Obj. 3. Multi, qui graviſſimis erroribus in religione adhærent, conſcientiosè ſibi cavent à peccatis, & juſtitiæ erga proximum dant operam, ut patet ex exemplo Pauli ante converſionem. Phil. 3. 6. & in hoc noſtro textu. Quomodo igitur poſſunt habere malam conſcientiam? *Reſpond.* Impulſu conſcientiæ, ſeu conſcientiosè facere quod facis, non eſt ſignum bonæ conſcientiæ. Nam multi ex impulſu conſcientiæ malum faciunt. Sic Paulus Actor. 26. 9. Nulla conſcientia eſt tàm mala, niſi planè ſit cauteriata, quin hominem ad aliquid boni impellat. Habet enim lucem naturæ, quam extinguere non poteſt. Vide Herodem, Agrippam, Pilatum, qui quamvis omnes eſſent homines malæ conſcientiæ, tamen vi ſolius conſcientiæ multum boni fecerunt. Qui malam conſcientiam habent coram Deo, poſſunt ſic ſatis honeſtè vivere coram mundo, imò in perverſo ſuo cultu zelo erga Deum poſſunt duci.

Marc. 6.

Digitized by Google

Marc. 6. 20. Matth. 27. v. 18. 19. &c. Actor. 26. 9. Rom. 10. 2. Orthodoxia itaque eſt prima pars bonæ conſcientiæ, cui qui non dant operam, fidem & bonam conſcientiam à ſe repellunt 1 Tim. 1. 19.

II. Conſcientia dura & ἀναίσθητος, quæ homini non largitur teſtimonium an ſit bonus vel malus, eſt mala conſcientia. Conſcientia homini eò fine data eſt, ut cùm malè agit, teſtetur ipſi de malo, cùm bene agit, teſtetur ipſi de bono. Ad accuſandum & excuſandum data eſt Rom. 2. 15. Cùm igitur conſcientia in hoc officio deficit, eſt mala conſcientia. Vide 2 Corinth. 13. v. 5. ubi reprobus & perverſus vocatur, qui ſeipſum non novit. Eſt autem hæc duricies & ἀναισθησία conſcientiæ duplex:

1. Cùm homo malum facit & non ſentit ſe malè facere, non côarguitur à conſcientia de malo. Sunt homines qui vivunt in craſſiſſimis peccatis, quæ ſunt contra communem conſenſum omnium hominum, & omnibus hominibus eo nomine abominationi ſunt, à Miniſtris verbi publicè & privatim reprehenduntur, imò ab ipſo Deo graviſſimè propterea caſtigantur & verberantur, & tamen nullum internum morſum aut ſtimulum conſcientiæ propter peccata ſua ſentiunt non caſtigantur, mordentur, humiliantur à propriis renibus. Hoc illud Ier. 5. 3. *Verberas, ſed non ſentiunt dolorem.* Sentiunt dolores divinorum verberum in corpore, ſed non ſentiunt in conſcientia ſe propter peccata ſua verberari. Cauſæ hujus ἀναισθησίας ſunt multiplices: 1. Callus & duricies naturalis ac congenita. 2. Inflammatio paſſionum & affectuum. Cùm timor ira, odium, gaudium & aliæ paſſiones efferatè inflammatæ ſunt, homo quaſi ebrius eſt, imò mentis inops, facit malum & non ſentit ſe malè facere. 3. Tentationes Diaboli. Sic David ad tempus cribrationi Satanæ permiſſus adulterium & homicidium commiſit, & tamen diu nullo morſu conſcientiæ ſuper his peccatis fuit correptus, donec Deus ipſius conſcientiam excitavit per Prophetam. 4. Conſuetudo peccandi, quæ conſcientiam planè vaſtat, & quaſi cauterio reſecat, ut nunquam contra hominem inſurgat, & teſtimonium contra ipſum ferat, vel ipſum coarguat 1 Timoth. 4. 2. Eph. 4. 19. qui cædibus, adulteriis, rapinis, oppreſſionibus, &c. adſuefit, is ſine morſu, & refragatione conſcientiæ talia patrat, ridetque illos, qui ſimilia patrare reformidant. Hæc certè mala conſcientia.

2. Cum homo bonum facit, & non ſentit, ſe benè facere. Secundum naturam humanam eſt, ut qui malè faciunt, teſtimonio conſcientiæ de malo verberentur, & contriſtentur, qui bonum faciunt, teſtimonio conſcientiæ exhilarentur. Prov. 15. 15. Et tamen experientia probat, quod ſint homines, qui benè, & ſecundum præſcriptum legis & Euangelii ſine hypocriſi vitam ſuam inſtituunt, & tamen à conſcientiâ ſuâ non poſſunt impetrare hoc teſtimonium, quòd ſint ſinceri, & boni Chriſtiani. Semper ſe ipſos ſuſpectos habent, imò bonum opus, quod Spiritus S. in ipſis operatus eſt, con-

demnant tanquam hypocriticum & non ſincerum. Hæc eſt mala conſcientia, quæ bene viventibus teſtimonium bonum denegat. Hoc tamen ſciendum, quod tales conſcientiæ non ſint in ſeipſis malæ, & perverſæ (nam qui bonus eſt, non poteſt habere conſcientiam à ſe ipſa malam) ſed tamen impediuntur per cauſas extrinſecas, ut non poſſint ſuo clienti præſtare illud bonum teſtimonium, quod ei debent. Non oritur hæc ἀναισθησία, (**ongevoelighept**) ex internâ perverſione, & corruptione conſcientiæ, ſed ex melancholia & pravis humoribus & vaporibus corporis, qui conſcientiam impediunt, ne poſſit bonum teſtimonium dare bene agentibus. Sicut Sol, in ſe ſemper æquè clarus, per nubes & nebulas aliquandò impeditur, ut lucem nobis & refectionem neceſſariam præbere non poſſit, ita conſcientia in ſe bona per melancholiam & intemperiem corporis ſæpe impeditur, ut non poſſit ſuo fungi officio, nec bonum ac lætum teſtimonium dare benè agentibus. Hinc tales conſcientiæ juvari & ſanari debent, non tantùm per ſpirituale ſolatium verbi, ſed etiam per pharmaca corporalia. Nam & hæc aliquid poſſunt ad cor hominis exhilarandum Pſal. 104. 15. Eſt hæc mala conſcientia, non tam quia eſt damnabilis & lethalis, quàm quia eſt oneroſa. Quæ bajulator & fulcrum eſſe debebat hominem portans ac ſuſtentans, fit onus quod portandum eſt homini.

III. Conſcientia fallens & negligens in judicio abſolutionis vel condemnationis eſt mala conſcientia. Cum homines ſunt extra inflammationem affectuum, & extra tentationes Satanæ plerique eorum non ſunt adeò duri, & ἀναίσθητοι, quin ſentiant malum & bonum quod faciunt. Verùm cum ex hoc ſenſu & teſtimonio conſcientiæ conclusionem trahere, & de ſe ipſis ſententiam ferre debent, an Deum amicum, an inimicum habeant, hîc iterum deficit conſcientia in officio, & in ferendâ hâc ſententia vel nimis levis, vel nimis difficilis eſt. Et ex hoc defectu iterum duplex mala conſcientia exiſtit.

1. Conſcientia laxa, indulgens, parcens, & excuſans plus quam par eſt. Ex judice fit advocatus, peccâſſe ſe ſentiens peccata excuſat, extenuat, palliat, petens prætextum à miſericordia Dei, à communi conſuetudine, bonâ intentione, pœnitentia non ſana, & ſic abſolvit, quem condemnare debebat. Multi homines probè ſciunt ſe in gravibus peccatis vivere, & fatentur quoque, ac ſentiunt ſtimulos conſcientiæ, & tamen ſe ipſos non condemnant, ſed ſe ipſos abſolvunt. Unde hoc fit? quia agnitionem & ſenſum peccati ſuffocant per excogitatam ſpeciem juris, in qua inventatione cor hominis adeo fœcundum eſt, & in iis, quos inventavit, prætextibus adeò ſibi placet, ut ſuum judicium præferat legibus & vinculis ſtatutis communi conſenſu eorum, quibus jus Dei & ejus diſpenſatio commiſſa eſt. Deſpicit conſcientias Prophetarum, non curat offenſiones proximi ſed abutitur libertate Chriſtiana. Tales dicuntur ſeducere proprium cor, ſeu propriam conſcientiam Iacob. 1. v. 22. 26. facitque talis con-

Digitized by Google

conſcientia, ut homo ſit ſegnis atque negligens in operatione ſalutis.

2. Conſcientia rigida, ſevera, ſcrupuloſa, condemnans quos debebat abſolvere, ultra vires ſe ipſum gravans. Sic multi homines Chriſtianam libertatem ſibi adimunt in uſu rerum adiaphorarum ſine cauſa, ligant ſibi ipſis onera non neceſſaria, in rebus levibus ſe ipſos condemnant, de mento, cumino & fœniculo decimas ſolvunt. Hi ſunt qui nimis ſunt juſti, Eccleſ. 7. 16. ſemper pleni dubitationibus & ſcrupulis & ſingularibus opinionibus indulgentes de jure Dei, & in ſingularibus ſuis opinionibus adeò confidentes, ut non reformident pacem Reipublicæ & Eccleſiæ turbare, ut aliis ſuas ſingulares opiniones obtrudere poſſint. Hæc quoque mala conſcientia. Conſcientia, quæ verè bona eſt, eſt inſtar æquilibrii in lance, quæ non ſinit hominem propendere ultra mediocritatem inter bonum & malum, ſed facit ut nec injuſtus ſit, nec nimis juſtus & naſutulus. Non eſt quidem hæc peſſima ſpecies malæ conſcientiæ, ſed tamen in hoc genere plurimi inveniuntur hypocritæ, ſimiles iis de quibus Matth. 23. v. 22. 23.

IV. Conſcientia immoderata in exſequutione eſt mala conſcientia. Poſtquam homo per errores, duritiem, & *ἀναισθησίαν*, nec non per ſeductiones conſcientiæ ſibi ipſi in peccatis contra legem & Euangelium indulſit, atque in illis vixit, tandem à Deo conſcientia ejus aperitur inſtar libri, & tùm agnitio ac ſenſus peccatorum, in quibus ſibi indulſit, adeò inclareſcit, ut homo nullis prætextibus & excuſationibus ſeipſum retinere poſſit, quin ſententiam condemnationis ſuper ſe ipſum pronunciet, & tùm conſcientia ſecundum ſententiam propriæ condemnationis hominem percellit tanto terrore, ut ipſi ſit inſtar crudeliſſimi carnificis, inſtar furentis urſi ac leonis, inſtar vermis rodentis ac mordentis, ac inſtar inexſtinguibilis ignis. Rarò quidẽ hæc conſcientiæ apertura & efferatio incipit in hac vita, ſed tamen certò certius eſt, quòd poſt hanc vitam continget omnibus, qui per inculpatum ſanguinem J. C. non ſunt purgati ab operibus malæ conſcientiæ. Teſtatur enim os veritatis, quòd tales *ejiciendi ſint in externas tenebras, ubi non eſt niſi fletus & ſtridor dentium, ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exſtinguitur*. Marc. 9. v. 44.

En habes quid ſit conſcientia mala, ex quibus, quid ſit conſcientia bona, ſponte facilè colligis, ſcil. quæ legem & Euangelium in Scriptura revelatum ſine errore intelligit, quæ à callo effrænis malitiæ eouſque liberata eſt, ut cum formidine & pudore ſentiat malum, quod facit, & cum gaudio & delectatione ſentiat ſi quid boni facit, quæ non dat operam peccata, quæ ſe ſentit committere, juſtificandi, palliandique prætextibus & excuſationibus, ſed illa humiliter fatetur ac condemnat & deteſtatur, quæ vi ſpiritualis cujuſdam ſuperbiæ & naſutulæ ſingularitatis non cupit ſeſe extendere ſupra menſuram regulæ, & Chriſtianam libertatem coarctare ac circumcidere, quæ denique pœnitentem peccatorem non præcipitat

Digitized by Google

tat in deſperationem, ſed per fidem in ſanguinem Chriſti cor fractum ſuſtentat.

Latius hæc omnia poſſent deduci, & dictis atque exemplis Scripturæ ſingula confirmari, & ad particulares conſcientiæ caſus applicari, ſed non eſt nobis animus univerſam Theologiam ſub hunc unum titulum corradere, ſed tantùm generalem aliquam ſciagraphiam, ſuccinctam & popularem conſcientiæ deſcriptionem vobis exhibere, ut diſcatis curam habere conſcientiæ, ut nec ſine conſcientia ambuletis in mundo, nec ſub intolerabili jugo malæ conſcientiæ incedatis.

Object. At quî poſſibile eſt, bonam habere conſcientiam? Naturâ omnes habemus conſcientiam malam. Si ignorantia, error in doctrina legis & Euangelii, ſi dubitationes de jure Dei, ſi gravitas & ſuffocatia tentatio cordis, ſi prætextus, excuſationes peccatorum, ſeductiones proprii cordis, ſi ſpiritualis ſuperbia in propriis opinionibus, ſi denique nimius rigor in condemnando & exſequendo conſcientiam reddit malam, quis ab his omnibus ſe poteſt reddere immunem, ut habeat conſcientiam bonam; quis æquilibrium in lance juris divini ita poteſt tangere, ut nec nimis laxam, nec nimis ſtrictam habeat conſcientiam? *Reſp.* Nemo ſibi ipſi poteſt facere bonam conſcientiam, ſed conſcientia debet mundari per Chriſti ſanguinem & ſpiritum. Nec ullius conſcientia in hac vita redditur perfectè bona, ſed optimorum conſcientiæ ſunt infirmæ conſcientiæ, quæ tentantur erroribus, dubitationibus, ſeductionibus & variis defectibus. Interim tamen Deus nobis præſcripſit media, quibus quis infallibiliter poteſt obtinere conſcientiam eouſque bonam, ut ſufficiat ad ſalutem. Quæ illa media?

Reſp. 1. Lege & meditare Scripturam. Ex hac lux conſcientiæ, ut fiat lucida quæ erat cœca.

2. Utere manuductione Miniſterii Eccleſiaſtici legitimè à Deo vocati, & ex Scriptura doctrinam ſuam demonſtrantis. Hoc enim æquè à Deo inſtitutum ac ipſa Scriptura, & qui hujus manuductionem contemnit, Chriſtum ipſum & Scripturam contemnit. Non eſt Miniſterium Eccleſiaſticum à Chriſto inſtitutum, ut dominetur veſtræ fidei, quæ ſunt partes Scripturæ, quas malè ad ſe rapit Clerus Romanus, ſed tamen non eſt fruſtrà inſtitutum, ſed ut manuducat veſtram fidem Actor. 8. v. 31. Hanc manuductionem qui negligit & contemnit, medium obtinendi bonam conſcientiam contemnit. Cùm vos hortamur, ne vos more Papiſtarum, cœcâ obedientiâ ſubmittatis Clero, non ideò hortamur, ut auctoritatem, inſpectionem & manuductionem S.S. Miniſterii contemnatis. Qui Scripturam dedit, idem & Miniſterium inſtituit.

3. Agnoſce & deplora ac fatere Deo propriam cœcitatem, injuſtitiam, impotentiam & pronitatem ad errores, precare illuminationem & ductum Spiritus S., idque cum ſincero propoſito & voto agnitam veritatem transferendi ad praxin pietatis.

4. Crede toto corde, ſanguinem fi-

lii

lii Dei, qui ſe per æternum Spiritum Deo inculpatum obtulit, conſcientiam tuam purgaturum à mortuis operibus, ut Deo vivo ſervire acceptabiliter poſſis. Si ſic facis, non potes carere bonâ conſcientiâ. *Si quis enim vult facere voluntatem Domini, is agnoſcet doctrinam Chriſti, quòd ex Deo ſit,* Iohan. 7. 17. Si ſecundum legem & teſtimonium incedimus, auroram videbimus Eſa. 8. Si ſecundum hanc regulam incedimus, pax nobis erit & illuminatio Gal. 6. 6. Si ſincerè cupimus agnitionem veritatis transferre ad praxin pietatis erga Deum & proximum, agnoſcemus quòd ſimus in veritate, & corda noſtra coram ipſo certificabimus, & ſi quando cor noſtrum inclinabit ad nos propter infirmitates noſtras condemnandos, Deus plus erit quàm noſtrum cor, & novit omnia, novit & teſtabitur per Spiritum ſuum cum ſpiritu noſtro, nos eſſe ejus filios 1 Ioh. 3. 19. &c. Quæritur inter nos & Papiſtas, quodnam ſit tutum & infallibile medium obtinendi bonam conſcientiam, tùm ratione doctrinæ, tùm ratione vitæ? Reſpondent illi, quòd unicum medium ſit, ſi credas & facias, quod jubet Romanus Clerus vel Romana Eccleſia. Si hoc facies, tutus es, & ſacrificulus animam ſuam pignori dabit quòd ſalvaberis. Judicate voſmet, an non tutiora ſint media, quæ nos vobis præſcribimus.

Actor. 23. *v.* 2. 3. 4. 5.

CONC. CCXLVI.

EUangelium eſt Sol, præcones Euangelii ſunt Luna. Sicut enim Luna non niſi Solis luce coruſcat, ita ſola pura annunciatio Euangelii eſt gloria præconis. Sicut autem Luna Soli poteſt eclipſes faceſſere, ita præcones Euangelio. Patet ex ſuperioribus ſeculis in Papatu, quibus Sol Euangelii præconum vitiis adeò obſcuratus fuit, ut fuerit inſtar *ſacci crinitii*, ut loquitur Scriptura Apoc. 6. 12. Poſſunt hoc efficere tribus modis; cùm

1. Per falſam doctrinam obſcurant ſplendorem Euangelii.

2. Per impiam vitam impediunt vim Euangelii.

3. Per imprudentiam Euangelii curſui remoram ponunt. Sicut enim omnes pii, cum ſinceritate columbina non jungentes prudentiam ſerpentinam, & ſibi ipſis pietatem reddunt gravem præter neceſſitatem, & proximo non poſſunt eſſe utiles: Ita præcipuè qui ad Eccleſiam docendam vocati ſunt, non tantùm debent eſſe orthodoxi in doctrina, & pii ac ſinceri in vita, ſed etiam prudentes conſilio, apti ad Eccleſiam regendam, & avertenda pericula contentionum atque ſchiſmatum.

Sicut autem Petrus Paulo exhibet teſtimonium prudentiæ & ſapientiæ. 2 Petr. 3. 15. Ita in hoc capite diverſa exempla hujus prudentiæ in Paulo nobis exhibentur.

Confrontationem inter Paulum & Senatum Judaicum Claudius Lyſias inſtituit extra caſtellum, de qua quatuor capita cœpimus notare: 1. Alloquium Pauli ad Senatum, quô de ſerenitate conſcientiæ ſuæ gloriatur. 2. Inhumanam Pauli exceptionem in

Digitized by Google

Senatu; cum concertatione quadam ſuper illa. 3. Sanctum ſtratagema, quo Paulus adverſarios ſuos prudenter inter ſe colliſit. 4. Reductionem Pauli in caſtellum. Vidimus partem primam, ſequitur ſecunda, in qua habes

1. Mandatum Pontificis de Paulo percutiendo.

2. Invectivam Pauli contra Pontificem.

3. Reprehenſionem hujus invectivæ à circumſtantibus.

4. Excuſationem vel correctionem ejuſdem à Paulo.

I. Paulum de bona conſcientia gloriantem jubet Pontifex Ananias à circumſtantibus, ſcil. lictoribus, percuti in os, ſeu os ejus percuti. 1. Non diſquiram hîc quis ille Ananias, & quomodo locum ſummi Sacerdotis obtinuerit, quomodove Lucas cum Joſepho conciliandus ſit, qui in hæc tempora aliûs nominis Pontificem videtur collocare. Sacerdotalis dignitas iſto tempore erat venalis, & modò hic, modò alius, modò plures ſimul eam obtinebant. 2. Hoc obſervandum, quòd Senatus & Paulus hîc non conveniunt ut judex & reus, ſed ut duæ partes litigantes coram judice Claudio, ut patet ex verſu ultimo cap. præced. Non igitur ex poteſtate judiciali hîc percutitur Paulus, ſed ex intemperie & impotentia animi, quâ carnalis Pontifex malitiam ſuam erga adverſarium ſuum effundit in facie judicis Romani. 3. Sed quare ita exaſperatur per gloriationem Pauli de bona conſcientia? Alii putant quod lætitiam vultus, quæ per vocem *ἀτενίσας* exprimitur v. 1. ferre non potuerit, ſicut Actor. 6. 15. Alii, quòd offenderit eum compellatio minus reverens, & non niſi fratrum titulum habens, nec patres & dominos appellitans. Sed ſufficit dicere, quòd odium & invidia tanta in ipſo fuerit, ut viſum & alloquium adverſarii ſuſtinere non potuerit. Præcipuè tamen hoc conſiderandum, quòd hoſtes veræ religionis nullâ re magis exacerbantur, quàm cùm confeſſores veritatis bonæ conſcientiæ vident ſtudere, & de pietate vitæ poſſe gloriari. Fulgor probæ vitæ irritat hoſtes veritatis contra confeſſores veritatis, nec magis ægrè hoſtibus facimus, quàm cùm juxta doctrinam veritatis, quam profitemur, piè vivimus. Quia enim nos propter veritatem oderunt, animum levant calumniarum vomitu. Ubi verò non inveniunt quod calumnientur, ira eorum fit furor & in plagas ac perſequutionem erumpit. Vide Ioh. 8. 46. cum 48. Invidia irritatur non tantùm felicitate ſed & pietate. *Virtutis comes invidia* 1 Pet. 4. 4. Sic Eſa. 59. 15. *qui à malo diſcedit, prædam facit ſeipſum.* i. e. irritat impios contra ſe. Habac. 1. 13. *Impius illum devorat, qui ipſo juſtior eſt.* Vide 1 Ioh. 3. 12. 2 Timoth. 3. 12. Sicut enim ovis vel agnus non poteſt tutò viverè inter lupos: ita pius inter impios eſt in periculo prædationis Eſa. 59. v. 15. *Object.* Atqui conſcientioſa converſatio non irritat impios, ſed lucrifacit 1 Pet. 2. 12. 1 Petr. 3. 16. qui locus præcipuè huc quadrat. *Reſp.* Lucrifacit per Dei gratiam, ſed ſine hac exacerbat. Sicut verbum impiis eſt odor mortis ad mortem, & lex peccatum irritat, ut fiat

Digitized by Google

fiat καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς Rom. 7.13. niſi ſcil. per operationem Spiritus S. in electis fiat odor vitæ ad vitam: Ita etiam bona exempla conſcientioſæ converſationis impios potius irritant, quàm convertunt, niſi Deus illos virtute ſui ſpiritus per bona exempla noſtræ vitæ convertat, ut patet ex 1 Corinth. 7. v. 16. Quî ſcis? Poteſt fieri, ut Deus per tuam bonam converſationem convertat. 4. Cur autem os ejus verberari jubet potiùs quàm aliam partem corporis? *Reſp.* Alapæ ſunt premium eorum, qui veritatem loquuntur. Quos enim audire impii nolunt, eorum os pugnis obturare ſatagunt 1 Reg.22.24. Ierem.20. v.2. Marc.14.65. Iohan.19.3. & 18.22. Diſcamus nos ex hac periodo:

1. In contentionibus & litibus cum aliis moderatis uti affectibus. Quàm turpis eſt intemperies & impotentia hujus Pontificis, quòd coram judice politico litigans à pugnis abſtinere non poteſt! Optandum foret ſine litibus & ſine contentionibus vivere in mundo, quòd Chriſtiani quærunt, quantum poſſibile eſt Rom.12.18. in tantum ut in rebus minùs gravibus malint injuriam pati quàm litigare 1 Cor. 6.7. Sed ſi tamen aliquando ad lites judiciales neceſſariò veniendum eſt, rationaliter ſaltem agamus, & moderatis affectibus. Annon differentia eſt, inter litigare & pugnare vel convitiari? annon poſſumus præeſſe noſtro juri ſine injuriis, convitiis, pugnis? Phil.4. v.5. Prov.13.3. Pſal.39.2.3. Sic in contentionibus Eccleſiaſticis 2 Timoth.2. v. 24.25. & in œconomicis quoque, Epheſ.6.4. & 9. Si ſuperioribus, quibus tamen permiſſa eſt juſta ſeveritas erga inferiores, & prohibita lentitudo & indulgentia, injungitur manſuetudini affectuum dare operam erga inferiores, quid non injunctum æqualibus in æquales?

2. Ne peregrinum nobis accidat ſi propter bonam conſcientiam vapulemus. Contigit hoc Paulo. Applica illud 1 Petr.2.19. Dei oſcula experietur, qui hominum alapas conſcientiæ causâ non ſubterfugit.

II. Contra hoc mandatum Pontificis vehementi oratione ac reprehenſione Paulus invehitur, in qua 1. Pontificem murum dealbatum, i. e. hypocritam appellitat. 2. Judicium Dei ipſi minatur, ſcil. judicium talionis. 3. Argumento mandatum ejus reprehendit, ex Scriptura deſumpto. Increpat, **hy ſchelt hem voor een Hypocrijt.** Maledicit, **hy vloeckt hem/** Redarguit, **hy beſtraft ſijne gebeynſtheyt.**

1. Increpatio vel objurgatio Pontificis eſt: *paries dealbate.* Hoc nomen ipſi dat propter hypocriſin, ſicut Chriſtus Matth.23. v.27. Sicut enim lutei parietes intus ſunt merus pulvis, extus tamen calce vel auro obducti ſplendent atque nitent: ita hypocritæ, extus habent ſpeciem pietatis, intus cum peccato colludunt, illudque amant ac faciunt, quoties poſſunt ſine animadverſione hominum. Triplici calce ſe ſolent oblinire hypocritæ: 1. Calce externi cultûs, ut ſint ſeduli in uſu verbi, ſacramentorum, precum. 2. Calce humanarum ceremoniarum & inven-

Digitized by Google

tionum. Extendunt ſe ultra regulam, longas preces, multa jejunia, proprias caſtigationes, ſingulares abſtinentias inſtituunt, & omnia ferè illicita putant, quæ triſtitiam non ſapiunt. 3. In aliorum vitiis cenſendis oculati & rigidi ſunt, ut ne feſtucam quidem in fratris oculo poſſint ferre, omnes præ ſe contemnunt & pro impiis habent, & perpetuis querelis de aliorum impietate os habent repletum. Caveamus hanc affectatam pietatis ſpeciem. Demus præcipuè operam ſinceritati cordis, & in externis nos non extendamus ultra regulam, nec ſimus acriores in judicandis aliis, quàm nobis ipſis. Nam & ipſa hæc externa pietatis ſpecies, & fundatum ſuper ea ſolatium non eſt niſi calx & tectorium inſulſum vel ineptum, Ezechiel. 13.10.11.

2. Additur, quòd ſpeciem imprecationis habet: *Deus te percutiet*. Poteſt ſumi, tùm ut imprecatio, quod Paulus agnoſcit verſ. 5. & ſimile quid facit 2 Timoth. 4. 14. vel ut comminatio & denunciatio pœnæ, & quidem pœnæ talionis. *Quæritur* quomodo hoc conveniat cum lectione Chriſti de injuriis patienter ferendis Matth. 5. 38. 39. *Reſp.* Chriſtus loquitur de vindicta privata, non autem de vindicta Prophetica & judiciali. Prophetæ & judices ipſius Dei loco pœnam & vindictam exercent Actor. 5. v. 3. 4. &c. Actor. 13. 10. 11. Rom. 13. 3. Si imprecatio vel maledictio eſt in hac Pauli invectiva, tùm Paulus ſpiritu Prophetico huic hypocritæ maledixit. Præſertim etiam ſciendum, quod privatæ vindictæ interdictum non adimit nobis licentiam aliorum erga nos injurias deteſtandi, reprehendendi & ob oculos ponendi auctorum ſine ira & odio perſonæ. Et hoc ſenſu probabilius ſumitur hæc invectiva, ſcil. ut juſta reprehenſio injuriantis, quæ ut omnibus licita eſt, ita præcipuè præconibus verbi, etiam erga illos, qui ſunt in auctoritate conſtituti, ut patet ex exemplis Nathanis erga Davidem, Eliæ erga Achabum, Moyſis erga Pharaonem, Baptiſtæ erga Herodem, &c. quamvis in modo reprehendendi reſpectus perſonarum debeat habere locum, ut patebit poſtea.

3. Demonſtrat Paulus hypocriſin Pontificis hoc arugmento: *Sedes me judicans ſecundum legem, & legem tranſgrediens me verberari jubes?* Similis ferè argumentatio habetur Rom. 2. 23. Legem tranſgredi, & ſecundum legem judicare Paulus ponit ut duo contraria, ut intelligamus, non poſſe eſſe legitimos & juſtos judices, qui ipſi legem ſervare non ſtudent. Non eſt probabile, eum, qui ipſemet legis ſervandæ ſtudioſus non eſt, juſtum & legitimum judicium erga alios exerciturum. Atenim quam legem tranſgreditur Pontifex dum Paulum verberari jubet? *Reſp.* Legem de non puniendo ante cognitionem cauſæ, Deut. 25. 1. 2. Atenim an Paulus Judaicos Prælatos, cum quibus Romanus Præfectus ipſum confrontabat, agnoſcebat pro legitimis & competentibus ſuis judicibus? Non; ſciebat enim hoſtes ſuos eſſe, quorum judicium declinavit Actor. 25. 9. 10. Paulus hîc non reſpicit, quid Prælatis Judæorum competat, ſed quid ſibi

Digitized by Google

ſibi arrogent. Obſervent hanc argumentationem omnes judices. Qui ipſi impurâ & illegitimâ vitâ ſeſe legis contemptores declarant, qui poſſunt haberi pro juſtis aliorum judicibus? Tales igitur pietatem & juſtam vitam hoc argumento ſibi habeant commendatam. Non eſt ſincerus legis cuſtos, qui exlegem ſatagit ducere vitam. Qui ſecundum legem vivere detrectat, ſecundum legem regere difficulter creditur. Notetur etiam hoc loco judicium & pœna talionis. Quia me contra legem verberâſti, Deus te verberabit: *Quâ menſura menſus fueris, eadem remetietur tibi.* Matth. 7. 2. *Vti ego feci, ita mihi retribuit Dominus*, inquit Adonibezeck. Jud. 1. v. 5. Deſine, inquit pater, quem filius impius crinibus uſque ad limen ædium traxerat, nam huc uſque & meum patrem crinibus traxi. Hanc convenientiam pœnæ & peccati Deus obſervat, ut in his veſtigiis obſervemus Dei juſtitiam, dicentes: hic eſt digitus Dei.

III. Hanc invectivam Pauli contra Pontificem carpunt circumſtantes: An tu convitiaris Pontificem Dei? Judico hanc quæſtionem Paulo motam ab iis Judæis, qui fideles facti in Chriſtum, tamen erant zelotæ legis, Actor. 21. 20. Adeoque Pontificem Judaicum, ut à Deo inſtitutum, venerabantur, nec auctoritatem ejus poſt adventum Chriſti, Pontificis veri, abrogatam credebant. Hi Paulo aurem vellicant, & ſe hac convitiatione Pontificis offenſos & ſcandalizatos queruntur. Hoc facilè concluditur ex mitigatione invectivæ, quæ ſubjungitur, quam non fecit in gratiam hoſtium, ſed in gratiam infirmorum, quos & fratres appellat. Hoc ſi obſervamus, facilior erit explicatio difficultatis, quæ verſu ſequenti movebitur. Intereà obſervemus, quàm difficilis fuerit ſtatus Pauli. Judæi hoſtes ejus erant. Ethnici non nôrant ipſum, adeoque non ſic in illum erant affecti, ut inde protectio exſpectanda. Chriſtiani, à quibus auxilium exſpectare ſolis poterat, ipſi non confidunt, ſed offenduntur, uſi Chriſtianæ libertatis, & ſuſpicantur, quòd apoſtaſiam doceat à Môſe. Sic ab hoſtibus & ab amicis deſtitutus. Similis caſus ſi nobis obveniat, ſimilem exitum Deo & Spiritui ejus confidamus. Interim Jeſuitarum nugæ non prætereundæ. Si, inquiunt, Paulus tantoperè admonitus fuit venerari Pontificem legalem & abrogatum, quantò magis venerandus Pontifex Romanus & Catholicus? Quaſi verò hæc quæſtio, quæ eſt v. 4. habenda ſit pro legitima admonitione, & non potius pro illegitima offenſione & ſcandalo accepto ex juſta libertate Pauli. Aut quaſi Pontifex Romanus plus apud Chriſtianos valere debeat, quàm abrogatus Pontifex Judaicus. Quô jure ſe appellat Pontificem Dei in N. T. quod Sacerdotes nullos præter Chriſtum agnoſcit, multò minus dominantes ſacerdotes. Summum ſacerdotem eſſe in N. T. ſoli Chriſto competit, & qui homo hunc titulum ſibi tribuit, blaſphemiæ reus eſt, & verus Anti-Chriſtus.

IV. Paulus, audito Chriſtianorum ſcandalo, ex libertate ejus accepto, cedit, & ſe accommodat infirmitati fratrum, & invectivam ſuam excuſat,

Digitized by Google

prætextu ignorantiæ. Non noveram, inquit, perſonam, contra quam adeò invectus ſum, eſſe Pontificem. Scriptum enim eſt. Principem populi non convitiaberis. q. d. Nam ſi ſciviſſem, quòd eſſet Pontifex, in reprehenſione mea melius me accommodâſſem præcepto Dei, quod eſt Exod. 22. 28. & majori cum reſpectu ipſum alloquutus eſſem. Hìc jam quæſtio incidit, quæ multum eruditos exercuit, quo ſenſu Paulus dicat, ſe neſciviſſe, quòd is, quem reprehendebat, ſit Pontifex? Sunt, qui putant, Paulum hoc non potuiſſe ignorare ex veſtitu, ex ordine conſeſſus, & ſi vel maximè neſciviſſet eſſe Pontificem, ſciviſſe tamen, quod eſſet ſuus judex v. 3. quem etiam non debuiſſet convitiari, vi textûs Exod. 22. 28. adeoque putant ironicè locutum, q. d. ô fratres, an ego hunc hominem poteram ſecundum legem venerari ut Pontificem, cùm ſciam functionem ejus poſt adventum Chriſti eſſe abrogatam, & cùm ſe non ita gerat, ut ex moribus eum potuerim agnoſcere. Unde ego poteram ſcire Pontificem eſſe, qui tàm impiè ſe contra me gerebat? Vide de hoc multa congeſta apud Cornelium à Lapide in hunc locum, & apud Willetum Anglum comment. in Exod. 22. 28. Sed hæc expoſitio nobis videtur nimis dura & coacta, & nec textui nec ſinceritati Pauli conveniens. Dicimus igitur Paulum verè ignorâſſe quòd Ananias eſſet Pontifex, & ſincerè proteſtari, ſe, ſi ſciviſſet eſſe Pontificem, in gratiam infirmorum fratrum, clementius ipſum fuiſſe tractaturum, & majori cum reſpectu reprehenſurum, utpote poſt Regem ſummam apud Judæos auctoritatem gerentem. Paulus non peccaverat contra legem, dum hypocritam Prælatum auctoritate Apoſtolicâ tàm acriter increpat. Sciebat enim ſibi officio fidelis doctoris fungendum æquè circa magnos ac circa parvos, ſciebat quoque Pontificis auctoritatem poſt Chriſtum nullam eſſe legitimam. Attamen hoc fatetur, ſe, ſi ſciviſſet eſſe Pontificem Judaicum, in gratiam Judæorum, qui ad Chriſtum converſi ex infirmitate ritus Judaicos & ſacerdotales plus æquo adhuc venerabantur, infirmitati fratrum ſeſe plus accommodaturum, & legi iſti Exod. 22. 28. quatenus ut ceremonialis ad Pontificem Judaicum extendi poteſt, magis ſatisfacturum fuiſſe. Hæc ſimplex & incoacta expoſitio hujus loci, ex qua concluſionis loco hanc obſervamus doctrinam, videlicet: Ad vitandum ſcandalum infirmorum moderandum eſſe uſum Chriſtianæ libertatis. Paulus non peccaverat contra legem, quæ eſt Exod. 22. 28. Nam præterquam quod illa lex non vetat neceſſariam parrheſiam SS. miniſterii etiam contra magnates mundi, ſed privatam tantùm irreverentiam, non poterat quoque Apoſtolum poſt adventum Chriſti obligare ad reverentiam erga Pontificis abrogatam auctoritatem. Lex hæc manet ſarta tecta, quatenus moralis eſt, & legitimos populi rectores concernit, præcipitque etiam hodiè omnibus, qui ſub auctoritate magiſtratus conſtituti ſunt, ut eam venerentur, ſed quatenus ceremonialis eſt, & Leviticum Sacerdotium includit, non obligat amplius. Quoniam tamen infirmi Chriſtiani ex

Judaiſmo

Digitized by Google

Judaiſmo converſi, conſcientiâ iſtius legis magno adhuc ſacerdotii reſpectu ducebantur, profitetur Apoſtolus, ſe, ſi ſciviſſet Pontificem eſſe, in gratiam infirmorum, & ad eorum ſcandalum præveniendum, magis reverenter illum tractaturum fuiſſe. Sic & nos libertate noſtra non utamur cum ſcandalo infirmorum, ſed etiam à licitis potius abſtineamus, quàm aliorum conſcientias polluamus vel ſauciemus ac implicemus Rom. 14. 15. 1 Cor. 6. 12. 1 Cor. 8. 8. 9. & 10. 23. 2 Cor. 11. 12. Requirit hoc lex charitatis, per quam nobis non noſtra tantum, ſed & proximi ſalus curæ eſt 1 Cor. 9. 19. 20. &c. Phil. 2. 5. 1 Cor. 10. 24. Si hoc argumentum apud nos valeret, multa omitteremus, quæ facimus. In more eſt hominibus diſputare contra ſuorum paſtorum definitiones, quid licitum vel illicitum ſit, & ſuſtinere licita eſſe, quæ illi condemnant in veſtitu, recreationibus &c. Sed ſi argumenta paſtorum veſtras conſcientias non poſſunt conſtringere, ſaltem amor proximi debebat conſtringere, ut qui putatis ſine pollutione & gravatione propriæ conſcientiæ talia poſſe facere, ideò omittatis, ne alios implicetis, ſeducatis, contriſtetis.

Actor. 23. v. 6. 7. 8. 9 10.

CONC. CCXLVII.

PAulus per Capitaneum Romanum cum Senatu Judaico confrontatus ſub initium ſtatim expertus eſt, nullam ſibi fore occaſionem vel ſeſe legitimè defendendi, vel veritatem Euangelii propagandi. Romanus enim miles nulli alii rei dabat operam, quam ut aliquid expiſcaretur, propter quod Paulum in gratiam Judæorum è medio tollere cum aliquâ juſtitiæ ſpecie poſſet. Senatus Judaicus invidiâ & furore adeò erat repletus, ut collationem ſtatim inciperent à verberibus & violentia. Chriſtiani, qui Paulò adſtabant, Paulum habebant ſuſpectum, quod ſacerdotem non ſatis reverenter tractans, ſacerdotium Leviticum, à Moſe inſtitutum, contemneret. In his difficultatibus Paulus conſtitutus, & undique circumſeptus, per prudens ſtratagema viam ſibi aperit elabendi. Habes hic: 1. Ipſum ſtratagema, quo Paulus uſus eſt. 2. Stratagematis ſucceſſum.

Ipſum ſtratagema eſt, quòd Phariſæos & Sadducæos, qui in necem Pauli conſpiraverant, inter ſe diviſit vel contra ſe invicem exacerbavit, proferens & producens diſſenſum in doctrina, quô inter ſe erant diviſi, & in illo diſſenſu alteri parti ſe adjungens. Erat quidem conſpiratio inter Pauli adverſarios Judæos, ſed non erat concordia & unitas. Qui enim contra Paulum conſpiraverant, ſe invicem propter diverſitatem doctrinæ oderant. Hoc odium, quod inter ipſos erat, Paulus ſufflavit, vel potius artificioſè detexit, ut illis inter ſe colliſis ipſe ſalvus evaderet. Non ſeruit lites & diſcordiam inter eos, ſed diſcordiâ, quæ inter ipſos erat, uſus eſt ad ſe defendendum. *Serere & facere diſſidia peccatum eſt.* Rom. 16. 17. Sed uti impiorum diſſidiis ad ſolvendam eorum impiam conſpirationem contra Eccleſiam & veritatem, eſt Chri-

Digitized by Google

Chriſtiana prudentia. Hoc Deus ipſe facit. Deus non infundit hominibus diſcordiam, nec excitat lites & diſſidia. Poſtquam enim homines per peccatum amiſerunt Spiritum S. natura omnes ſunt ad diſſidia proni, & ſe invicem oderunt Tit. 3. 3. Sed tamen Deus utitur hac diſcordiâ hominum, & hoc odio ad frangendam eorum conſpirationem in malo. Sic in ædificatione turris Babel Gen. 11. 7. Sic Deus hoſtes in Eccleſiæ perniciem conſpirantes ſæpè diviſit, ut in propria viſcera gladios converterent, Iſai. 19. 2. Sic Chriſtus per adventum ſuum dicitur homines inter ſe diviſiſſe Matth. 10. v. 35. Sic ſectæ & diſſidia, quæ ſunt in Eccleſia Chriſtiana adſcribuntur providentiæ & conſilio Dei, 1 Cor. 11. 19. Hoc non dicitur, quia Deus eſt autor diſſidiorum, ſed quia utitur diſcordiâ & naturali odio, quod homines erga ſe invicem gerunt, ad ſuam gloriam & Eccleſiæ bonum, & ad conſervationem veritatis, vel etiam ad punienda hominum peccata. Etſi enim homines omnes naturâ ſe mutuò oderunt, & carent amore atque concordiâ verâ, tamen facilè conſpirant in malo, & per impiam amicitiam hoſtilitatem exercent contra Eccleſiam & Dei gloriam. Hanc impiam conſpirationem & amicitiam ut Deus frangat, Satanæ permittit, ut homines contra ſe invicem exacerbet Judic. 9. 23. 24. vel ipſe quoque tales objicit occaſiones, queîs novit ſuo vitio abuſuros ad mutuam exacerbationem. Zach. 8. 10. Sic Euangelium eſt occaſio diſſidiorum, non ſuo, nec Dei, ſed hominum vitio. Luc. 12. 51. 52. 53. Sic Paulus hoc loco non fecit diſſidium, ſed uſus eſt diſſidio ad impiam conſpirationem hoſtium frangendam. Didicerat hoc Paulus ex hiſtoria, quæ eſt Matth. 22. 34. Gaudebant Phariſæi, quòd Sadducæi à Chriſto eſſent confuſi. Hoc igitur imitatur. Hoc etiamnum licet ſtratagemate uti contra hoſtes Domini. Qui hoſtes ſunt veritatis, non ſunt inter ſe veri amici, ſed multis odiis inter ſe diſcrepant. Attamen quantumvis diſcordes, facilè conſpirant contra Chriſtum, ſicut Herodes & Pilatus. Hanc conſpirationem ſolvere per artificioſum uſum diſſidiorum, quæ ſunt inter ipſos non eſt illicitum, ſed hoc ſenſu juſta eſt regula politica: Divide & impera. Verùm hoc exemplo non eſt abutendum, ut ejus prætextu diſcordias faciamus, & foveamus inter fratres contra veritatem Rom. 16. 17. vel ad ſolvendam pacem & retardandam reconciliationem eorum, inter quos debet eſſe vera unitas & concordia, cum ſint unius veritatis profeſſores, Eccleſiæ membra, Dei filii ac domeſtici. Nihil igitur in hoc exemplo excuſationis eſt pro iis, qui lites ſerunt inter cives & membra Eccleſiæ, per delationes & inſtigationes. His inculcetur illud Matth. 5. 9. Gal. 5. v. 20. Veritatis aſſerendæ & propagandæ causâ diſſidii occaſionem dare non eſt illicitum. Etſi enim veritatem & pacem ſequi utrumque mandatur Zach. 8. 19. Tamen ſine veritate pax inutilis, & ad veritatem obtinendam pax ſæpè ſolvenda eſt. Obtentâ autem veritate vinculum pacis ſtudioſè cuſtodiendum.

Materia diſſidii, ſeu capita doctrinæ, in quibus diſſentiebant & contra

Digitized by Google

ſeinvicem diviſi erant Phariſæi & Sadducæi, ſunt de animarum & angelorum immortalitate, nec non de reſurrectione corporum & ſpe vitæ æternæ. Phariſæi & Sadducæi erant duæ ſectæ in Synagoga Judaicâ, ſententiis & odiis ſciſſæ. Præcipua diſſenſio erat circa duo capita, ſcil. de immortalitate animarum & angelorum, itemque de reſurrectione & vita æterna, Phariſæis utrumque confitentibus, Sadducæis utrumque negantibus. Diſſentiebant quoque circa principium religionis, Phariſæis Scripturis traditiones addentibus, Sadducæis ſolas Scripturas pro regula credendi agnoſcentibus. Etſi enim ſunt, qui putant eos ſolum Pentateuchum admiſiſſe, tamen Joſephus videtur totius Scripturæ lectionem iis adſcribere. Sicut etiam Petrus contra illos diſputat ex Pſalmis Davidis Actor. 4. v. 2. cum 11. Quod ſi autem totam Scripturam V. T. receperunt, quî potuerunt dubitare de angelis, de quibus tàm clara in V. T. teſtimonia extant? Reſpondent itaque docti, eos non ſimpliciter negaſſe animas & angelos, ſed tantùm immortalitatem & æternitatem illorum, adeoque totius creaturæ, totiuſque hominis durationem negaſſe, ſed per mortem omnia interire putaſſe, nec poſt hanc vitam aliam eſſe ſperandam, ſed totum virtutis ac pietatis premium in hac vita reportari. Miſera profectò & deteſtabilis religio, Scripturæ, experientiæ & pietati contraria. Etſi enim V. T. obſcurius de his articulis teſtatur, certum tamen eſt, patres in vita poſt hanc vitam ſalutem ſuam quæſiviſſe. Hebr. 11. 13. 14. Experientia quoque teſtatur, pietatem in his terris non recipere dignum premium, ſed potius perſequutionem. 1 Cor. 15. v. 19. Quis cupiet eſſe pius, ſi poſt mortem nulla vita reſtat? Imò quis non optet ſe nunquam natum, aut beſtiam potiùs quàm hominem factum eſſe? Utinam inter Chriſtianos nulli eſſent Sadducæi!

Hoc diſſidium Phariſæorum & Sadducæorum Paulus non ignorans prudenter eo utitur, & Sadducæos apud Phariſæos accuſat, quòd à Sadducæis proſequutionem patiatur ob doctrinam quam habeat cum Phariſæis communem, ſcil. ob ſpem vitæ æternæ, & ob reſurrectionem mortuorum, nec non immortalitatem angelorum & animarum. Ego, inquit, ſum Phariſæus, Phariſæi filius, adeoque in doctrina Phariſæorum conſtans profeſſor, & ob eam à Pontifice Sadducæo percutior. Atqui Paulus non erat Phariſæus, ſed Chriſtianus, Phariſæorum hoſtis æquè ac Sadducæorum? *Reſpond.* Hoc tacet Paulus, & illud tantùm profert, in quo verè cum Phariſæis contra Sadducæos conſentiebat. Conſentiebat cum Phariſæis, quòd eſſet immortalitas & reſurrectio, ſed quibus mediis ea obtineri poſſet, in eo diſſentiebat. Attamen hunc diſſenſum tacet. Non opus eſt totam veritatem ſemper dicere, ſed vel totam tacere licet, vel partem ſaltem, cùm confeſſio non eſt neceſſaria. Vide exempla Exod. 5. 1. Jer. 38. v. 26. 27. Matth. 26. 63. At enim, quod hoc ſtratagema Pauli differt ab æquivocationibus & reſervationibus Jeſuiticis & Anabaptiſticis? Quid ab abnegatione Petri, & eorum ſimulationibus & diſſimula-

Digitized by Google

mulationibus, qui externis idololatrarum ceremoniis ſe conformant, ut perſequutionem effugiant? *Reſpond.* Non negaverim ſimulationis & diſſimulationis quandam ſpeciem eſſe in hoc ſtratagemate Pauli, ſed omnes ſimulationes ac diſſimulationes, ſive verbis ſive factis fiant, illicitas non eſſe ajo, ſed eas demum,

. Cùm ipſa verba atque facta, ipſique geſtus, quibus aliquid ſimulamus, ſunt in ſeipſis geſtus & actiones turpes, illicitæ & inhoneſtæ, vel verba apertè mendacia. e. g. Cùm David ſeipſum ſtultum ſimulat 1 Sam. 21. 13. cùm dicit ſe à Rege miſſum negotii expediendi causâ, ibidem v. 2. Sic cùm Petrus expreſſè dicit & jurat, ſe non noviſſe Chriſtum, cùm quis coram idolo in genua procidit, ut perſequutionem effugiat. Talia enim verba atque facta non ſunt ſimulatio abnegationis, ſed pars abnegationis & idololatriæ. Sic qui à legitima poteſtate interrogati, & ad confitendam veritatem obligati verba dant interrogationi conſentanea, ſed in mente reſervant ſenſum, verborum interrogationi diſſentaneum. Hoc non eſt tacere partem veritatis, ſed menti ac veritati contrarium mendacium, & provenit ab intentione fallendi.

.. Cùm per ſimulationes non tantum intendimus alicui dare occaſionem aliquid putandi quod non eſt, ſed etjam intendimus deceptum injuſtè defraudare, & damno injuſto afficere, quô pertinent omnes defraudationes per duplicem ulnam, menſuram &c. item illud filiorum Jacobi Gen. 34. 15. 16. ubi non ſolum eſt mendacium, ſed etiam intentio injuſtè occidendi. Si hæc vitia abſint à ſimulationibus, ſi verba ſimulantium non ſunt veritati contraria, ſi facta atque geſtus in ſeipſis non ſunt turpes & inhoneſti, ſi intentio ſimulationis eſt juſta, ſimulatio non eſt illicita, ut patet ex Joſuæ 8. 15. Marc. 6. 48. Luc. 24. 28. Simus igitur non nimis faciles in uſurpandis ſtratagematibus & ſimulationibus, caventes, ne loco ſerpentinæ innoxiæ prudentiæ arripiamus Diabolicam calliditatem & aſtutiam integritati Chriſtianæ repugnantem.

Reſtant duo hujus hiſtoriæ capita:

1. Succeſſus ſtratagematis. verſ. 7. 8. 9.

2. Reductio Pauli ex Senatu in Caſtellum, v. 10.

In utroque capite nihil eſt, quod prolixa immoratione indigeat. In primo narratur, quod Phariſæi, auditâ Pauli confeſſione in capitibus doctrinæ, in quibus à Sadducæis diſſentiebant,

1. Patrocinium ipſius contra Sadducæos ſuſceperint, idque magno clamore & magnâ contentione: ſurgebant & contendebant vehementer.

2. Doctrinam ejus de Chriſto, ob quam captus erat, extenuaverint, vel excuſaverint. Cùm Sadducæi objicerent, an diſcipuli Chriſti patrocinium ſuſciperent, reſpondent, ſi vel angelus vel ſpiritus aliquis Dei nomine aliquid de Chriſto loquutus ſit, quòd ei non velint contradicere, ne contra Deum pugnent. Angelus vel ſpiritus, inquiunt, i. e. angelus vel anima aliqua defunctorum. Sic ſimul Sadducæorum

ictum

Digitized by Google

ictum declinant, & Sadducæos ſimul pungunt mentione angelorum ac animarum ſuperſtitum, quod ipſi non credebant. Vox θεομαχεῖν explicationem & applicationem meretur, ſed habuimus eam Actor. 5. 39. Diſcamus hinc quantum poſſit amor atque ſtudium propriæ ſectæ. Etſi hoſtis erat, qui iſtam doctrinam confitebatur, tamen quia doctrina iſtius ſectæ erat, defendenda erat. Cum homines in ſectas & factiones ſciſſi ſunt, non amore atque indagine veritatis aguntur, ſed ſtudio defendendi propriam ſectam. Non quia verum eſt, ſed quia Lutheranum vel Romano-Catholicum eſt aliquod dogma, ideò creditur & defenditur. Ne imitemini. Ne credite noſtram doctrinam, quia eſt doctrina ejus Eccleſiæ, in qua nati & cui addicti eſtis; ſed examinate an cum verbo Dei conſentiat. In his Phariſæis habemus exemplum perverſæ ſimulationis. Pauli doctrinam de Chriſto ex animo oderant ac perſequebantur, & reverâ contra Deum pugnabant, & tamen ne cæteris ſuis hoſtibus cedere videantur, & ſectæ ſuæ aliquod præjudicium creent, extenuant Pauli doctrinam de Chriſto, & dicunt poſſe fieri, ut eam ab aliquo angelo vel ſpiritu cœleſti didicerit.

In ſecundo capite narratur, quod Paulus ex periculoſa concertatione Phariſæorum & Sadducæorum per Romanum militem ereptus & in caſtellum reductus ſit. Non liberatus eſt Paulus, ſed tamen levatus. Nunquam ex hac captivitate liber videtur factus ante mortem, attamen ſæpè levationem aliquam periculi & refectionem amicam expertus eſt. Sic fideles, dum in terris vivunt, nunquam à miſeria fiunt immunes. Attamen ſublevationes & conſolationes accipiunt. Nunquam ſatis benè, ſed tamen non ſemper æquè malè habent. Pſal. 103. 9. Pſal. 30. 6. Iſai. 57. 16. 2 Cor. 1. 5.

Actor. 23. v. 11. ad 23.

Conc. CCXLVIII.

Qui propè mare habitant, vel in mari navigant, nunquam ſunt immunes à periculis inundationis & ſubmerſionis: attamen hoc habent contra pericula maris ſolatii, quod mare ipſum, ſuis mutationibus ac viciſſitudinibus obnoxium terris navibuſque non ſemper æquè graviter incumbit. *Nulla enim procella maris ſunt perpetua, ſed poſt aliquot dierum durationem deſinunt,* Pſal. 107. 29. *inter fluctus & fluctus planicies intercurrit,* Job. 26. 12. *& naturalis æſtus reciprocatione litoribus conceduntur induciæ, ut intumeſcentia maris ſemper ſit ſub ſpeciali dominio providentiæ*, Pſal. 89. v. 10.

Eodem modo ſeſe res habet cum fidelibus in terra. In terris enim eſt oceanus crucis, qui fidelibus ſemper minatur, ut nunquam ſint extra periculum crucis. Attamen Deus ita dominatur huic mari crucis, ut habeat tales viciſſitudines & fiſſuras, per quas in mediis periculis à perditione fideles liberantur, ſaltem ita cuſtodiuntur, ut abſorberi ſalus ipſorum non poſſit. Exemplum egregium hujus ſingularis providentiæ divinæ ſuper crucem fidelium habemus in

Digitized by Google

in diuturna illa captivitate Pauli, in quam incidit, poſtquam ſingulari impulſu Spiritus S. ex tertio ſuo itinere Hieroſolymam eſt regreſſus. Vidimus in hac hiſtoria, quomodo ſeditioſi Judæi Paulum adorti ſint in templo, & cœperint percutere, ut occiderent. Sed deſiit hæc procella, & Paulus ex ſeditioſis manibus in cuſtodiam Romani Chiliarchæ receptus eſt. In hac ipſa cuſtodia populus illum voluit lapidibus obruere, ſtantem in ſcalis caſtelli, Chiliarcha equuleo torquere, Prælati Judaici diſcerpere. Sed & hæ procellæ deſævierunt, Pauluſque in cuſtodiam caſtelli reductus eſt. Veruntamen non ideò deſiit periculum, ſed ex manu & cuſtodia militari traductus eſt in poteſtatem judicis civilis, donec tandem Romam ad ipſius cæſaris tribunal captivus miſſus eſt.

In hoc novo periculo habes ſequentia:

1. Divinam Pauli præparationem ad hoc novum periculum v. 11.

2. Occaſionem, hujus traductionis Pauli ex militari captivitate in civilem v. 12. ad 23.

3. Ipſam traductionem Pauli à Chiliarcha ad Præſidem v. 23. ad finem capitis.

4. Diverſi caſus variaque pericula, quæ Paulo ſub duobus Romanis Præſidibus obvenerunt, donec Romam ad Cæſarem miſſus eſt cap. 24. 25. & 26.

I. Deus Paulum ad nova pericula præparat per nocturnam viſionem. Sicut Chriſtum in paſſionibus ſuis roboravit & ſolatus eſt per angelum Luc. 22. 33. Ita Paulum quoque per angelicam alloquutionem, ut patet ex comparatione Actor. 27. 23. Paulus ex periculo in periculum hactenus inciderat, nec vel ipſe finem periculorum videbat, vel reverâ finem pericula ejus habebant, ſed nova inſtabant. Fuiſſet ſanè ultra vires humanæ fragilitatis in tanta periculorum confluentia non contabeſcere. Ideò Deus intercurrit hoc extraordinario ſolatio per angelum. Hoc perpetuum Dei beneficium omnibus fidelibus paratum, ſcil. quòd Deus continuationi crucis intercurrit per interpoſitionem ſolatii. Sic Paulo poſtea bis factum idem Actor. 27. 23. 2 Tim. 4. 17. & ſic omnibus fidelibus tales datæ ſunt promiſſiones, Iſai. 57. 16. 1 Cor. 10. 13. 2 Cor. 1. 4. 5. 6. 7. Quid autem angelus facit Paulo? Hortatur ut ſit bono animo, Matth. 9. 2. Joh. 16. 33. Joh. 1. 9. Sed an ea de cauſa angelus ex cœlo mittitur, ut dicat, confide Paule: potuiſſet hoc dicere quivis puer? Si roborare Deus Paulum per hunc angelum voluit, ſaltem aliquid aliud facere potuiſſet, ut ait Naaman 2 Reg. 5. v. 11. *Reſpond.* Verbum hortationis, Dei nomine, & per Dei miſſionem ad nos delatum, non eſt ſimplex hortatio, ſed efficax roboratio. Verba ac rationes ſine Deo multum poſſunt, ut patet ex hiſtoriis bellorum, ubi legimus Imperatores orationibus adeò animâſſe milites, ut fortiter pugnaverint & vicerint. Sed ad ſpiritualem fiduciam generandam verba ſine Deo nihil valent. Verba autem, quæ Deus ad nos loquitur, ſive per angelos ſive per homines, efficaciter roborant animas. Verbo Deus mundum creavit. Pſal. 33. verſ. 9.

Digitized by Google

verſ. 9. Verbo. Chriſtus morbos ſanavit Matth. 8. 8. Pſal. 107. 20. Verbo mortuos excitat Iohan. 5. 25. & 11. 43. Marc. 7. 34. Annon verbo poſſet roborare animas? *Object.* At nobis verbum non mittitur per angelos, ſed homines ſunt, qui nobis loquuntur. Quid illi nos roborent, qui æquè timidi & debiles ſunt atque nos? *Reſp.* Eminentia vel infirmitas inſtrumenti nihil confert vel derogat divinæ operationi. Cùm Deus non vult operari per verbum, nihil proderit, ſi vel per angelum proferatur. Cùm vult operari, nihil derogat ejus efficaciæ verbi vel Sacramenti tenuitas. Vide Luc. 16. 34. Sed qualis illa ratio conſolationis: Confide. Nam etiam Romæ tibi teſtandum de me. Annon hoc perinde eſt, ac ſi dicat: Confide, nam captivitas tua nondum eſt finita, ſed quod hîc pateris etiam Romæ patieris. Quid autem hoc ſolatii ſecum fert? Præſertim cùm nullam addat promiſſionem ut Joſuæ 1. 9. Sed ſimpliciter revelat plura eſſe facienda & patienda. *Reſp.* Pro iis, qui Deum diligunt, ſatis hîc eſt ſolatii. Duplex enim eſt argumentum conſolationis in his verbis, idque tale, quod impiis quidem conſolandis nihil prodeſt, ſed multum piis.

1. Prius argumentum petitur à divino conſilio: *Oportet te teſtari Romæ.* Deus decrevit & vult. Nihil lubentius faciunt fideles, quàm ſervire Deo & conſilio ejus. *Servus tuus ſum, ſervus tuus ſum, Domine,* Pſal. 116. 16. erat gaudium Davidis. Per ſuam manum Dei conſilium proſperatum erat in ſolatium Chriſti Eſa. 53. 10. Cùm digni judicantur, qui pro Chriſti nomine aliquid patiantur, ſolatium eſt Apoſtolorum. Actor. 5. 41. Voluntatem Dei facere Chriſto erat cibus & potus Ioh. 4. 34. Jam autem Paulo indicatur, conſilium Dei determinâſſe, ut per calamitatem Hieroſolymitanam non conſumatur uſque ad mortem, ſed ſervetur in vivis, ut etiam Romæ conſilio Dei ſervire poſſit. Hoc magnum Paulo ſolatium, qui nihil libentius faciebat, quàm ſervire Deo & conſilio ejus. Quod propter conſilium Dei oportet fieri, fideles lubenter faciunt & patiuntur. Sciunt enim conſilium Dei ſemper juſtum, ſanctum & piis ſalutare eſſe.

2. Poſterius argumentum petitur à natura rei quam Romæ facturus erat: Teſtaberis Romæ res Chriſti, ſicut Hieroſolymæ teſtatus es. τὰ περὶ ἐμοῦ μαρτυρήσαι, i. e. nomen meum portabis coram Gentibus, loqueris quæ ad regnum meum propagandum pertinent, annunciabis meam nativitatem, paſſionem, mortem, reſurrectionem, &c. & in ipſa Romani Imperii ſede fundamenta Eccleſiæ ponens. Nihil lubentius faciunt fideles quàm Dei gloriam annunciare & Eccleſiam Dei ædificare, conſcientiiſque hominum revelare odorem agnitionis Chriſti, unde & ſæpè mortem deprecantur, ut hoc poſſint efficere. Pſal. 6. 5. 6. Pſal. 118. 17. Pſal. 80. v. 19. Ad hoc autem Paulus vocabatur hac viſione, ut ſcil. inter Ethnicos nomen Chriſti porrò manifeſtaret. Et quod gratius ſolatium Paulo potuiſſet adferri? Vide Actor. 20. v. 24. & 21. 13. Philip. 2. 17.

His argumentis nos quoque movea-

Digitized by Google

mur, ut lubenter maneamus in vita, cum vita hæc non niſi calamitates & perſequutiones ſecum trahit. Sciamus quod tædium vitæ & vocationis noſtræ ferentes ſerviamus conſilio Dei, faciamus ejus voluntatem. Homines carnales, cùm non ſemper in mundo ſunt encœnia, nuptiæ & gaudia, tædio vitæ corripiuntur & optant mori, nec aliud ſolatium admittunt, quàm ſi narres futurum ut redeant tempora carnalis gaudii. Pii quoque cùm gravi & continua cruce à Domino exercentur, tædium vitæ concipiunt & optant mori 1 Reg. 19. 4. vel non eſſe nati Iob. 3. v. 1. 2. 3. Sed revocantur ad quietum animum, cum ipſis ſuggeritur, quòd ad crucem ferendam à Chriſto vocati ſint, quòd ſerviant conſilio Dei, quòd faciant voluntatem Dei, quòd nomen Chriſti manifeſtent, Eccleſiam ædificent. Sciunt enim in eo ſuam gloriam eſſe. 1 Petr. 2. 9.

Object. Hoc quidem illos ſolatur, qui magna dona & eminentem à Deo vocationem nacti ſunt, ut poſſint aliquid conferre ad gloriam Dei & ædificationem Eccleſiæ. Sed quid hoc ad me, qui ſum ſenex & debilis, illiteratus, quid ego poſſum conferre ad propagandum regnum Chriſti? *Reſpond.* Si Deus ex ore infantium ſibi novit præparare laudem Pſal. 8. 3. an neſcimus Deum in noſtra infirmitate potentem eſſe? 2 Corinth. 12. 9. Si nihil aliud potes contribuere ad ædificationem aliorum, & gloriam Dei, hoc ſaltem age, ut Deo des teſtimonium apud adſtantes, quòd in omni tua vita ipſum inveneris juſtum, veracem & fidelem, & ut exemplo tuo aliis commendes converſionem ad Deum & patientiam in cruce. Si hoc facis, multum facis. Nam nihil magis ad ædificationem aliorum conducit, quàm quod ex infirmitate profluit. Simus igitur bono animo, quamdiu ad gloriam Domini & ædificationem Eccleſiæ aliquid patimur. Si nondum vides finem miſeriæ, ſis bono animo. Sicut enim antea, ita & porrò Chriſtum magnificabis patiendo. Vide Philip. 1. 20. At enim quid eſt eſſe bono animo, & confidere? Non eſt confidentem eſſe in ſeipſo & ſine fundamento, ſine cura, ſicut multi contemnunt pericula, & ſibi invicem acclamant, ſis bono animo. Chriſtiana confidentia profluit ex ſenſu & agnitione periculi, & removet cauſam periculi, ſcil. iram Dei per ſeriam pœnitentiam & converſionem, & tum recumbit in gratiam & potentiam Dei, merita Chriſti, promiſſiones verbi. Hoc eſt confidere.

II. Sequitur occaſio, per quam factum, ut Paulus ex cuſtodia Chiliarchæ Hieroſolymitani tranſveheretur in cuſtodiam Præſidis, Cæſareæ habitantis, qui non ſolùm in Judæa, ſed totius Syriæ Præſes, & Imperatoris Vicarius erat. Hæc occaſio fuit inſidiatio quorundam conjuratorum ad Paulum occidendum, ſi Hieroſolymis maneret. De hac inſidiatione habes duo in textu: 1. Quomodo præparata ac inſtituta. 2. Quomodo detecta ſit. Præparatio harum inſidiarum habet duas partes:

1. Plus quàm quadraginta Judæi conſpirant & conjurant, ſe nec cibo nec

Digitized by Google

nec potu uſuros, antequam Paulum occidiſſent.

2. Ut hunc finem obtineant, Sacerdotibus & Senioribus conjurationem ſuam indicant, & ab iis petunt, ut à Chiliarcha impetrent iteratam deductionem Pauli ex caſtello in Senatum Judaicum, ut in hac deductione conſilium ſuum exequi poſſint.

Duo hîc explicanda:

1. De conſpirationibus & conjurationibus in genere, an ullo in caſu licitæ ſint.

2. De particularibus vitiis hujus conjurationis.

Conſpirationes, ſeu confœderationes & conjurationes aliquando licitas eſſe patet ex Deut. 29.12. 2 Reg. 23.3. 2 Chron. 15.12. Nehem. 10.29. i.e. vovebant pietatem cum imprecatione iræ divinæ contra ſe ipſos, ſi votum rumperent. Hæc ſancta & juſta conjuratio. Etſi enim mandato & beneficiis Dei ſatis obligati ſumus ad pietatem, gratum tamen Deo, ut propriis votis noſmet obligemus. Sic etiam injuſtè condemnatur, cùm pii in rebus particularibus ſeſe confœderant ad malum aliquod cavendum vel eradicandum, vel ad ſe mutuò defendendos, 1 Sam. 22.8. 2 Reg. 11.14. Amos 7. v. 10. Hæ quoque confœderationes licitæ ſunt, ſi modò liberæ ſint & immunes ab illis vitiis, quæ ſunt in hac conjuratione.

Quænam illa vitia hujus conſpirationis?

1. Quòd privati conſpirant ad rem politicam, quæ non eſt niſi in manu Magiſtratus. In rebus mere ſpiritualibus & Eccleſiaſticis vota privata habent ſuum uſum, ſed hi Judæi conſpirant, ut ſupplicium Pauli ex manu Magiſtratus eripiant, & in privatum homicidium convertant. Hæc eſt ſeditio & rebellio contra Magiſtratum, qualis erat Abſolomi & Adoniæ 2 Sam. 15. v. 10. 1 Reg. 1.5. In rebus politicis & ad officium Magiſtratûs ſpectantibus nullæ poſſunt fieri legitimæ confœderationes & conjurationes, ſine manuductione Magiſtratus. Nec juvat, quòd Sacerdotibus rem revelârunt, & cum eorum conſenſu egerunt. Sacerdotum enim conſilium non excuſat, ſi ſit lege Dei notoriè contrarium. Non debemus conſiliis Sacerdotum cæcam obedientiam ſine comparatione eorum cum verbo Dei. Verbum noſtra regula, non labia Sacerdotis. Conſilia à Paſtoribus noſtris petenda ſunt, ſed & conſilia eorum ad verbum examinanda ſunt, ut patet in exemplo Beroënſium Actor. 17. Ne putent Pontificii ſuas perſecutiones contra Euangelium coram Deo excuſatas eſſe, quia de conſilio Sacerdotum peractæ ſunt.

2. Quod conſpirant & conjurant in rem malam, ſcil. in internecionem viri inſontis, ad minimum nullâ legitimâ auctoritate condemnati. Satis naturâ proni ſumus ad malum, ſatis per exempla & inſtigationes mundi ad malum provocamur, quanta quæſo impietas eſt, conjurationibus & imprecationibus ſe ad malum faciendum obligare? Caveamus conjurationes & conſpirationes contra Eccleſiam & veritatem, contra legitimos Magiſtratus, contra juſtitiam atque homines inno-

Digitized by Google

xios. Vide Pſalm.2.v.2.3. Pſal. 3.v.2.

3. Quod conſpirant & conjurant ad rem quæ non erat in eorum manu. Nimium fidunt ſuæ aſtutiæ, putantes Paulum facilè miſſum iri ex caſtello in ſenatum, ut euntem poſſint intercipere & occidere. Sed temeritas eſt vovere quod non eſt in tua manu. Magnus abuſus juramenti, jurare te facturum quod non eſt penes te. Hoc eſt nomen Domini temerè aſſumere, & peccare contra illud Iacobi 4.13.14.15. Talis erat imprecatio Jeſabelis 1 Reg. 19. 2. & Benhadadi 1 Reg. 20.10. Vide 2 Reg. 6.31.

4. Quod mendacio utuntur & falſitatem in auxilium vocant v. 15.20. 21. ne crede ipſis, mentiuntur enim. Stratagemata licita non ſunt ſine aliqua deceptione & fraude, ſed tamen ſunt ſine mendacio & injuſtitia, ut dictum in v. 6.

Diſcamus hinc

1. Non leves eſſe & faciles in imprecationibus contra nos ipſos. Creberrimum inter nos vitium. Multa nobis invicem teſtamur & promittimus, ſed experientiâ ſæpius falſi parum nobis invicem credimus. Hinc juramenta & imprecationes: Deus me puniat, Diabolus abripiat. Cùm coarguimur hoc vel illud mali feciſſe, quàm proni ſumus ad imprecationes contra nos ipſos, ſicut Petrus Matth. 26.74. ut perjurio evadamus opprobrium mundi. Cùm aliorum beneficia volumus obtinere, quantis cum imprecationibus nos ſolemus obligare ad gratitudinem & compenſationem! Quæ non juramenta & imprecationes, & quàm ſæpè temerariæ inveniuntur in contractibus matrimonii, commerciorum! Imò annon vides homines ſæpè juramentis ſe obligare, quòd nunquam velint proximo remittere ſuos lapſus? Ne ſimus tàm faciles ad juramenta & imprecationes. Merita noſtrorum peccatorum nos ſatis obligant ad pœnas & judicia Dei, nec opus eſt noſtris imprecationibus noſmet magis obligemus. Hoc verè eſt Deum irritare contra nos, ut non poſſit non punire. Vide quàm benè Judæis ceſſerit illa imprecatio, quæ eſt Matth. 27.25. Deſuefacite os veſtrum à levibus iſtis imprecationibus contra vos & alios. Qui cum juramentis ludunt, de anima & ſalute ſua ludunt.

2. Diſcamus tamen in iis quæ vovimus, conſtantes eſſe, & vota noſtra exſolvere. Habemus ſuper nobis vota, ſæpè fœdus noſtrum fecimus & renovavimus cum Eccleſia, venimus in juramentum Nehem. 10. 29. & juravimus nos legem Dei ſervaturos, ut David Pſal. 119. 106. Hoc aggravat noſtra peccata contra legem Dei, quæ facimus. Sunt enim nunc non tantùm inobedientia, ingratitudo, pertinacia, ſed & perjurium ac perfidia. Obligant nos Dei mandata, ut ſimus obedientes, obligant beneficia tùm creationis tùm redemptionis ut ſimus grati, obligant judicia & plagæ, ut cedamus, ſed præcipuè nos obligant propria promiſſa & juramenta, quæ fecimus Deo in uſu baptiſmi, Cœnæ, diebus jejunii, tempore morbi & anguſtiarum. Si poſt has promiſſiones iterum nobis ſcientes & volentes in uno atq; altero peccato indulge-

Digitized by Google

indulgemus, quid aliud quàm perjuri ſimus? *Labia noſtra contra nos teſtantur*, Iob. 15. 6. Vide Prov. 20.25. Eccleſiaſtes 5.4. Pſal. 66.13.14. Utinam hoc conſiderarent, qui hiſce diebus licentiæ ſe effuſuri ſunt in ebrietatem & vanitatem, quomodo hoc conveniat cum tot ſolemnibus votis & juramentis ac obligationibus!

Hactenus præparatio inſidiarum, ſequitur earundem detectio & eluſio. Pauli nepos ex ſorore inſidias audit, & Paulo avunculo indicat. Paulus à Centurione quodam obtinet, ut juvenis deducatur ad Chiliarcham, qui humaniter ipſum audit, & revelatum ſibi ſecretum alios celare jubet. Ubi & quo pacto ille juvenis inſidias iſtas reſciverit, non additur. Extra dubium eſt, providentiam Dei hîc ſe exſeruiſſe, tùm in occaſione reſciſcendi, tùm in flectendo Chiliarcha ad humanitatem & fidem.

Nihil autem eſt in iſta detectione inſidiarum, quod nos obliget ad prolixam immorationem. Duo tamen inde diſcimus:

1. Piis licitum eſſe legitimis mediis ſe liberare ex imminentibus periculis aliiſque moleſtiis. Sic Paulus inſidias detexit, ut illas evaderet curâ Chiliarchæ. Vide 1 Cor. 7. 20. 21. Si non dentur media legitima, ne extendamus manus ad injuſtitiam Pſal. 125. Sed ſi dentur, utendum.

2. Deum levi negotio poſſe detegere & annihilare profundiſſima hominum conſilia & machinationes contra pios. Iob. 5. 12. 13. Pſal. 33, 10. In tenebris multa cuduntur contra nos conſilia, quæ nos perſpicere non poſſumus. Sed oculus Domini vigilat pro nobis. Vide Eſa. 8.10. Magnum in eo ſolatium pro Eccleſia.

Actor. 23. v. 23. ad finem.

CONC. CCXLIX.

Qvicquid *ſcriptum eſt, ad noſtram inſtitutionem ſcriptum eſt*, inquit Paulus Rom. 15.4. & 2 Timoth. 3. 16. ab eodem dicitur, quòd tota, ſive omnis Scriptura ſit utilis ad inſtitutionem, &c. Huic effato Pauli is, qui Scripturam inconſideratè & ſine ſpiritualibus oculis legit, multa poſſit opponere, & inter alia ſequentia tria:

1. In Scriptura multæ ſunt expreſſiones rerum malarum, impudicarum & deteſtandarum. e. g. Cùm Scriptura idololatriam Judæorum comparat cum corporali ſcortatione & adulterio, vel ſpiritualem impuritatem noſtram cum naturali & corporali nativitate, aliquando utitur ejuſmodi expreſſionibus, quibus in vulgaribus colloquiis uti inhoneſtum & ſcandaloſum foret. Ezechiel 16. 4. 7. 25. 26. Et quid hæ expreſſiones faciant ad noſtram inſtitutionem?

2. Omnes illæ orationes trium amicorum Jobi, quibus ipſum hypocriſeos arguunt, & ad veram converſionem hortantur, ſunt magna pars S. Scripturæ, & tamen non tantùm à Jobo falſitatis ac impietatis arguuntur ſed etiam à Deo ipſo hoc teſtimonium reportant, quòd non rectè de Deo loquantur Iob. 42. 7. Si tanta pars Scri-

Digitized by Google

pturæ non rectè loquitur de Deo, quid faciat ad noſtram inſtitutionem?

3. Multæ in Scripturâ annotantur factorum circumſtantiæ, multa humana ac civilia complementa, quæ nihil aut parum videntur conferre poſſe ad ædificationem. e. g. In hoc noſtro textu nihil videtur occurrere, niſi quod ad formam Romanæ militiæ, nec non ad civilia Romanorum complementa & judicia pertinet.

Quid igitur ad inſtitutionem Chriſtianorum ex cathedra Eccleſiaſtica facere poſſit?

Ad haſce tres difficultates ſequentia reſpondeo:

1. Ad primum de expreſſionibus Scripturæ, quæ impudicitiam ſapere videntur, non eſt in illis ulla ratio offendiculi. Deus enim per has expreſſiones turpitudinem peccati nobis vult ob oculos ponere, ut ad deteſtationem & abominationem peccati nos adigat. Qui nos vult ad vitationem peccati adigere, oſtendere nobis debet duo mala, quæ ſunt in peccatis: 1. Noxam peccati. Si enim intelligimus peccatum eſſe noxium venenum, peſtem, cancrum, lepram, fermentum, quod totum hominem corrumpit, & quòd terribiles pœnas in tergo gerit, formidinem peccati concipimus. 2. Turpitudinem peccati. Cùm enim hanc probè perſpicimus, pudore & nauſeâ peccati corripimur, ut abominemur & deteſtemur. Quò pacto autem Deus nobis turpitudinem peccati melius poſſit imprimere, quàm per figuras corporalis impudicitiæ, à qua omnes homines abhorrent, quibus eſt mens honeſta & luce naturæ non deſtituta, in tantum, ut & mentionem earum ſine offenſione aurium & ſine ſummo pudore non ſuſtineant? Quod ejuſmodi expreſſiones in humanis colloquiis licitæ non ſunt, & tamen à Scriptura uſurpantur, mirum non eſt. Humana enim colloquia, cum ſine timore Dei fiunt, facilè corrumpunt bonos mores, multò magis, cùm ſunt de rebus putidis & turpibus. Sed Scriptura eſt verbum Dei, quod eſt ſub magiſterio Spiritus S., & non legi debet ſine timore & invocatione Domini, & proinde nemini poteſt nocere, ſed omnibus ſuis expreſſionibus pio lectori prodeſt ad ſalutem.

2. Ad ſecundum, de orationibus amicorum Jobi reſpondeo:

Quod vel maximè faciat ad noſtram inſtitutionem, cùm Scriptura doctrinam, ex luce naturæ petitam, & doctrinam per Euangelium revelatam inter ſe opponit & comparat. Ex illo enim diſcimus, quòd naturalis hominis intellectus, quantumvis ſanus & perpolitus, non ſufficiat ad miniſtrandam nobis ſalutis viam ſine revelatione Euangelii. Tres iſti amici Jobi erant Ethnici, attamen viri, qui moralem honeſtatem & juſtitiam erga Deum & homines non ſolùm intelligebant, ſed etiam amabant. Erant boni Ethici & Moraliſtæ, ſed cognitionem Euangelii nullam aut exiguam habebant. Ideoque Jobo perpetuò inculcabant hanc maximam, quam lux naturæ approbat atque dictitat, quòd, quem Deus præ aliis graviter punit, is præ aliis gravis peccator ſit, ſicut & diſcipuli Chriſti

Digitized by Google

Chriſti hanc maximam putabant infallibilem. Ioh. 9. 2. Secundum hanc maximam amici Jobi Jobum eò nitebantur adducere, ut ex pœnis ſeu graviſſimis ſuis caſtigationibus agnoſceret ſe non amari à Deo, ſed eſſe hoſtem Dei, qui non eſſet verè juſtus & ſincerus, ſed merus hypocrita, & ut ab hypocryſi ſe converteret ad veram juſtitiam. Job autem, qui etiam quidem erat vir Ethnicus, ſed tamen luce Euangelii colluſtratus, defendit ex doctrina Euangelii hoc thema, quòd Deus etiam illos caſtiget, quos amat, & quòd ex caſtigationibus divinis non debeat concludi, quòd quis ſit Dei hoſtis, ſed qui poſt ſeriam probationem ſui ipſius à conſcientia obtinet hoc teſtimonium, quòd Deum ſincerè amet atque timeat, is in Deum & Chriſtum mediatorem debeat confidere, etiamſi ab illo occidatur, ut eſt cap. 13.15. & 19. 25.26. Etſi igitur orationibus Jobi orationes amicorum redarguuntur, tamen non fruſtrà in Scripturis conſignatæ ſunt, ſed ut ex illis diſcamus, quòuſque naturalis intellectus nos ad agnitionem rerum divinarum poſſit deducere, & ubi deficiat. Sic & ipſe Job inter pios ſuos de Deo ſermones non pauca protulit de Deo, quæ Deo indigna ſunt, & quæ Chriſtianum hominem non decet effutire, quæ tamen à Spiritu S. in Scripturis conſignata ſunt, ut ex illis diſceremus, quòd & piorum & ſincerorum ſapientia & fides non ſit perfecta. Non igitur orationes amicorum Jobi ſunt inutilis pars Scripturæ, ſed præterquam quod in illa egregia de Deo & rebus divinis, officiiſque humanis erga Deum, continent gnomata, quæ non tantùm cum luce naturæ conveniunt, ſed etiam à Spiritu S. in canonem & regulam pietatis relata ſunt, ſunt prætereà egregia ſpecula, ex quibus naturalis intellectus inſufficientia ad ſalutem, & Euangelicæ revelationis neceſſitas poteſt perſpici, quæque docent, quòd naturalis intellectus in rebus ſalutis uſurpari quidem debeat, ſed non dominari, quodque ratio debeat obedire & ſubjici Euangelio.

3. Quod denique attinet ad circumſtantias factorum, nec non ad res civiles, quales paſſim ſunt in Scriptura, & præcipuè in præſenti noſtro textu; *Reſpondeo*, quod & harum rerum conſignatio non ſit inutilis in Scriptura, ſed faciat ad noſtram inſtitutionem. Nam 1. Mentio circumſtantiarum & rerum civilium multum facit ad confirmationem veritatis Scripturæ e.g. Cùm Scriptura in hoc textu mentionem faciat Felicis atque Feſti, Romanorum Præſidum, ex eo patet, quod Scripturæ hiſtoria conveniat cum hiſtoriis profanis, Taciti, Suetonii, Joſephi, qui etiam teſtantur Felicem & Feſtum his iiſdem temporis vixiſſe, & auctoritate Romani Imperatoris Judææ præfuiſſe. 2. In rebus civilibus & circumſtantiis factorum, quantumvis parvis, magna providentiæ divinæ ſuper mundum & Eccleſiam documenta, nec non præclara variarum virtutum moralium exempla ſe manifeſtant. Novimus autem, Scripturæ finem non tantùm eſſe Euangelium nos docere, ſed etiam de legalibus & moralibus virtutibus ac offi-

Digitized by Google

officiis nos inſtituere. Talem inſtitutionem ex hoc quoque textu non difficulter hauriemus, ſi non pœniteat reſiduum hujus horæ conſiderationi illius impendere. Habemus enim in illo exemplum ſingularis providentiæ divinæ in cuſtodienda Pauli vita in mediis periculis, habemus itidem exempla humanitatis, prudentiæ & juſtitiæ in viris ad regimen politicum vocatis, nec non exempla reverentiæ & obedientiæ in iis, qui aliis ſubjecti ſunt. Quoniam tamen ſimilia exempla in ſequentibus quoque capitibus redibunt, non inſiſtemus preſsè veſtigiis hujus textus, ſed utiliora ſeligemus.

Deſcribitur his verbis traductio Pauli captivi ex caſtello Hieroſolymitano in urbem Cæſarienſem ad Felicem, Judææ Præſidem, per quam traductionem Paulus non quidem redditus eſt libertati, attamen contra violentiam & inſidias Judæorum tutior factus. Habemus in hac traductione

1. Media atque ordinem, quæ Chiliarcha ad traductionem Pauli procuravit v. 22. 23. 24.

2. Epiſtolam Chiliarchæ ad Præſidem, quâ cauſâm & ſtatum Pauli, nec non traductionis finem Præſidi ſignificat v. 25. 26. 27. 28. 29. 30.

3. Succeſſum & ordinem atque modum itineris v. 31. 32. 33.

4. Quomodo Paulus à Præſide exceptus ſit.

I. Cùm detectionem inſidiarum ſecretam eſſe juſſiſſet, vocatis duobus Centurionibus mandavit parare 470. milites, tum lancearios, tum ſclopetarios, tum equites, qui Paulum, jumentis impoſitum, circa tertiam vigiliam noctis aveherent, & Cæſaream ad Felicem Præſidem ſalvum traducerent. Videbat Chiliarcha civitatem tumultuantem contra Paulum, non niſi Pauli cæde velle ſedari. Clàm igitur Paulum ſubducere, & judicio civili ſiſtere decrevit, attamen commodè & tutò, propter quem finem & jumenta & milites conductores ipſi addidit, quorum ordines ex Romana hiſtoria declarare non eſt hujus loci. In hac ſollicita cura pro Pauli vita & liberatione reſpiciendus eſt quidem animus Chiliarchæ, ſed præcipuè providentia Dei. Chiliarcha quidem, Pauli innocentiam habens perſpectam, fortaſſis etiam Pilati nupero exemplo territus, noluit innocentem perire, ſed legitimo judicio ſiſti. Attamen Judæorum importunis clamoribus non minus ac Pilatus victus fuiſſet, niſi Deus animum ejus rexiſſet, ut in pertentenda liberatione Pauli conſtans maneret, eamque & commodam & honorificam & tutam Paulo præſtaret. Hoc exemplum divinæ providentiæ ſuper captivo Paulo omnibus captivis, & in periculis à violentia hominum verſantibus debet eſſe ob oculos, ut inde diſcant, quàm facilè ſit Deo procurare media liberationis. Deus aliquando captivos liberat, per miracula, ut Actor. 12.7.&c. ſed quia nos hodiè miracula à Deo nec petimus nec expectamus, ideò ex talibus miraculoſis captivorum liberationibus nihil pro nobis ſolatii. Verùm hîc habes exemplum liberationis ſine miraculo, per talem procurationem mediorum, qualis quotidiè contigere poteſt. Hoc nobis

Digitized by Google

nobis quoque largitur fundamentum fiduciæ, quod Deus ex noſtris quoque captivitatibus & periculis nos poſſit liberare facilimè, ut Paulum imitantes poſſimus dicere, ut 2 Cor. 1. 8. 9. 10. 11. Qui converſatus eſt cum iis, qui ſuperioribus annis calamitoſam inhabitârunt Germaniam, illi multa narrata ſunt exempla, quàm mirabiliter Deus multis piis in mediis periculis procuraverit cuſtodiam vitæ. Prælia cladeſque publicæ iſtorum temporum exhibentur in hiſtoriis, ſed ſi quis conquireret exempla privatorum caſuum & eventuum (**particuliere avontuiren**) eaſque in annales inſereret, videret quoties adhuc ſine miraculo mirabiliter Deus ſuos cuſtodiat in mediis periculis, & quomodo illis tùm jumenta, tùm ſalvum conductum procuret; juxta illud Pſal. 27. 5. Nec Paulus rejecit media liberationis aut neglexit. Fecit hoc aliquando Eſdras Eſd. 8. 22. ſed ſcandali vitandi causâ. Regi enim ethnico mirum in modum laudaverat potentiam & gratiam Dei erga Iſraëlitas, dixeratque, hac ſe niſum atque fretum ſuſcipere hoc iter verſus Hieroſolymam. Quod ſi equites conductores petiiſſet, viſus Regi fuiſſet non credere Deum adeò potentem & gratioſum ac prædicaverat. Noluit igitur petere ſalvum conductum; ſed ſe totum gratiæ Dei commiſit. Verùm extra hunc caſum ſcandali licita liberationis media non ſunt aſpernanda.

II. In Epiſtola Claudii habemus complementa epiſtolica, humanitatis & civilitatis plena, ſcilicet ſubſcriptionem, ſuperſcriptionem, & ſalutationem. Verùm hæc omnia commentariis non indigent. Proſunt tamen ad commendandam nobis humanitatem & civilitatem ſermonum atque morum, cuilibet ſtatui & ordini convenientem. Deus multa inſeruit in Scripturam, quæ ethnici fecerunt ex luce naturæ, ut diſcerent Chriſtiani bonos mores & civilitatem converſationis, quam lex naturæ ſuppeditat, magnifacere. Multi ſunt qui Chriſtianam ſanctitatem ponunt in auſteritate & ruſticitate, & in contemptu omnis ornatus in ſermonibus, geſtibus, moribus, veſtibus &c. Verum Scriptura hujus moroſitatis auctor non eſt, ſed potius civilitatem morum & ſermonis nobis commendat Phil. 2. 3. & 4. 8. Aliud eſt comitas morum, aliud vanitas morum. Comitas morum commendatur 1 Petr. 3. 8. Præcipuè in voce φιλόφρονες *complaiſance*, quâ ſtudemus iis, quæ ad amicitiam retinendam faciunt, & ut aliis grati ſimus atque accepti, ſicut eadem vox etiam habetur Actor. 28. 7. Vanitas autem morum in eo poſita, quod à Chriſtiana gravitate & modeſtia deflectentes, mores ſermonis, veſtitus, geſtuumque excolimus ad conformitatem cum mundo, nec honeſtatis nec ſanitatis rationem habentes, ut modò mundo placeamus. Inter hæc duo latum eſt diſcrimen, quod non abſconditum à judicio eorum, qui Chriſtianam modeſtiam & gravitatem amant.

Notabile etiam, quod Felix vocatur κράτιστος, *optimus*. Non erat certè optimus, neque genere neque moribus, ſi Suetonio & Joſepho credimus. Erat enim genere ſervus, moribus tyrannus

&avarus, ut patet Actor. 24. v. 26. & tamen appellatur κράτιστος, i. e. optimus, excellentiſſimus, eminentiſſimus, (aliam enim interpretationem hæc vox vix poteſt ferre. Potentiſſimus enim ſolus Imperator vocabatur, κράτιστος verò quilibet magnas & nobilis. Luc. 1. 3.) idque non tantùm à Claudio, ſed etiam à Tertullo c. 24. 3. & Feſtus à Paulo c. 26. 25. Hoc duas lectiones inculcat:

1. Unam magiſtratibus. Qui magiſtratum gerunt, debent eſſe optimi, & excellere alios in virtute & pietate. Hinc vocantur optimates & ariſtocratici. Utinam Philoſophi regnarent, vel, qui regnant, Philoſophi eſſent, vetus verbum eſt. Et conſonat Scriptura, dum illos tantùm magnates laudat, qui Deum timent & juſtitiam amant. Ratio ipſa rem probat; Qui enim mali ſunt, benè regere non poſſunt, ſed pravis exemplis populum à pietate & juſtitia abducunt, ad quam adducere eum debebant. Videant, qui hoc officium gerunt, quales ſint. Si enim, qui eſſe debent optimi, invenientur peſſimi, peſſimè cum iis agetur Pſal. 18. 27. 28. *Cum perverſis perverſe agetur.* Pſal. 82. 6. 7. Verè ſunt perverſi, qui, cùm deberent eſſe optimi, inveniuntur peſſimi.

2. Alteram ſubditis. Cùm magiſtratus non ſunt optimi, tamen ut optimi ſunt colendi, idque propter excellentiam muneris. Felix & Feſtus non erant optimi. Nam non ſolùm Joſephus Judæus, ſed & Suetonius ac Tacitus malè de ipſis teſtantur, & tamen optimorum nomen rectè ipſis datur, quia optimum & digniſſimum gerebant officium. Qui magiſtratum gerunt, ſæpè malis artibus magiſtratum adipiſcuntur, id quod præcipuè in Rep. Romana tempore Chriſti & Apoſtolorum ſolemne erat, imò tota Reſpub. Romana nec juſtè parta nec juſtè adminiſtrata fuit. Romanorum liberti, inter quos hic Felix, Regibus & Principibus nationum dominabantur, in tantum, ut hic Felix ex ſervo factus ſit trium Reginarum maritus, ut ait Suetonius. Tacitus quidem innuit, Pallantem, Felicis fratrem, dictum fuiſſe ortum Regibus Arcadiæ. Sed hoc dictum ad turpem adulationem Senatus refert. Verè tunc locum habuerunt querelæ, quæ ſunt Thren. 5. v. 8. Prov. 19. 10. & 30. 22. Nehem. 5. 15. Tales ſæpè dominabantur, quales deſcribuntur Job. 30. 1. Et tamen Chriſtus atque Apoſtoli tales rectores honorârunt & honorari voluerunt. Parum curarunt, quis regnaret, ſed regnantibus ſua vitia oſtendere, & ſubditos ad patientem obedientiam hortari ſatis habuerunt. Sic & nobis in magiſtratibus dignitas & neceſſitas officii reſpicienda, ſed perſonarum vitia patienter diſſimulanda. Rarò res politica in mundo ita geritur, ut ſubditi ſint ſine cauſa querelarum: Rectè hìc dixeris: nullum regimen ſine vitiis. Optimum illud, quòd minimis urgetur. Obediendum tamen cum patientia, cogitandumque quòd Deus ſit, qui horum manu nos regit, interdum etiam affligit. Etſi ſunt peſſimi, tamen propter Deum dicendum eſt, quòd ſint optimates.

Præſertim in materia epiſtolii hujus Claudii notatu dignum eſt, quòd negotium religionis, ſuper quo Paulus à Judæis vim patiebatur, tantoperè extenuat.

Digitized by Google

nuat. Accuſatur de quæſtionibus quibuſdam ſuper lege ipſorum, ſed non de aliquo crimine, quod vinculis aut morte dignum ſit. Quaſi nihil poſſit admitti contra religionem, quod vinculis aut morte dignum ſit. Romani ſuam habebant religionem propriam, quam domi & in Italia defendebant ut non læderetur. Sed aliorum populorum domini facti videbant, ſe in rebus politicis aliis poſſe imperare, verum in rebus religionis nullum valere imperium. Itaque in hoc negotio cuique populo ſuam relinquebant libertatem, ſuoſque mores, hoc tantum curantes; ut ſuper diſſenſu & diſputationibus in negotio religionis nemini ulla vis fieret, ut hoc non ſolum ex loco præſenti manifeſtum eſt, ſed etiam ex Actor. 25. 11. & 18. 14. 15. Eſt hoc conſilium ſatis politicum, & fuit quoque religioni Chriſtianæ utile. Beneficio enim hujus conſilii Apoſtoli Romanum imperium peragrarunt & Euangelium docuerunt, ac ſæpè contra injuſtam populorum vim defenſionem Romanorum Præſidum experti ſunt, ut audivimus Actor. 22. & paſſim, eandemque ob cauſam ad leges Romanas provocârunt Actor. 25. 11. & ſupra cap. 22. 5. Attamen non eſt putandum, Chriſtianum magiſtratum his moribus ſuæ conſcientiæ, ſuoque officio ſatisfacere coram Deo, ut ſcil. omnibus religionibus largiatur parem licentiam, & non patiatur, ut cuiquam propter falſas noxias & blaſphemas doctrinas aliqua vis inferatur. Conſcientias quidem cogere vi politicâ ad fidem, in Chriſtiani magiſtratûs poteſtate non eſt. Non enim carnali brachio & violentiâ, ſed per ſpiritualem armaturam verbi homines moventur ad fidem. 2 Cor. 5. 11. Veruntamen magiſtratus, qui Chriſtum profitetur, tenetur in veram religionem, verumque modum colendi Deum inquirere, eamque non tantum amplecti & profiteri, ſed etiam tueri contra hoſtes & oppreſſores illius. Tenetur etiam idololatriam eradicare ac impedire itemque blaſphemis ac contra fidem & pietatem graſſantibus doctrinis libertatem adimere, ne ſerpant inſtar cancri. Nam ſi magiſtratus hoc non facit, tum

1. Non eſt cuſtos utriuſque tabulæ, quod tamen debet, Joſ. 1. 8.

2. Non eſt patronus veritatis, quod tamen debet, Deut. 17. v. 18. Joſ. 22. v. 5.

3. Non eſt nutritius Eccleſiæ, quod tamen debet, Eſai. 49. 23.

4. Non eſt vindex vel zelotes gloriæ Dei ſicut Pineas. In ſumma non imitatur laudatorum Regum exempla, Davidis, Joſaphati, Ezechiæ, Aſæ, Joſiæ, &c.

III. Sequitur obedientia militum & itineris ſucceſſus. Simul omnes Antipatridem uſque profecti ſunt; quæ dimidium viæ ferè eſt inter Jeruſalem & Cæſaream. Verùm iſto ex loco, cum Paulus ferè extra periculum eſſet, pedites regreſſi ſunt Hieroſolymam, equites verò Paulum cum literis Chiliarchæ ad Præſidem deduxerunt. In hoc exemplo habemus exemplum obedientiæ, quæ cum prudentia mixta eſt. Satisfaciunt præcepto Chiliarchæ ſui, Paulum tutò traducentes, & tamen ita ſatisfaciunt, ut non neceſſarios ſumptus & peditum de-

Digitized by Google

delaſſationem vitent. Qui ſubſunt & ſerviunt, non tantum fidelitate & obedientiâ opus habent, ſed etiam prudentiâ. Chriſtus ipſe in ſervo hoc requirit Matth. 24. 45. Ne dicant ſervi & ancillæ. *Davus ſum non œdipus*, ſervus non conſiliarius, quid mihi opus prudentiâ? Noxius labor imprudentis ſervi. *Servus vero prudens & cautus felix erit.* Prov. 14. 35. & 17. 2.

IV. Ultimum eſt exceptio Pauli à Felice. Legit literas, generalem quandam examinationem inſtituit, ſed ſententiam & judicium differt, donec accuſatores audiverit. Æquitas judiciorum in eo conſiſtit, ut nihil ſtatuatur partè inauditâ alterâ. Sed hujus rei clarius documentum dabitur infra cap. 25. 16.

Actor. 24. v. 1. ad. 10.

Conc. CCL.

HOc capite deſcribitur litigatio forenſis in prætorio Romano, quod erat Cæſareæ, Jeruſalem quidem erat metropolis Judææ ſecundum leges patrias, ubi olim erant ſubſellia judicii Pſal. 122. 5. Sed poſtquam à Romanis ſubacta eſt & Romani imperii Provincia facta, Romani Satrapæ ea in urbe maluerunt aulam & prætorium erigere, quæ in honorem Cæſaris Romani erat ædificata ab Herode.

In hac litigatione habemus

1. Actorum ſeu accuſatorum pompoſam comparitionem v. 1.

2. Advocati artificioſam & invidioſam accuſationem v. 2. ad 9.

3. Teſtium falſam depoſitionem. verſ. 9.

4. Rei innocentis maſculam defenſionem v. 10. ad 22.

5. Judicis λοξοποδίαν ſeu obliquationem, (krombvoelige weiſſelinge) ſuper hoc negotio v. 22. ad fin.

Cogitate quæſo in quo ſtatu Paulus tùm temporis fuerit. Captus & coram judicio Romano accuſatus, non à particulari aliquo inimico, ſed, nomine totius populi Judaici, à Pontifice maximo & toto ſenatu. Agebant hi ſuam cauſam per advocatum ſubtiliſſimum & exercitatiſſimum, teſtes habebant abundantiſſimos, judex verò injuſtitiæ & corruptionibus erat deditiſſimus. Verè nunc in Paulo impletum illud. Matth. 10. v. 18.

Quod ad primum, poſt quinque dies Pontifex cum Senioribus comparuit coram Satrapa contra Paulum. Ipſe Pontifex cum Senioribus, ipſe Papa cum Cardinalibus proficiſcitur Cæſaream, ad Paulum accuſandum, Putâſſes Pontificem ſummum, Senatumque Judaicum ex tanto faſtigio honoris ſe non demiſſuros fuiſſe ad hoc iter & hunc actum. Verum etſi non deerat his hominibus ſuperbia & ambitio, videmus tamen in hoc exemplo, quòd odium ſuperbiam vincat. Superbia odium & invidiam parit. Quoniam enim Chriſtus & Apoſtoli vitia horum hominum, tùm in doctrina tùm in vita delegentes, honorem & exiſtimationem eorum apud populum imminuebant, ideò hi homines Chriſtum & Apoſtolos invidiâ atque odio proſequebantur. Superbia enim & ambitio non poterat concoquere

re imminutionem exiſtimationis. Sed quantumvis ſuperbi eſſent, tamen poſtquam animus odio & invidiâ ardebat, propriæ exiſtimationi non parcunt, ut modò odio & invidiæ ſatisfaciant. Sic ſemper ſe res habet, ut & ſuperbiſſimi quique & ambitioſiſſimi, cùm odio & invidiâ occupantur, famam & honorem poſtponant odio & vindictæ. Idem fecerunt iidem ſacerdotes cùm Chriſtum ad prætorium deducerent Pilati Matth. 27. 2. & 12. Ipſi ſummi Pontifices ſtabant ante oſtium prætorii & accuſabant Chriſtum, atque incitabant populum. Studium bonæ conſcientiæ & famæ multum poteſt ad homines retinendos, ne faciant quod turpe eſt. Sed ſi odium & invidia occupaverit animum, nec conſcientia nec honor te retinebit à re turpi, quantumvis ſis ambitioſiſſimus. Sic odium Sauli contra Davidem ortum erat ex ambitione & ſuperbia 1 Sam. 18. 7. 8. 9. At poſtquam odium Sauli animum occupavit, quid non fecit indignum regia majeſtate? 1 Sam. 24. 15. Diffidens miniſtris ipſe vel prætorem vel lictorem agit, & in deſertum excurrit ad capiendum Davidem. Qui odium gerunt in corde, quantumvis illud tegere ſatagunt, ne exiſtimationi officiat, tamen tandem turpiter ſe dant, & honore ac exiſtimatione ſeipſos ſpoliant Prov. 26. 26. Unde etiam non ſine cauſa additur, quòd illicò poſt quinque dies poſt abductum Paulum deſcenderint. Nimirum tanta erat vis odii, ut quieſcere non poſſent, donec odio ſatisfeciſſent, ut ſemper fit iis, qui odio laborant Prov. 4. 16. Caveamus igitur, ne odium atque invidia radicetur in cordibus noſtris. Nihil facilius concipitur in corde quàm odium & invidia, niſi principiis obſtes, & nihil difficilius extinguitur, poſtquam invaluit, & tàm noxium eſt malum corroboratum odium atque invidia, ut nec conſcientiæ nec honori parcas, quin præceps ruas in turpia, unde non immeritò inter proximas cauſas homicidii ponitur 1 Joh. 3. 15.

Vox ἐμφανίζειν etiam reperitur Actor. 23. 15. & Actor. 25. 2. & 15. Propriè eſt ſignificare. Sed ſpecialiter eſt comparere coram judicio ad ſignificandum, quid contra adverſarium habeas Actor. 23. 30. Non enim per Procuratorem cauſam egerunt, ſed perſonali comparitione ſe ſtiterunt coram judicio, ut accuſatorum numerus & authoritas pondus adderet accuſationi. Magnum enim eſt præjudicium, cùm quis privatus contra totum populum, & ſummum loci magiſtratum judicio contendit. Diſce quòd in defenſione bonæ cauſæ multitudo & magnitudo adverſariorum non ſit reſpicienda nec deſerenda bona cauſa propter magnitudinem & multitudinem adverſariorum. Sic Moſes Regem & totam Ægyptum adverſarium habuit. Sic Micha 400. Prophetas falſos. Vide exemplum Davidis, cùm ab omnibus deſertus totum Iſraëlem adverſus ſe haberet Pſal. 3. 1. 2. 3. 4. 7.

Sic Eliæ, cui contra totum Iſraëlem & ipſum Regem luctandum 1 Reg. 19. 10. Vide Pſal. 27. 3. Pſal. 119. v. 157. Sic Apoſtoli totum mundum habuerunt adverſum, & tamen non deſeruerunt Euangelii cauſam, ſed ad mortem uſque pro ea contenderunt. Sic Hilarius

Digitized by Google

& Athanaſius bonam cauſam orthodoxæ doctrinæ defenderunt, cùm totus mundus ſuſpiceret & miraretur ſe Arrianum factum. Sic Lutherus & cæteri reformatores Eccleſiæ non ſolam hierarchiam Papæ, ſed omnia mundi regna adverſarios habuerunt, nec tamen bonam cauſam deſeruerunt, ſed nota eſt maſcula vox Lutheri: Si vel Wormatia tot haberet Diabolos, quod tectorum tegulas habet, non deſeram patrocinium Euangelii. Hoc Exemplum Pauli eſto nobis ob oculos in præſenti rerum noſtrarum ſtatu. Deus nos exaltavit, deditque pacem opimam. Omnes circumquaque nationes nos aut oderunt, aut ſaltem non admodùm nobis favent, ſicut Paulus non tantùm Judæorum odio gravabatur, ſed & Chriſtianorum, malè de ipſo ſuſpicantium, Actor. 21. 20. 24. favore carebat. Simus modò ſolliciti ne cuiquam faciamus injuriam, ſed ut bona cauſa ſit ex noſtris partibus, & tum non deerit nobis patrocinium Dei. Juſtè quidem timemus, ne Deus vitæ noſtræ licentiâ irritatus acriter nos caſtiget, nî nos emendemus, ſed tamen, ſi bonam cauſam habuerimus & vitam noſtram emendare ſtuduerimus, non eſt quod à multitudine & potentia adverſariorum timeamus. Num. 14. 8. 9. Sit hoc quoque admonitioni illis, qui ad regimen politicum vel Eccleſiaſticum vocati ſunt. His ſæpè contendendum pro bona cauſa contra multos & potentes adverſarios, idque etiam ſine auxilio eorum, à quibus auxilium ſperare æquum erat, & tamen non debent deſerere bonam cauſam, ſed cogitare illud Pauli Rom. cap. 8. verſ. 31.

Accedimus ad Advocatum, cujus deſcribitur nomen, officium & oratio. Nomen eſt Tertullus, quod Italicum eſt, & arguit hunc hominem non eſſe Judæum, ſed Italum, cum Felice in Judæam profectum, ut coram judicio Romano Romanâ lingua Judæorum cauſas ageret. Vocatur Rhetor ſeu Orator, quia eloquentiæ & juri Romano ſtuduerat, ad cauſas in foro pro pretio dicendas, quod officium in ſe non eſt illicitum (ſunt enim oracula civitatis, & viri conſiliorum, & ſtulti ſunt, qui cùm vitia vident, ordinem cupiunt eradicatum) ſed tum demum, cùm hi homines linguas ſuas elocant ad ſuſcipiendum quarumvis cauſarum patrocinium, ſicut hic Tertullus, homo Italus, vel ſaltem Græcus, nec Judaicam nec Chriſtianam religionem intelligens, tamen linguam ſuam elocat ad Chriſtianiſmum accuſandum & Judaiſmum defendendum. Non decet eſſe patronum malæ cauſæ: Nulla cauſa tàm perverſa, quin arte oratoriâ poſſit fucari & ornari. Sed non licet lingua ſuâ abuti ad ornandam malam cauſam. Tali enim patrocinio vel cliens vel judex decipitur. His quadrat illud Iſai. 5. 20. Et non minus in advocatos quàm in judices dicitur, quod eſt Eccleſiaſtis 3. 16. & quid tales aliud faciunt, niſi quod aliorum peccatis communicant contra illud Eph. 5. 11. 1 Tim. 5. v. 22. Miſerum eſt nullam cauſam tam eſſe injuſtam, quin poſſit reperire advocatum. O linguas mercenarias! Ne dubiarum quidem cauſarum patrocinium ſuſcipere quis juſtè poſſit, niſi prius omni ope accommodationem potiùs

Digitized by Google

potiùs quàm lites clientibus ſuaſerit, 1 Cor. 6. 4. 5. 6.

Sequitur oratio hujus Advocati. Pulchra ac elegans oratio, & impia ſimul oratio. Sæpè enim quod pulchrum eſt, impium eſt. Juventus noſtra, cum diſcedit ex ſaltationibus, Comediis & cæteris vanitatis exercitiis, gloriari ſolet, quòd tàm pulchra, artificioſa, delectabilia & jucunda fuerint, miranturque Concionatores contra talia tàm vehementer invehi, putantes eos non intelligere, quantum artis & pulchritudinis ſit in iſtis exercitiis, non oſuros, ſi venirent & viderent. O fatuæ virgines! An putatis miniſtros Dei ululas eſſe, qui non æquè poſſint comprehendere, quid ſit gratum, delectabile, pulchrum atque vos? Diſcite autem vos ex hac oratione Tertulli, quòd, quæ pulchra ſunt, poſſunt eſſe impia.

Quis artificioſam magis ac flexanimam orationem unquam audivit atque eſt hæc Tertulli! & tamen quàm ſcatet vanitate, mendaciis & malitiâ! Talia ſunt veſtra vanitatis exercitia. Pulchra ſunt ut pomum paradyſi, ſed continent ſuccum Diaboli, & inficiunt veſtra corda, ut fiant incapacia ſpiritualis integritatis, nec poſſint regenerari ad cœleſtem vitam. An ex his poteſtis haurire oleum lampadibus veſtris, ad expectandum ſponſum veſtrum uſque in noctem mortis & judicii? Imò ſunt Italicæ artes ad infundendum animabus veſtris venenum Satanæ modò tecto & imperceptibili, ut mortem animæ hauriatis & neſciatis unde hauſeritis. Sunt dulcia, ſunt pulchra, ſed quæ capiunt animam magiſtrorum ſuorum Prov. 1. v. 19. vide Prov. 2. 14. *Eſtis ſicut ſtupida aves, qua non diſcernunt extenſum rete* Prov. 1. 17.

Habet autem oratio Advocati quatuor partes;

1. Prima eſt artificioſa aucupatio judicis, **bekuppinge van 's Rechters gemoet** v. 3. 4.

2. Secunda eſt acerba criminatio Pauli v. 5. 6.

3. Tertia eſt Satyrica inſimulatio Claudii Lyſiæ ſuper ereptione Pauli ex manibus Judæorum v. 7. 8.

4. Quarta eſt petitio cognitionis.

Aucupatio Judicis plena eſt civilitatis, ſed & plena adulationis. 1. Laudat Felicem propter procuratam Provinciæ pacem, & propter multorum gravaminum reformationes κατορθώματα. 2. Adſcribit hoc prudentiæ Felicis. 3. Teſtatur Judæorum pro hoc beneficio gratitudinem. 4. Petit gratioſam audientiam, promittens orationis brevitatem. Nos hìc non erigimus Scholam complementorum, ad docendam civilitatem morum, adeoque non opus eſt, ut hiſce curialibus Advocati (**courtoiſyen**) prolixè inhæreamus. Eſt tamen aliquid in verbis, quod ad Theologicam inſtitutionem faciat, ſcil.

1. Magiſtratibus deberi honorem & reverentiam. Si Advocatus ethnicus hoc fecit, annon nos Chriſtiani, qui ejus rei peculiare mandatum habent, quique nôrunt, quòd ſint poteſtates à Deo conſtitutæ, gerentes imaginem Dei Rom. 13.

2. Magiſtratûs officium eſſe, ſubditis procurare pacem, & κατορθώματα, ſeu reformationes gravaminum. Status

Digitized by Google

politiæ duplici malo ſubjectus eſt: 1. Quod exterorum hoſtilitatibus infeſtatur. Nulla politia immunis ab hoſtibus. 2. Quòd interna quadam mutabilitate à priſtino vigore perpetuo deficit, & reformationibus indiget. Sicut domus nunquam manet in eodem ſtatu, ſed ſemper reparationibus opus habet, ita Reſpubl. ſemper deficit, & reformationibus indiget: In hiſce igitur duobus poſita prudentia & occupatio boni magiſtratus, ut externas hoſtilitates à Republ. avertant, & gravamina domeſtica tempeſtivè tollant atque reforment, ne inteſtinam ruinam efficiant. Reſpublicæ plerumque conſtituuntur præclaro zelo in extirpandis malis, in procurandis, quæ ad juſtitiam & religionem pertinent. Sed poſtquam hoc zelo conſtitutæ ſunt, tempore pacis perpetuò declinant & in pejus ruunt: Verùm ſicut machinarius horologium decurrens ſingulis diebus retrahit & revolvit, ita magiſtratus κατορθύνει reformat declinationes Reip. in rebus ad politiam, religionem, juſtitiam, militiam &c. pertinentibus, ut patet ex exemplis meliorum Regum Judæ, & ex gloriatione Davidis Pſal. 101.

3. Pro hac pace & reformatione ſubditi magiſtratibus debent gratitudinem. *Omni gratitudine ſemper & ubique recipimus*. q. d. non tantùm in faciem te laudamus, cum ſumus coram te, ſed etjam abſentes omni loco atque tempore benè de te loquimur. Hoc decet fieri Eccleſ. 10. 20. Deus quidem auctor beneficiorum publicorum, cui debetur gratitudo, ſed tamen magiſtratus ſunt Dei miniſtri, per quorum manus nobis benefacit, ideoque eouſque obligamur ad gratitudinem, ut non niſi reverenter loquamur de iis, per quorum manus Deus nobis benefacit, & ut illis demus tributa, quibus ad nobis benefaciendum opus habent Rom. 13. 6. 7. Publica beneficia ſunt dona Dei, ſed tamen veniunt ad nos per πρόνοιαν ſeu prudentiam magiſtratus, & cùm magiſtratus huic prudentiæ dat operam, obligat ſubditos ad gratitudinem. Si patris cura pro filio filium obligat ad ἀντιπελαργίαν 1 Tim. 5. v. 4. etiam cura & providentia magiſtratuum ſubditos obligat.

4. Advocatorum eſt non morari judicem. Non interpellabo te pluribus. O quantum hic Advocatorum vitium, quòd adeo trahunt judicia, ut diu habeant, unde lucrum hauriant, vel ut cunctando partem impotentiorem exhauriant, donec ſumptibus deſtitutus jus ſuum alteri parti cedere cogatur, id quod efficiunt ſuis dilationibus, replicis, duplicis, interrogatoriis; contrainterrogatoriis, appellationibus, reviſionibus. Quid laudabilius in medico, quàm ſonare quàm breviſſimè, & lucri causâ non protrahere dolores vulnerum? Sic & Advocatos decet cauſas agere συντόμως.

5. Magiſtratum decet eſſe ἐπιεικῆ in audiendis ſubditis: audias me pro æquitate vel facilitate tua. Magiſtratus ſunt Dii reſpectu officii Pſal. 82. Sed non debent oblivisci, ſe eſſe homines Pſal. 9. ult. & ad homines, non ad pecudes, regendos ſe conſtitutos eſſe, ideoque etſi habent potentiam cogendi, tamen debent uti æquitate, ut prius audiant & ju-

Digitized by Google

& judicent, ut juſtitia ſit in judiciis ipſorum.

6. Præcipuè ex hujus advocati exemplo diſcamus fugere turpiſſimum vitium adulationis. Hiſtorici tùm Ethnici, tùm Judaicus Joſephus nos docent, hunc Felicem non fuiſſe optimum, ſed peſſimum Præſidem, qui potentiâ fratris Pallantis, qui erat in flagranti Cæſaris gratia, ſubnixus ſibi omnia malefacta impune ratus eſt, ut ait Tacitus annal. lib. 12. & Joſephus teſtatur, quòd promiſcuè inſontes cum ſontibus vexaverit, crudeles patraverit lanienas, & ſummum Sacerdotem Jonathanem per ſicarios opprimi curaverit. Et tamen hìc advocatus, ad obtinendum ejus favorem, ipſum in cœlum uſque tollit tanquam optimum Præſidem, per cujus prudentiam Judæis multa pax & plurima κατορθώματα obvenerint. Adulatio turpiſſimum vitium, in eo conſiſtens, quod ad favorem hominum conſequendum vitia ipſorum tegimus, & facta præter meritum extollimus, cum contemptu & calumniatione aliorum. Eſt venenum, quo proximum inflamus, ut ſe extollat, contra Deum & homines, oblitus ſe hominem eſſe: vide Proverb. 29. v. 5. Exempla talis adulationis ſunt plurima. Diabolus ea uſus ad primos parentes perdendos Geneſ. 3. 5. Sic Doëg Saulum adulando perdidit Pſal. 52. 4. Sic juniores Rehabeamum 2. Chron. 10. 11. Sic amici Hamanem Eſther. 5. v. 14. Populus Herodem Actor. 12. v. 21. 22. Eſt communiter vitium aulicorum, Reges & Principes, Majeſtatem & auctoritatem eorum in cœlos tollendo, incitantium contra ſubditos. Eſt & vitium advocatorum, clientum cauſas, laudantium, & partis contrariæ vitia exaggerantium, ut lites protrahant, planè ſicut Abſolon 2 Sam. 15. 3. Caveamus hoc vitium. Nam qui eo laborat, peſtis eſt & venenum aliorum. Præſertim ne optate ut in Concionatoribus hoc vitium ſit. Eſt res dura Concionatori, poſſe carere favore auditorum, & perpetuò cum indignatione ipſorum luctari, ut Paulo ſimiles ſint, Gal. 1. 10. Ideoque facilè deflectunt ad adulationes, & fiunt ſimiles illis, de quibus Ierem. 6. v. 14. & 8. 11. præſertim cùm animadvertunt tales Concionatores, qui peccata poſſunt diſſimulare, & qui in applicandis Euangelii ſolatiis faciles ſunt, auditoribus eſſe gratiſſimos. Credite mihi, tales Concionatores ſunt vobis peſtis & exitium. Vide Prov. 28. 4. 5. Cùm Concionatores incipiunt laudare impios, & non fortiter contra illos contendunt, fiunt deſertores legis, cujus debebant eſſe cuſtodes. Cogitate vos indigere hoc ſale ad veſtram ſanitatem. Putredinem corruptionis vobiſcum geritis, quàmdiu hìc eſtis, quæ niſi reprimatur acrimoniâ reprehenſionis, perdet veſtras animas. Vide Pſalm. 141. 5. Concedite nobis libertatem faciendi officium, ut vos ſani ſitis Tit. 1. 13. Ferte ſermonem adhortationis. Sin minus, Deus vobis ſubducet ſal ſanæ prædicationis, & dabit vobis adulatores & vulpes, & tunc aut peribitis, aut Deus neceſſe habebit ſcorpionibus vos flagellare, ut ſervari poſſitis. Det Deus, ut intelli-

Digitized by Google

gatis, quæ ad pacem veſtram faciant. Qui quotidiè ſe lavant in balneo otii, voluptatum & vanitatum, & poſteà non volunt recipere acrem & amaram reprehenſionem verbi, ita putreſcent in voluptatibus, ut fœteant in oculis Dei.

Actor. 24. *v.* 5. *ad* 10.

Conc. CCLI.

SIcut nullus eſt homo, qui non peccet 1 Reg. 8. 46. Ita nullus eſt hominum ordo, qui non tranſgrediatur limites recti juſtique in rebus ad ordinem & officium ſuum pertinentibus. Opifex in operibus opificii, miles in militia, publicanus in telonio, mercator in mercatura poteſt peccare, ideoque non ſunt extra cenſuram verbi divini Lev. 19. 35. Oſ. 12. 8. Luc. 3. 11. 12. 13. 14. & ſic etiam illi, qui judicia tractant, in tractandis judiciis poſſunt peccare Eccleſ. 3. 16. adeoque non ſunt poſiti extra cenſuram divini verbi, quod omnibus hominum ordinibus vocationis ſuæ limites ponit, quas cùm tranſgrediuntur, in Deum peccant, iram ejus merentur, & conſcientiâ bonâ ſe privant. Non quidem verbum Dei ſingulis officiis & opificibus præſcribit omnes particulares agendi modos, ſed tamen omnibus dat generales regulas, quarum obſervatione poſſunt res ipſorum officii & opificii contineri intra limites pietatis & juſtitiæ.

Ob hanc cauſam Spiritus S. in hoc capite nobis deſcribere voluit hiſtoriam litigationis curialis, ut omnes & ſinguli, qui judicia tractant & judiciis utuntur, inde diſcerent, quo pacto ſe ritè gerere debeant, ut bonam conſcientiam ſervent.

Diviſimus caput in quinque partes, quarum prima agit de actoribus vel accuſatoribus, ſecunda de advocatis, tertia de teſtibus, quarta de reo, quinta de judice.

Nuper vidimus pompoſam compaритionem eorum, qui actionem contra Paulum inſtituerunt. Cœpimus quoque videre acta advocati, cujus ope ac miniſterio in actione inſtituenda uſi ſunt. Poſtquam de hujus nomine & officio in genere actum fuit, ad orationem ejus acceſſimus, eamque in quatuor partes diviſimus. Prima pars aucupatur animum Præſidis, ſecunda criminatur Paulum, qui reus erat in hoc judicio, & contra quem inſtituebatur actio, tertia inſimulat Claudium Lyſiam, quòd Paulum è manibus accuſatorum eripuiſſet. Quarta denique judici commendat cognitionem cauſæ.

Vidimus nuper aucupationem, accedimus nunc ad criminationem, in qua hic advocatus Paulum vocat peſtem, & peſtilentiæ ejus noxam evincere conatur ex ſeditionibus contra politiam excitatis, itemque ex ſectariis illius actionibus contra Eccleſiam atque templum.

1. Vocat peſtem, i. e. hominem noxium, qui inſtar peſtis contagio ſuo omnia corrumpat & incendat. Criminatio igitur nihil aliud eſt, quàm conviciatio & calumniatio. Accuſare licitum eſt, ſed conviciari & calumniari nec advocatis nec cuiquam Chriſtiano

Digitized by Google

nõ licitum. Epheſ. 4. 31. Tit. 3. v. 2. 1 Cor. 6. 10. Advocatus ita debet controverſa rei peccata proponere, ut appareat, ipſum non eſſe hoſtem adverſarii qui famam ejus perdere ſatagat, ſed eſſe patronum ſui clientis, in cujus defenſione finem ſuum aſſequitur. *Object.* At erat judicium criminale, in quo vita & fama rei petebatur, in quo judicio crimina non nudè proponenda ſunt, ſed etiam exaggeranda, ut animus judicis incendatur ad vindictam. *Reſp.* Iſta exaggeratio non opus habet convitiis, ſed fieri poteſt rationibus. Prudens judex non curat convitia ſed rationes. *Inſtantia.* At Concionatores pro concionibus ſic agunt, ut adverſarios veritatis vocitent peſtes, cancrum, corruptores, &c. *Reſp.* 1. Judicium inter Concionatores & Hæreticos non verſatur amplius in controverſia, ſed eſt deciſum in verbo Dei, adeoque cum Hæreticis convitium dicitur ex cathedra, profertur contra illos ſententia à Spiritu S. in Scripturis pronunciata, nec controverſiæ noſtræ contra Hæreticos dubitationem admittunt, nec ſunt adhuc ſub judice & deciſionem expectant, adeoque in dogmatibus indubitatis Hæreticis impingere crimen peſtilentialis hæreſeos, non proficiſcitur ex felle, ſed ex fide Scripturæ. Adverſarii Orthodoxorum Concionatorum jam tùm condemnati, & ab ipſo judice talibus titulis inſigiti ſunt. Concionatores neminem convitiantur, ſed ſine exacerbatione animi hominibus applicant maledicta Scripturæ contra peccata, quæ faciunt. Hoc nihil ad advocatos, qui accuſant crimina controverſa & nondum judicata, ideoque & partibus & advocatis Chriſtiana moderatione opus eſt, & neutrorum litigatio odio & acerbis convitiis debet ſcatere Phil. 4. 5. 2. Cùm Concionatores ex cathedra in nomine Dei litigant & contendunt cum auditoribus ſuis, non ſunt auditorum adverſarii advocati, ſed loquuntur auditoribus, ut ipſis à Deo præfecti. Non equidem invitus patior, nos Concionatores comparari cum advocatis, ſed tamen non ſine diverſitate. Chriſtus enim παράκλητος ſeu *advocatus* 1 Ioh. 2. Spiritus S. παράκλητος ſeu *advocatus* Ioh. 16. Et nos, qui Chriſti & Spiritus S. miniſtri ſumus, advocatorum nomen non ſine cauſa gerimus, quia nomine Dei contendimus pro fide & pietate contra impios. Chriſtus advocatus, quia virtute meriti ſui pro nobis erat Rom. 8. Spiritus S. advocatus noſter, quia in foro conſcientiæ noſtræ pro nobis loquitur, & cùm ſeducimur ad vias malas, perſuadet & convincit conſcientiam noſtram, ut inde nos expediat, cum verò angore conſcientiæ tentamur, judicium abſolutionis nobis impetrat, facitque ne conſcientia noſtra nos condemnet, ſed ut nos abſolvat à peccatis & adjudicet nobis vitam cœleſtem. Et in hac contentione coram conſcientia veſtra nos ſervimus Spiritui S. ſumuſque ejus inſtrumenta, per quæ in judicio veſtræ conſcientiæ vobis obtinetur ſententia abſolutionis. Differt igitur noſtra advocatio ab advocatis forenſibus. Nam

1. Vos eſtis noſtri clientes, non adverſarii, quorum bonum quærimus.

Digitized by Google

Etſi vobiſcum litigamus, & vos reprehendimus, tamen vos non eſtis noſtri adverſarii.

2. Chriſtus eſt noſter Patronus, cui ſervimus & cujus cauſam agimus. Advocati curiales Dominos ſuos vocant (Heere Meesters) pro quibus litigant. Nos non ſic. Eccleſia enim eſt pupillus ſub tutela Chriſti. Chriſtus igitur, ut caput & tutor Eccleſiæ nos mittit ad litigandum pro Eccleſia. Litigamus pro Eccleſia & in bonum Eccleſiæ, ſed auctoritate Chriſti, & ſecundum voluntatem ejus & inſtructionem.

3. Adverſarii noſtri ſunt Diabolus, mundus, impii Doctores & ſeductores.

4. Lex & jus noſtrum eſt verbum Dei. Non Bartolus & Baldus, Corpus juris &c. ſed liber ex cœlo revelatus.

5. Judex & teſtis noſter veſtra conſcientia. *Vobis loquimur tanquam prudentibus, judicate vos quæ dicimus.* Nec per plateas teſtes conquirimus, ſed ad conſcientias veſtras in materia facti appellamus.

Cùm itaque nos ex cathedra accuſationem inſtituimus, & vobiſcum contendimus, vos non eſtis noſtri adverſarii, contra quos agimus ſed eſtis noſtri clientes, pro quibus agimus, & quorum bonum quærimus. Cur igitur nos reprehenditis, accuſatis, vituperatis, *inquis? Reſp.* Ut conſcientiam veſtram excitemus ad faciendum officium judicis, ut ita per judicium propriæ conſcientiæ expediamini ex laqueis adverſariorum veſtrorum, qui vos captivos duxerunt ſub ſuam voluntatem. Sicut, ſi quæ fœmina uxor, in alieni viri amorem pellecta cum ipſo mœchatur, maritus ejus oratorem ad uxorem ſuam mittit, qui apud propriam conſcientiam eam accuſet, perſuadeatque ut relicto mœcho redeat ad legitimos amores; is orator mittitur ad uxorem illam, non ut ad adverſarium, ſed tanquam ad clientem. Mœchus, qui eam pellexit, eſt adverſarius. Sic vos, poſtquam vos mundus, Satan & caro pellexit, ut deſerto Chriſto marito veſtro colludatis cum mundo, & faciatis ejus voluntatem, Chriſtus maritus veſter nos mittit, ut apud veſtram conſcientiam cauſam ipſius agamus, ut ita judicio veſtræ conſcientiæ expediamini ex amore mundi, qui vos cepit. Vide commiſſionem noſtram, quam à Chriſto habemus Oſe. 2. 1. 2. Vos igitur non eſtis noſtri adverſarii, ſed Diabolus, Mundus, Hæretici, Anti-Chriſtus in Scriptura condemnati. Vos potius noſtri clientes, quorum bono litigamus, ut ſcilicet vos extricemus ex laqueis adverſarii, qui vos cepit. Quoniam tamen apud vos ipſos, & apud tribunal propriæ veſtræ conſcientiæ cauſam Chriſti agimus, ut inde dimiſſionem veſtram ex manu adverſariorum impetremus, non eſt mirum, nos omnia adhibere media, & tùm ſuaviter tùm duriter vos alloqui, ut dormientem illum judicem, i e. conſcientiam veſtram excitemus & cauſam Chriſti apud vos obtineamus. Sic enim Chriſtus, qui veſtro bono nos ad hanc litigationem miſit, nos expreſsè facere, juſſit, 2 Timoth. 4. 2. Licita igitur nobis multa, quæ advocatis & partibus

in

in judicio forenſi non ſunt licita, quia peculiarem miſſionem & inſtructionem ex cœlo habemus, quam illi non habent. Neque tamen habetis cauſam querendi de noſtra duricie in contentione noſtra vobiſcum. Nam quod facimus, veſtro bono facimus, ut veſtri medici & Chirurgi, ut ſani ſitis in fide & ſicut vos accuſamus, ita non minus hortamus, imò precamur. Et ſic nos advocatos agimus coram tribunali veſtræ conſcientiæ. Si patimini nos cauſam obtinere, Chriſtus vobis advocatus erit ad tribunal Dei, & ſpiritus erit veſtræ conſcientiæ advocatus, cùm nos amplius loqui vobis non poſſumus.

II. Dat tres rationes, cur Paulum vocet peſtem, ſcilicet 1. Quia inter omnes Judæos in orbe terrarum diſperſos ſeditiones excitet. 2. Quia ſit primarius antiſtes ſectæ Nazaræorum. 3. Quia templum polluerit, inducendo ſcilicet Gentiles Actor. 21. 28. Tria hæc crimina, quæ toti Chriſtianæ religioni ſolent impingi, ſcilicet quòd turbas cieat, quòd ſit ſecta, ſingularibus opinionibus à communi ſenſu totius mundi diviſa, & quod ſimplicitatem obſervans non amet ceremonias, in quibus tùm Judaiſmus tùm Ethniciſmus vitam religionis conſtituit. Non eſt, quòd his inhæreamus, quia ſingula poſtea refutabuntur à Paulo. Diſcamus modò patienter ferre, cùm hæc tria nobis exprobrantur. Nam

1. Nihil uſitatiùs quàm reformatis objicere ſeditiones. Totum illud incendium, quod Germaniam combuſſit, reformatis imputatum, quia apud reformatos initium ſumſit. Quaſi non à domo ſua incipiat affligere Dominus 1 Petr. 4. 17. & inde ſe extendat ad cæteros! Si cæterorum peccata non fuiſſent matura, reformatorum peccata eos non perdidiſſent. Bona cauſa & defenſio illius ſemper pia eſt, ſed non eſt ſemper fœlix, propter peccata hominum. Profeſſio & defenſio Euangelii parit turbas, ſed per accidens Matth. 10.

2. Vocamur ſecta, quia in doctrina de prædeſtinatione, corruptione, libero arbitrio, regeneratione, perſeverantia Sanctorum, natura & virtute Sacramentorum, &c. non conformamus nos cum totius mundi opinionibus, ſed ſoli ſumus, qui doctrinam de pura, libera & efficaci gratia Dei erga electos ſartam & tectam ſervamus. Dolemus ex animo, nos cogi eſſe ſingulares in iſtis doctrinis, & mallemus conſenſum aliorum, ut Deus à plurimis magnificaretur, & homines in abnegatione ſui ipſius confirmarentur. Ea enim vis religionis eſt, & ad praxin neceſſaria.

3. Dicimur templa polluere, quia nimis ſimplices ſumus in religione, & ejectis imaginibus & neglectis cæteris templorum ornamentis religionis virtutem in eo ponere ſatagimus, ut anima & corpus noſtrum ſit purum templum Domino.

Diſcamus benefacere & malè audire. Servus non eſt melior Domino. Si Patrem-familias appellârunt Beelzebub, &c. Matth. 10. 25. vide Luc. 6. v. 22. 23. O ſi poſſemus contemnere contemptum & ludibria mundi, quàm

Digitized by Google

retineret hoc nos à multis peccatis. Sed quia honorem quærimus apud homines, non poſſumus credere Iohan. 5. Sed offendimus Deum & facimus, quod homines volunt. Eſt hoc contra confeſſionem Chriſti & gravem habebit pœnam, Matth. 10. v. 32. 32. Mundi contemptus facilè perit. Sicut fœtor quidem moleſtus eſt, ſed hoc habet, quòd facilè evaneſcit: Ita contemptus mundi ægrè facit. Sed tamen citò peribit, verùm ira Dei maneat in æternum.

Nazaræorum nomen Chriſtianis datum à Chriſto, qui Nazaræus vocabatur, idque non tantùm à malitioſis hominibus, qui ipſum ſic vocabant, quòd Nazarethâ oriundus eſſet, *unde nihil boni poſſe proficiſci*, proverbium habebat. Iohan. 1. v. 47. Sed etiam ex conſilio Dei, ut ipſo nomine impleta intelligeretur prædictio Prophetarum, prædicentium ipſum fore Nazaræum. Matth. 2. ult. i.e. *Separatum à peccatoribus, & abſtinentem à potu robuſto.* Cùm igitur etiamnum Judæi nos hoc nomine vocant, optemus in nobis quoque impleri illam prophetiam, ut ſimus veri Nazaræi, à mundo ſeparati, & mundi vitiis non inquinati.

III. Tertia parte orationis advocatus Claudium Lyſiam inſimulat, quòd Paulum eripuerit per vim volentibus ipſum judicare ſecundum legem ſuam, eoſque conſtrinxerit, ut ad aliud tribunal ſe conferre fuerint coacti, q. d. Ipſi debebamus eſſe indices, & ipſe nos conſtrinxit eſſe actores. Non habebant jus vitæ & necis. Hoc enim Romani ad ſe traxerant. Habebant tamen pœnas quaſdam minores, itemque poteſtatem aliquem condemnandi ſecundum legem Dei, etſi exſequutionem à Romanis petere tenebantur. His judiciis ſe uſuros fuiſſe contra Paulum, dicit advocatus, ſed mentitur. Non enim intentio eorum erat contra Paulum judicialiter agere, ſed per tumultum & conjurationem occidere Act. 21. 31. & 23. 14. 15. Ne advocemus mendacia in judiciis. Deus eſt Præſes in omnibus judiciis 2 Cor. 19. 6. Qui igitur judicem nititur fallere mendaciis, Deum nititur fallere, ſicut Ananias Actor. 5. Si mendacium extra judicium eſt res tàm turpis & abominabilis, ut omnes novimus, quantò magis in judicio, ubi in conſpectu Dei mentimur, & nitimur fallere judicium, in quo Deus præſens eſt.

IV. Quartâ parte petit, ut judex reum examinet & cauſam cognoſcat. Sciebat probè advocatus Romanus Romanum judicem ſuper quæſtionibus de religione nullam laturum eſſe ſententiam. Subdolè igitur agit, & hoc intendit, ut judex reum à ſuo tribunali arceat, & ad Judaicum remittat.

V. Pari modò agunt teſtes v.g. Teſtes ſine dubio non fuerunt ipſe Pontifex cum Senatu. Idem enim non poteſt eſſe actor & teſtis. Intelliguntur igitur ſubordinati quidam Judæi, pretio ad teſtimonium dandum conducti.

Sic in toto hoc negotio videtis ſpeciem & formam judicii, & intereà verè injuſtitiam in loco judicii. Caveamus ab omni falſitate tùm intra judicium tùm extra. Labia doloſa abominationi Deo. Falſitas cordis & ſinceritas cordis

Digitized by Google

dis directè inter ſe pugnant. Sed hæc latius tractantur in expoſitione noni præcepti, ubi ſe falſo teſtimonio & falſis teſtibus agendi locus eſt.

Actor. 24. *v.* 10. *ad* 14.

Conc. CCLII.

VIdimus in judicio, quod hoc capite deſcribitur, pompoſam comparitionem accuſatorum, fucatam & ſubdolam eloquentiam advocati, falſam affirmationem teſtium. Sequitur apologia Pauli accuſati, quam non per advocatum aliquem, ſed proprio ore peregit, confiſus promiſſioni magni illius Paracliti, quæ eſt, Matth. 10. 16. ad 21. cui promiſſioni etiamnum omnibus licet confidere cum experiuntur accuſationes mundi, Satanæ & conſcientiæ.

Non temerè autem Paulus in hanc apologiam prorumpit, ſed expectat indigitationem Præſidis. Poteſtatem prædicandi Euangelium utique locorum ab ipſo Chriſto habebat, & paſſim ſine conſenſu, imò contra interdicta Magiſtratuum prædicavit Actor. 4. 18. 19. 20. & 5. 28. 29. Hoc tamen in loco non niſi concedente Præſide voluit loqui, quia hìc ut captivus coram legitimo judice accuſabatur de commiſſis contra leges publicas criminibus. Voluit igitur ordini politico eſſe ſubjectus, ut ſuo exemplo diſceret Romanus Clerus, quod omnis anima debeat ſubeſſe poteſtatibus politicis, à Deo conſtitutis. Miniſtri quidem Chriſti non poſſunt parere Magiſtratibus in iis, quæ contra illum præcipiunt; veruntamen in iis quæ ſecundum Deum præcipiunt, parem cum cæteris obedientiam Magiſtratui debent Miniſtri Euangelii. Sicut enim Paulus Actor. 25. 11. teſtatur ſe velle eſſe ſub defenſione Cæſaris, ita hoc loco teſtatur ſe velle eſſe ſub obedientia Cæſaris. Dividi autem poteſt hæc apologia Pauli in duas partes, quæ ſunt.
1. Honorifica compellatio Judicis.
2. Refutatio criminum objectorum.

In Compellatione teſtatur judici, quod multum confidat, & lubens atque intrepidè coràm ipſo cauſam ſuam defendere velit: rationem dat, quia ſciat multis annis ipſum fuiſſe judicem iſtius populi, adeoque exercitatum multâ experientiâ circa Eccleſiaſtica diſſidia Judæorum. Non adulatur Felici, ſicut Tertullus fecerat, ſed tamen teſtatur ſe ipſi multum confidere propter experientiam diutinam, quam habeat in rebus Judaicis. Confer quod ad Agrippam dicit Actor. 26. 2. 3. Romani Judæos ſubegerant eâ lege, ut in rebus ad religionem pertinentibus nihil ipſi mutarent, nec ab aliis mutari permitterent, ſed Judaicam religionem contra omnes innovationes defenderent. Cum jam Chriſtiani à Judæis coram Romanis accuſarentur de apoſtaſia à religione, vel de conatu mutandi religionem publicam, multum intererat Chriſtianorum habere judicem Romanum rerum Judaicarum expertum. Nam qui in iſtis rebus peregrinus erat, nimium detuliſſet teſtimonio & autoritati magnatum. Hoc igitur eſt quod Paulus ſe dicit animare in

Digitized by Google

in judicio coram Felice quod Felix per multos annos Judææ Præſes rerum Judaicarum minimè ſit imperitus. Movent hic ſcrupulum Chronologi, quî à multis annis Judææ præfuiſſe dicatur Felix, quem non niſi per biennium fuiſſe Judææ Præſidem teſtetur Joſephus? Sed quid opus nobis eſt Pauli teſtimonium poſtponere Joſephi, aut quis nobis perſuadeat, annorum & hiſtoriarum conſtructionem apud Chronologos eſſe tam accuratam, ut inter Paulum & Joſephum nulla poſſit dari conciliatio. Ipſe Joſephus, etſi toti Judææ nonniſi biennio præfuiſſe videatur innuere, tamen concedit parti Judææ & viciniæ diu præfuiſſe. Nobis ſufficit hinc obſervare, quod multum interſit Reipublicæ & ejus incolis judices & rectores habere, longâ rerum experientiâ excultos. Acrimonia naturalis judicii, & ſtudiorum ſcholaſtica cultura aliquid faciunt, ſed experientia in rebus regiminis facit utramque paginam. Hæc cauſa eſt cur Judices & Rectores in Scriptura vocantur Seniores, & apud Romanos & Græcos Senatores, non quod in canicie & rugis tantum ſitum eſſet, ſed quia judicia cauſarum & gubernacula rerum competant viris experientia excultis Num. 11.16. Elige ſenes quos ſcis eſſe ſenes & officiarios, id eſt, quos ſcis propter rerum experientiam verè eſſe Seniores. Et grave detrimenium Reipublicæ eſt, cum ſenes amoventur atque experti. Eſa. 3. 2. Nec fruſtra conſignatum à Spritu ſancto iſtud exemplum Rehabeami 1 Reg. 12. 6. 8. Diſcamus æſtimare tales & venerari tanquam currus & equites Iſraëlis, ſive ſint in politico regimine, ſive in Eccleſiaſtico Miniſterio. Non diſputabo nunc iſtud problema, an juvenes ſint idonei ad capeſcendam Rempublicam? Sed hoc tantum dico, juvenes regimini admotos debere cavere præſumptionem & audaciam, & cogitare, quod non tam ideò ad regimen admiſſi ſint ut regant, quàm ut regere diſcant. Vide Eſa. 3. v. 4. 5.

Refutatio criminum ſequitur filum Tertulli accuſantis. Sicut enim is tria crimina obgeſſerat Paulo v. 5. 6. ſcilicet. 1. Concitationem ſeditionum. 2. Hæreſin Nazarenam. 3. Profanationem templi: Ita Paulus eodem ordine iſta tria crimina diluit. Seditionis concitationem inficiatur & refutat his argumentis. 1. Quia non niſi ante duodecim dies Hieroſolymam venerit, idque non niſi adorandi cauſa. 2. Quia paucis illis diebus, quibus Hieroſolymæ fuerit, neque in Templo, neque in Synagogis, neque in urbe vel plateis cum quoquam homine loquutus ſit, neque ullam populi multitudinem convocaverit. 3. Quia nullis documentis probari poſſit, quòd uſpiam alibi in terrarum orbe ſeditionem aliquam concitaverit v. 11. 12. 13.

Quod ad hæreſin attinet, fatetur rotundè, ſe Deum colere ſecundum illam viam, quam Judæi appellant hæreſin, ſed negat ſe propterea poſſe accuſari coram Romano judicio, tanquam perverſor aut innovator religionis Judaicæ, quam Romani Judæis permiſerant, & defendendam ſuſceperant. Rationes reddit quatuor:

1. Quia

Digitized by Google

1. Quia eundem Deum colat, quem patres ſui & Judæorum v. 14.

2. Quia eandem regulam fidei teneat, quam patres tenuerunt, ſcilicet legem & Prophetas. ibidem.

3. Quia in primario articulo religionis, de quo inter Judæorum ſectas contentio erat, ſcilicet in articulo de reſurrectione mortuorum idem ſentiat cum Phariſæis, adeoque non poſſe à judice condemnari, niſi & ipſi Phariſæi condemnentur. v. 15.

4. Quia nihil faciat contra honeſtatem aut pietatem & juſtitiam, ſed potius ſedulo det operam, ut juxta orthodoxiam habeat inoffenſam conſcientiam erga Deum & homines. v. 16.

De profanatione templi, quam Tertullus objecerat,

1. Narrat ex qua occaſione nata ſit iſta criminatio, ſcilicet, quod eleemoſynarum & ſacrificiorum causâ Hieroſolymam delatus templum ingreſſus ſit, ut ſe purificaret. v. 17. 18.

2. Teſtes oculares hujus ingreſſus in templum non eſſe hos Judæos, qui præſentes ſint & Paulum accuſent, ſed Aſiaticos quoſdam, qui non adſint. v. 18. 19.

3. Se poſtquam propter hunc ingreſſum in templum ad ſynedrium delatus ſit, ab ipſa Phariſaica parte ſynedrii eſſe abſolutum ab hoc crimine. v. 20. 21. ſi quod facinus contra templum commiſiſſet, ſine dubio de hoc in ſynedrio fuiſſet actum. At non fuit. Refutat igitur hoc crimen dupliciter: 1. Per rejectionem accuſationis propter abſentiam teſtium. 2. Per provocationem ad teſtimonium quorundam ex ipſis accuſatoribus. Paulus quidem hìc edit confeſſionem ſuæ fidei, verum non quatenus Concionator ad inſtituendam Eccleſiam, ſed quatenus captivus Felicis, ad convincendum judicem Ethnicum, quod nihil fecerit, propter quod eum punire poſſit, quodque non violaverit ullas leges, aut privilegia Judæis à Romanis conceſſa.

Hac vice paucula dicemus de refutatione primi criminis, videlicet objectæ ſeditionis.

Quatuor hic argumenta.

1. Ante duodecim demum dies Hieroſolymam veni. Ergo nullam ſeditionem concitavi. Valet conſequentia tantò magis quod primo ſtatim poſt adventum ſuum die, de conſilio Chriſtiani presbyterii ſe ſanctificavit, & die ſequente templum ingreſſus eſt, atque ibi manſit, donec caperetur, & ex illo tempore captivus fuit in manibus Romanorum, imò jam tum quinque diebus Cæſareæ fuit, ut patet ex Actor. 21. 17. 18. 26. 27. & cap. 24. 1. Vetus hic ſcrupulus eſt, quomodo Paulus Actor. 21. v. 26. 27. dicatur tertio poſt adventum die templum ingreſſus eſſe atque ibi maſiſſe, donec ſeptem dies implerentur. Si tertio poſt adventum die templum ingreſſus eſt, ſi ſeptem dies ibi manſit, ſi ad minimum per biduum fuit in caſtello, ſi per triduum in itinere, ſi per quinque dies Cæſareæ fuit, quomodo dicit, quod non plures ſint quam duodecim dies ex quo Hieroſolymam venerit? *Reſpond.* 1. Non dicit Lucas Actor. 21. 27. quod Paulus per ſeptem dies in templo manſerit, ſed quod manſurus tamdiu fuiſſet, donec

Digitized by Google

ſeptem dies purificationis finiti eſſent, niſi primo ſtatim die captus fuiſſet. Non dicit quod per ſeptem dies in templo manſerit, ſed quod intraverit cum propoſito tamdiu manendi. 2. Sed rectius dicitur, quod ſenſus iſtius verſus ſit, Paulum tertio poſt adventum die templum ingreſſum ibi manſiſſe uſque ad finem Pentecoſtes, & tum eſſe ejectum. Pentecoſtes enim feſto Hieroſolymam venit Actor. 20. 16. quod erat feſtum ſeptem dierum, ſicut & Paſcha Levit. 23. 7. Num. 28. 24. Non igitur manſit ſeptem diebus in templo ſed uſque ad finem feſti ſeptem dierum i. e. Pentecoſtis, ingreſſus diu poſt initium iſtius feſti, & ſic facilior eſt computatio.

2. Non tumultuandi ſed adorandi causâ Hieroſolymam veni. Hic iterum ſcrupulus movetur, quomodo Paulus dicat ſe adorandi causâ Hieroſolymam veniſſe? Moris quidem Judæis erat diebus feſtis Hieroſolymam aſcendere, ut in templo adorarent, & ſacrificia facerent. At non probabile eſt Paulum eo fine eò profectum eſſe, quippe qui ſciebat uſum hujus ceremoniæ eſſe abrogatum, ad minimum non amplius neceſſarium. Ivit quidem in templum, ut oblationi ſacrificiorum aſſiſteret, ſed hoc non fecit, quia eo fine Hieroſolymam venerat, ſed quia venienti Seniores Chriſtianorum ita ſuaſerant, quomodo igitur ſine mendacio dicere poteſt, ſe adorandi causâ Hieroſolymam adſcendiſſe? *Reſpond.* Vox adorare ſæpe uſurpatur pro qualibet parte divini cultus. Joh. 12. 20. Et ſi ſic generaliter ſumas, fuit hic ſcopus Pauli, cujus gratiâ adeo feſtinavit ipſo feſto Pentecoſtes Hieroſolymæ eſſe, ut ſcilicet adoraret, id eſt, ut Deum coleret prædicando Euangelium apud multitudinem hoc feſto congregatam. Diligens captatio occaſionum ad propagandum regnum Dei eſt etiam adoratio & cultus divinus. Nullus igitur hic prætextus mendacii.

3. Dum Hieroſolymæ fui non inventus ſum cum quoquam homine colloqui, nec ullam convocationem populi inſtituere, neque in templo, neque in ulla ſynagogâ, neque in ulla plateâ, ſum Phariſæus & Phariſæi filius, ſum Doctor populi, licuiſſet mihi in templo, in Synagogis, in plateis populum docere, & fateor me eo ipſo fine Hieroſolymam aſcendiſſe, ut occaſionem haberem in feſto Pentecoſtes populum docendi. Et tamen non feci, quia impeditus ſum conſilio amicorum, & ad aliam quandam religionis partem in templo perficiendam diverſus ſum. Quod ſi nemini ſum loquutus in templo, quî potui ſeditionem citare?

4. Denique quod Tertullus dixit, me per totum orbem terrarum ſeditiones excitâſſe inter Judæos vel contra Judæos, id ſimpliciter inficior, & certus ſum quod hujus accuſationis nulla poſſint adferri documenta & teſtimonia.

Ecce tantopere laborat Paulus ad removendum à ſe tumultûs, ſeditionis, & violentiæ crimen. Paulus erat vehemens, igneus, vigilans, diligens, & ſtrenuus propagator regni Dei, ſed non violentus, & turbulentus, ac impetuoſus. Hoc nos Chriſtiani debemus imitari; decet nos eſſe in rebus religionis & juſtitiæ tum exercendis tum defendendis,

Digitized by Google

dendis, ſerios, igneos, diligentes, alacres, ſed non violentos. Hoc vitium omni ope à nobis amoliri debemus, ut Paulus hîc facit. Eſt enim vitium

1. Scripturæ contrarium. *Viri violentiæ damnantur*, 2 Sam. 22. 49. Pſal. 140. 2. 5. Pſal. 11. 5.

2. Eſt contra lenitatem, manſuetudinem, longanimitatem, & patientiam Chriſtianam. Chriſtianus non debet eſſe ſicut τυφωνικὸς εὐροκλύδων Actor. 27. 14. Sed debet eſſe imbutus fructibus Spiritus ſancti, qui deſcribuntur Gal. 5. 22. Debet habere animum mitem & manſuetum 1 Petr. 3. 4.

3. Eſt contra ordinem divinitus inſtitutum. Deus non nudavit. Rempubl. poteſtate coactivâ, quæ gladio & violentâ manu exercetur, attamen iſtam poteſtatem non reliquit unicuique pro arbitrio exercendam, ſed reſtrinxit ad magiſtratum populi, ut neceſſaria violentia exerceatur cum ſapientiâ & conſilio. Sicut œconomia non poteſt eſſe ſine igne, attamen ignis non eſt per totam domum diſperſus, ſed reſtrictus eſt ad focum, atque inde prudenter diſpenſatur ubi neceſſe eſt: ita ſine violentia & poteſtate coactivâ, quâ probi defenduntur, & improbi ſupprimuntur, non poteſt ſalva eſſe Reſpubl. ſed illa tamen violentia & poteſtas coactiva habet ſuum locum in quem recondi debet Matth. 26. 52. nimirum aulam atque curiam, unde nemo debet auferre, niſi ſub auſpicio & auctoritate Magiſtratus. Diſtinguendum itaque inter violentiam publicam, & animum turbulentum ac impetuoſum. Illa divinitus inſtituta, hic præceptis Dei contrarius eſt. Atenim quæ illa violentia animi, quæ præceptis Dei contraria eſt. *Reſpond.*

1. Importunitas in deſideriis & precibus ad Deum de rebus temporalibus. Sunt homines qui longis precibus Deo audent importuni eſſe, ut ipſis det revelationem rerum futurarum, quas avidè deſiderant ſcire, ut ipſorum causâ miracula faciat, ut det divitias, ſanitatem, gloriam, victoriam. Sic ſacrificuli, cum victorias petunt, habent preces 40. horarum, ſic Enthuſiaſtæ tam confidenter & præſumtuosè à Deo flagitant & poſtulant quod volunt, ut longis & calidis precibus videantur cœlum oppugnare, & Deo extorquere velle quæ deſiderant. Novimus licitum eſſe Chriſtianis etiam temporalium rerum deſideria Deo per preces manifeſtare, ſed novimus hoc faciendum cum manſueta ſubmiſſione deſideriorum noſtrorum ſub voluntatem Dei Matth. 26. 39. Pſal. 51. 20. Matth. 8. 1. 2 Sam. 15. 25. 26. Cum hanc ſubjectionem deſideriorum negligimus in precibus, & Deum nimiâ violentiâ & importunitate urgemus ad dandum quod volumus, Deus quidem patitur aliquando ſibi id extorqueri, ſed cum dat, in irâ dat, ſicut Iſraëlitis coturnices, & Regem Num. 11. 30. Oſe. 13. 11. Imò tradit tales importunos precatores deluſionibus Satanæ, ut, putantes ſe revelationes & dona à Deo accipere, reverà accipiant à Satana 1 Reg. 22. 20. &c.

Caveamus igitur Deo eſſe importuni immoderatis deſideriis rerum temporalium. Deus tantam violentiam non fert. *Obj.* Atqui *regnum cœlorum patitur vim & qui vim faciunt*, &c. Matth. 11.

Digitized by Google

12. adde quod eſt Luc. 11. 8. & 18. 5. *Reſpond.* Res temporales non ſunt neceſſariæ ad Regnum Dei. Quæ ad Regnum Dei abſolutè ſunt neceſſaria e. g. remiſſio peccatorum, regeneratio, & perſeverantia in bono per Spiritum ſanctum, facite ibi vim quantam vultis & poteſtis, non ponimus vobis terminos. Sed in rebus non neceſſariis precemini inſtanter & fervide, ſed non facitote hoc infractis deſideriis, & cum violenta importunitate. Commendatur his locis diligentia & perſeverantia in precibus, ſed non violentia & impetuoſitas.

2. Exacerbatio contra Deum & homines, cum res non fluunt ex voto: ſæpe fit ut res temporales petamus à Deo, & quidem licitè, & tamen Deus nobis immittit contrarium. Petimus honorem, ſanitatem victoriam, Deus verò dat ignominiam, morbum, cladem, ſicut patet in exemplo Jobi. Job. 1. & 2. cum hoc fit, quomodo ſe gerunt homines? Maledicunt Deo, lacerant homines, quærunt, in quem culpam rejiciant, concitant turbas, ſeditiones, rumpunt ordinem & diſciplinam, pulverem projiciunt in aërem, clamitant unus hoc alius aliud. Tam violentus turbo erat inter Judæos ſub præſidio Felicis & Feſti, ut teſtatur Joſephus, ideóque Paulum quoque hujus violentiæ voluerunt inſimulare, ſed audivimus quantopere hoc vitium à ſe amoliatur Paulus, quippe ſciens Chriſtianos eam minimè decere. Neceſſaria ſemper in omnibus adverſis, ſed præcipuè hoc tempore nobis hæc inſtitutio eſt. Implicitiſumus in novum bellum, juſto quidem Dei judicio, ſed mala voluntate eorum, qui, ut verificarent vetus verbum, quod omnis apoſtata ſit perſecutor ſui ordinis, miſſis cæteris, gladium ſuum primò omnium convertere voluerunt in eos, à quorum fide defecerunt. Deſideria felicis ſucceſſus hujus belli tam importuna & violenta ſunt, ut niſi ſingulis diebus aliquid proſperitatis audiatur, ſed ſubinde aliquid cladis & jacturæ, rumpamur ferè impatientiâ. Abſit à me reprehendere frequentem illum confluxum ad preces pro ſucceſſu hujus belli, indictas à magiſtratu. At enim quis non indignetur, cum videt ſucceſſum belli majori impetu apud Deum urgeri, quàm diebus Dominicis urgentur res ad regnum Dei pertinentes? Abſit à me ut ægrè feram, quòd populus de ſucceſſu hujus belli adeò turbatus & perplexus eſt. Attamen cogitate illud quod eſt Pſal. 4. 5. *Turbamini & non peccate; eſtote ſolliciti, ſed non exacerbamini contra Deum, Magiſtratum, milites, non meditemini tumultus & violentiam, maledictiones* &c. in præjudicium ordinis & authoritatis publicæ, ſed eſtote manſueti, tranquilli, patientes, facite quod quiſque ſecundum vocationem debet, & eſtote contenti ſucceſſu & eventu, quem Deus dabit. Nam

1. Non eſt ſignum Deo diſplicere noſtrum bellum, aut noſtram cauſam, ſi non ſtatim largitur ſucceſſum. Vide exempla Joſuæ 7. 8. &c. Jud. 20, 18. &c. hæc duo bella erant ab ipſo Deo præcepta, & tamen malè initiò ſuccedebant. Humiliare vult antequam coronare.

2. Victoriæ non ſunt res neceſſariæ; poſſumus

Digitized by Google

poſſumus ſalvari, etiamſi ſuccumbamus hoſtibus. Utile fateor & jucundum eſt dominari hoſtibus, ſed non abſolutè neceſſarium. Chriſtus & Apoſtoli cum totâ ſuâ gente nunquam viderunt libertatem patriæ, ſed in ſervitute hoſtium nati & mortui ſunt, attamen ſalvati. Fortè nobis ad ſalutem utilius eſt carere iſto flore & glorioſo ſtatu patriæ, quo hactenus fruiti ſumus, quia ipſo facto ſatis teſtamur nos non poſſe eo benè uti, ſed potius abuti ad periculum æternæ noſtræ ſalutis. Quid ſi etiam Deus ſine victoriâ noſtram pacem & libertatem reſtituere & conſervare vellet, annon poſſet? an deſunt ipſi media? annon habet poteſtatem in animos hoſtium, ut eos inclinet ad pacem, annon poteſt inimicos in amicos convertere iis quorum viæ ipſi placent Prov. 16. 7.

3. Impetuoſitas & impatiens turbulentia populi impedit ſucceſſum belli, non tantum quia eſt peccatum Deum irritans, ut ſuprà oſtendimus, ſed quia rumpit & perdit auctoritatem & poteſtatem publicam, quæ eſt anima belli. Non aliud exemplum vobis ob oculos ponam, quam quod recens eſt in illâ ipſâ factione, quacum nobis aliqua ſpecies belli eſt. Illi ante decem circiter annos bellum occepêre inteſtinum, talibus ſubnexum principiis & fundamentis, quæ coram mundo defendi poterant, idque ſub auſpicio authoritatis publicæ. Et quamdiu res ita gerebatur, ſucceſſus erat talis, ut feliciſſimus & ſaluberrimus Proteſtantium Eccleſiæ eventus inde expectaretur. Sed quid? cum non ſtatim omnia fluerent ex voto, impetus & importunitas ac impatientia populi ſe extulit, auſpicia publicæ authoritatis diffidentiâ gravavit, poteſtatem belli ad ſe pertraxit, eamque in confuſionem redegit, & cum factionibus & ſchiſmatibus adminiſtravit, ut jam nullus ibi fructus belli appareat, ſed perdita ſit religio, Rex, libertas, pax, conſcientia & bona fama. Unde hoc? ex ſola importunitate, violentiâ, turbulentiâ & impetuoſitate populi, quâ ſucceſſum belli voluerunt præcipitare. An hoc imitabimur? Simus quæſo tranquilli, ſucceſſum belli commendemus Deo, & auſpicio poteſtatum divinitus ordinatarum, juvemus eos precibus, pietate vitæ, & lubenti contributione mediorum, & placeat nobis ſucceſſus, quem largietur Deus, nil dubitantes, quin ſit futurus ſalutaris. Vid. Iſai. 30. 7. & 15. quod dictum propriè carpit tumultuantem populum in urbe Jeruſalem. Temporalia cupiamus deſideriis moderatis, idque unicè & ſine menſurâ petamus, ut ſummum noſtrum bonum obtineamus.

Actor. 24. v. 14. 15. 16.

Conc. CCLIII.

SEquitur refutatio ſecundi criminis à Tertullo objecti, ſcilicet hæreſos. In hac parte refutationis habes.

1. Ingenuam confeſſionem religionis, quam ſequitur Paulus & profitetur.

2. Demonſtrationem evidentem, quod hæc religio non ſit apoſtaſia à verâ & antiquâ religione Judæorum, quam Præſes Romanus jure capitulatio-

Digitized by Google

nis teneatur defendere. Scopus enim hujus confeſſionis non eſt totam & integram fidei confeſſionem edere, ſed tantum probare quod non defecerit à religione Judaicâ, nec novam cupiat introducere religionem. In confeſſione rotundè declarat, ſe Chriſtianum eſſe, quantumvis Chriſtianiſmus à Judæis vocetur ſecta Nazarenorum. Profeſſio & praxis Chriſtianæ doctrinæ à Judæis gravem patiebatur perſecutionem, & traducebatur odioſo nomine hæreſeos, & hæreſeos Nazarenæ. Hoc non obſtante Paulus apertè profitetur ſe Chriſtianæ religioni eſſe addictum, & ſecundum ejus præſcriptum atque ductum Deum colere. Chriſtiana religio à Judæis vocabatur ſecta vel hæreſis, Paulus autem illam appellat viam. Secta & via differunt ſicut ductio & ſeductio differunt. Chriſtiana religio eſt unica via regia ducens ad ſalutem, ſed hæreſis eſt ſectatio (**eene involginghe ende aenhanginge**) ſeductorum ab hac regiâ viâ ſalutis deducentium in exitium, qualis oppoſitio inter hæreſin & viam veritatis etiam habetur 2 Petr. 2. v. 1. 2. 3. Chriſtianiſmus eſt via regia ſalutis, quam Chriſtus noſter paſtor nobis manifeſtavit in Scripturâ, & in quâ nobis miniſtros Euangelii dat ὁδηγοὺς Actor. 8. 31. Sed hæreſis eſt via devia (**een bywegh**) quam præter & extra Scripturam comminiſcuntur ſeductores inſtinctu Diaboli, & qui hanc deviam viam vel comminiſcitur vel ſequitur, vocatur homo hæreticus Tit. 3. 10. Non eſt mihi animus commentaria de hæreſi hìc ſcribere, ſed ſufficit vobis hæc duo dicere.

1. Quod homo tum dicatur fieri hæreticus vel ſectarius cum recedit & aberrat à regiâ antiquâ & catholicâ viâ veritatis in Scripturâ revelatâ, & ſectatur opiniones veritati contrarias, hoc enim clarè ſequitur ex hac oppoſitione viæ & hæreſeos. Si multum recedit eſt magnus hæreticus, ſi parum, parvus, & quantò quis in ſuis declinationibus & erroribus defendendis eſt pertinacior, & turbulentior, tantò pejor eſt hæreticus.

2. Quod hæreſis eſt graviſſimum peccatum & pericloſum ſalutis impedimentum Tit. 3. 11. Sunt enim hæreſes *inter opera carnis, quæ ex regno Dei excludunt* Gal. 5. 20. *Sunt exitiales homini* 2 Petr. 2. 2. Sicut cancer & peſtis depaſcunt vitam corporis, ita hæreſes conſumunt animam inſtar gangrænæ 2 Tim. 2. 17. *Falſi doctores ſunt lupi rapaces* Matth. 7. Nec mirum. *Sunt enim hæreſes everſio Euangelii, abnegatio Chriſti, blaſphematio & contemptus veritatis divinitus revelatæ, faſcinant hominum animos, inquinant ſcientiam & conſcientiam, corrumpunt ſemen regenerationis, pervertunt animum ut non ſit ſanus in fide, ſecumque trahunt diſcordias & perturbationes Eccleſiæ & Reipubl.* Gal. 1. 7. 2 Petr. 2. 1. 2. 3. 2 Tim. 2. 10. 11. 12. Gal. 3. v. 1. Tit. 1. 15. & 3. 11. Neceſſarium eſt igitur ut ab hæreſibus & ſectis nos ſervemus immunes. Deus quidem benè utitur hæreſibus 1 Cor. 11. 19. Scilicet ad probandos & manifeſtandos illos qui ſunt γνήσιοι υἱοὶ τῆς ἀληθείας, attamen in ſeipſis ſunt admodum odioſæ Deo, & exitioſæ hominibus, ſecus quàm multi putant, quibus perinde eſt quos opiniones homines negotio religionis foveant,

Digitized by Google

veant, modò honeſtè vivant, & Rempubl. non turbent, & generalem aliquam profeſſionem Chriſti edant. Ne ſimus ſapientiores Scripturâ, quæ non ſine ratione tantopere hortatur, ut vitemus hæreſes & hæreticos, & pro puritate doctrinæ contendamus, utque unâ illâ viâ, quæ ad ſalutem ducit, unicè inquiramus. Jerem. 6. 16. Deut. 13. 1. Matth. 7. 15. Rom. 16. 17. 2 Tim. 3. 5. At quomodo poteſt quis ita cavere ut non inficiatur hæreſi? *Reſpond.*

1. Tene Regulam: ne te vendas ſub authoritatem hominum, nec indulgeas philoſophiæ, & rationi humanæ, ſed volve Scripturam, quæ te poteſt reddere ſapientem ad ſalutem 2 Tim. 3. ne patere hunc librum tibi extorqueri.

2. Utere manuductione SS. Miniſterii: Hoc enim non minus eſt divinæ inſtitutionis, quam Scriptura eſt divinæ inſpirationis. Non eſt quidem inſtitutum ut dominetur tuæ fidei, & te obliget ad cæcam obedientiam, ſed eſt tamen inſtitutum à Deo, ut te in legendâ & intelligendâ S. Scripturâ manuducat Act. 8. v. 31. Adeoque ſicut Papiſtæ ſibi nocent, quod ſimpliciter ſe vendunt ſub authoritatem ſui cleri, ſine indagatione propriâ, ita condemnabilis & noxia eſt Anabaptiſtica audacia, qua auctoritatem & manuductionem SS. Miniſterii in contemptum abducere, & neceſſitatem ejus non agnoſcere ſatagunt, qui in videndo ſpectaculis utitur, propriis oculis videt, ſed ſpectaculis juvatur. Sic in diſcernendis rebus religionis, proprio judicio propriaque indagine utendum eſt, ſed non ſine manuductione & adjumento SS. miniſterii.

3. Tene fundamentum Chriſtianiſmi, hypotypoſin ſanorum verborum 2 Tim. 1. & analogiam fidei Rom. 12. indubitata præcepta legis, & indubitatos articulos fidei, quæ non tantum habent abundantiſſima teſtimonia Scripturæ, ſed etiam univerſalem conſenſum Eccleſiæ omnium locorum & temporum. Qui hæc tenet, nec recipit aliquid illis diſſimile aut contrarium, facilè ſe ſervabit immunem ab hæreſibus.

4. Sis humilis, abneges teipſum, & diligenter petas illuminationem Spiritus ſancti, Scriptura quidem lux eſt, ſed nobis deſunt oculi ad hanc lucem comprehendendam. Qui propriam cæcitatem & ineptitudinem ad ſalutarem comprehenſionem eorum, quæ ſunt Spiritus ſancti, non fatetur, agnoſcit & deplorat, nec illuminationem Spiritus ſancti implorat, & per ſcientiam ſuam, quam naturali intellectûs acrimoniâ ex Scriptura hauſit, ſeipſum inflat, is ſpiritu Dei vacuus facilè fit hæreticus vid. Pſal. 119. 15. 34. 73. Epheſ. 1. 16. 17. 18. 1 Tim. 3. 6. Ne ſimus ſicut illi de quibus Joh. 9. 41.

5. Secundum agnitam veritatem vive. *Ne detineas veritatem in injuſtitia* Rom. 1. 18. Sed quod ſcis Dei voluntatem eſſe, hoc nitere efficere, cave à peccatis contra conſcientiam, ſi ſic facis, creſces & fundaberis in veritate Joh. 7. 17. Phil. 3. 15. 16. En hæc ſunt quinque tuta media hominem præſervantia ab exitialibus hæreſibus, qui his diligenter utitur, eum ducit Spiritus ſanctus in omnem veritatem, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt.

Verum ſicut Eſaias teſtatur cap. 5. 20.

Digitized by Google

quoſdam homines adeo eſſe perverſos , ut quòd malum eſt appellent bonum , & quod bonum, malum , &c. ita à plurimis hominibus ipſa via & vera Chriſtiana religio vocitatur hæreſis & ſeductio. Sic Judæi Chriſtianiſmum vocabant hæreſin. Non tantum Phariſæi, Sadducæi, Eſſæi, Galilæi, Samaritani ſeinvicem appellabant hæreticos, ſed omnes illi communi conſenſu veram & ſalvificam religionem, quam Chriſtus & Apoſtoli docebant, vocabant hæreſin & ſeductionem. Sic etiamnum hodie inter Chriſtianos nulla eſt profeſſio , quantumvis ſint innumeræ, quin & alios vocitet hæreſes ac ſectas, & viciſſim ita vocitetur ab aliis : hoc multis occaſionem dat, ut nullam velint condemnare ſectam , ſed omnibus ex æquo addicti ſint, dicentes, ego ſum Chriſtianus, & hoc mihi ſufficit, & perinde mihi eſt cujuſcunque ſim ſectæ & profeſſionis. Hoc quidam faciunt ex ignavia , nolentes operam dare , ut veram & unicam viam ſalutis diſcant diſcernere à tot deviationibus & erroribus , aliqui ex amicitia erga mundum , ut crucem Chriſti effugiant, & totius mundi amicitiâ fruantur. Verum hi homines Euangelio non ſunt obedientes , viam ſalutis non quærunt, veritatem & mendacium perinde habent , non probant ſpiritus an ex Deo ſint , non probant omnia & retinent quod bonum eſt, non cavent ſibi à falſis Prophetis , in veſtitu ovium venientibus, non curant quod Deus blaſphemetur , non ſunt imbuti vero & ſollicito ſtudio ſuæ ſalutis , nec ſequuntur exemplum noſtri Apoſtoli, qui relictâ ſectâ Phariſaicâ , cui antea erat addictus , condemnatiſque cæteris Judæorum ſectis tranſiit in veram & unicam viam ſalutis , videlicet Religionem Chriſtianam , eamque ingenuè profeſſus eſt coram tribunali Felicis, non obſtante, quod Judæi iſtam religionem vocitarent hæreſin , eique in toto mundo contradicerent , & vehementiſſimè eam perſequerentur. Sic decet ſine metu mundi & mundanæ perſecutionis ac illuſionis , mendacia , errores, vitia rejicere publicè , & veritatem ac pietatem palam confiteri & teſtari. Hæc demum eſt vera confeſſio Chriſti, quæ ad ſalutem ſufficit, cum nos ſeparamus à deviis erroribus & peccatis mundi , & planè ingredimur unicam illam viam ſalutis , quæ verbo Dei conformis eſt , etiamſi propterea voceris hæreticus & tracteris ut hæreticus, qui hoc non facit, incurrit in illud Chriſti Matth. 10. 32. 33. Luc. 12. 8. 9. & 6. 22. Nobis Euangelicis hæc lectio neceſſaria , ſicut enim Paulus à Judæis vocabatur hæreticus, ita nos à Papiſtis.

Non tantum hæreſin Judæi appellabant Chriſtianiſmum, ſed hæreſin Nazarænorum ; hoc nomine appellabatur Chriſtus , appellabantur etiam Chriſtiani, ſed diverſa intentione , divinitus & humanitus. De Dei conſilio ſic vocantur Matth. 2. ult. unde & nomen hoc piis non diſplicuit Joh. 1. 46. Act. 2. 22. & 3. 6. & 4. 10. Monet enim hoc nomen Chriſtum ſurculum eſſe ex Jeſſe Davidis, lignum viride , arborem vitæ, nos verò vivas frondes huic arbori inſitas. Humanitus verò ſic appellabatur ab hoſtibus contemptus causâ, quia

Digitized by Google

quia putabant ipſum Nazarethæ natum, urbe contemptibili, *unde*, ſecundum ipſorum proverbium, Ioh. 1. 47. *nihil boni poterat proficiſci*. Sic ſolent hoſtes gloriam noſtram interpretari noſtrum dedecus.

Obſervandum quoque, quod Paulus non refutet, quòd Tertullus ipſum appellaverat πρωτοςάτην hujus ſectæ, ſed libenter fatetur, quod non tantum ſit Chriſtianus, ſed etiam Chriſtianiſmi primarius antiſtes. Beatum eſt eſſe talem. Tales enim non tantùm ipſi ſunt juſti, ſed etiam multos ad juſtitiam adducunt Daniel. 12.3. *Servant ſe & qui eos audiunt*. 1 Timoth. 4. 16. *Servant animas aliorum à morte* Iacob. 5. 20. Quinam autem tales ſunt?

Reſpond. 1. Fideles Doctores, officio ſuo diligenter fungentes nec ſtipendium, ſed ædificationem Eccleſiæ ſibi præcipuum laboris ſcopum figentes.

2. Chriſtiani piè & exemplariter viventes, & exemplo vitæ ſuæ efficientes, ut homines iſtorum bona opera videant, & Patrem in cœlis glorificent.

3. Conſtantes martyres, qui veritatem ſuo ſanguine obſignant, & ſic alios in confeſſione veritatis & pietatis animant.

4. Chriſtiani Magiſtratus, qui pro gloriâ Dei zelantur ſicut Pineas, & poteſtate ſua utuntur ad ſuppreſſionem eorum, qui veritatem & pietatem lædere ſatagunt. Hi omnes ſunt πρωτοςάται Chriſtianiſmi, quibus facta illa promiſſio illuſtris & coruſcans Dan. 12.3.

Vidimus confeſſionem Pauli: ſequitur demonſtratio, quod hæc religio Chriſtiana, cui ſe Paulus confitetur addictum, non ſit apoſtaſia à religione Judaicâ. Judæi defecerant à religione Patrum ſuorum, Chriſtiani non defecerant. Nucleus religionis Judaicæ, in qua fideles Patres vixerunt & mortui ſunt, in eo conſiſtebat, quod in agnitione peccatorum & miſeriæ ſuæ, credebant & ſperabant Meſſiam & Salvatorem qui pro peccatis ipſorum paſſurus, remiſſionem peccatorum, regenerationem cordis per Spiritum ſanctum & vitam æternam, acquiſiturus eſſet. Chriſtiani credebant hunc Meſſiam, in quem patres ſperaverant, jam veniſſe, Jeſum Nazarenum illum Meſſiam eſſe, & proinde in eum credebant, & per mortem ejus ſalvari ſperabant ſicut & Patres Act. 15. Judæi verò iſtius temporis & verum Meſſiam veniſſe negabant, & reconciliationem cum Deo non quærebant in Meſſia, ſed in Lege & ceremoniis Moſis, nec alium exſpectabant Meſſiam, quàm qui Rex terrenus eſſet, & Judæos à Romanorum dominio liberaret. Poſtquam Romani receperant religionem Judaicam defendere, & nullas pati mutationes, intererat Pauli, ut demonſtraret Felici, ſe per receptionem Jeſu Chriſti non defeciſſe à verâ religione Judaicâ.

Demonſtrat hoc autem quatuor argumentis. 1. Quia ſerviat eidem Deo cui Patres. 2. Quia credat omnia quæ dicuntur in Lege & Prophetis. 3. Quia ſpecialiter in præcipuo articulo religionis Judaicæ cum Phariſæis ſentiat contra Saducæos. 4. Quia ſtudeat bonæ conſcientiæ.

Digitized by Google

Primò, inquit, ſe colere Deum Patrum, Πατρῷον Θεόν. Confer 2 Tim. 1. v. 3. Eundem Deum colo, qui ſex diebus fecit cœlum, terram & omnia quæ in iis ſunt, qui per diluvium humanum genus deſtruxit, & reparavit, qui fuit Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi, qui Iſraëlem ex Ægypto eduxit, & in terram Canaan induxit, qui legem dedit in monte Sinai, qui omnia miracula fecit, in cujus honorem atque cultum tabernaculum & templum fuit conditum, &c.

Object. At Paulus credidit in Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, hoc Patres non fecerunt. *Reſp.* Qui negat Patres credidiſſe in Filium & Spiritum ſanctum, non legit libros Vet. Teſtament. Nonne crediderunt Deum filium ſuum unxiſſe in Regem ſupra Tzionem, juſſiſſe ſedere ad ſuam dextram, donec poneret inimicos ſcabellum pedum? ſciebant illum Meſſiam, à quo ſperabant ſuam reconciliationem cum Deo non eſſe creaturam, ſed Deum, ſciebant illum Spiritum ſanctum, à quo exſpectabant regenerationem cordium, non eſſe creaturam; Non erat quidem iſta cognitio Trinitatis tam communis ac diſtincta atque nunc eſt, interim myſterium ipſum erat revelatum, & eatenus ab omnibus piis & fidelibus recipiebatur, quatenus ad ſalutem ſatis erat, in tantùm, ut & preces ipſorum dirigerentur ad Deum, ad Meſſiam & Spiritum ſanctum, *O Deus, Deus tuus te unxit oleo lætitiæ ſupra conſortes.* Pſal. 45. *Oſculamini Filium ne iraſcatur, beati qui in ipſum confidunt.* Pſal. 2. *Spiritus tuus ſanctus me ducat in viâ planâ.* Pſa. 143. *Suſtentet me Spiritus ingenuitatis* Pſal. 51. Sic & noſtra religio eo nomine commendabilis eſt, quod eundem Deum colimus, quem omnes ſancti ſuo tempore coluerunt. Auctorem mundi, fœderis, miraculorum, omnium liberationum. In hoc Deo poſſumus triumphare: ut Pſalm. 48. ult.

Actor. 24. *v.* 14. 15. 16.

Conc. CCLIV.

SEcundum argumentum, quo Paulus probat ſe per receptionem Chriſti non defeciſſe à religione Judaicâ, eſt hoc: Qui credit omnia, quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt, is eſt verus Judæus: atqui Paulus & Chriſtiani credunt omnia quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt. Ergo quantum ad religionem Chriſtiani ſunt veri Judæi & quantum ad ſubſtantiam, eandem enim Patriarchis & Prophetis fidem ac religionem habent. Non dicit autem, credo omnia, ſed credo omnibus quæ ſcripta ſunt. Hâc phraſi indicat ſe ſcripta Moſis & Prophetarum habere pro regula ſuæ fidei, & fidem ſuam, fundatam eſſe ſuper ſolius & totius Scripturæ teſtimonio, & hoc teſtimonium eſſe cauſam propter quam credat dogmata religionis. Scripturæ enim credere eſt Deo credere. Sic interrogatur Agrippa, an credat Prophetis Actor. 26. 27. Luc. 16. 29. Aliud eſt credere Prophetis, aliud verò credere omnia quæ dicta ſunt à Prophetis. Quæ non ſcimus non poſſumus credere, at multi Chriſtiani non ſciunt omnia

Digitized by Google

nia quæ Prophetæ dixêre, nec ea intelligunt. Ergo nec omnia credunt. Attamen hoc axioma credunt, quod quicquid Prophetæ dicunt, verum ſit, adeoque parati ſunt ad credendum omnia, quæ à Prophetis dicta eſſe demonſtrari poſſunt. Hoc faciunt omnes Chriſtiani, unde dicuntur ædificati ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum Epheſ. 2. 20. Ideò enim dogmata credunt, quia Prophetis & Apoſtolis credunt & fidem habent. Hæc enim ſola differentia eſt inter Judæos & Chriſtianos. Judæi credebant Prophetis, ſed non credebant Apoſtolis, Chriſtiani verò & Prophetis & Apoſtolis credunt, idque propter duas cauſas: 1. Quia Apoſtoli habuerunt eandem divinam inſpirationem, quam Prophetæ habuerunt, & eodem ſpiritu acti protulerunt prophetiam ac locuti ſunt 2 Petr. 1, 21. 2. Quia inſuper Apoſtoli nihil dicunt & docent extra id, quod Moſes & Prophetæ dixerunt futurum eſſe Actor. 26, 22. adeoque quia teſtimonium Apoſtolorum fundatum eſt ſuper teſtimonio Prophetarum. Atenim' *quærunt Papiſtæ*, unde ſcies libros illos, qui dicuntur eſſe libri Prophetarum & Apoſtolorum, vere eſſe illorum libros divinâ inſpiratione ſcriptos, quorum teſtimonium te non poſſit fallere, niſi prius velis Romanæ Eccleſiæ teſtimonio credere, quàm teſtimonio Scripturæ? *Reſpond.* Poſſum evidenter & ſecurè ſcire atque credere iis libris, eorumque teſtimonio, qui dicuntur libri Prophetarum & Apoſtolorum, ſed non poſſum tutò credere teſtimonio Romanæ Eccleſiæ. Poſſum enim dare rationes, cur Scripturæ teſtimonio credam, ſed non poſſum oſtendere rationes, cur teſtimonio Romanæ Eccleſiæ. Dic mihi Papiſta, cur credis teſtimonio Romanæ Eccleſiæ? quam das rationem? ſi ex me quæras, cur credam libris & teſtimonio Prophetarum & Apoſtolorum, de tibi rationes:

1. Quia non Romana tantum, ſed tota & univerſalis Eccleſia teſtatur illos libros eſſe divinos. Annon omnium Eccleſiarum teſtimonium plus valere debet apud me quàm unius? quin imò libri Prophetarum non tantum habent teſtimonium divinitatis à totâ Eccleſiâ Chriſtianâ, ſed etiam à Judaicâ, & etiam à modernis Judæis Chriſtianorum hoſtibus. Ne dicam quod teſtimonium habeant ab Ethnicis. Non ignotæ nobis hiſtoriæ tranſlationis per LXX. Interpretes.

2. Quia inter libros Prophetarum & Apoſtolorum tantus eſt conſenſus, ut in Euangelicâ hiſtoriâ Euangeliſtarum & Apoſtolorum nihil dicatur factum eſſe, imò nihil ab Apoſtolis doceatur, quod non ex libris Vet. Teſtamenti confirmari poſſit. Hic ſanè conſenſus inter antiquas Prophetias & recentiores hiſtorias eſt infallibile divinitatis argumentum, quis enim prædicere futura, quis implere & manifeſtare prædicta poteſt niſi Deus. Applica illud Eſa. 34. 16.

3. Quia omnia dogmata in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum cum naturâ & proprietatibus Dei optimè conveniunt. Sicut enim ipſum naturale lumen dictat, quod Deus ſit ſapiens, juſtus,

Digitized by Google

juſtus, ſanctus, omnipotens, &c. Ita nullum in ſcriptis invenitur dogma, quod non ſapiat & redoleat ſanctitatem, puritatem, ſapientiam, juſtitiam, miſericordiam, omnipotentiam Dei.

4. Quia Scriptura habet teſtimonium ab omnibus hominibus, qui propter peccata ſua ſibi metuunt à divinâ juſtitiâ, quod ſit ſola ſalutaris doctrina, quæ conſcientias Deum timentes pacare poteſt. Metuat quis à Deo propter peccata ſua quantum poteſt, modò hoc teſtimonium à ſuâ conſcientiâ poſſit obtinere, quod ſic vixerit, ſicut Scriptura vivendum eſſe docet, illicò tranquillabitur conſcientia & animabitur vivo ſolatio, quo in vitâ & in morte quieta ſit & læta. Ubi extra Scripturæ dogmata invenis doctrinam, quæ conſcientias Deum timentes adeò tranquillare poſſit in vitâ & in morte?

5. Ideo denique in teſtimonio Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ tam ſecurè acquieſco, quia Deus ipſe ex cœlo per mirabilem ſuam providentiam teſtatur ſe horum librorum curam gerere, tanquam divinæ ſuæ veritatis, qua ſe teſtificatum reddit hominibus. Nullus liber in toto mundo tot hoſtes & perſecutores habuit atque hic liber. Quid non fecerunt Ethnici ad extirpandos hos libros, & eorum doctrinam? At enim quid effecerunt? Ipſi omnes extirpati ſunt, Scriptura etiamnum ſuperſtes eſt. Deus totas Eccleſias, totaſve nationes in Scripturam credentes gladio extirpari & igne paſſus eſt, Scriptura tamen hæc nec undis nec flammis aboleri potuit, ſed penetravit totum orbem, & in omnibus nationibus homines catervatim ſub ſuum obſequium redegit. Imò eò res rediit, ut qui doctrinam Scripturæ hoſtiliter perſequuntur, Scripturæ tamen ipſi teſtimonium perhibeant, quod ſit divina. Vide hoc in Judæis, Turcis, Papiſtis, aliiſque Hæreticis, qui omnes Scripturam ſaltem Propheticam divinam eſſe uno ore clamitant, etiamſi doctrinam Scripturæ hoſtiliter perſequantur.

En habes cauſas propter quas Chriſtianus in Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ teſtimonio ſecurè acquieſcere, eique fidem ſuam ſuperſtruere poſſit. Cur autem, quæſo, acquieſcat in teſtimonio Eccleſiæ Romanæ, quæ tam multa docet his ſanctis libris contraria, juſtitiæ, bonitati, ſanctitati & toti divinæ naturæ contraria, ſolatio contritarum conſcientiarum contraria, cur, quæſo, inquam, talis Eccleſiæ teſtimonio ſalutem meam committam? fidem meam ſecurè ſuperſtruam?

Tertium argumentum, quo Paulus probat, ſe per fidem in Chriſtum non feciſſe apoſtaſiam à verâ Judaicâ religione, eſt, quia credat reſurrectionem mortuorum futuram eſſe, tùm juſtorum tum injuſtorum, quod non tantum omnes veri Judæi crediderunt, ſed & ipſi accuſatorum præcipui ſcilicet Phariſæi credebant. Spem habeo in Deum, id eſt, credo & ſpero virtute & potentiâ Dei ſuſcitatum iri mortuos. Non enim ſuâ ſponte reſurgent aut aliquâ virtute naturæ, ſicut herbæ poſt Hyemem. Non tantum eundem Deum colo, quem omnes veri Iudæi, non tantùm

Digitized by Google

tantùm eandem fidei normam atque regulam recipio, ſed etiam ad eundem religionis finem adſpiro, ad quem adſpirant & adſpirârunt omnes Iſraëlitarem tribus, ſcilicet ad reſurrectionem mortuorum. Hoc unico articulo religio Iudaica differebat ab Ethnicâ. Quod ſi ego & Chriſtiani in hoc articulo convenimus cum Iudæis, quî poſſumus dici à religione Iudaicâ defeciſſe? Non eſt nobis animus hoc loco omnia congerere, quæ de reſurrectione mortuorum dici poſſunt, ſed tantum annotare, quod hic textus de eâ ſuppeditat. Et primò quidem notandū venit, quòd articulus de reſurrectione carnis ſit eſſentialis articulus veræ religionis, ſine cujus fide nemo nec Iudæus, nec Chriſtianus, nec veræ Eccleſiæ membrum eſſe poteſt. Ex fide enim hujus articuli Paulus demonſtrat, ſe pertinere ad Eccleſiam verè Iudaicam, & differre ab iis qui ſunt extra Eccleſiam. Sine hoc enim articulo tota fides & tota religio vana eſt. Cur Prophetis & Apoſtolis atque eorum dogmata credam, ſi nihil boni inde expectem? Quid promittunt Prophetæ & Apoſtoli, quod mereatur credi? An terrena regna, terrenam proſperitatem? Imò contrarium prædicant credentibus. Quid igitur promittunt, quod mereatur credi? Remiſſionem peccatorum, Spiritum ſanctificationis. Sed quid prodeſt eſſe ſanctum & Deo reconciliatum, ſi moriendum eſt? Hic igitur ſummus finis religionis, expectare reſurrectionem ex mortuis, per quàm injuſti, qui noluerunt credere Prophetis & Apoſtolis, reſurgant ad æternam pœnam, juſti verò & credentes ad æternam vitam. Qui hunc finem religionis non reſpicit, credit & exſpectat, fruſtrà religioſus eſt. Quid prodeſt in Chriſtum credere, ſi in hac ſolummodò vitâ in illum ſperamus? quid beatitudinis fides in Chriſtum producit in hac vitâ, annon potius miſeriam? 1 Corinth. 15. 2. Cur non potius cum impiis dicimus ut eſt Eſai. 22. 13. Confer 1 Corinth. 15: 30. 31. 32. 33. Cur non fruimur voluptatibus dum poſſumus, poſt mortem nulla voluptas, cur adhæremus integritati noſtræ, & non potius ipſi Deo maledicimus & morimur Job. 2. 9. Meritò igitur ex hoc textu notamus, quod articulus de reſurrectione carnis ſit eſſentialis & fundamentalis articulus fidei, quo abnegato, tota ſalvifica religio abnegatur. Hinc etiam idem textus nobis oſtendit, quod non ſolum in Novo Teſtamento, ſed etiam in Vet. Teſtamento hic articulus fuerit creditus. Confer Actor. 26. 6. 7. 8. Iob. 19. 25. 26. 27. Dan. 12. 2. Eſa. 26. 19. Ezech. 37. 1. Non igitur eſt Chriſtianus, qui reſurrectionem carnis non credit.

Object. Cur non ſufficit, ſi quis credat immortalitatem animæ, etiamſi non credat reſurrectionem carnis. Qui enim illam credit, poteſt ſperare & exſpectare fructum ſuæ religionis, ſcilicet ſalutem animæ. *Reſp.* Qui carnis reſurrectionem negat, animæ immortalitatem credere non poteſt. Cur enim creditur animæ immortalitas? Quia Scriptura eam teſtatur, & quia juſtitia Dei requirit, ut anima quæ peccavit non moriatur, ſed vivat &

ferat peccati ſtipendium in æternum, & quia fœdus & promiſſio Dei requirit, ut anima quæ Deo fidelis fuit non moriatur, ſed vivat in æternum, ut Deus poſſit eſſe ipſius Deus. Matth. 22. v. 32. 33. At Scriptura non minus teſtatur reſurrectionem carnis, quàm immortalitatem animæ, & homo peccavit æquè in corpore ac in animâ. 2 Corinth. 5. 10. & Deus non minus eſt Deus pii corporis, quam piæ animæ, ſicut & Chriſtus non minùs corpus quam animam redemit, & ſanctificavit. Ergo qui animæ immortalitatem verè credit, neceſſe etiam habet credere reſurrectionem carnis: Immortalitas animæ non eſt reſurrectio hominis mortui, quam Scriptura teſtatur, & juſtitia Dei requirit.

Alterum, quod hic textus de reſurrectione carnis ſuppeditat, eſt, quod non tantùm juſti, ſed etiam injuſti reſurgent. Conſonant Dan. 12. 2. Ioh. 5. 28. Hæc quoque fides neceſſaria, ſi hoc negas, impiis adimis frænum vitæ. Non enim mortem metuunt, ſed reſurrectionem. Si poſt hanc vitam credas te ſemper mortuum fore, facilè dices, edamus, bibamus, cras mortui erimus. Erit tamen magnum diſcrimen inter reſurrectionem piorum & impiorum, idque præcipuè triplex.

1. In fine. Illi ad vitam, hi ad condemnationem.

2. In modo. Illi ſuſcitabuntur cum abolitione peccati & mortalitatis, hi non, ſed tales, quales hic fuerunt reſurgent. 1 Cor. 15. 26. 42. 43.

3. In cauſa efficiente & impellente. Illi ſuſcitabuntur à Spiritu ſancto vi fœderis Rom. 8. 11. 23. hi verò à Chriſto Judice vivorum & mortuorum, vi juſtitiæ vindicativæ.

Diſcamus ex animo credere reſurrectionem mortuorum, tum juſtorum tum injuſtorum. At quis Chriſtianus negat?

Reſp. 1. Non deſunt qui negent. Sociniani & Anabaptiſtæ fingentes reſurrecturum corpus ſine eſſentiâ, & ſine qualitatibus, & ſine quantitate prioris corporis quod mortuum eſt, ſine carne, cute, oſſibus, ſine manibus, ſine pedibus, &c. ſatis clarè & apertè veritatem reſurrectionis negant.

2. Non ſufficit, non negare, ſed requiritur credere; hìc multi deficiunt. Qui enim hìc vivunt in injuſtitia & peccato, ſatis demonſtrant ſe non credere reſurrectionem mortuorum. Si enim hanc crederent, ejus metu abſterrerentur à malo, & ejus ſpe atque exſpectatione allicerentur ad faciendum quod bonum eſt. Fides reſurrectionis parit ſtudium bonæ conſcientiæ. Hoc indicat Paulus verſu ſequente. ἐν τούτῳ, in hoc, id eſt per hanc fidem futuræ reſurrectionis exerceo me habere bonam conſcientiam.

Actor. 24. *v.* 16.

CONC. CCLV.

SEquitur quartum & ultimum argumentum, quo Paulus probat, ſe per receptionem Chriſtianiſmi non defeciſſe à verâ religione Judaicâ, cujus defenſionem Romani in ſe receperant: quia ſcilicet in hoc ſe exerceat habere inoffenſam conſcientiam ſemper

Digitized by Google

per coram Deo & hominibus. Non tantum credo, inquit, ſicut veri Judæi inde à temporibus Patrum ſemper crediderunt, ſed etiam vivere laboro, ſicut omnes veri Iudæi tenentur & ſolent vivere. Inſpicienda hic eſt connexio argumenti cum antecedentibus, & tum argumentum ipſum.

Connexio; ἐν τούτῳ, id eſt, in hac fide atque ſpe, ſeu per hanc fidem atque ſpem exerceo me conſcientiam ſervare inoffenſam. Credo omnibus, quæ Lex & Prophetæ teſtantur, ſpecialiter credo reſurrectionem mortuorum. Et per hanc fidem ſtudeo, &c. Fides igitur & ſtudium bonæ conſcientiæ habent inter ſe relationem cauſæ & effecti. Per fidem reſurrectionis ſervo bonam conſcientiam. Vera fides eſt ἐνεργουμένη, efficax; Gal. 5.6. Quænam eſt vis & energia, ſeu quænam ſunt effecta veræ fidei? Quatuor.

I. Habet vim unientem. Per fidem fidelis Chriſto unitur & inſeritur, & eſt manus prehendens, & vinculum conglutinans, datum eo fine, ut Chriſto uniti, participes fiamus ejus juſtitiæ, ac per eam juſti conſtituamur coram Deo. Fides enim nos juſtificat, non tanquam juſtitia noſtra, ſed tanquam inſtrumentum unionis noſtræ cum Chriſto, applicans nobis Chriſtum, qui eſt noſtra juſtitia. Hinc fides vocatur receptio Chriſti Iohan. 1.12. & ipſa phraſis *credere in Chriſtum* nihil aliud notat, quàm applicationem Chriſti. Hinc etiam conjungitur: *Chriſtus eſt reconciliatio in ſanguine ſuo per fidem*, Rom. 3.25. ut intelligamus vim reconciliantem & juſtificantem non eſſe in fide ſed in ſanguine, & fidem non habere niſi vim applicantem ſanguinis.

2. Habet vim ſuſtentantem. Sicut enim eſt vinculum nos Chriſto copulans & uniens, ita eſt retinaculum, quo retinemur à lapſu & ſubmerſione, cum onere tentationum & tribulationum deprimimur. Sicut anchora navim terræ infigit, & per hanc infixionem retinet, ne pereat, cum procellis agitatur: ita fides fidelem Chriſto unit, & per hanc unionem eum retinet, ne mergatur cum oneribus premitur. Vide Pſal. 27.13. ideò per fidem dicimur mundum vincere, montes transferre, res magnas efficere, quia fides nos ita retinet in Chriſto, ut nulla creatura nos ſeparare aut ſalutem noſtram impedire poſſit.

3. Habet vim impetrantem. Obligat enim Deum, & impetrat, quod Deus credentibus promiſit, præſertim remiſſionem peccatorum, adoptionem, ſpiritum adoptionis & hæreditatem cœli. Hæc omnia per fidem impetramus. Iohan. 20.31. Actor. 26.17.18. Atqui, inquies, impetratio eſt energia & efficacia precum Iacob. 4.3. & 5.16. πίστις ἐνεργουμένη Gal. 5.6. & δέησις ἐνεργουμένη Iacob. 5.16. Quomodo hoc quadrat? *Reſp.* Preces non impetrant niſi per fidem. Preces & fides differunt ſicut funis & anchora: funis retinet navim, & anchora retinet, ſed aliter funis aliter anchora, nimirum funis per anchoram; ſic aliter impetrant preces, aliter fides: per preces deſideria noſtra Deo exponimus, ſed per fidem applicamus nobis promiſſiones

Digitized by Google

Dei, prehendentes Dei veritatem, (**Vatten Godt by ſijn waerheydt/ en by ſijn beloften**) eum obligamus ad dandum quod deſideramus. Fides implet conditionem promiſſionis, & ſic Deum obligat ad dandum. Applica Pſalm. 27. 8. quaſi dicat, juſſiſti me credere, & credenti promiſiſti dare, quod peto. Ecce credo, ergo da. Hinc neceſſe eſt ut precantes precemur in fide, Iacob. 1. 6.

4. Habet denique vim perſuadentem & commoventem. Qui credit & ſperat in Deum, is hac fide & ſpe perſuadetur & permovetur, ut non ſibi vivat, ſed Deo, in quem credit. Qui enim credit, quòd à Deo ametur, hâc fide perſuadetur ut Deum amet. 1 Ioh. 4. 19. 1 Ioh. 3. 3. Gal. 5. 6. Sicut navis per gubernaculum flectitur & movetur ad voluntatem naucleri, ita cor per fidem flectitur ad voluntatem Dei. Hinc dicimur vivere per fidem. Gal. 2. Rom. 1. non tantùm quia per fidem vitam æternam impetramus, ſed quia per fidem movemur ad vivendum Deo. Hinc myſteria fidei ſunt veritas, quæ ſecúndum pietatem eſt, ſunt myſteria pietatis 1 Timoth. 3. 16. Quia qui hæc credit, fide eorum perſuadetur ad piè vivendum: præſertim hæc vis eſt in articulo reſurrectionis. Hic articulus credentes perſuadet, & ad Deum timendum, & ad Deum amandum. Qui ſimpliciter credit ſe reſurrecturum, is metuit ne non ſubſiſtat in judicio: qui credit ſe reſurrecturum ad vitam æternam, & poſt reſurrectionem in ultimo judicio ſe ſubſtiturum per mediationem & advocationem Chriſti is amat Deum, & lætatur, & ſtudet eſſe gratus, & Deum non offendere, ſed habere conſcientiam ἀπρόσκοπον. Bona igitur conſcientia eſt ex fide, nec datur ſine fide veritatis. Unde manifeſtum ſit, quantopere nobis commendata eſſe debeat veritas & puritas doctrinæ. Qui enim myſteria fidei non rectè capit & credit, bonam conſcientiam habere non poteſt. Per fidem Euangelii gignitur & excitatur conſcientiæ ſerenitas.

Argumentum ipſum ex conformitate vitæ probat Paulum verum & genuinum Judæum eſſe, ſicut priora idem probaverant ex conformitate doctrinæ: ſtudeo conſcientiam habere inoffenſam coram Deo & hominibus ſemper. Ergo ſum genuinus Judæus. Quid ſit conſcientia, quid conſcientia bona vel mala, abundè diximus in Actor. 23. 1. Hoc loco paucis agendum de illa proprietate bonæ conſcientiæ, quæ in hoc textu exprimitur; & 1. Cur bona conſcientia dicatur ἀπρόσκοπος coram Deo & hominibus. 2. Quæ ſit illa ἄσκησις ſeu exercitatio, per quam conſcientia redditur inoffenſa?

Conſcientia ἀπρόσκοπος eſt, quæ alium non offendit & ab alio non offenditur (**onaenſtootigh en onaenſtotelijck**) quæ aliis non ponit πρόσκομμα Rom. 14. 13. vel προσκοπὴν 2 Cor. 6. 3. & quæ ad offendicula ab aliis poſita non impingit ad admittendam ſeductionem vel imitationem. Offendiculorum enim ſeu ſcandalorum vis duplex eſt, ſeductio & imitatio ſeu contriſtatio. Cum quis licentioſè vivit

in

Digitized by Google

in peccatis, exemplo ſuo ſeducit alios, ut eodem modo vivant. Cum quis libertate ſua in rebus indifferentibus immoderatè utitur, & in iſtis rebus ſe non aliquo pacto accommodat aliorum ſententiis & voluntatibus, contriſtat & irritat alios contra ſe. Conſcientia igitur eſt ἀπρόσκοπος 1. Coram Deo, idque iterum dupliciter: activè, cum ſtudiosè & circumſpectè cavet ne Deum offendat, irritet, & ad iram provocet: Deus enim eſt ille lapis de quo Matth. 21.44. Inoffensè igitur coram Deo ambulamus, cum in timore & tremore cavemus facere quod ipſi contrarium eſt, eumque offendit aut irritat. Sicut petulantes nautæ in aliam navem ſæpe volentes ſuam impingunt, ita multi homines ſecurè contra Deum arietant ad eum irritandum. Paſſivè, cum non patimur fidem & curſum noſtrum in pietate ſiſti ac retardari, cum quid in doctrina & providentia Dei nobis occurrit, quod carni & ſanguini contrarium eſt. Sic multi Chriſtum amplexi, cum audirent Chriſtum docentem, quod carnem ejus edere & ſanguinem ejus bibere deberent, nec ſenſum dicti caperent, offenſi receſſerunt à Chriſto, Joh. 6.61. Non eſt impingendum ad divinum aliquod verbum, ſed conſiderandum quis dicat, non quid dicatur: Sic diſcipuli, qui tamdiu Chriſtum pro Meſſia habuerant, cum viderent ipſum capi, vinciri, crucifigi, mori, mirum in modum offenſi ſunt Matth. 26. v. 31. Luc. 24. 21. Sic multi credentes, cum experiuntur veritatis & pietatis profeſſionem non parere niſi turbas, perſecutiones, & à Deo plus affligi pios, quàm impios, offenduntur & retrocedunt Pſal. 73. 2. Matth. 13. 21. Non decet his occurſibus offendi, ſed inoffenſo pede pergere Phil. 1. 10. Diſcernere inter Dei probationes & perditiones.

2. Coram hominibus idque iterum dupliciter: activè, cum facimus, quod ſuâ natura aptum eſt ad alios ſeducendos, & ad malum aliciendos, hoc fit falsâ doctrinâ & perſuaſione, vanis artibus ad ſeductionem excogitatis, licentiosâ vitâ, quæ exemplo nocet, & denique immodico uſu libertatis in rebus adiaphoris. Huc pertinent licentioſa vita in victu, amictu, ſermonibus pravis, nec non publica irritamenta malorum & ſcholæ vanitatis ac impudicitiæ. Ad hoc ſcandalum reſpicit præcipuè Chriſtus Matth. 18. 7. Huc etiam pertinet illud ad quod Paulus hortatur Rom. 14. 13. 21. 1 Cor. 8. 13. Scilicet ut etiam in rebus indifferentibus, quæ in ſe licitæ ſunt, libertate noſtra utamur, cum ea moderatione & circumſpectatione, ut rationem habeamus aliorum, qui infirmi ſunt, & per uſum noſtræ libertatis ſeduci vel irritari poſſint, cujus rei inſigne exemplum Chriſtus ipſe dedit Matth. 17. 27. Hæc lectio præcipuè nobis commendata ſit in rebus ad conjugium, amictum & ſermones pertinentibus, & præcipuè ſit commendata ſenibus & iis, qui ad alios docendos & ædificandos vocationem ſingularem habent. 2 Corinth. 6. v. 3.

Paſſivè, cum damus operam, ut non injuſtè & nimis facilè offendamur aliorum actionibus, cum quid faciunt,

Digitized by Google

quod nobis diſplicet, & quod vellemus eos non facere. Cum quid alius facit, quod nos non facimus, nec faciendum putamus, ſtatim offendimur, ac irritamur, minuiturque noſter amor erga tales. Hi ſunt homines εὐπρόσκοποι, qui nimis facilè offenduntur. Hi homines vocantur nimis juſti Eccleſ. 7. 16. Sic Phariſæi Matth. 12. 2. Cavendum eſt ne demus ſcandalum, ſed & cavendum ne accipiamus injuſtè, imò etiam danda opera, ut aliquid offendiculi ſine offenſione feramus, ſcientes nos non converſari cum Angelis, ſed cum hominibus, qui ſæpe non poſſunt aliter facere quam faciunt, nec neceſſitatem rei ita perſpiciunt ac nos. Non debemus habere conſcientias tam laxas ut devoremus camelos, neque tam anguſtas ut excernamus muſcas.

Atenim quomodo invenitur illa mediocritas noſtræ conſcientiæ coram Deo & hominibus, ut nec offendat nec offendatur injuſtè? *Reſpond.* Ἀσκήσει opus eſt, ſeu exercitatione: Natura non habemus. Naturâ enim noſtra conſcientia eſt fera & ferox, undique allidens & impingens. Sola exercitatione res non agitur, ſed regeneratio Spiritus ſancti præequiritur. Attamen regenitis exercitatio neceſſaria eſt, ut proficiant, & gratiam Dei non fruſtra accipiant. Quæ illa exercitatio? Diligens ſcrutatio voluntatis Domini, conſultatio cum iis, qui in conſcientiis hominum verſati ſunt, abſtinentia à converſatione ſeductoria, petitio ſapientiæ & prudentiæ à Deo, obſervatio propriarum infirmitatum, quòd & ipſi longè abſimus à perfectione, diligens ac ſeria lucta contra dextrum oculum, dextram manum, dextrum pedem, qui nos offendit, id eſt, tam feros & feroces reddit. Matth. 5. 29. 30. Non in momento conſcientia redditur ἀπρόσκοπος, quæ natura tam prona eſt ad offendicula danda & accipienda, ſed diuturna exercitatione opus eſt. Imò in tota hac vita non eò uſque proficit, ut ſit planè ἀπρόσκοπος: ſi modo adſit exercitatio, voluntas, conatus, proficiemus indies, & quod in hac vita non attingimus, teget coram Deo juſtitia Chriſti, ne per illud Dei juſtitia offendatur ac irritetur. Attamen danda opera, ut hæc exercitatio ſemper duret, nec deficiamus ante finem. *Semper exerceo.*

Actor. 24. *v.* 17. *&c.*

CONC. CCLVI.

SEquitur tertia pars apologiæ Paulinæ, qua tertiam criminationem Tertulli refutat, ſcilicet pollutionem templi v. 6. Non exprimit Tertullus quo modo & medio Paulus templi pollutionem conatus ſit efficere, ſed intelligitur tamen fundamentum criminationis ex Actor. 21. v. 25. 29. Putabant ſcilicet ipſum in templum induxiſſe hominem gentilem. Templum erat locus ſanctus, Pſal. 79. 1. Sanctitate ſcilicet ceremoniali, & pollui poterat, per ingreſſum eorum, qui erant ceremonialiter impuri Exod. 29. 37. & 40. 9. Quod ſi igitur Paulus Ethnicos in templum induxiſſet, templum videri poterat polluiſſe. Potuiſſet Paulus

ad

Digitized by Google

ad hoc crimen reſpondere 1. Quod pollutio ceremonialis locum non amplius haberet, poſtquam Lex ceremonialis per adventum Chriſti abrogata eſſet. 2. Quod Trophimus Epheſinus non eſſet homo impurus, qui templum polluere poſſet, ſed homo purus & fœderatus Dei, cui liceret intrare in templum æquè ac Judæis. Etſi enim naturâ Ethnicus erat, tamen per receptionem Chriſtianiſmi factus erat verus proſelyta Iſraëlis, fœderatus Dei, & membrum Eccleſiæ Iſraëliticæ Eph. 2. v. 19. Adeoque ſine pollutione templi, potuiſſet intrare in templum. His duobus argumentis potuiſſet ſe Paulus purgare à crimine profanationis. Sed Paulus ſciebat ſe nec Trophimum, nec quenquam Græcum in templum introduxiſſe, ſed ſuſpicionem hujus facti inde ortam eſſe, quod Trophimum in urbe inter Pauli comites viderant. Actor. 21. v. 29. & 20. 4. Dicit quidem Paulus 2 Tim. 4. 20. quod hunc Trophimum Mileti reliquerit ægrum, ſed hoc de alio intelligendum itinere. In hoc itinere Trophimus Paulum comitatus eſt in Aſiam. Actor. 20. 4. & Hieroſolymæ inter comites Pauli viſus eſt, verum non in templo, ſed in urbe. In templum enim Paulus neminem induxit, præterquam quatuor illos Nazaræos, qui voto ſe exſolvere volebant, Actor. 21. 26. Quoniam igitur Trophimi in templum inductio erat ficta atque falſa, noluit eam Paulus juſtificare & excuſare ſicut probè potuiſſet, ſed ſimpliciter eam inficiatur & rejicit, idque tribus argumentis. 1. Quia ſit contra intentionem, qua urbem & templum intraverit. Se enim ideò Hieroſolymam veniſſe, ut eleemoſynas adferret populo ſuo, id eſt, Judæis, Chriſtianis, adeò ut ſingularem ſuam affectionem erga populum Judaicum oſtenderet. Se quoque templum intraſſe, non ut turbas cieret, neque ut templum pollueret, ſed ut ſacris ceremonialibus, ac ſacrificiis in exſolutione voti Nazireatus more patrio intereſſet, & ſeſe in tempo ceremonialiter cum Nazaræis ſanctificaret. Actor. 21. 24. 2. Quia Judæi ex Aſia, qui Paulum in templo viderant, & ſoli de introductione Trophimi teſtari poſſent, non ſint præſentes. 3. Quia, ſi quid hujus contra Paulum evinci potuiſſet, objectum ſine dubio fuiſſet cum Hieroſolymæ in ſenatu Judaico præſente Lyſia audiretur. At ibi nihil hujus objectum fuiſſe, nec quicquam ſibi vitio verſum, præterquam quod reſurrectionem mortuorum profeſſus eſſet. Ecce tam ſollicitè Paulus à ſe removit hoc crimen, quòd eſſet profanator rerum ſacrarum. Et hic ſcopus eſto hujus concionis, ut ex Pauli exemplo diſcamus cavere, ne, quæ ſacra ſunt profanemus. Erat enim magnum peccatum in Vet. Teſtamento res ſacras profanare Exod. 20. 25. 26. Ezech. 22. 8. & 23. 38. & 22. 26. Prov. 20. 25. Profanatio ſacrorum eſt peccatum contra tertium præceptum, quod Deus non dimittet impunitum. In Novo Teſtamento ceſſat quidem ſanctitas & pollutio ceremonialis, quia tota Lex ceremonialis abrogata eſt, adeoque non habemus amplius loca ſacra, quæ profanari poſſunt. Templa noſtra, in quibus congregatur Dei ſancta Eccleſia, & ad

Digitized by Google

adminiſtratur ſanctus Dei cultus, debent cuſtodiri munda à ſorditie corporali, attamen non habent aliquam ceremonialem ſanctitatem, ut profanari poſſint, ſicut templum Hieroſolymitanum poterat, verum etſi ceremonialis ſanctitas & profanatio ceſſat in Novo Teſtamento, tamen in Eccleſia Novi Teſtamenti, ſunt res ſacræ, quæ profanari poſſunt, ſcilicet verbum Dei, ſabbathum Dei, Sacramenta Jeſu Chriſti. Omnes ceremoniæ Moſaicæ & Leviticæ abrogatæ ſunt, nec ullam amplius ſanctitatem habent, quia erant umbræ rerum futurarum, quæ jam factæ ſunt, & adminicula infantilis Eccleſiæ, quæ jam adolevit, & ſpiritum adoptionis accepit. Et tamen Eccleſia Nov. Teſtamenti etiam habet ſuum ſanctuarium quod pollui poteſt Hebr. 8.2. & 9, 8. & 4. & 10. 19. Habemus ſacerdotem & ſacerdotium Hebr. 4. 17. 1 Petr. 2. v. 5. Habemus & nos Paſcha 1 Cor. 5. 7. Habemus circumciſionem Rom. 2. 29. Habemus aram Hebr. 13. 11. Habemus templum 1 Cor. 3. v. 17. 1 Cor. 6. 19. Habemus ſacrificia & lavacra 1 Petr. 3. 21. Hebr. 13. 16. Verum hæc noſtra ſacra non ſunt ſacra adumbrantia, ſed adumbrata, non ſunt figuræ rerum futurarum, ſed ſunt res ipſæ, quæ per has figuras adumbrantur; non ſunt ſacra animalia, ſed ſpiritualia & rationalia Rom. 12. 1. Habemus præterea & nos ſanctuarium externum, ſeu externa & in ſenſus incurrentia ſacra, quæ præcipuè intelliguntur in illo loco, qui eſt Matth. 7. 6. exempli gratiâ, ſacram Scripturam 2 Tim. 3. v. 15. Sacram ſeu Dominicam diem Apoc. 1. 10. Sacrum miniſterium, ſeu functiones ſacras 1 Cor. 19. v. 13. 14. Unde vocatur *miniſterium reconciliationis*, & *miniſterium Spiritus* 2 Cor. 3. & 5. *Sacrum baptiſma ſeu lavacrum ſanctificationis* Tit. 3. *Sacram cœnam, ſacrum panem, ſacrum vinum. Non enim commune ſed benedictum* 1 Cor. 10. 16. Hæc externa ſacra Novi Teſtamenti non ſunt umbræ & figuræ ſanctuarii cœleſtis, ſicut ceremoniæ Moſaïcæ, ſed tamen res verè ſacræ, & ſacra media Dei, per quæ exſequitur juſtificationem & ſanctificationem ſuæ Eccleſiæ in terris, adeoque ut ſancta & ſacra ſunt à nobis tractanda, ne profanentur. *Quod Deus ſanctificavit, tu non profanes* Actor. 10. v. 15. Non ſunt res ſuâ natura ſacræ, ſed in ſeipſis ſunt res naturales, attamen ſunt res à Deo conſecratæ, ad ſanctum uſum. Quomodo, inquis, nos poſſumus facere prophanum, quod Deus ſacrum fecit? An homo poteſt mutare opus Dei, & annihilare ſanctificationem divinam? *Reſpond.* Poteſt certè, ſi abuſu ſuo polluat, quod Deus ad ſacrum uſum deſtinavit. Homo non poteſt annihilare conſilium Dei, ſed poteſt abuſu ſuo polluere & prophanare ſacra inſtituta Dei. Inſtituta Dei in Eccleſiâ ſunt ſacra propter duas cauſas, primò quia Deo placent, deinde quia homini ſalutaria ſunt. At verò cum homo ſacris Dei inſtitutis abutitur ſeu aliter utitur quam Deus mandavit, ceſſat utraque ſanctitas. Nam

1. Quod Deus elegit, atque inſtituit rejicit, quæ placere debebant, diſplicent, & fiunt abominationi, quod ſacrum erat, fit peccatum & injuſtitia

Digitized by Google

vid. Iſai. 1. 10. ad 15. Iſai. 66. 3. Prov. 15. 8. Ier. 6. 20. Amos 5. 21. 22.

2. Quæ homini ad ſanctificationem data erant, cedunt ipſi in aggravationem condemnationis & peccati. Vid. Rom. 7. 6. ad 14. Ubi Paulus prolixè docet, quod Lex ſancta, bona, juſta, propter abuſum homini cedat ad mortem & augmentationem peccati, quod & confirmatur 1 Tim. 1. 8. ſic de Euangelio idem dicitur 1 Cor. 2. 15. 16. Sicut intonſi crines Samſonis ipſi erant medium & ſacramentum divinæ corroborationis contra hoſtes, ſed cum iis abuteretur ad gratificandum ſcorto, & impetrandum uſum & indulgentiam libidinis, fiunt ipſi laqueus, quo devenit in manus hoſtium Iud. 16. v. 16. &c. Ita ſacra Dei inſtituta, quæ nobis ad vitam data ſunt, cedunt nobis per abuſum in graviorem mortem tùm pœnæ, tùm peccati.

Et hoc ſpecialiter verum de ſacro epulo Cœnæ Dominicæ. Non eſt communis panis, ſed ſacer panis, ſacrum vinum, non eſt commune alimentum corporis & vitæ naturalis, ſed ſpirituale nutrimentum animæ, ab ipſo Chriſto εὐλογούμενον, & benè dictum, *ſacrum ſignum ac ſigillum juſtitiæ fidei, quo confirmatur fides & perſeverantia.* Rom. 14. 11. 1 Cor. 10. 16. Verus panis cœli nutriens ad vitam æternam, magis quam manna: ſed ſi nos hoc ſacro epulo abutimur, eſt cultus prophanatus; & per illud nobis edimus ac bibimus judicium 1 Cor. 11. v. 29. Caveamus igitur ne hoc ſanctuarium Novi Teſtamenti abuſu noſtro ita polluamus & prophanemus, ut, cum Deo debeat eſſe cultus ſacer, & nobis ſalutare nutrimentum animæ, Deo ſit abominatio, & animæ noſtræ peſtis, aggravans atque accelerans noſtram indurationem & condemnationem.

At enim qua in re conſiſtit ille abuſus S. Cœnæ, quî vitandus eſt ne prophanetur? *Reſpond.*

1. Addere & demere aliquid divinæ inſtitutioni: Hæc turpis prophanatio ſacri Apoc. 22. 18. 19. Vide etiam 1 Cor. 11. 1. 2. ubi Paulus ſpecialiter vult, ut circa ſacram Cœnam ſimus tenaces traditionum divinitus acceptarum. Nam ſi de noſtro aliquid addimus divinis, ſacro addimus quod non eſt ſacrum. Nos enim nihil poſſumus facere ſacrum. Vide jam quomodo prophanetur in Papatu, ubi removetur verbum ſacramento, ut ſit ſpectaculum mutum, ubi loco panis datur ſpuma, ubi vinum laicis ſubtrahitur, & miſcetur cum aqua, ubi ceremonia fractionis & diſtributionis divinitus inſtituta negligitur, & è contrario ceremoniæ geſticulationis & ridiculæ nugæ hominum præter modum multiplicantur, adeo ut hiſtrionico luſui ſimilior ſit, quàm ſacro divino. Hoc verum ſacrilegium, quid eſt prophanare ſacrum, ſi hoc non eſt?

2. Pervertere finem & ſcopum ſacri. Finis Cœnæ eſt recordari mortem Chriſti ad roborationem fidei, atque ita roborationem & conſervationem unionis & communionis noſtræ cum Chriſto, pro peccatis noſtris in ara crucis ſacrificato. Eſt memoraculum viſibile, quo in nobis renovatur memoria unici illius ſacrificii propitiatorii, in quo Chriſtus ſuam carnem in mortem

Digitized by Google

tradidit, & ſanguinem ſuum effudit. Et per hanc recordationem Spiritus ſanctus virtute ſuâ nos roborat in hac fide & fiduciâ, quod hoc ſacrificio carnis & ſanguinis Chriſti nobis parta ac promerita ſit plena reconciliatio cum Deo, remiſſio peccatorum, Spiritus ſanctus, adoptio ad vitam æternam. Et quantò magis hæc fides & fiducia in nobis roboratur, tantò magis Chriſtum ipſum nobis applicamus, edimus ac bibimus ſpiritualiter ipſius carnem ac ſanguinem, magis magiſque reddimur participes juſtitiæ & ſpiritus Chriſti, & radicamur in ejus unione ad æternam perſeverantiam. Hæc vis, hic uſus Cœnæ ſacræ. Ideò non communis, ſed ſacer panis, non quia aliam habet ſubſtantiam, ſed quia alium habet uſum, ſcilicet eſt ſacrum medium & inſtrumentum Spiritus ſancti, quo fidem ac fiduciam fidelium in Chriſti ſacrificium roborat, & tanquam per ſpirituale nutrimentum eos in unione & communione Chriſti facit creſcere & adoleſcere. Qui hunc finem ſacræ Cœnæ pervertit, is ſanctuarium hoc polluit ac profanat, ut ſit abominabile peccatum potius, quam ſacrum (een heyligdom) Deo gratum. Vide jam denuò, quam horribiliter hoc ſacrum profanetur in Papatu! Venit Sacerdos & per muſſitationem quinque latinarum vocum conatur & præſumit hunc panem annihilare uſque ad externa accidentia coloris, ſaporis, & odoris, & ſubſtantiam ejus convertere & transſubſtantiare in ipſum corpus Chriſti, quod ex virgine natum eſt & poſtquam ſe ita convertiſſe putat, ſacrificat illud Deo, & præſumit ſe eſſe illum ſacerdotem, qui Deo ſacrificet verum & reale ac propriè dictum ſacrificium expians peccata eorum, pro quibus hanc oblationem intendit, & poſtquam ita ſacrificavit, elevat illud in altum, & populum coram illo procidere facit & illud adorare, & poſtquam adorârunt, inſerit ipſis in os, ut per os in ſtomachum deglutiant, & tum perſuadet illis, quod ita comeſtum juſtificet & ſanctificet, imò quod ſanet à morbo, præſervet à peſte, à fulgure, à bello, imò quod ſit thyriacum vaccas & porcos ſanans & præſervans à morbis. O Deus ſancte & verax, quamdiu tolerabis in mediâ Eccleſiâ Chriſti hanc horrendam profanationem tui nominis! Quam verè ait noſter Catechiſmus, quod miſſa Papiſtica nil ſit aliud, quam abnegatio unici ſacrificii Chriſti & maledicta idololatria. Sicut ſanctos cœlites non magis potes profanare, quam ſi convertas in idola quibus divinum honorem exhibeas, ita non major poſſet eſſe profanatio ſacræ Cœnæ, quàm quod converſum eſt in idolum, quod flexis genibus adoratur, & in quod collocatur illa fiducia, quæ collocari debet in unicum illud ſacrificium, quod unicus noſter Pontifex in arâ crucis pro nobis immolavit. Cœna non eſt Chriſtus nec ſacrificium Chriſti, quo peccata noſtra expiavit, ſed eſt viſibilis repræſentatio ſacrificii Chriſti, ad alendam in Eccleſiâ iſtius ſacrificii Chriſti memoriam, & roborandam fidelium fidem in ſacrificium Chriſti. Qui alio fine Cœnâ Domini utitur, ille abutitur & profanat.

3. Edere & bibere indignè, ſine diſcretione

Digitized by Google

cretione corporis Dominici 1 Cor. 11. 29. quod purum eſt, puris vult tractari manibus, & quod ſanctum eſt, ſanctis. Sanctus ſacerdos vel Naziræus mortuum tangens fiebat impurus. Iſraëlitæ qui cadaver aliquod tetigerant, fiebant impuri, nec poterant recipi in caſtra, nec admitti ad Paſcha, Num. 5. & 6. & 9. ſi quis impurus ex contactu mortui ſanctam carnem tangebat, fiebat impura Hagg. 2. v. 13. 14. Ceremonialia hæc erant & abrogata ſunt. Attamen aliquid ſignificabant, quod etiamnum verum eſt, ſcilicet, quod cum impuri & impii homines ad ſacra Dei inſtituta appropinquant, & ea profanant, ſacra Dei inſtituta fiant impura ac profana, id eſt, res Deo ingratæ & uſurpatoribus inſalutares atque noxiæ. Res ſacra requirit ſacrum uſurpatorem: præſertim ſacrum convivium requirit ſanctos & dignos convivas Matth. 22. 8. Luc. 14. verſ. 8. Qui ſunt indigni convivæ? *Reſpond.*

1. Convivæ mortui. Si cibus inſeratur in os mortuum, quid aliud quàm putreſcit & corrumpitur in fætorem?

2. Convivæ dormientes, ſomnolenti, & dromones, qui aſſident ſine appetitu, & comedunt ſine ſenſu, ſine guſtu, lætitia & gratitudine erga convivatorem. Sic in hoc ſacro epulo inveniuntur duplices indigni convivæ: 1. Hypocritæ, qui planè ſunt mortui in peccatis, ſine ſpiritu regenerationis, ſine ſenſu ſuæ egeſtatis, ſine appetitu juſtitiæ, ſine amore ſanctitatis, ſine deſiderio ſalutis, ſine ſtudio placendi Deo. Hi indigniſſimi convivæ, qui invitati veniunt ſine veſte nuptiali, ideo que ligantur manus atque pedes, & projiciuntur in extremas tenebras. Hi inquinant, atque pollunt & profanant ſacrum hunc panem atque vinum, non diſcernentes corpus Domini, id eſt, non majori cum reverentia & ſanctitate uſurpantes ſacra ſymbola corporis Chriſti, quàm ſi ad commune aliquod & terrenum epulum accederent. *Hi ſanguinem Novi Teſtamenti impurum æſtimant.* Hebr. 10. Nec tantum impurum æſtimant, & tenuiter de eo ſentiunt, ſed etiam ſacra ſymbola corporis & ſanguinis Dominici polluunt & impura faciunt. Faciunt enim ut non ſit cultus Deo gratus, nec medium ſibi ipſis ſalutare, ſed ut Deo ſint abominationi, ſibique tanto graviori & celeriori exitio. Qui itaque non vult profanare Cœnam, is ante Cœnam ſeipſum probet, an habeat primitias Spiritus ſancti & vitæ cœleſtis. 2. Fideles negligentes in præparatione & excitatione ſui: Hi quidem non ſunt mortui in peccatis, ſine ſpiritu regenerationis & ſpirituali vitâ, attamen ſunt convivæ dormitantes & ſomnolenti, qui cibum non appetunt, quibus cibus non ſapit, qui nihil lætitiæ inde hauriunt, nec moventur ad amicitiam & gratitudinem in convivatorem. Hi quoque ſunt convivæ indigni, & non ſatis diſcernentes & reverenter ac dignè tractantes ſacra ſymbola corporis Dominici, adeoque ſibi judicium edunt, ſcilicet judicium temporale, & virgam caſtigationis. Irritant enim Deum, dum ſacra ejus tam negligenter tractant, nec ſe præparant & excitant, ut ad hoc ſacrum epulum veniant cum dolorifico ſenſu ſuæ miſe-

Digitized by Google

riæ & indigentiæ ſpiritualis, cum appetitu juſtitiæ Chriſti, cum læta applicatione per ingenuam fidem divinæ liberalitatis & beneficentiæ, cum reſtauratione ſui in Deum amoris. Quo fine ſolet convivator aliquis convivium inſtruere, convivas invitare, venientes ad lætum & fiducialem uſum cibi appoſiti hortari? Nonne ut teſtetur & perſuadeat ſuum erga convivas affectum, & convivarum quoque amicitiam erga ſeipſum renovet? Et nonne cum hunc finem non obtinet, contriſtatur, irritatur, & oleum ac operam perdit? Sic & Deus hoc ipſo fine hoc ſacrum epulum inſtituit, & nos ad illud invitat, noſque ad ſerium & ingenuum uſum illius hortatur, ut in nobis reſtauret ſenſum & perſuaſionem paterni ſui erga nos in Chriſto amoris, & per hunc quoque renovet ac inſtauret noſtrum erga ſe amorem & lætam obedientiam. Cum hunc finem ſacræ Cœnæ non obtinet apud nos, ſumus ingrati, & indigni convivæ, qui ſacrum hoc epulum Deo ingratum & nobis inſalutare reddimus. Et ſic videmus, quomodo cum Paulo poſſimus nos cuſtodire immunes à profanatione rerum ſacrarum, cujus Paulus à Tertullo fuerat inſimulatus. Sanctificemus nos corpore & animo, ut ſancti accedamus ad hoc ſacrum. Et tum fiet quod eſt Iſai. 1. 18. Etiamſi videatur ſacra Cœna res tenuis, quæ non poſſit multum conferre ad ſalutem, cogita, quod quicquid ſanctificatum eſt à Deo, & ſanctè uſurpatur à nobis, ſit ſanctum inſtrumentum Spiritus ſancti, cujus virtus non eſt in ſubſtantiâ elementi, ſed in operatione Dei.

Actor. 24. *v.* 22. *ad* 25.

Conc. CCLVII.

Vidimus in hoc judicio quomodo ſe geſſerint accuſatores, advocatus, teſtes, reus, ſequitur quomodo ſe geſſerit judex poſt auditam accuſationem & defenſionem Pauli. Geſſit ſe erga Paulum humaniter quidem ſed non ſincerè. Humanitas Felicis erga Paulum patet ex tribus.

1. Quod Judæos diſtulit, prætendens ſe velle expectare adventum Lyſiæ, & ex illo de hac viâ, antequam ſententiam ferat, penitius cognoſcere. v. 22.

2. Quod Paulum juſſit haberi liberali cuſtodiâ, nec amicos ab eo viſendo impediri v. 23.

3. Quod ipſum non ſemel tantum, ſed ſæpè audivit de Chriſtianiſmo concionantem, idque cum uxore Druſillâ, nec ſine magnâ commotione animi. v. 24. 25.

Falſitas & inſinceritas Felicis etiam tripliciter ſeipſam prodit.

1. Quod vim concionis Paulinæ in animum ſuum incidentem excutit dilatione & prætenſione negotiorum. v. 25.

2. Quod manumiſſionem Pauli pecunia venalem ſiſtit v. 26.

3. Quod tandem in gratiam Judæorum innocentem relinquit in cuſtodia v. 27.

1. Circa dilationem Judæorum ſequimur illos interpretes, qui textum ſic vertunt: Felix melius ſciens de illa via, id eſt, rem Chriſtianorum melius intelligens,

Digitized by Google

ligens, quam à Tertullo ipſi erat repreſentata, Judæos diſtulit, dicens ſeu prætendens, ſe expectaturum adventum Lyſiæ, antequam de causâ ipſorum dignoſcat; vide Piſcatoris verſionem. Non voluit exſpectare Lyſiam, ut ex illo diſceret, quæ ad religionem Chriſtianam pertinent, ipſe enim ſatis accuratè hæc ſciebat. Lyſiæ adventum tantum prætexit dilationi, ſaltem non alio fine expectabat, quàm ut ex illo accuratius, quàm ex literis ipſius diſceret, qua de cauſa & qua occaſione Paulum captivum duxerit. Sed quomodo Felix accuratius dicitur ſciviſſe quæ ad viam iſtam pertinent? an intelligebat doctrinam Chriſtianam? *Reſpond.* ſenſus non eſt, quod doctrinam Chriſtianam probè & accuratè noverit, ſed quod Chriſtianorum externus ſtatus ipſi probè eſſet perſpectus, quòd probè ſciverit, quam iniquè & quam injuſtè Chriſtiani tractarentur à Judæis. Sciebat quod Chriſtus & Chriſtiani non eſſent rei ſeditionis contra politiam Romanam; ſed quod ex mera invidia Chriſtus Pilato eſſet traditus, quod Chriſtiana religio inſignibus coruſcaret miraculis, quod qui Chriſtianiſmum profitebantur, præ cæteris Judæorum ſectis inſigni vitæ modeſtia & pietate clarerent, nec adeò ad turbas & ſeditiones violentas proni eſſent ac cæteri Judæi. Hoc ſciebat: & hæc ipſum movebant ad favorem Paulo exhibendum per dilationem Judæorum. Et hoc nos docet, quod priſcorum Chriſtianorum religio talis fuerit, ut etiam Ethnicorum favorem ipſis conciliaverit. Chriſtiani præcipuè pii ſunt hoc fine, ut Deo placeant & beati fiant. Sed tamen etiam hoc argumento tantò intentiùs dant operam modeſtæ, temperanti, ac piæ vitæ, ut hoſtibus religionis adimant occaſionem blaſphemandi, ut apud exteros quoque bene audiant, eoſque ad amorem veritatis & Eccleſiæ alliciant. Hùc pertinent dicta Scripturæ 1 Petr. 2. 11. ad 16. Col. 4. 5. 1 Theſſ. 4. 11. 12. 1 Petr. 3. 1. 1 Tim. 3. 7. Qui enim ſcandalis doctrinæ vel vitæ aliis ſalutis impedimentum fiunt, propriæ ſalutis certi eſſe vix poſſunt. Utinam hoc conſiderarent Pontificii, qui idololatria ſua Turcas & Judæos à Chriſtianiſmo tam averſos faciunt! Utinam & multi ex noſtris qui licentioſâ vitâ Pontificios à reformatæ veritatis amplexu abſterrent!

II. Non dimiſit Paulum ex vinculis ut patet ex Actor. 26. 29. Attamen laxius & liberalius eum haberi juſſit, fortaſſis ut Actor. 28. v. 6. Præcipuè hoc mandavit, ut non privaretur libertate colloquendi cum ſuis, id eſt, cum ſuis comitibus, & Chriſtianæ religioni addictis, ſicut idem ipſi conceſſum Actor. 27. 3. Diſce hinc:

1. Cum non poſſumus obtinere noſtris precibus, ut afflictiones à nobis tollantur, ſaltem obtinebimus ut alleventur. Sic Paulus ex dura captivitate, quæ deſcribitur Actor. 21. 33. in laxiorem dimittitur, & fruitur ſolatio amicorum. Probabile quidem eſt, Felicem Paulo hanc relaxationem & poteſtatem colloquendi cum ſuis conceſſiſſe, non ex pura benevolentia erga Paulum & ejus cauſam, ſed etiam cum hac intentione, ut per ſuos pecuniam procu-

raret à Chriſtianis, quàm Felici daret ad ſe ex carcere redimendum. Sed tamen Deus in hoc negotio reſpiciendus, qui etiam per impiam Felicis intentionem Paulo procuravit relaxationem, cum nollet dare plenam liberationem. Sic Chriſtus non quidem impetrat tranſitum poculi, attamen impetrat ſolatium & corroborationem angeli Luc. 22.43. Sic Paulus 2 Cor. 12. v. 8. 9. cum non poſſet impetrare liberationem, impetrat tamen promiſſionem corroborationis in media infirmitate. Cum Deus non tollit afflictiones, nec horam tentationis finit & facit deſinere, tamen miſcet eam interventu ſublevationis & conſolationis Pſal. 30.6. *In media ira caſtigante eſt vivificans benevolentia, quæ æſtum mitigat* Pſal. 103. v. 9. Iſai. 57. 16. Mitiget hoc tædium temporalium afflictionum: ſicut Paulus, ſub Lyſia captivus factus uſque ad finem vitæ, quantum quidem ex Scripturâ conſtat, captivus manſit, attamen non ſemper æquè graviter vinctus, ita nos longo ſæpe tempore ſumus captivi Domini Dei noſtri, quovis vinculorum genere conſtricti, imò tota noſtra vita in terris parum differt à carcere. Attamen ita hoc tempus miſcetur ſublevationibus, ut ferre poſſimus, quod pati oportet 1 Cor. 10. 13. Matth. 11. 28. Rom. 8. 26. Sublevat non tantum infirmitatem precandi, ſed & infirmitatem patiendi.

2. Inter illos qui vinculo Chriſtianiſmi juncti ſunt, tam firma eſt relatio, ut unus ſit alterius, & alter alterum ſuum proprium (τὸν ἴδιον σῦ) appellet, ut etjam in neceſſitatibus ſibi invicem ſint auxilio & ſolatio. Paulus habuit conſanguineos Actor. 23. 16. Habuit forte ſervum aliquem domeſticum, habuit ſaltem comites itineris & adjutores operis, qui omnes poſſunt appellari οἱ ἴδιοι ἀυτῦ, ſed tamen ex Actor. 4. 23. liquet, quod Scriptura ſic appellare ſoleat omnes qui Apoſtolis erant conjuncti per vinculum Chriſtianiſmi. Vide quæ diximus in Actor. 4. 23. Utinam hoc conſiderarent hoc tempore infidi iſti vicini, qui nos bello & latrociniis infeſtant. Nam aut apoſtatas ſe fateri debent à religione, qui Reformatos non amplius agnoſcant pro ſuis, & pro fidei domeſticis, aut impios parricidas, qui funeſtum bellum inferunt propriis ſuæ fidei domeſticis & fratribus. 18000 Euangelicorum infamis Alba per carnificem trucidavit. 150000 Reformatos abominabiles hyberni quinque menſium laniena ſuſtulerunt. Horrendum utrumque, neutrum tamen mirandum. Non enim ſævierunt in ſuos, ſed in Chriſtianos. Hos verò homines, qui ſe Euangelicos vocitant, non niſi contra ſuos id eſt Euangelicos latrocinalem mucronem ſtringere, & horrendum eſt & mirandum, niſi quod antiquum illud verum eſt, quod omnis apoſtata ſit perſecutor ſui ordinis. Fœtida illa factio, quantopere decepit ſpem Eccleſiæ Reformatæ, ſolebant olim iſti homines ipſi fœtidam ſeſe vocitare nationem, quod Regis auctoritate reſtricti bello Germanico ſe non poterant immiſcere pro lubitu, ad juvandam, ut ajebant, Eccleſiam Reformatam. Si tum fœtidi erant cum non juvabant, quid non nunc cum deſtruunt? Quamvis nos hæc

Digitized by Google

hæc non nationi ſed nationis propudioſis quibuſdam maculis imputemus, à quibus permulti in iſta natione alieni ſunt, & quod poterunt ad reficiendam pacem contribuent. Faxit pater miſericordiarum, ne quando nos idem committamus in nos invicem: Diſſidia, diſcordiæ, diffidentiæ, exacerbationes, minæ, jurgia, quæ his turbulentis temporibus audiuntur in provinciis, urbibus, plateis, domibus, juſtam nobis creant ſollicitudinem, ne quando inter nos quoque rumpatur vinculum ſacræ communionis, & quiſque in ſuos proprios ſævire occipiat. Conferamus unuſquiſque quod poſſumus ad tantum præveniendum malum. Si pugnandum eſt, pugnemus contra hoſtes Chriſti & Eccleſiæ, & contra invidos perſecutores eorum, quos divina benedictio coronavit, inter nos autem colamus pacem & communionem ſanctorum, dicentes cum Abrahamo, quod eſt Gen. 13. 8. & commendatiſſimum nobis hoc tempore eſto illud Pauli ad Philip. 2. 1. 2. 3 4.

III. Tertia pars humanitatis & comitatis Felicis erga Paulum eſt, quod Paulum audivit concionantem. Cum enim eſſet in gynæceo apud Druſillam uxorem ſuam, quæ Judæa erat, accerſivit Paulum, & audivit ipſum loquentem de fide in Chriſtum, id eſt, de religione Chriſtiana, idque non ſemel, ſed ſæpe verſ. 26. Druſilla perhibetur ab Hiſtoricis deſeruiſſe maritum ſuum Regem Emeſſenorum, & tranſiiſſe in torum Felicis, adeò ut non tantum contra legem peccaverit, quæ Judæis vetat nubere incircumciſo Malach. 2. v. 11. Sed etiam in adulterio potius, quam in conjugio cum Felice vixerit. Dicitur Judæa, religione ſcilicet & profeſſione, quamvis genere erat Idumæa, quippe ſoror Herodis Agrippæ illius, qui Petrum trucidavit Actor. 12. Videtis duos homines impios, quibus tamen volupe fuit Paulum audire de fide in Chriſtum concionantem. Homines impii delectari poſſunt auditu verbi Dei, quod tamen non niſi pietatem ſapit: ſic Marc. 6. 20. Herodes Joannem libenter audivit. Sic multis impiis apoſtatis verbum Dei benè ſapit Hebr. 6. 5. Sic impii Judæi gaudebant in luce Baptiſtæ, id eſt, libenter eum audiebant Joh. 5. 35. Sic lapidoſi illi hypocritæ Luc. 8. 13. Et nunquam Concionatoribus deſunt auditores impii, qui æquè cupidè ad templum currunt ac pii. Ezech. 33. v. 30. 31. Qui fit hoc? Quomodo impii, qui impietate delectantur, benè ſapere poteſt verbum, quod non niſi pietatem ſapit? quî fieri poteſt, ut idem dicatur Luc. 8. v. 13. de Hypocritis, quod Actor. 2. 4. dicitur de piis? Quomodo de impiis dici poteſt, quod piorum proprium eſt? Pſalm. 119. 11. *Reſpond.*

1. Non totum verbum Dei impiis benè ſapit, ſed aliquid in verbo. Habet verbum Dei mirabilia & ſupernaturalia myſteria, habet hiſtorias amœnas, habet promiſſiones dulces, habet modos loquendi delectabiles. Hæc omnia carnalibus quoque grata ſunt, ut exclament cum Bileamo, ut eſt Num. 24. 5. & 23. 10. & cum Ethnicis, ut eſt Deut. 4. 5. 6. 7. 8. In tantùm, ut etiam Ptolomæus Philadelphus & ejus conſiliarii hac

Digitized by Google

hac dulcedine verbi Dei illecti magno ſumptu evocaverint LXX. interpretes, qui Biblia in Græcam linguam transferrent. Piis autem ſapit totum verbum Dei, etiam id quod cæteris nauſeæ eſt, ex. gr. cùm verbum Dei dicit, abnega teipſum, tolle crucem, relinque patrem & matrem, domum, agrum &c. vende omnia & ſequere me, crucifige carnem, mortifica libidines, erue oculum dextrum & manum dextram amputa, ne ſis conformis mundo, hæc & ſimilia impiis nauſeæ ſunt, piis verò delectationi, ut talia audientes cum Chriſto exclament, ut eſt. Pſalm. 40. verſ. 9. & Johan. 4. v. 34.

2. Verbum Dei impiis benè ſapit, ſed ad tempus. Joh. 5. v. 35. Sicut qui non eſuriunt, nec ſitiunt, iis tamen cibus aliquis vel potus benè ſapere poteſt, ſed tamen facilè ſatiantur, ita qui non ſitiunt, nec eſuriunt juſtitiam & ſalutem, ac reconciliationem cum Deo iis verbum Dei poteſt ad tempus benè ſapere, ſed non diu. Præſertim cum guſtatum incipit operari in conſcientiam, eamque turbare, ſicut huic Felici factum, cui tamdiu volupe fuit Paulum audire, donec verbum operaretur metum. Eſt aliquis potus, qui palato gratus eſt, ſed guttur urit. Legimus de libro, qui à Prophetis comeſtus *ori dulcis erat inſtar mellis, ſed ventri amarus* Ezech. 3. 1. & Apoc. 10. 10. Sic multis verbum Dei ad tempus valdè gratum eſt, ut cum gaudio audiant, ſed cum incipit mergi in conſcientiam, eamque turbare metu iræ Dei, ut incipiat formidare pergere in curſu prioris vitæ, tum fit nauſea. Pii verò tanto verbi appetitu ducuntur, ut inſtar infantis recens nati, lacte verbi non poſſint ſatiari. 1 Petr. 2. *Vt appetant præter aurum & argentum & gemmas,* Prov. 8. 11. Ut malint patriam deſerere, & in exilio vivere, quam verbo Dei carere. Hoc facit eſuries & ſitis cordis fracti, quâ & juſtitiam & ſalutem appetit, cujus utriuſque ſemen & inſtrumentum eſt prædicatio verbi Dei. Qui hac fame & ſiti laborant, nunquam judicabunt prædicationem verbi Dei, quantumvis cum humanis infirmitatibus conjunctam, eſſe rem tenuem & exigui uſus.

Diſcamus igitur, quod non ſufficiat eſſe auditorem verbi Dei, ſed requiratur ut ſimus auditores idonei. *Ex auditu verbi Dei fides* Rom. 10. *Prædicatio verbi Dei eſt inſtrumentum regenerationis, juſtificationis & conſolationis* Actor. 26. 16. Sed & prædicatio verbi & auditus verbi abuſivus ſubjectus eſt, ne fieri poſſit ſine fructu. Nobis igitur videndum quomodo prædicemus, vobis quomodo audiatis Luc. 8. 18. Videte quomodo audiatis; non habenti dabitur. Quæ conſtructio, quæ hæc argumentatio & ſequela? *Reſpond.* Quaſi dicat, ſi ita audiverit, ut fructum aliquem converſionis ex auditu verbi auferatis, ille fructus mercedem habebit à Deo: ſed ſi ita audiatis, ut per auditum non emendemini, ipſe auditus infructuoſus & inanis verbi vobis non tantum inutilis erit, ſed etiam cedet in majorem indurationem & maledictionem. Quomodo igitur audiendum, ut fructuoſè audiamus & benè? *Reſpond.*

1. Audiendum cum bona intentione, & ex verâ causâ impellente, quo impul-

Digitized by Google

impulſu, & quo fine, quave intentione venis ad templum & ad auditum verbi Dei? An te impellit exemplum aliorum, mandatum parentum, calamitas publica & privata, vel ut poſſis haberi inter illos, qui apud homines reputantur honeſti, & capaces publicorum honorum, ut habeas quo te delectes, quod judices atque carpas, ut tempus & otium fallas? qui ſic audit, fruſtra audit. Vis enim verbi pendet à benedictione Dei. Deus autem non benedicit mediis, niſi uſurpentur bono fine. Quis autem debet eſſe finis, & quæ cauſa impellens ad audiendum verbum? *Reſp.* Deſiderium agnoſcendi voluntatem Dei, & conſequendi ſapientiam ſalutarem. Vid. Prov. 2. 3. 4. 5. 2 Timoth. 3. 15. Veniendum igitur ad auditum cum precibus, quæ ſunt Pſalm. 119. 18. 27.

2. Veniendum cum voluntate credendi, faciendi, & obediendi quæ audis. Qui vult cum fructu audire, dicat, Domine, doce me, & ego promitto credere & facere quicquid doces credendum, & faciendum, quantumvis ſit contra rationem & libidinem. Vid. Deuter. 5. 27. Pſalm. 25. v. 14. Iohan. 7. 17. Non eſt agendum in hac materia ſicut ſolemus cum propolis in foro, quibus dicimus, prome & oſtende mihi merces tuas, ſi placebunt, emam. Non eſt dicendum doce me Deus myſteria & voluntatem tuam, ſi conveniet cum ratione credá, ſi cum affectibus, faciam, ſed adferendum abſolutum propoſitum faciendi quicquid ex verbo Dei doceberis. Tales diſcipulos Deus efficaciter & lubenter docet.

3. Audiendum juſto tempore. Non perinde eſt, quandocunque verbum Dei audias, ſed audiendum tempeſtivè. Sicut non perinde eſt quando quis ſementem faciat, ſed anni tempora obſervanda, quibus præteritis fruſtra ſeritur; ita juſto tempore non auditum verbum non prodeſt. Duo ſunt tempora opportuna ad audiendum verbum: 1. Tempus divinæ gratiæ, dum gratiæ janua adhuc aperta eſt, *dum hodie eſt*, Pſalm. 95. *dum eſt tempus acceptum*, *& dies ſalutis*, 2 Corinth. 6. 2. dum per diutinum contemptum verbi Deus nondum eſt exacerbatus. Si tamdiu aures à Deo abſcondis, donec Deus contra te exacerbetur, poſtea audies, ſed Deus auditui tuo non benedicet: ſi cum Eſavo ſerò veneris, non ſupererit aliqua pro te benedictio. 2. Tempus noſtræ capacitatis, dum ſanus es & ſenſus habes vegetos, quos exercere poſſis per auditum, dum aures habes ad audiendum; Qui ſanus non audivit, æger non intelliget, quantumvis audiat. Scopus miniſterii eſt docere & convertere ſanos, ut ægrotantes intus habeant ſemen ſolatii & lampada ardentem, quæ ipſis lucem præbeat in tenebricoſâ valle mortis. Concionator cum ægro non poteſt ire uſq; in vallem mortis ad præferendam ei facem, & quamvis iret ac ſimul moreretur, tamen fax alteri eſſe non poſſet, ſed quiſque propriam intus habere debet lampada, quæ luceat ipſi in tenebris mortis. Hæc lampas ſi in ſano per prædicationem & auditum verbi fuerit accenſa, in ægro facili negotio emungetur, & excitabitur (opgheſtoocht en

 gheſnupt)

Digitized by Google

geſſerit) & à Spiritu ſancto curabitur ne extinguatur, ſed ſi in ſanis non fuit accenſa, in ægris non excitabitur. Poteſt fieri ut in grabato facula aliqua demum aliquando accendatur, ſed hoc fit rarò. Locus enim ordinarius accendendis conſcientiarum lampadibus eſt ſuggeſtum Eccleſiaſticum. Hoc altare Dei, ex quo petendus ignis cœleſtis ad accendendam lampada conſcientiæ. Quàm parum ægri & morientes apti ſunt ad edendum, tàm parum ad audiendum verbum Dei: Tantum ægris negotii eſt cum morbo & pharmacis, ut non ſint valde dociles, & doctrinæ capaces, niſi intus ſit illuminatio animi, quæ levi & brevi aliquo alloquio adjuvetur. Audiamus igitur dum tempus eſt, quod ſanus didiciſti, æger poteris in praxin convertere. Huc propriè pertinet parabola Matth. 25. ab 1. ad 13.

4. Denique audiendum cum patientiâ. Homines ſunt qui verbum Dei nobis loquuntur; infirmitates habentes. Hæ infirmitates nos facilè offendunt, & auditum verbi nobis reddunt tædioſum. Humanas infirmitates nos offendere, & nobis diſplicere mirum non eſt: ſed demus operam, ne propter has ipſum verbum fiat ingratum, & diſpliceat, ſed potiùs patienter feramus infirmitates, ut per tædium animi verbo non occludatur aditus ad conſcientiam. Iacob. 1. 21. En ſi cum his quatuor requiſitis verbum prædicatum audiverimus, hoc non ſinet nos inanes, ſed erit nobis potentia Dei ad ſalutem, & dabit vires piè ac lætè vivendi & moriendi.

Actor. 24. v. 25.

CONC. CCLVIII.

Differentia inter virum falſum & ſincerum ſæpè ſe adeò abſcondit à judicio tuo, ut putes tibi negotium eſſe cum homine probo, honeſto, ſincero, ſed ubi propriùs intueris, invenis hominem falſum; ut omninò verum ſit illud Salomonis Prov. 20. 1. Exempla ſunt multa, ſed non aliud adduco quàm Felicis, qui tam humaniter ſe geſſit erga Paulum, ut putares virum optimum, ſed mox falſitatem cordis ſatis manifeſtavit. Humanitatem ejus ſuperiori concione vidimus. Antequam tranſeamus ad falſitatem & λοξοπάθειαν Felicis erga Paulum, excutienda eſt nonnihil preſſius iſta concio, quam Paulus de fide in Chriſtum ad Felicem & Druſillam habuit. De hac concione Lucas conſignat

1. Materiam concionis.
2. Fructum concionis.

Materia concionis deſcribitur in genere & in ſpecie. In genere Paulus dicitur concionatus fuiſſe de fide in Chriſtum verſ. 24. Non quòd locum communem de fide expoſuit, ſed quod de religione Chriſtianâ ejuſque indole & ſubſtantiâ Felicem & Druſillam inſtituit. Verſu autem 25. ſpecialiter exprimitur, quoſnam præcipuè articulos Chriſtianæ religionis coram Felice & Druſillâ tractaverit; ſcilicet articulos de juſtitiâ, de temperantiâ & de futuro judicio. Cur hos tres articulos potiſſimum elegit? *Reſp.* Propter duas cauſas.

Digitized by Google

1. Quia auditores Pauli tales erant, ut hac ſpeciali admonitione de juſtitiâ & caſtitate indigerent. Felix enim erat in magiſtratura ſuâ gerendâ valde injuſtus, & tum Felix, tum Druſilla in vitâ ſuâ valdè luxurioſi erant & impudici, quippe viventes in adulterio, ut ſupra dictum fuit. Paulus igitur, reatum & vitia ſuorum auditorum non ignorans, eò ſpecialiter collimavit, ut illos injuſtitiæ & impudicitiæ coargueret atque convinceret. Concionatorum officium non eſt jaculari ſine collimatione, ſed attendendum ipſis, quibus vitiis auditores ſui potiſſimum laborent, & contra hæc vitia intendenda ſagitta redargutionis. Sicut medicus ante omnia curat explorare quo morbo laboret æger, antequam de medicamentis parandis cogitet, ita bonus Paſtor ovium vitia nôſſe laborat, ut ſpecificas poſſit inſtituere conciones. Hoc enim demum eſt attendere gregi Actor. 20. v. 28. Cavendum quidem Concionatori, ut in hac ſpecificâ collimatione non ſit ſtupidus & imprudens, & publicam perſonarum indigitationem ac traductionem inſtituat, ſicut & Paulus hoc loco hujus prudentiæ exemplum dat, dum Auditores de ſpeciali peccato injuſtitiæ & impudicitiæ redarguturus ad ipſos loquitur, non de injuſtitiâ & impudicitia, ſed de juſtitia & pudicitia, ut ex recto curvum, ex regula enormitatem ſuam intelligerent: Attamen non debemus nimis eſſe civiles in hac materia, ne labor noſter in vanum fiat, ſed, cum auditores adeò ſunt ſtupidi, ut applicare ſibi vitiorum redargutiones non poſſint, noſtrum eſt applicare propius, & ſpeculum verbi propius admovere oculis hebetioribus, (wy moeten haer de materie t' huys brenghen) Quod ſi non amatis, arrigite aures, & noſtras applicationes veſtris prævenitote. Sapienti facilè ſat dictum, ſed ſi quis non vult diſcernere quæ rectius & cautius contra peccata dicuntur, ſed peccata ſua ſecum fert in templum ipſum, eaque collocat ante ſuggeſtum in oculos miniſtri, ſicut Felix Druſillam ſcortillum ſuum, tùm nos recordamur, quod duro nodo durus ſit adhibendus cuneus, ut qui publicè peccant, publicè redarguantur, & ἀποτόμως, *ut ſani ſint in fide* Tit. 1. 13. 1 Tim. 5. 20. & ut alii metuant, ſi illi præ impudentia metuere non poſſunt.

2. Quia methodus convertendi impios ita requirit. Hoc tria enim capita continent omnia, quæ proponenda ſunt peccatori, quem vis convertere. Qui enim homines ad Chriſtum vult adducere, & impium convertere, debet exponere, qualis quis eſſe debeat, ut coram judicio Dei conſiſtere poſſit, nec non quale judicium experturus ſit, ſi talis non inveniatur. Hæc enim ſunt duo capita Legis & Euangelii, ſcilicet doctrina de officiis hominis, & doctrina de judicio Dei ſuper homines. Docet Lex & Euangelium qualis quis eſſe debeat, & quale judicium Dei experturus ſit, ſi ſit talis, vel non ſit talis. Hæc duo capita Legis & Euangelii. Fac hoc & vives. Maledictus, qui non manſerit in omnibus. Ezech. 20. 11. 13. Levit. 18. 5. Deut. 27. 26. Marc. 16. 16. Qualis autem eſſe debet homo &

 quale

Digitized by Google

quale judicium experietur ſi ſit talis, quale autem ſi non ſit? Qualis, inquam, debet eſſe? Juſtus & temperans. Juſtus coram Deo, & erga homines, temperans erga ſeipſum. Hæc enim tria objecta Legis & Euangelii, Deus, proximus, & ipſe: *Diliges Deum ſupra omnia, & proximum ſicut teipſum,* Matth. 22. Compara Tit. 2. v. 12. poſſumus peccare contra Deum, contra proximum, & contra nos ipſos; Quodcunque horum facimus, judicium Dei erit contra nos.

1. Debet eſſe juſtus coram Deo. Nam qui juſtus non eſt coram Deo, non poteſt ſubſiſtere in judicio Dei. *Deus non audit peccatores,* Iohan. 9. *Qui malum facit non morabitur coram Deo,* Pſalm. 5. *Deus ignis conſumens*, Hebr. 12. *Coram quo nemo peccator conſiſtit.* Hoſtis Dei eſt, qui eſt ſine juſtitiâ. Neceſſe igitur adeò juſti ſimus coram Deo, ut vindicativa ejus juſtitia nihil habeat, quod contra nos prætendere poſſit, ſeu ut Paulus loquitur Rom. 8. v. 1. ut nullum in nobis ſit κατάκριμα. Quî fieri autem poteſt, ut homo adeò juſtus ſit coram Deo? *Reſp.* Fieri poteſt duobus modis, Legaliter & Euangelicè.

a. Legaliter, ſi nullum unquam Legis præceptum tranſgreſſus fuerit, & è contrariò omnibus Legis præceptis plenam ac perfectam præſtiterit obedientiam. Nam *ſi in uno defecerit, omnium erit reus.* Iacob. 2. Sed quis hoc pacto juſtus coram Deo? Nemo præter Chriſtum. Adam ante lapſum erat quidem innocens, & ſine peccato, quia nullum præceptum fuerat tranſgreſſus, nullum peccatum commiſerat, ſed nondum erat juſtus, quia debitam Legi obedientiam, vitæ æternæ conditionem, nondum præſtiterat, neque impleverat. Angeli ſancti ſunt juſti coram Deo, quia impleverunt Legem ſibi datam, ſed non impleverunt Legem nobis datam. Lex hominibus data plus requirit, quàm quæ data Angelis. Nemo Angelus obligatus eſt ad ſervandum præceptum Decalogi quartum, quintum, ſextum, ſeptimum &c. Lex enim iſta data hominibus non Angelis. Solus Chriſtus Legem hominibus datam & nunquam tranſgreſſus eſt, & noſtro loco perfectâ obedientia implevit. *Cæteri omnes homines ſunt Legis tranſgreſſores, ſunt injuſti, & deſtituuntur juſtitiâ Dei,* Rom. 3. 23.

b. Euangelicè, per unionem ac communionem cum Chriſto. Chriſtus enim Legem Dei implevit non pro ſe, ſed pro nobis. Chriſtus enim Dei filius, ſua natura non eſt legi hominibus datæ ſubjectus debitor, ſed potiùs *Dominus Legis*, ut vocatur Matth. 12. 8. & quatenus homo eſt, debet quidem obedientiam creatori, ut nunc humanæ naturæ individuum, quod capax poſſit eſſe ſalutis, ſed non eſt debitor ejus obedientiæ legis, per quam totum humanum genus poſſit ſalvari. Sponſoria obedientia, ſponſorioque λύτρῳ noſtro loco implere Legem, ut nobis fieret juſtitia, hoc verò non debuit. Huic debito Chriſtus neutra ſua natura ſubjectus fuit. Attamen liberè ſecundum voluntatem Patris, ex amore humani generis, hoc debitum in ſe recepit, illudque ex aſſe ſecundum præſcri-

Digitized by Google

ptum Legis explevit, & ſic factus eſt juſtitia, per quam coram Deo perfectè juſtus eſt omnis peccator, qui unionem & communionem habet cum Chriſto. Ideò enim vocatur *Dominus Iuſtitia noſtra*, Ier. 23. *Factus nobis à Deo Iuſtitia*, 1 Corinth. 1. 30. *Vt nos in ipſo fieremus Iuſtitia*, 2 Corinth. 5. 24. *& juſtificaremur gratis per fidem in placamentum ſanguinis ipſius*, Rom. 3. 24. 25. Qui igitur unionem ac veram communionem habet cum hoc ſponſore humani generis Chriſto Jeſu, filio Dei & hominis, is per juſtitiam ejus tàm juſtus eſt coram Deo, ac ſi nunquam peccaſſet, & totam Legem Dei ipſe perfectè implevi ſſet. Omnia enim ejus peccata ipſe remiſſa, omnia ejus debita deleta, & expiata, tota ſalus ipſi adeò promerita & acquiſita eſt, ut ſalva Dei Juſtitia negari ipſi non poſſit. Quinam autem illi peccatores, qui veram unionem & communionem habent cum Chriſto generis humani ſponſore?

Reſp. a. Qui injuſtitiam ſuam & agnoſcunt, & ſentiunt eouſque, ut eam cum pudore & dolorifica pœnitentia confiteantur ac deplorent, & ſeipſos abnegant, ac fiduciam in propriam dignitatem, propriaſque vires penitus deponant, ne quo pacto inveniantur πεποιθότες ἐφ᾽ ἑαυτοῖς, Luc. 18. 9. vel τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην ζητοῦντες στῆσαι, Rom. 10. v. 3. Vide & Phil. 3. 9. Evacuatione noſtri opus eſt, ut Chriſti poſſimus eſſe capaces. Qui plenus eſt ſui ipſius, non habet in ſe Chriſtum.

b. Qui per veram fiduciam Chriſtum ſibi applicant. Non ſufficit fiduciam à ſeipſo abſtrahere, ſed & aliud quærendum fundamentum, cui illam imponamus, cui nitamur, & à quo ſuſtentemur, ne mergamur in deſperationem per ſenſum noſtræ miſeriæ. Non ſufficit noſtram juſtitiam abnegemus, ſed & neceſſe eſt Chriſti Juſtitiam induamus tanquam clypeum, quo contra Dei vindicativam juſtitiam tuti ſimus, & eludamus jacula divinæ excandeſcentiæ. Hoc non aliter poteſt fieri quam per veram fiduciam in Chriſti merita & promiſſiones Euangelii, quâ obſignamus, quod Deus verax ſit, per quam filio Dei ac ejus ſanguini damus honorem, quod potens ſit ſalvare omnes, qui per illum accedunt ad Deum, & per quam tanquam per vinculum Chriſto colligamur, eique inſerimur, ut membra ejus facti, juſtitiæ ipſius poſſimus eſſe participes. Sicut enim Adami injuſtitiæ facti ſumus participes, propter naturæ cum ipſo identitatem, ita juſtitiæ Chriſti ſumus participes per unionem fidei Rom. 5.

c. Qui depoſitâ erga Deum inimicitiâ, filiali in Deum amore imbuti, cor rectum ac ſincerum habent erga Deum. Non ſolum Deus nobis iratus propter peccatum, ſed & nos malè erga Deum & hoſtiliter affecti ſumus. Quamdiu hoc durat, non eſt inter nos & Chriſtum vera communio. Hoſtilitas enim animorum ex altera parte tollit omnem communionem & amicitiam ab utraque parte. Quamdiu nos malè affecti in Deum, tamdiu Deus malè affectus erga nos. Ubi Chriſti ſanguis ibi & Chriſti ſpiritus. *Cui Chriſtus factus eſt juſtitia eidem etiam factus eſt ſapientia & ſanctificatio* 1 Corinth. 1. 30.

Digitized by Google

Nemo igitur coram Deo juſtus eſt, niſi qui erga Deum ſanctè affectus eſt, ſicut filius erga patrem, & ſincero corde operam dat juſtitiæ ſecundum omnia præcepta à Deo nobis data. Qui hoc non habet, caret communione cum Chriſto, & proinde non eſt juſtus corã Deo, *ſed ira Dei manet ſuper ipſum.* Non eſt quidem hæc juſtitia juſtificans peccatorem coram Deo, ſed tamen eſt juſtificatorum eſſentialis & inſeparabilis proprietas, ex qua agnoſcuntur, & per quam Deo placent, poſtquam reconciliati ſunt.

2. Debet eſſe juſtus erga proximum, ut proximus nihil habeat contra illum, propter quod apud Deum ipſum accuſet. Sicut Deus, ita & proximus eſt objectum Legis cui ſatisfactum oportet. Matth. 5. 23. 24. Non ſufficit Deum placatum & pacatum eſſe, & nos erga Deum benè affectos, & ſic coram Deo juſtos eſſe & acceptos, ſed & danda opera, ne proximus nos apud Deum juſtè accuſare poſſit. Deus enim, qui nobis vetuit ſe lædere & ſibi facere injuriam, etiam vetuit proximum lædere, aut ei facere injuriam, dicens ut proximum amemus, ſicut nos ipſos, & alteri non faciamus, quod nobis fieri nolumus. Matth. 7. Hinc Matth. 18. v. 27. 28. ſervus ille introducitur juſtificatus à Domino, & tamen in carcerem conjectus, propter injuriam erga conſervum. Peccata contra Deum commiſſa, ipſi erant remiſſa. Sed quia reſtabant peccata contra proximum, conjicitur in carcerem. *Object.* Si coram Deo juſtus ſum, quid curo offenſionem proximi? *Reſpond.* At non es juſtus coram Deo, ſi non ſis juſtus erga proximum. Amor enim proximi æquè tibi per Legem Dei injungitur, atque amor ipſius Dei. Paulus igitur Felicem admonuit non tantum ut offenſionem Dei vitaret & evaderet, ſed etiam offenſionem proximi, ut nemini faceret injuriam, ut injurias aliis illatas juſtâ ſatisfactione tolleret, ut proximo neceſſariam ferret operam, & nemini ſcandalum poneret, quo ſalutem ejus impediat, ſed potius proximi ſalutem quæreret ſicut ſuam: ne proximo detur juſta occaſio apud Deum contra ipſum gemendi. Deus enim vindex eſt non eorum tantum, quæ contra Deum committimus, ſed eorum etiam, quæ contra proximum. 1 Theſſ. 4. 6.

3. Debet eſſe temperans. Hac quidem voce, ut ſuprà diximus, taxat Felicis ac Druſillæ luxuriam, & impudicitiam, ſed tamen laxè comprehendit omnem amorem atque curam, quàm quilibet ſibi ipſi debet, Felicemque docet, quod Chriſtiana lex & religio hominem non tantùm inſtituat Dei & proximi rationem habere, ſed etiam ſui ipſius curam gerere, carnem non curare ad laſciviam, vas ſuum poſſidere in ſanctitate & honore, ſeipſum à mundo ſervare impollutum, libidinibus non indulgere ad irritandam contra ſe propriam conſcientiam, vel ad indurandum & ſtupefaciendum proprium cor, ut fiat incapax ſpiritualis inſtitutionis; ſed potiùs per ſancta media & exercitia divinitus inſtituta carnem crucifigere, & mentem ad cœleſtia ſapienda adſuefacere. Etiamſi quis poſſet dicere, quòd nunquam Deum ipſum

Digitized by Google

ipſum offenderit, nec unquam proximum, tamen ſi curam ſui ipſius non geſſit, & ſervavit ſeipſum immaculatum, judicium Dei erit contra ipſum. Nam & proprii corporis propriæque animæ curam Deus nobis impoſuit. 1 Corinth.3. & 6. En hæc ſunt officia hominis, quæ per Legem ipſi injunguntur, & ſic Felicem Paulus inſtituit, quid Chriſtiana religio requirat ab homine,& qualis eſſe debeat,ſi in judicio Dei velit conſiſtere.

II. Addit nunc Paulus, quale judicium Dei Chriſtiana religio credat futurum eſſe ſuper illos, qui tales ſunt vel non ſunt. Poſtquam enim de juſtitiâ & temperantiâ locutus eſſet, loquitur porrò de judicio futuro. Non de præſenti judicio. Paulus Felicem non docuit, quòd Chriſtiana religio aliquod diſcrimen ſtatuat inter juſtos & injuſtos in hac vitâ, ratione proſperitatis vel adverſitatis, ſed potius ipſi inculcavit illud Salomonis Eccleſ. 8. v.14. & præcipuè illud ſuum Actor. 14. 22. & 2 Timoth. 3. 12. Docuit autem judicium aliquod futurum eſſe, in quo quilibet juſtè judicabitur, ſecundum id, quod in hac vitâ fecerit. Inculcavit, omnibus poſitum eſſe mori, & poſtea judicium, mundum judicatum iri per virum, quem Deus conſtituit, nos omnes futuros manifeſtos coram tribunali Dei, & accepturos quod fecimus vivi, filium Dei venturum in nubibus, & tum fore reſurrectionem mortuorum juſtorum æquè ac injuſtorum, futuram eſſe illam diſcretionem ad ſiniſtram & dextram, ſententiam ſuper juſtos & contra injuſtos, & ejus ultimam exſequutionem in cœlis & in inferno, omniumque elementorum, & totius mundi conflagrationem. Ecce hæc fuit materia concionis, quam Paulus habuit ad Felicem & Druſillam. Sequitur nunc, quem fructum hæc concio apud auditores habuerit. De Druſillâ nihil dicitur. Huic enim, Judæa cùm eſſet, hæc doctrina non fuit omninò nova, ſed magnâ ex parte ſæpius ab ipſâ in Eccleſiâ Judaicâ audita & contempta, & ſic nunc quoque parum per illam movetur mulier, honoris, pudoris,& conſcientiæ expers, & vivens mortua. Felix autem vir judicioſus, hac concione Pauli ità commotus fuit, ut valdè metueret, ἔμφοβος γένος. Nihil profectò mirum. Quî enim fieri poſſet, ut quis talia audiat & non terreatur, ſiquidem ratione polleat, cor humanum non ſit ab ipſo ablatum, & conſcientia cauterio reſecta, Diabolus à tali concione tremeret, nedum homo qui ſe & peccatorem ſciebat in ſeipſo ſatis gravem eſſe, & præterea alienum ab omni unione & communione cum Chriſto filio Dei, per quàm coram Deo poſſet fieri juſtus, quique ſpecialiter ſciebat, ſe erga homines adeo injuſtum & erga ſeipſum adeo intemperantem eſſe. Illos non terreri concionibus talibus, qui ſciunt ſe per unionem ac veram communionem cum Chriſto iram Dei evaſiſſe, mirum non eſt, ſed hominem injuſtum & impium talia audire, & non tremere, impoſſibile eſt, niſi ſit homo planè reprobus, induratus & beſtialis factus.

Atenim qualis ille timor & metus Feli-

Digitized by Google

Felicis? An verus timor Dei, quo cor ejus emollitum fuit, ſicut cor Joſiæ 2. Chron. 34.27. Quo compunctus fuit ſicut illi Actor. 2. v.37. Quo cor ejus fractum, ſpiritus contritus fuit, ſicut in Davide, quo denique accenſa fuit vera ſollicitudo evadendi iram Dei & placendi Deo? Nequaquam. Si enim talis timor Dei veniſſet in ejus cor, non perſeveraſſet in iſta in ſinceritate erga Deum & Paulum, quæ in ſequentibus deſcribitur. Hoc enim nemo facit, qui Deum verè timet. Proverb. 16.6. Ubi Deus timetur, ibi à malo receditur. Attamen timuit, à quo autem timuit, annon à Deo? Omnino. Ergo fuit vir timens Deum? Quid tum? etiam Diaboli timent à Deo. Non tamen fuit vir qui habuit initium ſapientiæ & pietatis. Non enim formidabat malum facere & Deum offendere. Sicut fures timent à patibulo, ſed non timent à furto, ſic impii timent à pœnâ Dei, ſed non formidant Deum offendere non eſt timor penetrans, cor mutans & frangens, ut radices ageret. Sicut ſomniantes aliquando gravi corripiuntur timore & tremore, & tamen non evigilant, ſed manent dormientes, & dormiendo metum exſtinguunt, atque vincunt, ita prædicatio verbi homines impios ſæpe angit & pungit, & tamen non evigilant ex ſomno peccati, ſed manent dormientes in peccatis, tanquam peccatis ebrii, & ſingularis requiritur gratia Dei, ut homines evigilent, & ſobrii fiant, ut ſeſe evolvant ex laqueis Diaboli 2 Tim.2.26. Si quis in ponte dormiat, is poteſt ſomniare quod in flumen cadat, & quidem ita ſomniare, ut tremat & lamentetur, & tamen iſto metu non evigilat, ut ſurgat & evadat periculum: ſic verbi prædicatio conſq; nos poteſt commovere, ut metuamus, tremamus, gemamus, ejulemus ſuper peccatis noſtris, & tamen non evigilemus, ut ſurgamus ex peccatis, & declinemus viam perditionis. Sic hic Felix, ſic Herodes Marc. 6.20. Sic ipſe Diabolus tremit à verbo Dei, & tamen non deſinit peccare contra Deum. *Quare?* quia non evigilant, ſed metum verbi ſomno vincunt. *Surge igitur qui dormis, &c.* Epheſ. 5. 14. Ne ſis contentus ſi quos aliquando motus ſentias ex predicatione verbi, ſed tamdiu audi vocem clamantium, donec per illam evigiles, & ex peccato ſurgas, & viam perditionis deſeras. Si quid vigilans titubes, aut labaris, id non imputabitur. Sed ſi in peccatis ſtertis, quantumvis aliquando commovearis, id nihil proderit. Infideles planè mortui ſunt in peccatis, fideles aliquando dormiunt in uno atque altero peccato ſicut David. Utriſque illud acclamatur: *Evigila qui dormis, &c.* Precemur illud Pſalm. 13.4. Quantumvis impii per prædicationem concutiuntur, ut metuant & tremant, tamen manent dormientes, donec in mortem obdormiſcant, & non evigilant, donec in die futuri judicii aperientur libri conſcientiarum. Et tum æternum vigilabunt, nec poterunt dormire: ſi in inferno liceret tam ſuaviter dormire in peccatis, ac in terrâ, non foret adeò terribilis, ſed non licebit. Evigila igitur & ſurge ex invidia, irâ, ebrietate, impudicitiâ, &c. & Chriſtus te illuminabit. Illuminabit

1. Luce

Digitized by Google

1. Luce ſapientiæ, ut videas viam, qua incedendum 2. Luce juſtitiæ, qua diſpellentur tenebræ tuæ injuſtitiæ. 3. Luce conſolationis. 4. Luce gloriæ ſecundum corpus & animam.

Actor. 24. v. 25. ad finem.

CONC. CCLIX.

SEquitur nunc falſitas & inſinceritas Felicis contra Paulum, conſiſtens in tribus partibus.

1. Quod vim verbi divini, quod Paulus ipſi prædicaverat, à conſcientia ſua repellit per prætextum negotiorum, jubens Paulum abire, & mentiens ſe denuò auditurum, ubi commodum fuerit. Miniſtrorum eſt auditoribus verbum Dei quaſi propinare, & in os dare. Auditorum eſt verbum prædicatum imbibere, & recipere cum omni lenitate, ut eſt Jac. 1. 21. Sed reperiuntur auditores, qui verbum propinatum & implantatum, ſentientes aliquam ejus vim, libidinibus ipſorum contrariam, reſpuunt, exſpuunt, & fortiter à ſe repellunt. Tales ſunt, *qui non ferunt verbum exhortationis* Hebr. 13. verſ. 22. *ἀνέχεσθε*, ſuſtinete, nec expuite, donec opus ſuum perfecerit. Tales ſunt *qui fidem & bonam conſcientiam repellunt.* 1 Tim. 1. 19. Quomodo repellunt? Non expellendo quam habent. Fides enim & bona conſcientia, ſemel per digitum Dei virtute meritorum Chriſti in anima hominis plantata, non expellitur, ſed per eundem Dei digitum cuſtoditur, & retinetur. Eſt enim donum Dei *ἀμεταμέλητον* Rom. 11. Quomodo igitur fides & bona conſcientia repellitur? *Reſpond.* Cùm à nobis repellimus verbum, impedimus operationem ejus, ne poſſit fidem & bonam conſcientiam in nobis operari, ſicut hic Felix fecit. Verbum erat in ore ejus & incipiebat operari, ſed quia non poterat ſuſtinere vim verbi, libidinibus contrariam, ideò exſpuit verbum, & jubet Concionatorem abire, & deſinere loqui. Non eſt quidem adeò aperta rejectio verbi, ſed tecta excuſationibus ſicut illa Luc. 14. v. 18. Sed ſive civilis ſit, ſive incivilis rejectio verbi, eſt tamen vera rejectio, qua noſmet excludimus à ſalute, & vita æterna nos indignos facimus Actor. 13. verſ. 47. & in nos derivamus culpam exitii noſtri. Sicut aliquis æger, qui pharmaca, quæ appetitui contraria ſunt, expuit, & à ſe repellit, ſanitatem repellere rectè dicitur, ita qui verbum, quod libidinibus contrarium ſit, rejicit & audire detrectat, proprii exitii autor eſt, & præterea ingratus rejector oblatæ gratiæ ſalutaris, exitio dignus. Chriſto pulſanti noſtrum eſt aperire Apoc. 3. verſ. 20. Pulſat Chriſtus per verbum, idque non tantùm per externum verbi ſonum, ſed etiam per internos quoſdam motus & verbi operationes, quæ animum & conſcientiam noſtram afficiunt, & faciunt nos metuere ſicut Felix metuebat. Hæc Chriſti pulſatio. Hanc cum ſentimus, noſtrum eſt aperire & Chriſtum admittere. *Object.* At hoc nos non poſſumus, ſed Chriſtus aperit noſtrum cor, Actor. 16. verſ. 14. *Reſpond.* ſed nos dicimur aperire, cum Chriſtum

Digitized by Google

aperientem non impedimus, nec clavem verbi violenter repellimus, nec cum Chriſtus aperit nos claudimus, Apoc. 3. verſ. 7. Chriſtus inſerit clavem in fores conſcientiarum noſtrarum, & incipit aperire: Hoc cum nos ſentimus, clavem extrahimus, & ante pedes Chriſti projicimus: Chriſtus loquitur, & nos obturamus aures, & nolumus audire, vel audientes induramus cor, Pſal. 95. v. 7. 8. Multi ſunt, qui audiunt admonitiones ſalutares, & iis quoque non parum afficiuntur: Sed tum motus ex verbo hauſtos vi excutiunt. Chriſtus quidem in electis ita loquitur, ut tales oppoſitiones in iis vincat, ſed interim iſtæ obluctationes contra verbum, graviſſimum ſunt peccatum, & hominem faciunt reum contempti Euangelii, & impeditæ propriæ ſalutis. Caveamus igitur tales obluctationes contra verbum & ejus operationes in noſtris conſcientiis. Hoc eſt reſiſtere Spiritui ſancto Actor. 7. 51. nolle redargui à Spiritu Dei Gen. 6. 3.

II. Quod Paulum ſæpius ad ſe vocavit, & cum ipſo collocutus eſt hac ſpe, fore ut munera daret pro quibus dimitteretur. Audiverat Paulum veniſſe Hieroſolymam, ut populo ſuo eleemoſynam adferret v. 17. hinc concludebat Paulum eſſe virum divitem, vel ſaltem ex Chriſtianorum liberalitate poſſe colligere nummos, quibus ſe redimeret. His nummis inhiat Felix, & ad eos eliciendos ſæpius cum Paulo colloquitur, ὡμίλει. Non quod denuo curioſus eſſet audiendi verbum Dei ut antea, ſed ut per familiare colloquium mentionem munerum commodè injiceret. Non videtur apertè & impudenter flagitâſſe munera, ſed civili colloquio artificioſè ſpem liberationis Paulo injeciſſe ſub conditione munerum. Quâ autem in re conſiſtat ars eliciendi munera civiliter, ſine ruſticâ manifeſtatione ſuæ avaritiæ, explicare vobis non poſſum, quia iſtam artem nunquam didici, & videtur eſſe ars tenebrarum, quæ non facilè perſpicitur. Solus Gehaſi exemplum præbet, quamvis ſatis ſtupidum, 2 Reg. 5. 22.

Obſervabile autem eſt, quod textus timorem Felicis & avaritiam Felicis adeò connectit per vocem ἅμα. Metuens valdè Paulum jubet diſcedere, ſimul ſperans datum iri nummos. Erat aliquis timor Dei ex prædicatione verbi, ſed ſimul injuſta cupiditas donorum, per quam ambulabat ſecundum avaritiam, Ezech. 33. 31. 1 Sam. 8. 3. Avaritia mixta cultui divino eſt venenum & fermentum cultum corrumpens, & pium ac ſimul avarum eſſe impoſſibile eſt. Duæ autem ſunt hic quæſtiones.

1. An munera accipere ſit ſimpliciter illicitum? Legimus Eliſam, Petrum & alios munera oblata recuſâſſe, 2 Reg. 5. Actor. 8. Sed legimus etiam Davidem & alios, accepiſſe 1 Sam. 25. Imò Jacobum fratrem Eſavum multis inſtantiis urſiſſe ad accipienda munera, Gen. 33. 9. 10. Quid igitur juris in hac materiâ? *Reſpond.* Non ſimpliciter illicitum eſt accipere munera. Dantur munera multis de cauſis, ex. gr. in Symbolum gratitudinis Gen. 14. 20. 21. in Symbolum honoris, & reverentiæ Geneſ. 43. 11. in Symbolum ſubjectionis 1 Sam.

10. v. 27.

10. v.27. & 16. 20. Ad conciliandam benevolentiam & amicitiam Prov. 18. v. 16. Talia munera interdum accipi poſſunt licitè. Quandonam igitur illicitum eſt accipere munera? *Reſpond.*

a. Cum eſt contra poſitivas leges politici Magiſtratus, ſæpè in ſe licitum foret munus aliquod gratitudinis loco accipere pro præſtito beneficio. Sed quia ſub hac larvâ graſſantur munera corruptionis, tutum eſt Reipub. aliquo interdicto generaliori prævenire munera politiam corrumpentia, atque etiam juſtis & honeſtis viris legem ponere, quæ alioquin injuſtis propriè ponitur 1 Tim. 1. 9. ne juſtorum libertas ſit volucrum nequitiæ. Hoc pacto politicæ leges contra munera ſæpè ſunt latiora, quàm interdicta Scripturæ. Et huic legi viri honeſti, juſtitiæ conſervandæ causâ, lubenter ſe ſubmittunt, atque ejus vi etiam à licitis muneribus abſtinent, ſicut & ſæpè Chriſtiani licita munera recuſant, ſcandali vitandi causâ, 2 Reg. 5. 16. Gen. 14. v. 23. Sicut Paulus eandem ob cauſam ſtipendium accipere à Corinthiis noluit, 2 Cor. 11. 7. 8. &c.

b. Cum accipiuntur ad corruptionem judicii, & ad convertendum regimen politiæ in nundinationem & turpem quæſtum. *Sic accipere munera contra innocentem* Pſal. 15. ult. Deut. 27. 25. Exod. 23. 8. Deut. 16. 19. 1 Sam. 12. 3. Iſai. 33. 15. Sic cum negatur juſtitia, donec dentur munera. Tribus modis exercetur nundinatio judiciorum. 1. Cum donis movetur Iudex ad condemnandum innocentem. 2. Cum donis movetur Iudex ad parcendum nocentibus, & toleranda crimina legibus prohibita. 3. Cum judex juſtis negat juſtitiam, donec eam donis redimant. Judicium non debet vendi, neque juſtum neque injuſtum. Talis erat noſter Felix, qui cum liberationem Paulo deberet ex juſtitia, non voluit Paulo libertatem concedere niſi pro pretio. Huc etiam pertinet Eccleſiaſticorum ſimonia Actor. 8. 18.

2. Altera quæſtio: Cur Paulus noluit munere aliquo libertatem redimere? An quia non habuit quod daret? an quia illicitum putabat? Qui injuſtè captivus eſt, an ei foret illicitum ſeſe redimere per munera? *Reſp.* Audivimus Actor. 16. 37. Quod libertatem ex injuſtâ captivitate gratis oblatam, Paulus noluit acceptare. Quid mirum, ſi eam noluit pecuniâ emere? Non eſt in ſe injuſtum per extortum lytrum ſe liberare ex injuſta captivitate, & tamen Paulus hoc facere noluit, idque, 1. Ne videretur hanc ſordidam Felicis affectationem munerum approbare. Felix enim dixiſſet, ſi ipſi licitum eſt dare, mihi licitum eſt accipere. 2. Ne innocentiam ſuam redderet ſuſpectam, anſam dando calumniæ, quod per corruptionem judicis judicium ſubterfugiſſet. Qui alios volunt docere juſtitiam, ſollicitè debent cavere læſionem bonæ exiſtimationis 1 Tim. 3. 7. 8. Nehem. 6. 10. 11. 1 Sam. 2. 17. 2 Cor. 11. v. 10. & 18.

III. Quod denique Romam avocatus in gratiam Judæorum Paulum in captivitate reliquit. Non quod Judæos adeò amaret, ut in eorum gratiam quicquam faceret: ſed quia metuebat, ne Judæi ex Judæa digreſſum apud Cæſa-

Digitized by Google

rem accuſarent ob malè adminiſtratam provinciam. Ad hos igitur ſibi devinciendos, gratificatur ipſis captivitatem Pauli, planè ſicut injuſtus ille diſpenſator ab officio depoſitus. Luc. 16. 3. 4. &c. Inſontem relinquit in periculo, ut per ejus periculum ſuæ noxæ patrocinium conciliet. Diſputandum hic foret de illo biennio, poſt cujus expletionem Felix avocatus eſt, an inchoandum ſit à præfecturâ Felicis, an à captivitate Pauli? ſed non eſt res magni momenti. Vide Jeſuitam à Lapide in hunc locum. Diſcant noſtri judices juſta exercere judicia, ut rationem poſſint reddere judici ſummo. Deus enim haſce artificioſas mundi nationes laudavit quidem ob aſtutiam Luc. 16. 8. Sed puniet ob injuſtitiam. Æquum quidem eſt ejuſmodi corruptiones puniri à bonis regentibus. Sed 1. gratius eſt Deo ſi vi conſcientiæ omittantur. 2. Regentes vix poſſunt ſine perturbatione Reipub. hoc malum eradicare, ſicut cùm veneficas incipiunt punire, Diabolus totam ferè civitatem veneficiorum ſolet inſimulare, ut multitudo eorum, qui accuſantur, impediat pœnam eorum, qui rei ſunt.

Actor. 25. v. 1. ad. 6.

Conc. CCLX.

PAulus in Epiſtolis ſuis captivitatem, ſuam diuturnam ſæpe adhibet in argumentum movendi lectores ad majorem adhortationum ſuarum æſtimationem, Eph. 3. 1. & 4. 1. Philem. 1. & 9. Sicut enim multum facit ad roborandam in nobis fidem Euangelii, quod primi illius prædicatores non dubitârunt ſanguine ſuo obſignare veritatem: Ita etiam quod tam diuturnam captivitatem pro illa ſubſtinuerunt Phil. 1. 13. 14. Accuratè igitur penſitanda hiſtoria captivitatis Pauli. 2 Tim. 2. 9. Vidimus quid ſub Lyſiâ, & quid ſub Felice captivus ſuſtinuerit. Sequitur nunc ſecundum judicium, quod Paulus captivus Cæſareæ ſuſtinuit coram eodem tribunali, ſed ſub diverſo Judice, ſcilicet Portio Feſto, Felicis ſucceſſore. De hoc judicio ſequentia deſcribuntur.

1. Impudens poſtulatio Judæorum, quâ Feſto importuni fuerunt ut Paulum Hieroſolymam mitteret, quem prætendebant ſe Hieroſolymæ judicaturum, intendebant autem inter vias occidere v. 1. 2. 3. 4. 5.

2. Nova ventilatio cauſæ coram tribunali Cæſareenſi, quâ Judæis accuſantibus, Paulus ſe denuò defendit v. 6. 7. 8.

3. Inclinatio Judicis ad gratificandum Judæis, & Paulum Hieroſolymam mittendum, quam Paulus declinat per appellationem ad Cæſarem. verſ. 9. 10. 11.

4. Decretum judicis de Paulo ad Cæſarem mittendo v. 12.

5. Præparatio ad exſequutionem hujus decreti, conſiſtens in eo, quòd Feſtus totum negotium expoſuit Agrippæ Regi, qui cum Berenice uxore Cæſaream venerat, & cùm is Judæus eſſet, qui controverſias de religione melius intelligebat quàm Feſtus, voluit ut Paulus coram hoc Rege loqueretur, & quid ſibi cum Judæis controverſiæ intercederet, exponeret,

Digitized by Google

poneret, ut ita Feſtus de conſilio Agrippæ aliquid haberet, quod miſſioni Pauli ad Cæſarem cauſæ loco prætexeret, ne abſurdus videretur captivum mittens ſine crimine, verſ. 13. ad finem cap. 26.

Cum Hieroſolymæ eſſet Feſtus, quò Cæſareâ aſcendit triduo poſt ſuſceptam provinciam, procul dubio ut in metropoli primoribus Judæorum innoteſceret novus gubernator, comparuerunt coram eò ipſe ſummus Sacerdos cum Judæorum primoribus, ſicut Actor. 24. v. 1. Eumque rogârunt, ut favorem ipſis exhiberet contra Paulum, eumque Hieroſolymam evocaret, ſtruentes interea inſidias, ut inter vias occideretur. Conſideremus diſtinctè:

1. Quod ſtatim triduo poſt ſuſceptam Cæſareæ provinciam Hieroſolymam aſcendit Feſtus. Cæſarea erat ſedes Romanæ majeſtatis & auctoritatis, per quam populus Judaicus regebatur. Hieroſolymæ erat metropolis populi qui regendus erat, ibique habitabant primores populi, & totus populus eò ſæpius confluebat. Feſtus igitur ſedem quidem majeſtatis & auctoritatis Romanæ, quæ Cæſareæ erat, occupavit, ſed tamen ex iſta ſede iterum ſurgens Hieroſolymam abiit ad populum, cui regendo præfectus erat, nec non ad ejus primores, ut ita ſeſe in populi primorumque gratiam & favorem inſinuaret, & affectus illius ſibi conciliaret, ſicut ſolent recenter provinciam gubernandi ſuſcipientes. Non ſolum æquum eſt ac more receptum, ut ſubditi ſe ſtudeant inſinuare in gratiam & favorem dominantium, ſed etiam rectores populi multum ſuâ putant intereſſe, ut à populo ſuo amentur, & in gratiam ac favorem ejus ſe inſinuent. Sic Saulum Regem creatum Samuel apud populum inſinuat 1 Sam. 10. 24. Præterquam apud paucos qui nolebant eum agnoſcere v. 27. Sic Joſaphat per pietatem ſuam, ſe non apud Deum tantùm, ſed etiam apud populum inſinuavit. 2 Chron. 17. 5. Idque non tantùm donec regnum adipiſcantur, ut fecit Abſolom 2 Sam. 15. 2. 3. 4. 5. 6. Sed etiam quamdiu regno potiuntur, id dant operam, ut non tantum à populo ſuo metuantur propter majeſtatem & potentiam, ſed etiam ut à populo ſuo diligantur ob honeſtatem, pietatem, juſtitiam & clementiam. Non quærunt ſibi pii magiſtratus favorem populi conciliare per injuſtam indulgentiam, ſicut Pilatus Marc. 15. 15. Herodes Actor. 12. 3. 4. Felix Actor. 24. 27. & hic ipſe Feſtus Actor. 25. 9. 11. Sed, ut dixi, per honeſtatem & pietatem vitæ, nec non per juſtitiam & clementiam regiminis, ut ejus rei exemplar David ſeipſum deſcribit Pſal. 101. Non probant pii & prudentes magiſtratus illud Imperatoris: *Oderint, dum metuant*, ſed dant operam, ut affectus populi ſibi deviniant. Non enim ſunt rectores pecudis, quæ ſolâ coactione regitur, ſed rectores hominum, qui vi intellectûs & judicii nôrunt ſequi rectè ducentes. Coactiva auctoritas atque potentia magiſtratus non eſt præcipuum medium gubernandi populum, ſed eſt tantum adminiculum, quod rarò adhibetur contra capita quædam anomala & heteroclita, quæ non nôrunt ſequi ſapientem & paternum

Digitized by Google

ductum magiſtratus. Deus ipſe, quantumvis ſummæ majeſtatis & potentiæ, homines non regit meris pœnis, meráque coactione, ſed populum ſibi devincit per beneficentiam & clementiam, nec amat homines moderari per fræna inſtar mulorum Pſal. 32. 9. Sed trahit per funes amoris Oſe. 11. v. 4. & cum frænum pœnarum ac coactionis adhibet, facit opus extraordinarium & peregrinum Iſai. 28. 21. Utinam Reges terræ & magnates hoc rectè conſiderarent! Unde tot turbæ in mundo, præſertim tot inteſtina bella ſubditorum contra Reges? Hominum magnates obliti ſunt artem benè regendi. Populum pellunt ut pecudem merâ vi & potentiâ, & parum curant animos ipſorum ſibi obligare; putantque ſibi dedecori eſſe & majeſtati contrarium, cedere juſtis deſideriis populi, parum cogitantes, ipſum Deum non dedignari regere populum per indulgentiam, etiam cum deſideria ejus non ſunt uſque quaque juſta 1 Sam. 8. 10. Cum tamen inter Deum & populum diſtantia ſit infinita, quæ non eſt inter magiſtratum & populum. Pertinax & non neceſſaria obfirmatio regentum perdit regentes & Remp.

2. Quod Pontifex & Judæorum primores comparent coram Feſto contra Paulum. Feſtus infra v. 24. dicit, quòd tota Judæorum multitudo, tùm Hieroſolymæ, tùm Cæſareæ ipſum interpellaverit de Paulo. Nimirum præeuntes & inſtigantes ductores ſecutus eſt populus, ut Matth. 27. 20. Sic fit ubi populus ſine ſcrutatione Scripturæ, & probatione doctrinæ cæcâ obedientiâ ſe mancipat ſuis ſacerdotibus. Nihil ibi tam abſurdè à doctoribus geritur, quod non ſequatur populus. Debent oves ſequi ductum ſuorum paſtorum, ſed rationales oves rationaliter, caventes ne ſeducantur, & probantes ſpiritus an ex Deo ſint. Oves rationales non tantum in ductorem convertunt oculos, ſed etiam in viam per quam ducuntur, an ſit vera via.

3. Quid autem dicunt Feſto? petierunt favorem contra Paulum, utque ipſum Hieroſolymam accerſeret. Opinio Judæorum erat, quòd Paulus propter negotium religionis captivus factus, non deberet judicari Cæſareæ coram tribunali Cæſarienſi, ſed Hieroſolymæ à Pontifice & ſynedrio Judaïco, quod ſatis clarè oggerunt Felici & Lyſiæ Actor. 24. 6. 7. 8. Sed quia per experientiam didicerant, illud quaſi de jure non iri conceſſum, rogant ut concedatur ex gratiâ & favore. Acutè certè rem gerunt, & non parum Feſtum conſtringunt, quaſi dicant: Prima eſt hæc petitio, quam à te novo gubernatore petimus, & ex cujus recuſatione vel conceſſione probabimus qualis ſit futurus tuus erga populum noſtrum favor. Feſtus ait, infra v. 24. Quod clamaverint, non decere ut Paulus vivat, ſeu crimina & facinora ejus eſſe tanta, ut illæsâ juſtitiâ inter vivos tolerari non poſſit. Sententiam ferunt ante judicium, & ante cognitionem cauſæ, unde conſtat quales ſint futuri judices: Ideò etiam ſententiam contra Paulum petierunt infra v. 16. Videntur igitur alternativè petiiſſe, vel ut teſtimonio ipſorum confiſus Paulum condemnaret & occideret, vel ut cum ipſis trucidandum

Digitized by Google

dandum traderet. Videmus hinc quanti ſit apud irregenitos explere odium & invidiam. Licitum erat huic populo à novo gubernatore petere aliquem favorem, & potuiſſent ſine dubio magnum aliquod impetrâſſe privilegium, ſed odium & invidia non ſinunt aliquid majus petere, quàm interitum Pauli, planè ſicut Herodias Matth. 14. v. 7. 8. Compara Marc. 6. verſ. 23. Meritò Poëta;

Eſt vindicta malum vita jucundius ipſa.

Expletio cupiditatis vindictæ eſt peccatum dulce. Non decet Chriſtianos hoc imitari. His enim mandatum, ut vindictæ cupiditatem, cum omni ſuà dulcedine totam deponant, ut etjam inimicis benefaciant, & pro iis orent, vindictam verò Deo committant Rom. 12. Matth. 5. An igitur nullo modo licet vindicare injurias ab hoſte illatas? *Reſpond.* 1. Iſta quæſtio hic non habet locum. Paulus enim non erat Judæorum hoſtis, ſed medicus, qui non ſolum nihil injuriæ Judæis fecerat, ut ait. v. 10. ſed etiam ſalutem eorum anxiè quærebat. Rom. 9. 1. 2. 3. Habebant ipſum pro hoſte ex odio, ſed non erat hoſtis. Itaque vindictæ contra illum nullus locus. 2. Vindicare injurias hoſtium, idque cum voluptate animi, pugnat contra præcepta verbi, & contra naturam Chriſtianæ charitatis, ſed injurias hoſtium à ſe propulſare, per preces ad Deum, vel per media divinitus inſtituta, idque non ex odio hoſtium, ſed ex amore noſtri & noſtrorum, imò etiam ad emendationem hoſtium ipſorum, non eſt alienum à Chriſtianis Pſal. 83. verſ. 17.

4. Dum Feſtum orant, ut Paulum Cæſareâ Hieroſolymam evocet ad judicium, parant inſidias, quibus illum inter vias occidant, planè ut cap. 23. 14. 15. Sic hi homines ad explendum in Paulum odium non juſtitiam implorant, ſed ſub mendaci prætextu judicii latrocinium parant; & homicidium hominis innocentis, quo peccato quid poteſt eſſe gravius? *Obj.* At eſt ſtratagema, ſunt inſidiæ, dolus an virtus, quis in hoſte requirat? Talia ſtratagemata, (aenſlagen) in bello ſæpè adhibentur, quibus ſub bono & fallaci prætextu hoſtis exitium efficitur. *Reſpond.*

1. Paulus non erat hoſtis, ſed vir innocens, ut ſuprà dictum.

2. Aliud eſt decipere hoſtem ſuum, aliud decipere magiſtratum ſuum. Quoniam videbant magiſtratum juſtis cauſis deſtitutum, odio & invidiæ ipſorum non ſatisfacturum, per fraudem nituntur circumvenire magiſtratum, ut captivo ex cuſtodiâ juſtitiæ erepto odium expleant per privatam cædem. Quis Chriſtianus hoc imitetur? peccant, qui reos malefactores juſtitiæ ſubtrahunt, ut non poſſint puniri, quantò magis igitur peccant, qui juſtitiam decipiunt, ut innocentem ſanguinem ex cuſtodia defenſoris ereptum latrocinalitèr effundant?

3. Quod in bellis uſitatum, non ideò penitus probatur in Eccleſia. Milites ſolent ita facere. Ergo ſacerdotes idem debent auditores ſuos docere, approbare, ſuadere, ſicut hi ſacerdotes, id verò non ſequitur. Licita ſunt ſtratagemata & deceptiones hoſtium in bello,

Digitized by Google

bello, quæ fiunt ſecundum exempla in Scripturis conſignata, & conſiſtunt intra limites veritatis & juſtitiæ, ſed ſi milites in ſtratagematis uſurpandis limites veritatis & juſtitiæ transgrediuntur, id non eſt approbandum, etiamſi benè ſuccedat, nec à Deo puniatur, ut patet in mendaci ſtratagemate obſtretricum Exod. 1. 19. & aliorum. Joſuæ 2. 5. 6. 1 Sam. 21. 2. Si conjurati hoc ſtratagemate uſi fuiſſent ſine ſuaſu & approbatione ſacerdotum, fuiſſet peccatum ſatis grave. Sed longè gravius eſt, quod Sacerdotes ita docent, atque ſuadent. Non quod privatorum conſcientiæ minus ſunt obligatæ ad rigorem Legis, quàm conſcientiæ ſacerdotum, ſed quod gravius peccatum eſt ſacerdotes mala opera docere, quàm privatos mala opera facere. *Illorum enim labia debent cuſtodire jus Dei in ſua puritate.* Malach. 2. 6. 7. *Si vel minimum præceptum legis ſolvunt, & homines ita docent faciendum, minimi vocabuntur,* &c. Matth. 5. 19. Ideo populus Judaicus Chriſtum tradens majus peccatum habebat, quam Pilatus Chriſtum occidens Joh. 19. 11. Quod præcipuè dicendum de ſacerdotibus, qui docebant, qui ſuadebant Chriſtum eſſe occidendum. Miniſtrorum verbi eſt perfectam formulam juris divini populo ob oculos ponere, & quid juſtum vel injuſtum ſit oſtendere. Unuſquiſque ex populo, cujuſcunque ſit ſtatus & ordinis, obligatus eſt ad laborandum & conandum, ut vita & actiones ſuæ ſint juri conformes. Cum autem populus à formulâ juris recedit atque deficit, is morbus eſt, qui ex Euangelio poteſt curari, ſed non eſt opus quod ex lege poteſt juſtificari: peccata poſſunt ſanari, ſed non poſſunt juſtificari, ſed antequam poſſint ſanari, debent condemnari, idque non ſolum à doctoribus, ſed etiam à factoribus. Ne aſſueſcamus jus Dei ſolvere & laxare, ſed contendamus ad conformitatem cum rigidâ lege. Sicubi autem ex infirmitate judicii ſive virium deficimus, id non per juſtificationem, ſed per humiliationem, & gratiam Dei tollamus ex medio. Nimis familiare eſt hominibus noſtris contradicere ſuis doctoribus, & juſtificare quod illi condemnant, vellentque ſuos doctores anguſtam portam cœli facere latam atque laxam, ut cum odiò, invidiâ, mendacio, injuſtitiâ & cum omnibus peccatis per eam poſſis in cœlum intrare, & ut integri exercitus impiorum militum, & ſicariorum eam poſſint penetrare, ſicut fecerunt ſacerdotes, de quibus nunc ſermo. Non poteſt ampliari porta cœli anguſta, ſed tu, depoſitis peccatis, debes attenuari ut infans, ut poſſis intrare, Matth. 18. verſ. 3. cum Matth. 7. verſ. 13. 14.

Vidimus impudentem poſtulationem Judæorum. Quid autem Feſtus, an largitur quod poſtulant? Nequaquam. Sed 1. dat rationem cur non poſſit, quia Cæſareæ cuſtodiatur, quò & ipſe brevi reverſurus ſit. Confer v. 16. quem ſuo loco videbimus. 2. Oſtendit aliud medium obtinendi juſtitiam contra Paulum, ſcilicet, ut qui potentes ſint deſcendant & accuſent, quaſi dicat ſi quid Paulus commiſit, non eſt periculum, ut illud impunè ferat, quia eſt in tuta cuſtodiâ judicii Cæſareenſis, & ipſum

Digitized by Google

ipſum huc evocare ad judicium non eſt mihi commodum, quia manere hìc non poſſum donec veniat, ſed citò iſtuc revertendum. Optimum igitur conſilium eſt, ut qui inter vos potentes ſint, mecum deſcendant Cæſaream, atque ibi Paulum accuſent coram judicio Cæſareo, in cujus cuſtodia eſt, & ex qua dimitti non poteſt.

Sudant hìc interpretes certatim, quid ſibi velit illa vox: οἱ οὖν ἐν ὑμῖν δυνατοὶ. Qui illi potentes? Receptiſſima expoſitio eſt, quaſi dicat, οἱ οὖν δυνάμενοι vel οἷς οὖν δυνατὸν ἐν ὑμῖν, quibus commodum eſt, qui ſine magno incommodo poſſunt, cujus conſtructionis exemplum vir doctus citat ex Actor. 12. 18. Quid Petrus factus? pro quid Petro? ſed quia hæc expoſitio Criticis non videtur ſatis ſecundum Grammaticam & conſuetudinem Græci ſermonis eſſe, alias ſectantur expoſitiones: Alii itaque putant per δυνατοὺς hìc denotari potentiores in populo, & primæ auctoritatis viros, ſicut Apoc. 6. v. 15. Quaſi dicat, mittite mihi tales accuſatores, atque teſtes, quorum teſtimonio tutò fidere poſſim: Alii quòd δυνατὸς idem ſit quod facundus, & lingua ac judicio pollens ad accuſandum, ſicut Actor. 18. 24. Quod donum inſigne ſatis eſt, ſi ſit ſine audaciâ, per quam, qui talis eſt, redditur dicax & procax. Qui pollent facundiâ & carent verecundiâ, potentes ſunt. Ubique enim dominantur, &, quod dici ſolet, tertiâ mundi parte potiuntur.

Sed quod noſtrâ multum refert, hoc eſt, ſcilicet, quid Feſtum moverit ad recuſandam Judæorum petitionem? Utique erat prima petitio, quam non ſolent negare populo benigni Magiſtratus, præſertim cum conſtet ex v. 9. quod Feſto non defuerit voluntas Judæis gratificandi etiam in hac ipsâ cauſâ, ſi poſtea voluit, cur nunc non vult? *Reſp.* Non alia ratio dari poteſt, quàm quæ à divinâ curâ pro ſalute Pauli petitur, per quam voluntas Feſti retenta eſt, ut Paulus non veniret in periculum. Id quod nos omnes docet, quàm fidelis ſit vigil Dominus Deus pro ſalute eorum, qui per veram converſionem Chriſto inſiti, & ſub cuſtodiâ Dei conſtituti ſunt. Feſtus habebat poteſtatem & inclinationem ad gratificandum Judæis, & tamen divinitus impeditur, ut non faciat, nec facere velit, donec periculum Pauli præterierit. Poſtea vult facere, ſed impeditur, ut non poſſit, ſic corda impiorum ſunt in manu Dei, ut nolint facere, quod poſſunt, & ut non poſſint cum volunt. *Deus non tantùm cogit impios fræno in naribus & fræno inter labia,* Eſa. 37. 29. *Vt non poſſint nocere piis, ſed etiam per Spiritum ſanctum voluntates eorum flectit ut non velint.* Vide Eſa. 37. 7. & 59. 19. *Sic hoſtes impedituri readificationem templi, per Spiritum ſanctum, & non per vim, victi ſunt,* Zachar. 4. 6. Cujus rei exemplum habes Eſdr. 5. & 6. Hoc eſt egregium fundamentum fiduciæ in periculis ab hoſtibus. Deus poteſt nobis conciliare ipſos hoſtium animos per Spiritum ſanctum. Non dat impiis ſpiritum converſionis, ſed tamen dat ſpiritum refrænationis. Non dat permanentem & inhabitantem gratiam ſpiritus in corda impiorum, dat tamen particula-

Digitized by Google

res aliquos inſtinctus, quibus arceantur & retinentur, ne noceant piis. Sit hoc nobis ſolatio hoc tempore bellicoſo, quo omnes nationes bello ardent, & quo tam potentia ſunt arma quæ pro Anti-Chriſto militant, & omnium nationum animi adeò ſunt exacerbati, & ad b lla excitati, ut nunquam videantur ſedatum iri. Deus ſedabit ſuo ſpiritu; exſpectemus modò horam ipſius. Compara Apoc. 17. v. 17. Nos interea meditemur quod ſcriptum eſt. Eſa. 26. v. 20. & Apoc. 6. 10. 11. Deus & internam & externam poteſtatem habet in noſtros hoſtes. Cum poſſunt nocere, eos diſponit intus per Spiritum, ut nolint. Cum volunt nocere, externo unco eos coërcet, ut non poſſint.

Actor. 25. *v.* 6. *ad* 10.

CONC. CCLXI.

SEcunda pars hujus judicii eſt nova ventilatio cauſæ coram tribunali Cæſareenſi. Habes in eâ,

1. Accuſationem Judæorum, ejuſque tempus, modum, & materiam.

2. Apologiam Pauli, per quam accuſatio facta eſt irrita.

Sicut Feſtus dixerat ita & fecit, non diu manſit Hieroſolymis, ſed decem, non pluribus, diebus ibi tranſactis rediit Cæſaream, unâ deſcendentibus Judæis, qui Paulum accuſarent. Nec ibi diu moratus eſt accuſatores, ut eſt v. 17. Sed altero ſtatim die tribunal conſcendit, & accuſationes eorum audivit. Quæ cauſa fuerit tantæ feſtinationis facilè conjicitur. Judæi importunè urgebant, Feſtus videns ſe per cauſam Pauli poſſe tantopere demereri amorem Judæorum, noluit ſuis ipſe commodis moram injicere. Patet inde, quod nihil defuerit Judæis, quin triumpharent, modò aliquem falſarum accuſationum colorem potuiſſent adferre. Faventiſſimum habebant judicem, qui ſine dubio in gratiam Judæorum Paulum condemnâſſet, ſi modò aliquâ ſpecie juris id fieri potuiſſet. Sed vide vim innocentiæ, quæ luce ſuâ penetrare poteſt non tantum adverſariorum odia, ſed etiam corrupti & præoccupati judicis affectus, & utrorumque ſtudia retundere ac pudefacere. Feſti animus adeò erat clamoribus Judæorum præoccupatus contra Paulum, ut putaret longè alias accuſationes contra ipſum allatum iri, quam afferebantur ut ait ipſe verſ. 18. Ideoque properabat gratiam Judæorum demereri per celerem interitum Pauli; ſed innocentiæ tanta vis erat, ut etiam præoccupatum & properantem animum judicis retraheret à propoſito, ſaltem retunderet & confunderet, (**verleghen maeckte**) ut eſt v. 20. Accuſabatur Paulus, ſed lavabat manus ſuas in innocentiâ, Pſal. 26. 6. & 73. 13. Quid hoc? *Reſp.* Nihil aliud quam ſe per innocentiam ſuam contra accuſationes & criminationes defendere, & ſe ab iis purgare. Lavamus manus in innocentiâ dupliciter 1. Ceremonialiter & ſacramentaliter, lavantes corporali aqua in ſignum innocentiæ noſtræ, Deuter. 21. v. 6. 7. Verùm hoc pacto etiam nocentes in innocentia poſſunt lavare manus, ſicut Pilatus Matth. 27. 24. Sic Simon Magus lotus eſt baptiſmate innocen-

Digitized by Google

nocentiæ & remiſſionis peccatorum, cujus non fuit particeps Actor. 8. Sic Judas ſuo modo dici poſſit ediſſe corpus Chriſti, cujus tamen non fuit particeps. Edit enim panem in ſignum ſuæ communionis cum corpore Chriſti, quam non habuit. Si ſacramentalis ablutio ſejuncta eſt à morali, tum eſt lotio ſine purgatione, ut eſt Ezech. 24. v. 13. 2. Moraliter & ſpiritualiter, & hoc fit tripliciter.

a. Per converſionem à peccatis. Qui hactenus in voluntariis & regnantibus peccatis cum lubentia ſe volutavit, & nunc voluntatem & lubidinem peccati abjicit, & induit propoſitum ſanctè & inculpatè vivendi, is ſe lavat in innocentia. Exit enim ex fœtida palude mortalium peccatorum, & in pura aqua Spiritus ſancti magis magiſque laborat eluere maculatam tunicam carnis. Vide Eſa. 1. v. 15. 16.

b. Per fidem in ſanguinem Chriſti. Converſio à peccatis peccatorum reatum minuit, ſed non tollit. Minuit dum enim facit, ut peccata in nobis non dominentur, facit ut tam rei non ſimus coram Deo, atque illi qui peccati ſervi ſunt. Sed non tollit reatum. Peccata enim à quibus reſipuimus, & contra quæ toto corde pugnamus, etiam ſunt tranſgreſſiones legis, adeoque nos coram Deo reddunt reos & condemnabiles. Alia itaque ablutione opus eſt. Quæ illa? Quæ fit per fidem in ſanguine Chriſti. Credere enim in ſanguinem Chriſti nihil eſt aliud, quam per fidem ſanguinem Chriſti, ut agni innocentis & immaculati, ſibi applicare, & in illo abluere reatum peccatorum. *Sanguis Chriſti eſt aqua purgans à peccatis,* 1 Iohan. 1. 7. *Eſt fons ille contra impuritatem,* Zachar. 18. 1. *Fides eſt manus, qua per applicationem hujus aqua reatum peccati eluit,* Actor. 15. 9.

c. Per refutationem calumniarum & accuſationum contrariis factis. Maculabant Paulum falſis aſperſionibus accuſatores coram judicio, ſed allegatione & demonſtratione ſuæ innocentiæ adeò diluebat aſperſiones haſce, ut judex, quantumvis præoccupatus, nullam poſſet in ipſo perſpicere maculam vel noxam. Sic quantumvis ſimus innocentes, non deerunt tamen accuſatores, qui nobis aſpergere maculas conabuntur, ſive coram judicio Dei, ſive coram judicio hominum, & propriæ noſtræ conſcientiæ. Sed ſi innocentes ſimus, & non rei cujus accuſamur, & ſi infirmitates noſtras involuntarias per fidem in ſanguine Chriſti abluimus, facilè diluemus omnes accuſationes, & coram Deo ac hominibus apparebimus innocentes. Vide Pſalm. 7. v. 4. 5. 6. Hæc lotio manuum in innocentiâ aliquando puros nos reddere non poteſt in oculis hominum, qui odio noſtri cæci ſunt, ſed puros nos tamen reddit coram Deo & noſtrâ conſcientiâ, quod ubi fit, ſiniſtra contra nos judicia facile ferimus, triumphantes cum Paulo ut eſt 1 Corinth. 4. 3. 4. 5.

Venimus ad accuſationem ipſam, in qua conſideranda ſunt. 1. Externus accuſandi modus. 2. Capita accuſationis. 3. Et his innexa Pauli Apologia.

Modus accuſationis in eo poſitus, quod

Digitized by Google

odium contrahere, recuſando ipſorum poſtulata; ſed ſtudebat Judæis gratificari. Quid igitur? Incipit obliquare vela; & partim facit quod Judæi volunt, partim quod conſcientia ſuadebat, vult Paulum tradere, ſed nititur Paulum perſuadere ad conſentiendum, & ſimul ire ipſe promittit, ut injurias Judæorum moderetur & coërceat. Sic ſolent homines Spiritu Dei deſtituti, ut patet exemplo Bileami Num. 22. Huic factum à Deo interdictum ut non iret ad Balacum v. 12. Ideoque etiam recuſat ire cum proteſtatione v. 13. & 18. Attamen oblati honoris ac premii deliciis illectus incipit obliquare vela, & denuo interrogat Dominum, annon liceret ire v. 19. & cum Deus tam ſtrictè non interdiceret, ut antea, ilicò proficiſcitur, & pro pretio Iſraëli maledixiſſet, niſi Deus eum coërcuiſſet. Ne nos hoc imitemur, ſed imitemur Paulum Actor. 26. v. 19. 20. Gal. 1. v. 16. 17. Non licet claudicare inter Deum & mundum. Si Deus tibi revelavit, quod hoc vel illud ſit juſtum, vel injuſtum, ne dimovearis ad contrarium faciendum, etiamſi id cum honore, gratiâ & premiis ſit conjunctum. Atenim unde hoc, quod Feſtus hunc vult favorem exhibere Judæis, cum antea rotundè negaſſet, ut ait v. 16. Potuiſſet tum facilius. Nam ſi Judæi inter vias Paulum trucidaſſent, ipſi non fuiſſet imputatum. Præſertim tum putabat ipſum magnorum criminum reum eſſe, nunc autem ſcit ipſum innocentem v. 18. Qui fit igitur quod nunc vult, tum tum nollet? *Reſp.* Quia antea Deus voluntati ejus impoſuerat ſpiritum refrænantem, qui nunc non aderat. Spiritus ſanctus adeò contra ipſum ſuſtulerat vexillum, & coërcuerat animum ejus, ut nollet, ut ſupra diximus ex Eſa. 59. 19. Diximus ſpiritum non tantum operari in electis, ſed etiam in reprobis, verum cum diſcrimine. Improbis contingunt quidam particulares & tranſeuntes inſtinctus Spiritus ſancti, quibus retinentur, ne velint, quod noxium eſt Eccleſiæ, ſed non contingit ipſis permanens gratia regenerationis, per quam voluntas ipſorum ita mutetur, ut intimâ voluntate, ex toto corde, pios ament, iiſque nocere reformident ac oderint. Cum perfectum eſt opus, propter quod frænum ſpiritûs impiis injicitur, removetur illud frænum, & impii redeunt ad ingenium. Sunt impii, qui Spiritus ſancti inſtinctus accipiunt, ſicut ferrum, quod Eliza fecit natare 2 Reg. 6. v. 6. Quamdiu ſupernaturalis vis Dei erat ſuper illo ferro, natabat, ſed hac recedente rediit ad ingenium. Quamdiu eadem vis Dei ſupernaturalis & extraordinaria erat ſuper igne fornacis Babylonicæ Dan. 3. 27. Super aquis maris rubri & Iordanis Exod. 14. 21. 22. Joſuæ 3. 16. Super rictu Leonum Daniel. 6. v. 23. Super oculis diſcipulorum Luc. 24. v. 16. Tamdiu ignis non urebat homines, aquæ ſtabant ut murus, Leones non devorabant, oculi non videbant, ſed hac vi recedente, redierunt omnia ad naturæ ſuæ indolem. Sic quamdiu erat inſtinctus Dei ſuper corde Feſti, nolebat Feſtus gratificari Judæis cum detrimento Pauli, ſed eo recedente volebat gratificari. Hæc incon-

Digitized by Google

conſtantia eſt in omnibus illis, qui communia Spiritus S. dona accipiunt, non autem accipiunt ſpiritum regenerationis. Qui hunc accipiunt, eorum corda ita mutantur, ut ſint velut arbor plantata ad rivos aquarum, quæ fructus fert ſuo tempore conſtanter, Pſalm. 1. ut ſint fons perpetuò ſcaturiens uſque in vitam æternam Iohan. 4. Ut ſint inſtar fluminis interno principio ſe moventis. Sicut enim flumen aliquando poteſt retineri per congelationem, vel procellas, ut non fluat ſicut ſolet, ſed iſtis obſtaculis per cœlum remotis, redit ad curſum ordinarium, nec unquam curſum ſuum dediſcit: Ita regeniti Dei filii poſſunt aliquando in curſu pietatis remoram aliquam pati ab externis tentationibus, ſed ubi has gratia Dei repulerit; internum habent principium, internamque vim ac vitam, cujus impulſu redeunt ad praxim pietatis. Et hac notâ regeniti ſe diſcernunt à fallaci ſplendore eorum, qui aliquando extraordinarios & tranſeuntes inſtinctus ſpiritus ſortiti, ſpecie quadam pietatis coruſcant. Irregenitis peccare naturale eſt, ideoque faciunt ſine ægritudine & nauſeâ, ſed regenitis peccare eſt contra naturam, ideoque contra peccata luctantur perpetuò, & non quieſcunt, donec perruptis peccatorum retinaculis inoffenſo pede pergant in curſu pietatis, ſicut flumen & ventus retentus. Et poſtquam ita conſtanter curiculum pietatis in hac vitâ decurrerunt, tandem non fient ſicut flumen quod currit ſuum curriculũ cum multis obſtaculis congelationis vel procellarum, ſed fient inſtar Solis, qui ſtadium ſuum decurrit ſine omni defatigatione & oppoſitione Pſalm. 19. 6. Imò fient adeò perfecti, ut voluntatem Domini faciant ſicuti Angeli in cœlo. Ad hanc perfectionem angelicam nos magis magiſque deducat auctor & perfector noſtræ fidei Jeſus Chriſtus.

Actor. 25. v. 10. ad 13.

Conc. CCLXII.

Scopus publicarum concionum eſt auditores facere humiles coram Deo, & fervidos in rebus ad cultum Dei & ſalutem animarum pertinentibus. Huic ſcopo non videtur inſervire poſſe prælectus textus, qui magis videtur eſſe ſermo alicujus Juriſconſulti, quam ſermo Apoſtoli, nihil omninò continens, quod ad acuendum zelum, vel ad humiliationem ſpiritualem quicquam conferre queat. Verum conſiderandum probè, quod Chriſtianorum zelus & humilitas poſſit pati exceſſus, tantaſque extremitates, ut verius ſit inſulſa phreneſia, quàm Chriſtiana pietas, veriùs noxius Eccleſiæ ac Reipubl. furor & ſuperbia, quàm vera humilitas, veruſque zelus. Dum enim homines zelo ac humilitati ſtudentes cæco impetu feruntur contra omnia repagula juris naturalis & revelati, quæ zelo ac humiliationi limites ponunt & obices. zelus eorũ nihil aliud eſt, quam perturbatio Iſraëlis, & humiliatio eorũ nihil aliud quàm Phariſaica illa & inanis extremitas, quam Paulus deſcribit Coloſſ. 2. 21. 22. 23. Pietas noſtra & zelus debet currere intra canalem diſci-

Digitized by Google

diſciplinæ ac ordinis tum Eccleſiaſtici, tum Politici, alioquin eſt ſicut fluvius exundans ultra ripas, eſt ſicut fermentum inflans & non nutriens, parit imaginationem humiliationis, & zeli, ſed reverà ſuperbiam & furorem. Probat hoc totum hodiernus Papiſmus & Anabaptiſmus. In Papiſmo diſcrimen faciunt inter homines ſeculares, & ſpirituales, & qui ſe ſpirituales jactitant, ſervos ſervorum ſe eſſe ajunt, veſtitum gerunt ſingularem, cibis communibus abſtinent, certas deligunt horas precandi, die atque nocte poſſeſſiones proprias repudiant, & interim delicatiſſimam & impudiciſſimam vitam vivunt in ſuis clauſtris, poteſtatibus civilibus nolunt ſubeſſe, propriam Monarchiam erigunt, quam Hierarchiam appellitant, bona plus quàm regia poſſident, & poteſtatibus mundi leges ponunt, ut reverâ ſint domini dominantium, quantumvis ſe vocitent ſervos ſervorum. In Anabaptiſmo, ſeu Enthuſiaſmo, Swenckfeldiſmo, Weigelianiſmo, Bruniſmo, vel Independentiſmo, Separatiſmo, vel quibuſcunque nominibus vocites chaos illud hominum, quod puritati doctrinæ Euangelicæ parum dans operam, nec Scripturæ in judicio acquieſcens, revelationes ſomniat, & ſecundum hæc ſomnia vivit, etiamſi juri humano divinoque contraria ſint, ſingularem ſpeciem ſanctimoniæ affectat per diligentiam in externo cultu, & per inordinatum zelum contra vitia & infirmitates aliorum, contra quos adeò ſunt acerbi, ac ſi omni labe carerent, nec non per fictam & affectatam humiliationem in veſtitu & geſtibus, inter hos, unquam homines, eandem cum Phariſaicâ & Papiſticâ ἀμετρίαν & fallaciam, juri divino & naturali contrariam, licet cernere, ut patet non ſolum ex temporibus patrum in Germaniâ, & alibi, ſed etiam ex hodiernis tragœdiis ab hoc hominum genere exhibitis. Non igitur abs re eſt, dum occupati ſumus in nobis ad veram humiliationem & zelum excitandis, diligenter oculum intendere in ipſa principia juris divini & naturalis, quæ humilitati & zelo ſuos ponunt obices, ne exorbitet ultra jus & fas, nec limites ordinis ac diſciplinæ tranſiliens, in carnalem malitiam degeneret, Papiſtico & Anabaptiſtico fermento ſimilem. Huic ſcopo non parum inſerviet, hæc provocatio Pauli ad ſupremam auctoritatem Cæſaris contra injuriam ſubalterni judicis, quam Paulo is intendebat. Refutantur enim in illâ omnes errores, & fanatica ſomnia Papiſmi & turbulentorum Separatiſtarum, quibus pacem Eccleſiæ & Rerumpub. ſolent perturbare.

Hæc provocatio proponitur in fine v. 11. & fundatur ſuper tribus rationibus.

1. Super relatione ſuâ, quam habet ad tribunal Feſti. Sto ad tribunal Cæſaris, & hìc me oportet judicari, quaſi dicat. Tu mihi judex à Cæſare conſtitutus es, non Judæi: ſum captivus tuus, tibi ſum relictus à Felice, apud te ſum accuſatus à Judæis, tu igitur me debes judicare.

2. Super ſuâ innocentiâ. Cum Romani judices, neglecto jure, ex gratiâ innocentem cupiunt tradere in poteſtatem

Digitized by Google

ſtatem ſuorum adverſariorum, leges Romanæ concedunt innocenti jus provocationis ad ipſum Cæſarem. Ego ſum innocens, nihil injuriæ feci Judæis, & tu ſcis meam innocentiam meliori modo (*κάλλιον γινώσκεις*, ſicut *βέλτιον γινώσκεις* 1 Tim. 1.18.) Ergo ſi tu me ex gratiâ vis tradere Judæis, & exponere eorum injuriis, licet mihi implorare Cæſarem. Gratia contra jus non eſt gratia, ſed tyrannis.

3. Super ſuâ promptitudine ad ſe ſubmittendum judicio Feſti: Si quid morte dignum feci, non recuſo, nec deprecor mortem, quaſi dicat: Aut ſcis me nocentem, aut ſcis me innocentem? Si ſcis me nocentem, cur Judæis tradis, cur tu non occidis? Paratus enim ſum dignam factis pœnam pati, nec luctabor contra tuum judicium, ſi ſcis me innocentem, cur Judæis judicandum tradis, cur non abſolvis?

An Paulus eâ intentione appellaverit ad Cæſarem, ut hac occaſione Romam veniret, & Euangelium prædicaret, ad implendam Dei prædictionem quam habuimus Actor. 23. v. 11. Non patet ex textu. Neque dum Cæſarem appellat, Romam mitti ilicò poſtulat, ſed tantum judicem iniquum abſterret, ne in gratiam Judæorum ex poteſtate Cæſarei judicii captivum dimittat, & Judæis tradat. Ideoque cum Feſtus v. 12. ait, ad Cæſarem provocâſti, ad Cæſarem ibis, plus videtur facere, quam Paulus poſtulaverat. Paulus nihil aliud petiit quam ut coram Cæſareo judicio judicaretur, utque ibi ſententia feratur an ſit nocens vel innocens. Hinc Feſtus occaſionem ſumit eum ad ipſum Cæſarem mittendi, ut ita, cum occidere juſtè non poſſet, ſaltem eouſque Judæis gratificaretur, ut ex terrâ Judaïca ipſum removeret. Verba textus explicatione non egent. Doctrinalia, quæ inde haurimus, ſunt ſequentia:

1. De Papiſticâ exemptione clericorum à poteſtate politicâ. Negant Eccleſiaſticos eſſe ſubditos magiſtratuum, ſed propriam habere Hierarchiam, cujus caput Pontifex Romanus, cui nemo Princeps dare mandatum poſſit, ipſe verò præcipere omnibus Principibus & Regibus, ac Imperatoribus, & quibuſcunque magiſtratibus, cum poteſtate deponendi ab imperio ſi non pareant. Huic impudenti arrogantiæ opponitur ſermo Pauli, qui ait: *Coram Cæſaris tribunali ſto, hic me oportet judicari.* Apoſtolus non damat exemptionem à judicio politico, ſed appellat judicium Cæſaris, eique ſe ſubjectum oportere fatetur. Quid igitur Papa cum clero ſuo, an major Apoſtolo? *Except.* 1. Hoc erat illis temporibus. Poſteà autem concilia Oecumenica aliter ſanxerunt. Principes enim & magiſtratus ajunt eſſe oves, clericos verò eſſe Paſtores. Non autem æquum nec naturale eſſe, ut Paſtores ſubſint ſuis ovibus. Ideo Concilia aliter ſanciverunt. *Reſpond.* Concilia igitur potuerunt dare, quod Apoſtoli non habuerunt? Sin Concilia potuerunt magiſtratibus adimere, quòd Deus ipſis dedit? *Omnis anima poteſtatibus ſubeſto* Rom. 13. Quibus poteſtatibus? Politicis dominantibus v. 3. gladium ferentibus, v. 4. vindictam exercentibus ibid. telonium exigentibus v. 6. Sunt igitur Cleri Romani

Digitized by Google

ni animas non habent, aut magiſtratibus politicis debent ſubeſſe. *Except.* 2. Gentilibus Magiſtratibus Apoſtoli clerici & Chriſtiani fuerunt ſubjecti, ſed ideo non debent Chriſtianis. Nam Chriſtiani magiſtratus ſponte ſeſe ſubjecerunt regimini Eccleſiaſticorum? *Reſpond.* Cum Chriſtiani magiſtratus ſeſe ſubmittunt diſciplinæ & doctrinæ Eccleſiaſticæ à Chriſto inſtitutæ, & per Eccleſiaſticas perſonas adminiſtratæ, per hoc non abjiciunt jus dominandi in Eccleſiaſticos quantum ad res politicas. Magiſtratus manet Paſtorum magiſtratus & dominator, etiam tum, cum Paſtoribus nomine Chriſti benè monentibus paret. *Except.* 3. At Chriſtiani Imperatores & magiſtratus ſuaſponte confirmarunt immunitates clericorum & exemptiones. *Reſp.* Sunt duplices immunitates & exemptiones Eccleſiaſticorum, legitimæ & illegitimæ. Legitimæ immunitates Eccleſiaſticorum ſunt ſequentes.

1. Libertas & poteſtas etiam potentibus & dominatoribus mundi Chriſti leges imponendi; & earum obedientiam exigendi, peccata contra illas exprobandi & reprehendendi, cum denuntiatione pœnarum Dei, niſi ſe convertant, idque cum prudenti reverentiâ poteſtatis, quam gerunt à Deo. Hæc libertas & immunitas miniſtris verbi meritò conceditur à Regibus & potentibus mundi, ut patet in Davide, qui hanc conceſſit Nathani 2 Sam. 12. & Herode, qui Baptiſtæ, Matth. 14. & Marc. 6.

2. Libertas in ditione Principum erigendi, & colligendi Chriſto Eccleſias, eaſque paſcendi & regendi verbo, ſacramentis, diſciplinâ ſpirituali, idque non ſecundum inſtructionem & voluntatem Magiſtratus, ſed ſecundum inſtructionem ſacræ Scripturæ. Hæc illa exemptio, quam meritò Magiſtratus concedunt Eccleſiaſticis ſecundum illud Pſal. 24. 7. Nam hic locus non tantum de portis templi, ſed etiam de portis urbis Davidicæ intelligi poteſt, in quam David arcam induci paſſus eſt 2 Sam. 6. & ſecundum mandatum Pſal. 2. 3. 4. 5. 6. 10.

3. Immunitas & exemptio ab impedimentis hujus operis, ex. gr. à civilibus oneribus, à neceſſitate quærendi victum labore manuum, præſertim à contradictionibus, convitiis & perſecutionibus hoſtium Chriſti. Si has immunitates & exemptiones præſtant Eccleſiaſticis, faciunt ſecundum officium, Iſai. 49. 23.

Verum quód ad iſtas illegitimas exemptiones, queîs Eccleſiaſtici conſtituuntur extra omnem obedientiam politicæ poteſtatis, & ipſi è contrario politicis poteſtatibus imperent legibus pro benè placito conditis, hæc verò eſt uſurpatio, propter quam aliquando implebitur, quod ſcriptum eſt Apoc. 17. 16. 17. A rectâ diſtinctione limitum politicæ & Eccleſiaſticæ poteſtatis pax mundi & Eccleſiæ magna ex parte dependet, ideoque huic ſapientiæ maximè danda opera, ut & cives ſimus regni Chriſti, & ſimul demus Cæſari quæ ſunt Cæſaris, nec nos opponamus poteſtatibus divinitus conſtitutis.

II. De judiciis publicis, an Chriſtianis liceat experiri judicio de rebus terrenis? Fatemur magna ſæpe vitia in liti-

Digitized by Google

litibus politicis graſſari, ex. gr. cum ob res leviculas ſtatim volatur ad judicem, ex merâ libidine rixandi, cum convitiis, & exacerbatione criminum, non tantum ad defendenda ſua, ſed etiam ad affectanda aliena, prout tales judiciorum implorationes condemnantur à Paulo 1 Cor. 6. 7. Sed hinc Phantaſtæ concludunt omnino illicitum eſſe implorare patrocinium politici judicii. Refutantur certè exemplo Pauli, qui Cæſarem appellavit. Cur Deus inſtituit judices Deut. 16. 18. Cur judex eſt miniſter Dei, cur gladium gerit, ſi defenſionem ejus implorare non licet? Quomodo tuta erit vidua, pupillus, pauper, peregrinus ab oppreſſoribus? *Objiciunt* Phantaſtæ, quod hoc pugnet contra Chriſtianam lenitatem longanimitatem, patientiam, remiſſionem, quæ injungitur Matth. 5. 40. & 6. 14. 15. & 7. 1. *Reſpond.* Imploratio judicii non pugnat contra charitatem & patientiam cum neceſſaria eſt, ſed cum non eſt neceſſaria. Neceſſariam negligere pugnat cum charitate, quam ex Lege Dei debes tibi & tuis. Caveamus modò privatam ultionem, & non neceſſariam, ac vitioſam, qualem ſupra dixi, judiciorum implorationem, & ſatisfecerimus legi charitatis ac patientiæ.

III. De legibus Imperatorum. Cæſares legem fecerant, ut civibus Romanis ab omnibus tribunalibus inferiorum magiſtratuum liceret appellare ad ipſum Cæſaris tribunal. Paulus non tantum Imperatori Romano ſe ſubjicit, ſed etiam leges Romanas in præſidium ſuum adhibet, ſicut ſuprà 16. 37. & 22. 25. Improbant hoc ſectarii, & clamant nullum debere eſſe uſum Romanarum legum in Repub. Chriſtianâ. Juriſprudentiam noſtram debere hauriri ex Novo Teſtamento, non ex jure Romano & Iuſtinianeo, populum Chriſti non debere judicari ſecundum leges Ethnicorum. Sed ſciendum, legem naturæ etiam eſſe à Deo Rom. 2. 14. 15. Scriptura non pugnat contra æquitatem naturalem, quam lex naturæ ſuppeditat. Si quid habet jus Romanum, quod æquitati naturæ vel præceptis Scripturæ repugnet, id meritò exterminatur ex Republ. Chriſtianâ, ſed ideò ipſæ leges per ſe, quamvis ab Ethnicis Imperatoribus ſancitæ, rejiciendæ non ſunt. Etiam Ethnici magiſtratus habuerunt poteſtatem condendi leges & decernendi juſtitiam. Prov. 8. v. 15. Vide 1 Petr. 2. v. 13. Chriſtianis injunctum fuit etiam Ethnicis Imperatoribus ſubeſſe, ergo etiam ipſorum legibus. 1 Petr. 2. 13. 14. & Paulus hic expreſſè Ethnico privilegio ſe tuetur. Scriptum non tulit leges de rebus terrenis, præſertim non in Novo Teſtamento, ſed tantum generalia fundamenta æquitatis & juris hinc inde inculcat, ut Matth. 7. 12. & magiſtratibus tribuit jus condendi leges, huic juri non contrarias earumque obedientiæ etiam conſcientias noſtras adſtringit Rom. 13. 1 Petr. 2.

IV. Denique de capitali ſupplicio. Hoc non debere habere locum, inquiunt homines, qui miſericordiam ſimulant, & interim ſpiritu turbulentiæ agitantur tanquam œſtro perciti eſſent, & id unicè operam dant, ut ſub prætextu charitatis ordinem & diſciplinam ex

Digitized by Google

per quod Euangelium in univerſum mundum intraret, adeoque vi hujus decreti debuiſſet Paulum & omnes Chriſtianos in ipſa Judæa tutos præſtare, nec ob religionis negotium Romam mittere. Dubius itaque & ſollicitus ſtudebat inveniendo commodo & probabili prætextui quo miſſionem Pauli ad Cæſarem palliaret, ne abſurda videretur Cæſari, & indignationem Cæſaris Feſto concitaret. Poterat enim Cæſar dicere, ſi quid fecit morte dignum, cur non occidiſti, ſi nihil fecit, cur non dimiſiſti, cur adeo indignationem Judæorum metuis & favorem eorum aucupas, ut hominem inſontem malis captum ac vinctum Romam mittere, quàm liberum dimittere, & in libertate protegere? Obſerva mores eorum qui honorem & amicitiam mundi ſibi ſummi finis & ſummi boni loco præfigunt, quod ſumma arte nitantur actiones ſuas injuſtas palliare prudentibus conſiliis, ne injuſtitia eorum pateſcat mundo, & cenſuram accipiat dignam. Injuſtè agere, & in gratiam Judæorum innocentem Paulum in vinculis retinere non formidavit Feſtus, hoc nec dubium nec ſollicitum eum reddit: Sed hoc demum ſollicitè dat operam, ne injuſta iſta & abſurda actio Cæſari pateſceret. Huc itaque confert omnem ſuam prudentiam, omneque ſtudium, uti inveniat injuſtitiæ colorem. Habent mundani homines prudentiam ſuam etiam ſupra filios Dei & lucis, quàm Chriſtus etiam laudat Luc. 16. 8. Cur laudat quod mundanis proprium eſt & filiis lucis non competit? *Reſpond.* Laudat prudentiam mundanorum, ſed non laudat ejus abuſum. Laudat, & imitationi piorum in ſpiritualibus commendat, quod homo diſpenſator ita adminiſtrat temporalia bona, ut, dum nondum ab adminiſtrationis officio depoſitus eſt, futuræ ſuæ egeſtati proſpiciat, ſed non laudat, quod huic prudentiæ defraudationem injuſtam heri ſui immiſcet, hoc enim eſt temporali felicitati, & honori proſpicere cum diſpendio æterni. Prudentia eſt ſollicito ſtudio dare operam, ut retineas bonam famam apud homines, utque ita tibi & familiæ proſpicias, ut etiam in futurum habeas unde vivas. Hoc ſanè fit non ſine magna prudentia. Sed non eſt laudabilis iſta prudentia, cum iſti fini adhibet illegitima media, & tamen vafros comminiſcitur prætextus, quibus illegitima illa media palliet, & juſtificet. Sic non faciunt Chriſtiani. Eundem ſcopum prudenter & ſollicitè quærunt, ſed non per illegitima media, ſed malunt carere felicitate & honore mundi, quam facere quod injuſtum eſt. Hinc jubentur *eſſe prudentes, ut ſerpentes, ſinceri ut columbæ* Matth. 10. 16. q. d. Eſtote vigiles, ſolliciti, prudentes & attenti ad quærendam gloriam, honorem & immortalitatem hujus & ſequentis vitæ, & ad evadenda pericula corporis & animæ, ſed tam ſincerè adhæretote illi quod bonum & juſtum eſt, ut malitis honoris & vitæ detrimentum pati, quàm facere quod malum eſt in oculis Dei. In hoc Chriſtiana prudentia differt à mundana, quod honorem & felicitatem hujus vitæ, quam mundani pro ſummo ſcopo & bono præfixerunt ſibi, poſtponit juſtitiæ, & mavult pati juſta vel injuſta,

quàm

Digitized by Google

quàm agere quod injuſtum eſt. Hinc dicuntur non quærere gloriam apud homines, Johan. 5. 44. nec ſeipſos coram hominibus juſtificare, Luc. 16. 15. *Quid?* an Chriſtiani tam bardi & ſtupidi ſunt, ut gloriam non quærant apud homines? *Non.* Chriſtiani æquè amant eſſe honeſti ac mundani, ſed honorem apud homines tanti non emunt, ut per injuſtitiam ſibi ignominiam concilient apud Deum: ita quærunt honorem apud homines, ut præcipuè quærant honorem apud Deum, Joh. 5. 44. & hæc eſt vera prudentia.

Vidimus ſcopum hujus præparationis: ſequitur medium, quod huic ſcopo obtinendo adhibuit, & denique prætextus ipſe, quo injuſtam Pauli detentionem in vinculis apud Cæſarem palliavit.

Medium quod attribuit ad inventandum injuſtitiæ prætextum fuit conſultatio cum Agrippa Rege. Cum enim is eo tempore Cæſaream veniſſet cum uxore Berenice ad Feſtum ſalutandum, hiſtoriam & cauſam Pauli Feſtus ei expoſuit verſ. 14. ad judicium ejus explorandum. Cumque Agrippa illud nollet exponere niſi Paulo prius audito, ſolenne colloquium inter Paulum & Agrippam in prætorio inſtituit, cujus introductio & externa ſolennitas verſ. 22. ad finem hujus capitis deſcribitur, colloquium verò ipſum capite 26.

Vir quem in conſilium adhibuit, fuit Agrippa Rex, cum Berenice ſorore Cæſaream veniens ad Feſtum ſalutandum. Hiſtoriæ hunc Agrippam dicunt eſſe filium iſtius Herodis, qui Petrum occidit Actor. 12. Erat Rex non Judææ, ſed vicinæ alicujus Provinciæ à Romanis ipſi donatæ. Venit ad ſalutandum Feſtum, i. e. ad gratulandum illi de felici adventu & de novis honoribus. Quamvis enim Rex eſſet, tamen amicitia Romani Præſidis ipſi erat neceſſaria. Berenice fuit ejus ſoror, vidua, ſed propter nimiam libertatem in fratrem de inceſtu ſuſpecta. Horum hominum, cum Judæi eſſent, conſilium exquirit Feſtus ſuper negotio Judaïcam religionem concernente, planè ſicut Pilatus de negotio Chriſti conſilii inops Herodis conſilium imploravit Luc. 23. v. 6. Conſilia aliorum implorare in rebus dubiis prudentia eſt, modò fiat bona intentione, quod & Pilato & Feſto defuit. Aliud eſt petere conſilium rectè agendi, aliud petere conſilium palliandi quod injuſtè patrâſti, ut ita tuam culpam in aliorum conſilia conjicerè poſſis, ſicut Adam Geneſ. 3. 12. 13. Cæteroquin in rebus dubiis conſilium quærere apud homines & apud Deum æquum eſt. Sic Feſtus fecit ſuprà verſ. 12. Qui proprio conſilio nimium fidit, & aliorum conſilia deſpicit, proximus eſt exitio. Notent hoc juniores, qui & maturo judicio & experientia carent, & tamen omnia agunt ex propria ſententia proprioque conſilio. Vide Prov. 1. v. 8. & 3. 7. Rom. 12. verſ. 16. Iſai. 5. v. 21. Prov. 12. verſ. 15. Sciunt juniores, parentes ſuos & velle & poſſe ipſis benè conſulere, ideo æquum eſt, ut monentibus pareant. Sic & Paſtorum conſilia non decet ſpernere, non tantum in rebus clarè per Scripturam determinatis, ſed etiam in omnibus caſibus du-

Digitized by Google

dubiis. Conſilium enim eſt penes ſeniores Ezech. 7. verſ. 26. Vide Jeremiam querentem cap. 38. 15. & Paulum Actor. 27. 21. cum 9. 10. Paulus dat conſilium in re nautica ad profeſſionem ſuam non pertinente, & cum Julius Capitaneus plus crederet nautis & gubernatori, queritur Paulus, quòd ſibi non obtemperatum. Quo jure? annon cuilibet artifici in ſua ante credendum: *Reſpond.* Theologia omnium artium magiſtra eſt, & Theologorum conſilia ſe ad omnes actiones hominum quodammodo extendunt. Paulus non tantum ex divina revelatione de inſtanti periculo erat admonitus, ſed etiam per communem Theologiæ regulam ſciebat Deum non eſſe tentandum, & ſine neceſſitate extrema non eſſe ſubeunda hybernæ navigationis pericula. Nos quoque meritò querimur, noſtra conſilia, quæ vobis damus circa veſtitum, luſus, recreationes, &c. adeò à vobis contemni, cùm tamen nihil ſuadeamus, niſi quod Scripturæ & omnium prudentum conſenſum habet. Conſilia quæ vobis damus, utilia forent animæ, honori & exiſtimationi, valetudini, rei familiari, ſi ſequeremini.

Object. At hominum conſilia ſæpe fallunt, & melius foret ipſis non obtemperatum eſſe. Seniores Eccleſiæ Chriſtianæ Paulo dabant conſilium, Actor. 21. verſ. 23. 24. ſed quod malè ceſſit Paulo. Parentes ſæpe autores ſunt liberis, idque ex paterno amore, ut deficiant à vera religione ad Papatum.

Reſpond. 1. Conſilium ſeniorum non caruit ſucceſſu & fructu ſuo, etiamſi Paulo fuit occaſio captivitatis diuturnæ. Etiamſi enim per obedientiam iſtius conſilii in ſe concitavit infideles, tamen ſatisfecit fidelibus in materia ſcandali accepti. Boni conſilii eventus non ſemper eſt ex voto, ſed tamen ſemper ſalutaris.

2. Si poſt conſultationem cum hominibus etiam conſilium quærimus apud Deum, non eſt periculum à conſiliis hominum. Deus enim non malè conſulit iis, qui conſilium ejus vel in Scriptura quærunt, vel per preces petunt. Vide Jac. 1. v. 5. *Object.* Non licet Chriſtianis revelationes apud Deum quærere, alioquin foret Enthuſiaſtæ. *Reſpond.* 1. Licet petere, ut Deus nobis aperiat oculos intellectus per Spiritum S. ut Scripturam & res in ea revelatas percipiamus & ſalutariter comprehendamus, ſciamuſque quæ ſit accepta voluntas Domini. Hanc revelationem petere non eſt Enthuſiaſmus. 2. Licet petere divinas revelationes divinaque conſilia in rebus dubiis & in Scriptura non determinatis. In revelatis non licet. Non licet petere ut Deus nobis conſulat facere vel omittere, quæ in verbo facere vetuit & omittere præcepit. Non eſt faciendum ſicut Bileam fecit Num. 21. 12. cum 19. Sic vera religio & conſilium ſalutis in Scriptura eſt revelatum Luc. 7. 30. Non igitur vel cum Deo vel cum carne & ſanguine deliberandum, utrum ſequendum ſit nec ne. Sed in rebus & caſibus dubiis, in Scriptura non determinatis, directionem & conſilium Dei implorare, antequam noſmet determinavimus & reſol-

Digitized by Google

reſolvimus, non eſt illicitū, & ſi ex puro corde petimus, non deerit nobis divinum oraculum. Etſi enim hodie non habemus Ephod ad interrogandum Dominum, ut 1 Sam. 23.9.10.11. Tamen in caſibus dubiis per preces licet impetrare directionem Domini modò non petamus conſilium conſilio verbi contrarium. Prov. 3.6. 1 Theſſ. 3. 11.

Porrò Feſtus, ut Agrippæ conſilium ſuper prædicto negotio eliciat, narrat quid hactenus in cauſa Pauli actum ſit, quomodo à Felice relictus ſit, quomodo à Judæis ad necem petitus ſit, quomodo coram tribunali Cæſareo auditus ſit, quæ poſt examinationem fuerit ſententia Feſti de Paulo, & intentio erga ipſum, quomodo Paulus hanc intentionem Feſti declinaverit per appellationem ad Cæſarem, & quomodo Feſtus tandem decreverit Paulum mittere Romam ad Cæſarem. Hæc narratio, cùm non ſit niſi antè actorum repetitio, non requirit noſtram immorationem. Quæ aliquid materiale habent paucis luſtrabimus.

1. Feſtus dicit, Judæos petiiſſe judicium ſeu ſententiam mortis contra Paulum, cùm tamen non petierint ut à Romanis judicaretur, ſed Hieroſolymam mitteretur judicandus à Judæis c. 25. 3. *Reſpond.* Hoc primò quidem & potiſſimum petierunt, ſed cum ſe videbant non impetraturos, magna importunitate voluerunt, ut Feſtus ſe ſaltem obligaret ad ſententiam mortis Cæſareæ contra illum promulgendam. Magiſtratus ſæpe per importunitatem populi urgentur ad faciendum quod malum eſt, ad fundendum ſanguinem innocentem. Sic Pilatus Matth. 27.12. Sic Herodes Actor. 12.3. Sic hîc Feſtus culpam, quòd Paulum non dimiſerit, conjicit in importunam ſollicitationem Judæorum, tota Judæorum multitudo ἐνέτυχόν μοι, interpellavit me, inclamavit me, (heeft my aengeloopen) ſicut & Paulus ſuæ detentionis culpam plus in Judæos quam in Feſtum conjicit Actor. 28.18.19. Verùm hoc non excuſat Magiſtratum peccantem. Sæpe valde urgemur ad faciendum peccatum, ut inviti faciamus, & tamen peccatum eſt. Sic Pilatus Matth. 27. 24. 25. Sic Herodes Matth. 14. 9. Ne vincamur tentationibus & ſollicitudinibus mundi ad faciendum malum. Non enim hoc pacto juſtificari poſſunt noſtra peccata.

2. Romani, inquit, non habent conſuetudinem condemnandi niſi auditos. Non eſt hoc tantùm Romanæ conſuetudinis, ſed juris Gentium, apud omnes Gentes in uſu. Alexander claudebat alteram aurem, vetus eſt verbum: audi & alteram partem. Seneca: Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera, æquum licèt ſtatuerit, haud æquum fuerit. Vide Priſæum in hunc locum & in Actor. 23. 35. & de Dieu in hunc locum. Lex Judaica idem ſentit Ioh. 7.5. Deut. 1.17. Dicit tamen, Romanos non habere hanc conſuetudinem, q. d. non eſt Romanæ civilitatis ſed barbaricæ feritatis ita facere. Græci & barbari ſæpe opponuntur in Scripturis, i. e. nationes civiles & liberalibus artibus excultæ, iis qui non ſunt nationes civiles, & quæ civiliores ſunt, tantò plus obſtrictæ ſunt ad jus Gentium obſer-

obſervandum, & tantò horribilius eſt, cum ii, qui præ aliis non tantùm civiliter prudentes ſed etiam religiosè ſapientes volunt videri, jus Gentium violant. Applicetur tamen hæc lectio non tantùm judicibus, ſed & particulari converſationi. Nimis conſuetum eſt accuſationes recipere & delationibus credere parte alterâ inauditâ. Civiles certè homines non debebant habere hanc conſuetudinem. Applica 1 Cor. 11. 26.

3. Dicit, ſe poſt auditam Pauli contra accuſantes Judæos defenſionem deceptum ſe ſenſiſſe in ſua opinione. Cum enim ex tam importuna Judæorum inſtantia conjeciſſet, Judæos graviſſima crimina contra Paulum, & evidentiſſima eorum documenta prolaturos, vidiſſe tandem, quòd nihil attulerint, niſi quæſtiunculas aliquas de ſua ſuperſtitione, præſertim de mortuo quodam Jeſu quem Paulus dixerit vivere. Vide, quàm tenuiter ſentiat hic homo, & quàm dilutè loquatur de Euangelio Jeſu Chriſti, quod tam efficaciter per os magni Apoſtoli audiverat prædicatum & contra Judæos defenſum. Si quid politicum fuiſſet prolatum, id magnum apud ipſum fuiſſet, ſed Euangelium de Chriſto Filio Dei crucifixo & mortuo ad hominis ſalutem & reſuſcitationem ad vitam æternam ſuperſtitio eſt. Quæ de morte & reſurrectione Chriſti hic dici poſſent, ad locos communes referimus. Quòd Euangelium ſuperſtitionem appellat, eſt ex homine animali, qui non poteſt comprehendere & à ſuperſtitione diſcernere res quæ ſunt Spiritus Dei. Euangelium eſt religio atque cultus à Deo revelatus & præſcriptus, ſed ſuperſtitio eſt humanitùs excogitatus Deum colendi modus. Creaturis honorem vel virtutem tribuere, quam non tribuit illis verbum Dei, eſt ſuperſtitio. Obſervemus modò hîc, quàm parum efficax ſit prædicatio Euangelii ad convertendos homines, cum ſecum non habet potentem operationem Spiritus S. Ubi unquam Paulus vehementius & efficacius Euangelium prædicavit, quàm coram primoribus Judæorum & præſidibus Romanis? Et tamen tantùm eos commovit, ac ſi vetulæ vaccæ fuiſſet concionatus. Si eſt in poteſtate voluntatis humanæ, per prædicationem Euangelii Chriſto ſubjici & lucrifieri, quî fit quæſo, quòd per tam efficacem concionem tanti Apoſtoli voluntas Feſti expugnari non potuit & Chriſto ſubjici? Ne acquieſcamus igitur in externa prædicatione verbi, ſed imploremus opem Spiritus S. Verùm de hac re luculentius teſtimonium dabit caput ſequens.

4. Romanum Imperatorem vocat σεβαστὸν, ſeu Auguſtum. Erat Nero, non Auguſtus Octavianus. Appellat tamen Auguſtum, quia quod primi Imperatoris nomen fuit, poſteri omnes uſurpant, ut etiamnum hodie Germani Imperatores vocari velint ſemper Auguſti. Ab augendo Imperio multi derivant hoc nomen. Sed ſi Græcum σεβαστὸς compares, rectiùs ab augurio deducitur Auguſtus, q. d. augurio ad munus Imperatorium vocatus, adeoque divinitus vocatus, & ideo venerandus atque ſacer, & propter divi-

nam

nam ſuam auctoritatem ſuſpiciendus. Hinc Auguſtus idem quod ſanctus. Cic. lib. 3. de nat. Deorum: *Deos omnes auguſtè ſanctèque veneratus.* Patet itaque hic locus populo inculcandi majeſtatem & divinam auctoritatem, quam Magiſtratus politicus à Deo acceptam gerit, ut eam conſiderantes, juſtis eorum mandatis lubenter pareant, & à poteſtatum contemptu ſibi caveant. Magiſtratus eſt auguſtus & venerabilis. Sed de hoc alibi.

Actor. 25. v. 22. ad finem.

CONC. CCLXIV.

CÆpimus nuper explicare præparationem quam Feſtus inſtituit, ad decretum ſuum, de Paulo Romam cum vinculis mittendo, decorè & ſine ſpecie abſurditatis exſequendum. Vidimus quem ſcopum ſibi in iſta præparatione præſtituerit, & quod medium ad iſtum ſcopum adhibuerit. Scopus eſt invenire aliquem prætextum, quo pallietur injuſta Pauli miſſio ad Cæſarem, ne Feſtus cenſuram Cæſaris incurrat, & honoris aliquod detrimentum patiatur. Cùm enim innocentem dimittere & ſecurum præſtare debuiſſet in Judæa, maluit ad gratificandum Judæis Paulum vinctum Romam mittere, & ex oculis eorum removere. Verùm ne taxaretur ſocordiæ, quòd innocentem non ſatis fortiter defenderet, inveniendus fuit aliquis prætextus, qui miſſionem Pauli ad Cæſarem, loco dimiſſionis, palliaret & juſtificaret. Medium ad hoc adhibitum eſt communicatio cauſæ Paulinæ cum Agrippa Rege. Is enim cùm ſuo modo Judæus eſſet, & res religionis Judaicæ intelligeret, videbatur optimè aptus ad conſilium ſubminiſtrandum, ex natura religionis deſumptum, quod continuatam Pauli innocentis captivitatem, & miſſionem ejus ad Cæſarem excuſaret & juſtificaret.

Cùm itaque Feſtus Agrippæ communicâſſet & narrâſſet, quæ hactenus in cauſa Pauli geſta eſſent, hanc communicationem ſequutum eſt ſolenne colloquium Pauli cum Agrippa, idque ordine ſequenti:

1. Agrippa Feſto ſignificavit, ſibi deſiderium eſſe ipſum Paulum audiendi. v. 22.

2. Feſtus, ad ſatisfaciendum deſiderio Agrippæ, poſtero die illuſtre & ſplendidum convocavit auditorium, coram quo Paulus audiretur, in quo Agrippa & Berenice ſumma cum pompa comparuerunt. v. 23.

3. Tum productus eſt Paulus, & Feſtus oratiunculâ introductoriâ finem hujus conventus aperuit. v. 24. ad finem.

4. Poſt hoc Agrippa Paulum affatus poteſtatem ei fecit ſeipſum defendendi ſuper captivitate & accuſationibus ſuis, quod & Paulus fecit tanta cum vi & efficacia, ut & Feſtum & Agrippam vehementer commoverit, & tamen non converterit (beroert maer niet bekeert) ſed etiam de Agrippæ conſilio Romam miſſus fuerit. cap. 26.

I. De deſiderio Agrippæ audiendi Paulum primùm dicendum. Profectum hoc

Digitized by Google

hoc 1. Ex prudentia. Noluit enim de negotio Pauli aliquid Feſto conſulere Paulo inaudito. 2. Ex curioſitate. Multum de Paulo audiverat, & inde curioſus erat & avidus Paulum ipſum videndi & audiendi. Fuit hoc inſitum familiæ Herodianæ, quòd etſi nullo vero deſiderio Euangelii Chriſti ducerentur, tamen curioſitate quadam laborarent audiendi Chriſtum & ejus Miniſtros. Vide Herodem Aſcalonitam curioſè de Chriſto cunctantem, Matth. 2. 4. 7. 8. Sic Herodes Antipas, Marc. 6. 20. Luc. 9. 7. 9. Luc. 23. v. 8. 9. Sic Herodes Agrippa major in animo habebat Petrum producere populo, ut de religione Chriſtiana auditus martyrio ſuo ſpectaculum fieret populo. Actor. 12. 4. 6. Sic quoque hic Herodes, Agrippa minor, deſiderio audiendi Paulum, Chriſti Miniſtrum, ductus eſt. Patet hinc, quòd etiam hoſtes Euangelii aliquo Euangelii deſiderio ducantur. Aliud eſt deſiderium audiendi, aliud deſiderium faciendi verbum Dei. Deſiderium audiendi poteſt etiam cadere in impios, ſed deſiderium faciendi eſt nota cœptæ regenerationis, 1 Petr. 2. 2. Verùm de hac re abundè dictum in Actor. 24. 24.

II. Quod ad auditorium ſeu congregationem, coram qua Paulo dicendum fuit, ea 1. In genere deſcribitur à perſonis, quæ convocatæ fuerunt. 2. In ſpecie deſcribitur à ſplendore, quem attulerunt Agrippa & Berenice. In genere auditorium fuit valde illuſtre. Erat ibi Præſes Romanus, erat Agrippa Rex, erat Berenice Regis filia & ſoror, erant Chiliarchæ Romani, erant denique primores civitatis Cæſareenſis. Cœpit hîc impleri illud, Matth. 10. 18. & Actor. 9. 15. Quis non delectetur Concionator coram tali auditorio concionem habere? Non propter ambitionem, quæ nobis illicita, ſed propter ſpem lucrandi magnates mundi, quorum certè converſio multum poteſt ad lucrandos cæteros. Et tamen quando unquam pauciori cum fructu concionatus eſt, quàm coram hoc illuſtri auditorio? Certè quàm irrita fuerit Pauli concio in Feſto & Agrippa, patet ex c. 26. 24. & 28. & inde quid apud cæteros effecerit, facilè conjicitur. Quæ ratio, quòd coram tam illuſtri auditorio tam infructuosè Paulus dixit? *Reſp.* Ratio datur 1 Corinth. 1. 26. 27. 28. 29. Iohan. 7. 48. 49. Iacob. 2. 5. En habes cauſam unde fiat, quòd coram auditorio illuſtri Euangelium minori cum fructu prædicetur, quàm coram auditorio plebejo, ſcil. ut Deus per hoc oſtendat, quòd converſio unius præ alio non ſit ex naturalibus quibuſdam eminentiis & privilegiis, ſed ex Dei ſingulari amore & gratia. Quid? An ſolos pauperes Deus ad ſalutem elegit? Annon ſcriptum eſt, quòd Deus omnes homines, i. e. omnis generis homines velit ad ſalutem venire, 1 Timoth. 2. 4. 2 Petr. 3. 9. *Reſp.* Deus Euangelium jubet prædicari divitibus & pauperibus, ſed tamen illi, quos ad converſionem & ſalutem elegit, plerique ſunt pauperes, pauci divites. Non dicit Paulus nullos divites eſſe electos, ſed non multos. *Sicut difficile eſt divitem in regnum Dei intreire*, ita rarum eſt, Matth.

Digitized by Google

Matth. 19. Cur Deus plures pauperes elegit ad ſalutem quàm divites? *Reſp.* 1. Quia voluit eos, qui ſalvantur, conformes eſſe filio ſuo, Rom. 8. 29. Sicut Chriſtus pauper fuit & per paupertatem & tenuitatem in regnum ingreſſus eſt, ita etiam qui per Chriſtum ſalvantur. 2. Ut confunderet, quod ſapiens, potens, dives eſt, i. e. ut ſapientes, potentes & divites diſcerent, ſalutem non poſſe acquiri per ſapientiam, potentiam & divitias mundanas, ſed per veram humiliationem cordis. Si converſio plerunque apud ſapientes, potentes & divites eſſet, quis non crederet, tales Deo eſſe gratiores, & tales naturaliter plus poſſe ad ſalutem acquirendam, quàm pauperes, &c. At enim, an prævila paupertas cauſa impellens eſt electionis, annon elegit quem voluit? *Reſp.* 1. Si electionem ſumas pro vocatione efficaci quæ fit in tempore, non eſt abſurdum dicere, quòd Deus illos vocet & convertat plerumque, quos invenit in ſtatu tenui. 2. Sed ſi pro decreto æterno, tum paupertas non eſt cauſa, ſed effectum electionis. Elegit Deus quos voluit, ſed quos elegit, iis pleriſque paupertatem deſtinavit, ut per eam introëant ad ſalutem, ad quam electi ſunt. An igitur cauſa & culpa, quòd plerique divites non ſalvantur, eſt penes Deum? *Reſp.* Non eſt. Nam præteritio hominum in electione & vocatione non facit homines inconvertibiles, ſed ſinit tales quales ſunt in ſe ipſis. Erant inconvertibiles & duri corde ſuâ culpâ æquè ac electi, & cùm à Deo prætereuntur in electione & vocatione, manent tales, quales ſunt ſuâ culpâ, nec cauſa & culpa ulla eſt in Deo, quòd non convertuntur nec ſalvantur. Ubi igitur culpa? *Reſp.* 1. In corruptione naturæ. Naturâ enim & per lapſum communem ſunt inconvertibiles, nec à Deo tales fiunt. 2. In abuſu divitiarum. Sicut enim qui pauperes ſunt, per paupertatem tantò magis urgentur ad quærendum Deum, ita qui divites ſunt, per divitias tantò magis impediuntur à quærendo Deo divitiæ enim rapiunt cor ad ſe, & faciunt ut homo illis confidens illiſque ad libidines & vanitates abutens difficiliùs adigatur ad Deum quærendum, niſi ſingulari cura ſibi ipſi attendat. Et hic finis propter quem hæc lectio tantopere à Scriptura inculcatur, ſcil. ut qui ſapientes, divites & potentes ſunt, ſciant, ſe ſingulariter obligatos eſſe ad majorem cautionem & ſollicitam curam ſalutis. Non prædicatur hoc, ut divitibus adimatur ſpes ſalutis, ſed ut intelligant divites & potentes ſibi majori cura opus eſſe ad conſequendam ſalutem. Si enim ii, quibus divitiæ obveniunt, Pſalm. 62. non ſollicitè vigilant, ne cor illis apponant, *difficilius eſt, eos in regnum cælorum ingredi, quàm camelum per foramen acus*, & impletur in illis iſtud Mariæ Luc. 1. 52. 53. Digna hæc lectio noſtro auditorio, quod ſanè illuſtre eſt, & multos habet nobiles, potentes, divites, ac pompoſos. Sed quia multos habet tales verendum eſt, ne non multos habeat vocatos, niſi noſtri magnates tantò magis ſolliciti ſint in quærendo regno Dei, quantò magis, quàm cæteri ſunt divitiarum & potentiæ mundanæ impedimentis conſtricti.

Digitized by Google

In ſpecie ſplendor hujus auditorii exaggeratur per pompam & magnificentiam Agrippæ & Berenices, de quibus dicitur, quòd in prætorium, ubi audiendus erat Paulus, intrârunt μετὰ πολλῆς φαντασίας, magna cum pompa. Per phantaſiam intelligitur externa magnificentia in veſtitu, inceſſu, geſtibus, comitatu, &c. per quam ſe prodit ſuperbia cordis, faſtus, apparatus, oſtentatio. Hac ſuperbiâ non tantùm laboravit hic Agrippa, ſed & pater ejus, Actor. 12. 21. & præcipuè virgines Iſraëliticæ Eſa. 3. 16. &c. Vide Sirach. 11. 4. 5. 6. Luc. 16. 19. Sephan. 1. v. 18. Res mundo communiſſima, non tantùm inter magnates, ſed etiam inter mediocris conditionis homines, & utinam non inter ſervos & ancillas, de qua tamen hæc duo probè ex hoc textu notanda:

1. Quòd iſta pompa & magnificentia mundana ſit pura puta phantaſia, & qui illam exerceant, ſint phantaſtæ & ſtulti. Phantaſia enim nihil aliud eſt, quàm ſplendor inanis & imaginarius. Sicut hiſtriones ludunt regio habitu, ſicut infantes ludunt pupis & ſuperbiunt novis veſtibus, ita totus mundus ludit inani & fatuâ pompâ. *Schema tranſiens* 1 Corinth. 7. 31. unde tota Salomonis gloria uni lilio campi poſtponitur Matth. 6. 29. Præſertim eſt mera phantaſia, cùm homines omnes ingenii nervos intendunt ad ſollicitè & curioſo ſtudio excogitanda corporis ornamenta, quæ nihil ſapiunt præter inane ac vanum cerebrum phantaſtici alicujus ſartoris vel fanatici aulici, ſine honeſtate, ſine commoditate, deturpantia magis quàm ornantia, quæ meritò referas inter vanas artes, de quibus Paulus Act. 19. 19. Quid aliud eſt quod vulgò vocant *modum*, quàm phantaſia ſartorum Pariſienſium? Præſertim tamen eſt phantaſia & ſtoliditas, cum quis pompâ & ornatu ſuo animum inflat, ut omnibus geſtibus & toto inceſſu appareat, quanti ſe ipſum æſtimet propter ſuum ornatum. Vide Eccleſ. 10. 3. *Object.* Annon licet Chriſtianis corpus ſuum ornare? Annon virginibus commendatur cura ornatus, Ier. 2. 32. 2 Sam. 1. 24. Præſertim annon eſt æquum, magnates mundi uti ſuâ pompâ & magnificentia ad augendam ſuam apud populum auctoritatem & venerationem? *Reſp.* Aliud eſt ornatus & magnificentia ad gravitatem & amabilitatem honeſtam compoſita, aliud mundanus ille & phantaſticus exceſſus ornatûs. Ille eſt moderatus, accommodatus ſtatui, mediis, Prov. 12. 9. & 13. 7. temporum occaſionibus, valetudini, pudori & honeſtati non contrarius, non ſcandaloſus, nec cor inflans & occupans immodicâ ſui curâ, ſed curam cordis relinquens ornatui ſpirituali, qui nobis commendatur, 1 Timoth. 2. 9. 1 Petr. 3. 3. Hic verò eſt ornatus immodicus & illimitatus, ſtultus, inhoneſtus, inſanus, meretricius & ad laſciviam compoſitus. Qui ſapiens eſt ad ſalutem, & amans honeſtatis, diſcrimen hoc facilè intelligit. Deus non vult pati, ut quos ipſe ſapientes fecit ad ſalutem in Chriſto, phantaſiæ & vanitati mundanæ tantopere indulgeant. Vide quas pœnas propterea minetur, Eſa. 3. 17. 18. &c.

Digitized by Google

2. Quòd

2. Quòd qui huic phantaſtica pompæ dant operam, & cum illa in templum veniunt, ſint auditores inutiles & infructuoſi. Quo fine quæſo Spiritus S. hoc loco voluit inſertum, quòd Agrippa & Berenice cum magna pompa venerint ad Paulum audiendum? Scilicet ut indicaret cauſam, cur per concionem Pauli non fuerit converſus, ut ita diſceremur, quòd qui cum mundana pompa & ſuperbia ad templum veniant, ſint auditores fruſtranei. Sicut pluvia cadens in colles & montes defluit, ſed quæ in valles cadit, manet & penetrat, ita verbum, quod in cor mundanum cadit & ſuperbum, perfluit. Pompoſi phantaſtæ non ſunt diſcipuli Chriſti. Chriſtus enim non docet niſi *mites corde*, Pſalm. 25.9. Iacob. 1. 21. Deponite ſordes & abundantiam.

III. Sequitur Feſti oratiuncula introductoria, quâ ſcopum convocationis indigitat, ſcil. ne Paulus audiatur ea intentione, ut Feſto ſuppeditetur conſilium quid cauſæ allegandum ſit apud Cæſarem, cur Paulus Romam mittatur, ne miſſio ejus videatur abſurda. Prævidebat enim facilè, quòd Paulo Romam delato & ad Cæſarem appellante Cæſar ſit interrogaturus, quæ ſententia contra ipſum ſit lata. Appellatio enim ad judicem ſuperiorem non habet locum, niſi prævia ſententiâ judicis inferioris. Interrogatus igitur de Feſti ſententia Paulus ſine dubio reſponſurus erat, Feſtum ſe abſolviſſe à reatu mortis, & tamen non voluiſſe dimittere, ſed ex gratia tradere Judæis, & hanc eſſe cauſam appellationis. Sollicitus igitur Feſtus quærit alium prætextum, cur Paulum innocentem non dimiſerit. Verùm quæ de hoc ſcopo dici poſſunt, ſuperiori concione dicta ſunt. Eſt hic Feſtus exemplum ejus luctæ, quæ eſt, non inter carnem & ſpiritum, ſed inter conſcientiam & affectus. Per conſcientiam urgebatur declarare, quòd ſibi non ſit licitum, innocentem ex gratia tradere adverſariis judicandum. Quoniam tamen ambitioſus erat, & favorem ac amicitiam Judæorum affectabat, tergiverſatur in obedientia conſcientiæ debita, & quærit conſilium gratificandi Judæis. Hæc illa lucta hominis naturalis, cujus exempla dantur in Herode Marc. 14. 9. In Pilato, Matth. 27. 23. 24. In Felice, Act. 24. v. 24. 25. &c. Quæque deſcribitur Rom. 2. 15.

Actor. 26. v. 1. ad 6.

Conc. CCLXV.

HOc capite deſcribitur apologia Pauli, præcipuè quidem coram Agrippa, c. 25. 26. Sed tamen etiam coram cæteris auditoribus in prætorio congregatis habita. Volebat Feſtus Paulum audiri ab omnibus, ſed præcipuè ab Agrippa, quia ejus præcipuè judicium & conſilium expetebat ſuper negotio Pauli. Agrippæ teſtimonium perhibet Joſephus, quòd fuerit vir prudens lib. 2. belli Iud. c. 16. Non mirum igitur, quòd conſilium ab eo Feſtus petiit. In tres partes poteſt hoc caput dividi. I. Complementa civilitatis apologiæ præmiſſa. II. Apolo-

Digitized by Google

gia ipſa, quam Paulus pro ſe fecit. III. Conſilium, quod Agrippa Feſto dedit, poſtquam Paulum audivit.

Complementa civilitatis ſunt tria: 1. Venia loquendi ab Agrippa Paulo data. 2. Extenſio manus à Paulo facta. 3. Humana & honorifica compellatio Agrippæ, quâ Paulus grato animo agnoſcit & acceptat veniâ loquendi ac ſe defendendi, ab Agrippa conceſſam, v. 1. ad. 4. Apologia ipſa duplex eſt:

1. Solitaria per formam orationis, quâ Paulus ſolus loquitur & cauſæ ſuæ deductionem inſtituit, tum quantum ad vitam ſuam, tum quantum ad doctrinam ſuam, v. 4. ad 24.

2. Dialogica ſeu per formam colloquii, quâ Paulus à Feſto & Agrippa interpellatus ſingulis particulatim reſpondet v. 24. ad 30. Conſilium Agrippæ Feſto datum in eo conſiſtit, quòd approbat decretum Feſti, quo Paulum quidem declaraverat innocentem, ſed tamen propoſuerat vinctum & captivum Romam mittere propter appellationem ejus ad Cæſarem v. 30. 31. 32.

Quod ad complementa civilitatis attinet, Paulus ad Feſtum, Agrippam & totum illum illuſtrium hominum conventum adductus ſilet, nec verbum loquitur, donec venia loquendi datur ab Agrippa, ſicut etiam fecit cap. 24. v. 10. Quoniam enim ibi loquebatur ut captivus coram judice, ſilentio exſpectare voluit veniam loquendi, ad teſtandam ſuam erga judicium reverentiam. Eodem quoque fine manum extendit. Extenſio manus non tantùm eſt iſtud *κατασείειν* ſeu iſtud annuere, de quo Actor. 12. 17. & 13. 16. & 21. 40. & 19. 33. Sed etiam iſte *ἀσπασμὸς* ſeu iſta reverentialis ſalutatio, qua Paulus uſus eſt, Actor. 21. v. 7. & 19. Fuit extenſio manus reverentiæ cauſâ facta. Non tantum autem geſtu reverentiam exhibet Agrippæ, ſed etjam alloquio reverenti, quo declarat quàm gratum ſibi ſit & acceptum quod veniam habeat ſe defendendi contra Judæorum accuſationes coram tali Rege, qui Judæorum mores & dogmata intelligat, & idoneus eorum judex eſſe poſſit, petitque obnixe ut manſuetè audiatur. Hactenus tam infelix fuerat, ut non niſi coram Ethnicis judicibus ſe defendere potuerit ſuper religione verè Judaica. Nunc lætatur quod judicem habeat religionis Judaicæ gnarum. An igitur Agrippam agnovit pro judice controverſiarum in negotio religionis, ſicut Papam Romanum agnoſcunt Papiſtæ? *Reſp.* Duplex eſt judicium, deciſionis & diſcretionis, (een oordeel van beſlechtinghe/ een oordeel van onderſcheydinge) Judicium deciſionis eſt divinum & Eccleſiaſticum. Ipſe Deus Spiritus S. eſt controverſiarum de religione Judex, pronuncians per Scripturam quid ſit verum quid falſum. Scriptura enim eſt Lex, per quam vel in qua ſententia Spiritus S. explicatur, ut ſit norma noſtræ fidei. Gal. 6. 16. Phil. 3. 16. Non pectus Papæ ſed ſacra Scriptura eſt illud ſcrinium juris, quo Deus revelat & pronunciat quid ab homine credi velit, & fieri. Ad hunc judicem paſſim remittimur. Eſa. 8. 20. Luc. 16. 29. Ut tamen mens Spiritus S., in Scriptura expreſſa, tantò facilius percipiatur, in

Eccleſia

Digitized by Google

Eccleſia quoque Tribunal erexit Deus, per quod decidantur controverſiæ de Religione, ſcilicet judicium Presbyterorum & Antiſtitum Eccleſiæ, ut patet in Synodo Hieroſolymitana Actor. 15. Non ſoli Papæ hoc competit, ſed omnibus Eccleſiæ Presbyteris, præſertim iis qui in verbo laborant, nec in eo conſiſtit, ut pro auctoritate & arbitrio declarent, quid creditum velint & factum, ſed ex ipſa Scriptura declarent atque demonſtrent, hoc vel illud eſſe ſententiam Spiritus S. in Scriptura loquentis. Tale judicium Agrippæ non competebat. Nam non erat Eccleſiaſticus Iudex & Interpres, ſed politicus Rex & Magiſtratus, cujus auctoritati & arbitrio ſubmittuntur res quæ ſunt de hoc mundo, ſed non controverſiæ de religione. Eſt itaque non judicium deciſionis, ſed judicium diſcretionis, quod Paulus Agrippæ detulit, appellans ad ejus intellectum & conſcientiam, ut probet & examinet, an non ſit veritas Scripturis conſentanea quam predicaret. Hoc ſenſu Concionatores omnes ſuos auditores agnoſcunt pro judicibus ſuæ doctrinæ, 1 Cor. 10. 15. 1 Theſſ. 5. 21. 1 Joh. 4. 1. Non cupiunt pii miniſtri ut auditores dictaminibus eorum ſe ſubmittant cæcâ obedientiâ, ſine judicio & probatione doctrinæ, non cupiunt dominari ipſorum fidei ſed ipſi invitant auditores ad probanda & examinanda ſua dogmata, ſtudentes ſuam doctrinam auditorum conſcientiis reddere manifeſtam, ut poſſint deprehendere conformitatem ejus cum Scriptura. Præſertim autem hoc judicium diſcretionis deferunt magiſtratibus. Non cupiunt dominari in rempublicam, ſed ſuam doctrinam manifeſtam reddere conſcientiis dominantium ut non tantum eam recipiant ad ſalutem propriæ animæ, ſed etiam ut eam ſua poteſtate inter ſubditos conſervent ut fidi nutritii Eccleſiæ Chriſti. Sic Paulus Agrippæ detulit judicium de controverſiis religionis. verſu 8. 26. 27. Tria porro ſunt quæ ex hac parte textus diſcere poſſumus.

1. Chriſtianiſmum non abhorrere à civilitate morum. Eandem civilitatem, eademque complementa quæ Tertullus aulicus adhibet Actor. 24. v. 2. 3. 4. Paulus Chriſtianus hìc uſurpat, exceptâ ſolâ adulatione. Stylus planè curialis & aulicus eſt, in hoc Pauli exordio, quo apparet, ipſum optime calluiſſe artem converſandi cum magnatibus hujus mundi. Non opus eſt Chriſtianus ſit ruſticus & moroſus in habitu & ſermone ac moribus, ſed licet eſſe civilem, urbanum humanum. Chriſtianiſmus non annihilat, *ſi qua eſt virtus, ſi qua laus, ſi quod decorum.* Phil. 4. v. 8. Damnat tantum levitatem, impudicitiam, ſuperbiam, & horum vitiorum irritamenta, nec non immoderatum ſtudium civilitatis, quo animus vileſcit.

2. Miniſtros Chriſti etiam in ipſa functione ſui miniſterii non oblviſci iſtius reverentiæ, quam debent poteſtatibus politicis. Paulus honorificè compellat Agrippam, & quamvis ut Apoſtolus Filii Dei poteſtatem haberet mandandi audientiam, tamen precibus eam petit. Sic infra v. 25. Non pugnat nomine Chriſti Magiſtratum politicum monere ſui officii, & reprehendere ejus

Digitized by Google

peccata, & tamen hoc ipſum facere cum omni humilitate & reverentia majeſtatis, quam à Deo gerunt. Vide quomodo Jeremias Jerem. 37. v. 17. ad 21. moneat pertinacem Zedekiam & quam verecundè Nathan Davidem Regem reprehendat, 2 Sam. 12. 1. ad 12. Nec parcit peccatis Davidis nec lædit majeſtatem Davidis, ſed cum omni dexteritate eum reprehendit ut eſt 2 Tim. 4. 1. 2.

3. Concionatoribus volupe eſſe concionari auditoribus qui habent ſenſus exercitatos in rebus ad religionem pertinentibus. Hactenus cum judicibus ethnicis egerat, qui nihil eorum intelligebant, quibus Judæi & Chriſtiani inter ſe differebant: Nunc dicit, quòd ſe felicem æſtimet, quod ſe poſſit defendere coram Rege quæſtionum Theologicarum gnaro. Actiones noſtræ miniſteriales auditoribus ſæpè diſplicent, & ſtomachum movent, quantumvis ritè fiant ſecundum inſtructionem verbi Dei, & communem conſuetudinem orthodoxi miniſterii. Unde hoc fit? quia qui judicare volunt carent ſenſibus in rebus Theologicis exercitatis. Paulus lubenter vult judicari ab auditoribus ſuis, ſed intelligentibus, 1 Cor. 10. 15. præſertim volupe nobis eſt ſaltem Magiſtratus & magnates inter noſtros eſſe auditores intelligentes, ut juſtæ noſtræ actiones, cum à rudi populo carpuntur, ſaltem prudentioribus probentur, ut dicere poſſimus: *Rex novit de his rebus, nec credo quicquam ipſum latere*, v. 26. Vide etiam v. 3.

Sit hoc ſatis de complementis & curialibus: ad ipſam concionem apologeticam veniamus, quâ Paulus demonſtrat nec in vita nec in doctrina ſua quicquam eſſe, quod contra veram Judaicam religionem pugnet, & propter quod vel accuſari vel condemnari mereatur à Judæis. Incipit à vita, & ad ipſorum Judæorum teſtimonium provocat. v. 4. 5. Commendat ſuam vitam, & queritur de Judæorum diſſimulatione. Vitam commendat:

1. Quod inde à pueritia in medio populi, in ipſa urbe Hieruſalem vixerit, & Judæis probe notus ſit. Non ſum, inquit, homo peregrinus & obſcurus, cujus vita & mores ſuſpecti eſſe poſſint, non ſum publicanus & peccator, qui propter inhoneſtam vitam Judæis meritò poſſim eſſe inviſus, ſed in luce verſatus ſum, & ita vixi ut Judæum genuinum decet vivere.

2. A ſingularitate profeſſionis. Non tantùm inquit, honeſte vixi, ut omnes Judæos decet, ſed & religioſiſſime. Vixi, nempe ſecundum accuratiſſimam ſectam noſtræ religionis, ut Phariſæus. Eodem modò ſe ipſum commendat, Phil. 3. 4. 5. 6. ſed dolet atque queritur, quod Judæi hoc velint ignorare, & quaſi obliti eſſe iſtius favoris & amoris, quo olim ipſum fuerint proſequuti. Odium parit voluntatem ignorandi ea, quæ non potes ignorare. Confer Matth. 11. 14. q. d. poſſetis, ſi velletis, ſcire, quod Johannes ſit ille Elias, de cujus adventu vaticinatur Malachias.

Impedit ira animum ne poſſit cernere verum.

Multi veritatem cernerent, niſi ſe ipſos excæcarent odio eorum, qui veritatem

Digitized by Google

tatem ipſis loquuntur. *Neſciunt quia nolunt ſcire. Aures claudunt loquentibus, & cupiunt eſſe ignorantes*, 2 Petr. 3. 5. juſta talium eſt condemnatio.

Præcipuè autem conſideratu dignum, quod Paulus ſuam vitam tantopere commendat à ſingularitate. Non vivebat ut communis Judæus, ſed vivebat ut Phariſæus, ut Separatiſta, quæ erat ſecta accuratiſſima, ſtrictiſſimæ & præciſiſſimæ vitæ inter omnes ſectas Judaicæ religionis. Non erat homo ſicut cæteri hominum & Judæorum, non erat prædator, adulter, publicanus, ſed jejunabat bis in ſabbatho, decimas dabat ex omnibus quæ poſſidebat, etiam ex cumino, mento & fæniculo, erat doctor in Iſraël, habebat clavem cognitionis, fundebat longas preces, gerebat humiles veſtes, lavabat manus quoties pane veſcebatur, erat tantus zelotes, ut mare & terram circumiret ad faciendum unum proſelytum, imò, quod plus eſt, non erat communis Phariſæus, ſed ex domo Hillel, quæ longè accuratior erat atque domus Samai. Summa, Paulus in vita ſua inter cæteros Judæos eminebat, ut Jeſuita inter cæteros Catholicos. Jeſuitæ non ſunt communes Catholici, ſed inter Catholicos ſunt religioſi, & inter religioſos ſunt ſecta accuratiſſima, quæ

Tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Erat Paulus ſicut Anabaptiſta modernus inter cæteros hæreticos. Cæteri ſunt tantum communes ſanctuli, ſed moderna Anabaptiſtarum progenies eſt ſecta accuratiſſima inter omnes ſanctos: & ſine dubio non fuit communis Anabaptiſta, ſed ex domo quærentium, quæ cæteris ſelectior. Atenim ſi Paulus ante converſionem ſuam ad Chriſtianiſmum fuit tam accuratæ vitæ, quod opus habuit converſione, cur non manſit qui fuit? Utique qui benè vivit ſalvabitur. Cur poſtea omnia hæc σκύβαλα putavit, quæ laudare hìc videtur? Phil. 3. 7. 8. *Reſpond.* Non benè vivitur ubi non benè creditur & Orthodoxe ſentitur. Nam ubi per hæreticas & ſuperſtitioſas opiniones, perque errores legi Dei & Euangelio Chriſti contrarios, mens hominis pervertitur, ibi non eſt ſpiritualis lux, ſed tenebræ, ibi ignoratur via ſalutis, corrumpitur ſemen regenerationis, & impeditur fides, quæ peccatorem Chriſto unit, & Deo reconciliat. Et quî poſſibile eſt, vitam eſſe ſinceram & verè piam, ubi mens perverſa eſt? *Quibus obſcuratus eſt intellectus, illi alienati ſunt à vita Dei per ignorantiam, nec ambulant in luce ſed in vanitate cordis.* Epheſ. 4. v. 17. 18. Matth. 6. v. 22. 23. Vidè quomodo Paulus ſuam vitam, quam vixit ante ſuam converſionem, deſcribat. Tit. 3. 3. *Nos omnes inſipientes errantes, ſervientes*, &c. Atenim quid deerat vitæ Pauli ante converſionem? Dicit utique ſe ſecundum Iuſtitiam Legis fuiſſe irreprehenſibilem. Phil. 3. v. 6. Poterat utique de ſe dicere quod ille juvenis? Matth. 19. 20. *Reſpond.* Non erat irreprehenſibilis coram Deo ſed coram Judæis & Phariſæis, vivebat enim ita ut cæci Phariſæi, qui Legem Dei ſuis gloſſis corruperant, judicabant eſſe vivendum, adeoque Phariſæi & Judæi

Digitized by Google

Judæi nihil habebant, quod in illo carperent, aut quod accuſare poſſent, ſed ubi cœpit vitam ſuam comparare cum vero ſenſu Legis, & expoſitione illius quam Chriſtus dat, Matth. 5. tum ipſemet vidit, vitam ſuam non eſſe irreprehenſibilem coram Deo. Non erat irreprehenſibilis ut Zacharias & Elizabeth, Luc. 1. 6. Oſtendam vobis particulariter tum ex communi omnium Phariſæorum vita, tum ex ore ipſius Pauli, & aliorum S. Scriptorum quod Paulus non benè vixerit dum vixit in Phariſaiſmo. Vixit enim tum temporis

1. In ſuperbia. Non quantum ad veſtitum. Ibi enim humilitatem ſatis affectabat, Matth. 23. 5. ſicut etiam in vultu, Matth. 6. 16. Col. 2. 23. Vide etiam Marc. 12. 38. Luc. 20. 46. ſed tamen 1. In ſcientia Rom. 2. 18. 19. 20. 2. In precibus, Matth. 6. v. 5. præſertim in opinione perfectionis, Matth. 19. v. 20. Luc. 18. 11. 12. 13. 14. nec non in affectatione præcedentiæ, Matth. 23. 6. 7. & in hac ſuperbia Paulum quoque vixiſſe ipſe teſtatur Rom. 7. 9. vivebam, id eſt putabam me vivere & juſtum eſſe, dum Legem non intelligebam.

2. In acerbitate. Sicut contemnebant eos, à quibus in religione diſſentiebant, Luc. 18. v. 11. Ita acerbiſſimo eos proſequebantur odio, homines turbulenti, & crudeles flagellatores, Matth. 23. 24. Sic prima Eccleſiæ Chriſtianæ turbatio à turbulentis Phariſæis malè converſis originem habuit, Actor. 15. 5. 19. Habent hoc omnes illi rigidi moraliſtæ, ſpirituali ſuperbiâ turgentes, quod turbulenti ſunt, & lubenter motus faceſſent, ad alios turbandos. Sic de Stoicis, qui reverâ erant rigidi & σκύθρωποι moraliſtæ. Tacitus Annal. 14. ſic teſtatur: Plautus magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otii, ſed veterum Romanorum imitamenta præferre, aſſumpta etiam Stoicorum arrogantiâ ſectâque, quæ turbidos, & negotiorum appetentes faciat. Paulus quoque talem ſe fuiſſe ipſe teſtatur 1 Tim. 1. 13. 1 Cor. 15. 9. Gal. 1. 13. Actor. 8. 3. & 9. 2. ſic infra verſu 11. nemini parcebat, neque maribus neque fœminis, nec parvis nec magnis, nec Regi nec nobilibus.

3. In avaritia, Matth. 23. 14. & 28. quæ tanta erat ut artificioſiſſimè prætenderentur ibid. verſ. 25. Phariſæus negat ſe eſſe raptorem Lucæ 18. 11. Chriſtus hoc loco affirmat. Nimirum non erant raptores violenti ſed tamen fraudulenti. Spiritualia prætendebant & temporalia quærebant. Tit. 3. 3. Paulus quoque fatetur ſe huic avaritiæ & cupiditati obnoxium fuiſſe. Paulus erat Theologus, educatus ad pedes Gamalielis, & tamen ſimul erat Capitaneus militiæ ſive lictorum, ut utrinque lucrum caperet: Et cum Paulus irruebat in domos Chriſtianorum, fœminas viroſque inde extrahens, an putas eum non ſimul ſub ſpecie juſtæ confiſcationis involaſſe in eorum bona?

4. In fraudulentia. Præterquam enim quod hypocritæ ſæpius vocabantur, Matth. 15. 7. in eo præcipue ſui cordis falſitatem oſtendebant, quòd Legem Dei torquebant falſis gloſſis, ut non videretur ipſorum ſceleribus contraria. Vide Marc. 7. 11. præſertim juramentis ludebant

Digitized by Google

debant uti teſſeris. Vide quot gloſſas commenti fuerint ad excuſanda perjuria, Matth. 23. 16. ad 23. quibus præſertim utebantur cum ſeditiones ciebant contra Cæſarem cui homagium juraverant. Cum hodie juraſſent, cras juramentum eorum erat ut Calendarium præteriti anni, juxta quod non vivitur. Ab hac fraudulentia Paulus ſine dubio non fuit alienus, & proinde vita ejus non fuit talis quin converſione indigeret ad vitam meliorem. Coëgit ad perjuria & recantationes, Actor. 26. v. 11. Non ſolum ipſe perjurus erat, ſed etiam alios cogebat abjurare fidem quam Chriſto juraverant. Qui calumniator eſt, idem etiam mendax eſt. At Paulus fuit calumniator, 1 Tim. 1. Ergo fuit etiam mendax. En habetis Pauli vitam ante converſionem, ſplendidam quidem & cæcis inculpabilem, ſed iis qui Legem Dei, & ejus mentem intelligunt, manifeſtam & multis vitiis conſpicuam. Si hanc deſcriptionem vitæ Paulinæ vellem applicare Jeſuitis Mennonitiſque, & præſertim illis, qui olim Germaniam & nunc nos turbant, ovum ovo ſimilius non eſſe, atque hos Paulo Phariſæo, facilè diſcerneres, & quibuſcum hominibus nobis res ſit videres.

Obj. Sunt fortunati, omnia illis ſuccedunt ex voto, quicquid occipiunt proſperatur. Ergo non ſunt homines mali. *Reſpond.* Annon Pauli perſequutio ſucceſſit ex ejus voto? Imò tam feliciter ſucceſſit, ut domi & in propria patria Eccleſiâ devictâ & ſuppreſſâ, etiam extra patriam eam perſequeretur Actor. 26. 11. & impediri non potuerit, donec lux ex cœlo ipſum reprimeret. Non poſſumus hodie expectare miracula ex cœlo; ſed tamen licet exſpectare opem ex cœlo, ubi hora Dei venerit, per quam vel convertantur vel reprimantur. Ne decipiamur ſpecie pietatis, ſed diſcamus in nobis explere, quod Paulo ante converſionem defuit. Non impugnamus τὴν ἀκρίβειαν externæ vitæ, ſed ſatis acriter urgemus: ſed non eſt in ea ſubſiſtendum, verùm conjungenda interna humilitas, manſuetudo, continentia & ſinceritas, ne in nos quadret illud Chriſti quod in Phariſæos dicebatur, Matth. 23. 23.

Actor. 26. v. 6. ad 9.

Conc. CCLXVI.

Paulus ut bonorum morum, juxta ac Chriſtianorum virtutum doctor & exemplar, acceptâ coram Agrippa ſe defendendi veniâ, poſt civilitatis complementa, duo facit ad ſeſe defendendum.

1. Demonſtrat in vita ſua nihil eſſe, propter quod, à Iudæis quidem, meritò accuſari poſſit, v. 4. 5.

2. Demonſtrat neque in doctrina ſua quicquam eſſe propter quod accuſari debeat. De vita actum concione ſuperiori. Accedimus nunc ad doctrinam, propter quam accuſabatur. Hanc doctrinam:

1. Proponit verſ. 6.

2. Demonſtrat tribus argumentis, ſe propter hanc doctrinam non debere accuſari, videlicet

Digitized by Google

. Quia ſit illa ipſa doctrina, quam Deus Patribus promiſerit, quam omnes Iudæorum pii Patres ſemper crediderint, & in qua ſpem ſuam collocaverint, & quam Deus ſua omnipotentia implere poſſit, v. 7. 8.

.. Quia in Phariſaiſmo ab hac doctrina averſus per cœleſtem ipſius Chriſti apparitionem ad iſtam doctrinam prædicandam vocatus ſit. v. 9. ad 21.

... Quia propter hanc doctrinam à Iudæis apprehenſus, & neci deſtinatus, ſingulare Dei auxilium nactus ſit, per quod Iudæorum furorem evaſerit, & in hunc uſque diem ſalvus & incolumis eandem doctrinam prædicet. v. 21. 22. 23. Fecerunt ubique Iudæi quod potuerunt ad me impediendum, & impediviſſent, ſi viribus humanis mea ſtetiſſet doctrina.

Propoſitio doctrinæ, propter quam accuſabatur eſt v. 6. ſed preſſius declaratur v. 7. 8. & infra v. 20. 22. 23. Dicit ſe accuſari propter ſpem Patrum, ſed poſtea declarat, quæ ſit illa ſpes Patrum, & quo pacto ſpem illam Patres expectaverint.

Quænam ſpes illa Patrum propter quam Paulus accuſabatur? Non intelligit virtutem & actum ſpei, quâ Patres ſperarunt; ſed intelligit rem & bonum, quod Patres ſecundum promiſſionem Dei ſperârunt. Et quæ illa res? Reſuſcitatio mortuorum v. 8. Confer Act. 24. 21. & 28. 20. Quomodo Patres hanc reſurrectionem mortuorum ſperârunt? Duobus modis: 1. Deo ſervientes, diu noctequе continentes, v. 7. ſeſe emendantes & ad Deum convertentes, facienteſque opera converſione digna v. 20. 2. Non ſimpliciter ſperantes, ſe eſſe reſurrecturos ex mortuis, ſed præcipue ſperantes Meſſiam Patribus promiſſum, primum ex reſuſcitatione mortuorum futurum, & tum Judæis tum Gentibus lucem annunciaturum. v. 23. Summa eſt, q. d. O Rex Agrippa! Doctrina quam prædico, & propter quam à Judæis accuſor, conſiſtit in his tribus partibus:

1. Quod homines, qui moriuntur, à Deo reſuſcitabuntur ex mortuis.

2. Quòd Meſſias, Patribus promiſſus, etiam mori & ex mortuis reſurgere debuerit, & quod per hanc mortem & reſurrectionem Meſſiæ tum Judæis tum Gentibus aquiſita ſit & anuncietur lux vitæ æternæ.

3. Quod omnes, qui poſt reſurrectionem ſuam ex mortuis, hac luce æternæ vitæ velint frui, Deo debeant ſervire continenter diu noctequе, ſeſeque emendare & ad Deum convertere, facientes opera converſione digna. Eſt reverâ hæc illa ipſa doctrina, propter quam nos nunc hoc in loco ſtamus, & judicamur. Quotquot inter nos ſtamus parati ad accipiendam Cœnam Domini. Etſi enim non ſtamus in prætorio coram judice civili, ſtamus tamen coram judicio ſpirituali, ubi nos ipſos judicare & probare debemus, an hiſce tribus doctrinæ Apoſtolicæ partibus toto corde ſimus addicti. 1 Cor. 11. 28. *Qui ſe ipſum ſuper hac doctrina non judicat, antequam hunc panem edit, & hoc poculum bibit, indignè manducat, & ſibi ipſi judicium edit atque bibit.* Et eſt res in ratione fundata. Nam ſi non credis fore reſurrectionem mortuorum, & vitam æternam;

Digitized by Google

nam, quid tibi cum Cœna? Cœna enim non eſt ſacramentum & ſigillum alicujus boni temporalis. In V. T. dabantur Sacramenta bonorum temporalium. Sic Iris erat Sacramentum obſignans non fore amplius univerſale diluvium. Paſcha erat Sacramentum recordationis Egyptiaci exitus. Pentecoſte obſignabat cuſtodiam frugum uſque ad meſſem. Ieremias multis ſignis confirmabat Iudæorum tranſportationem in Babyloniam & reductionem in Judæam. Sed Sacramenta N. T. nil aliud obſignant, quam promiſſiones fœderis gratiæ de reconciliatione cum Deo per Chriſtum, deque adoptione & ejus fructibus, ſcilicet reſurrectione ex mortuis & vita æterna. Qui igitur has promiſſiones fœderis todo corde non credit, is fruſtra ad Cœnam accedit, quippe quæ nihil eſt aliud, quam ſigillum harum promiſſionum. Obſignat quidem S. Cœna, quod Deus ita ſit nobis Pater futurus, ut & temporaliter nutriat quantum opus eſt, ſed hæc obſignatio dependet ab obſignatione ſpiritualis nutritionis ad vitam æternam. Quoniam enim nos adoptavit in filios, & hæredes cœli, adjicit quoque adminicula vitæ temporalis, quæ neceſſaria ſunt ad eorum liberationem expectandam, Matth. 6. 33. Qui igitur reſurrectionem ex mortuis, & vitam æternam non credit, ei nec additamentum, ſive τὸ ἐπίμετρον vitæ temporalis obſignatur. Hæc igitur eſt ſpes promiſſionis, ſuper qua hic ſtamus & judicamur, ſcilicet fore reſurrectionem mortuorum, & quicunque Deo continenter diu noctuque ſerviunt, eos virtute reſurrectionis Chriſti, reſurrecturos ad lucem vitæ æternæ. Ut igitur ſuper hac ſpe noſmet recte judicemus, probemuſque an illa ſpes Iſraëlis, quam Sacramenta obſignant, in nobis ſit, audiamus quid Paulus de iſta ſpe loquatur. Quinque ſunt quæ in hiſce tribus verſibus explicanda veniunt.

1. Ubi Patribus V. Teſtam. data ſit hæc promiſſio, Deum reſuſcitaturum mortuos, & unde conſtat Patres habuiſſe ſpem, ſe ex mortuis reſurrecturos ad vitam æternam?

2. Cur Paulus dicat, ſuo tempore duodecim tribus Iſraëlis ſperare reſurrectionem mortuorum, cum tamen tempore Pauli decem tribus nuſquam comparerent in mundo, & dudum degeneraſſent in Ethnicos, & non niſi duæ tribus reſtarent, qui hanc ſpem Iſraëlis profiterentur, ſcilicet tribus Iudæ & Benjamin?

3. Cur Paulus non dicat, quod Iſraëlitæ reſurrectionem mortuorum credant, ſed tantùm quod eam ſperent?

4. Quid ſit Deo continenter diu noctеque ſervire?

5. Quare Agrippam ad potentiam Dei remittat, eumque interroget, an apud Judæos impoſſibile putetur Deum ſuſcitare mortuos.

De I.

Tempore N. T. tales promiſſiones eſſe datas non vocatur in dubium, ſed Patres V. T. hanc ſpem habuiſſe ſunt qui negant. Si Chriſtianis ſit probanda res, facile probatur ex N. T. Actor. 15. v. 11. Luc. 13. v. 28. & 16. 22. Hebr. 11. 10. ſed ſi Judæis ſit probanda qui Scripturam N. Teſt. non recipiunt, diffici-

Digitized by Google

difficilius probatur. Et tamen conſtat vitam æternam in V. T. fuiſſe promiſſam, creditam & datam.

1. Promiſſam. Promiſſiones fœderis cum Abrahamo factæ continent vitam & ſalutem æternam, Gen. 15. 1. & 17. 1. 7. vide hanc formulam explicatam Deut. 30. 19. Levit. 18. 5. Pſal. 33. 12. Iſai. 45. 17. Ezech. 20. v. 21. Dan. 12. 1. 2. 3. Hab. 1. 12. & confer argumentationem Chriſti, Luc. 20. verſ. 37. 38.

2. Creditam, Gen. 49. verſ. 18. Iob. 19. v. 25. 26. 27. Pſal. 16. v. 10. 11. & 17. 15.

3. Datam, Geneſ. 5. verſ. 24. 2 Reg. 2. 11.

Object. Lex, & Patres ſub Lege tantum habuerunt umbram futurorum bonorum, non autem imaginem ipſius rei, Hebr. 10. 1.

Reſpond. Paulus iſto loco non negat quod Patres V. T. ſalutem & vitam æternam acceperint, ſed tantum dicit, quòd doctrina ſalutis apud ipſos tam clara non fuerit atque apud nos. Ipſi enim de modo adipiſcendi ſalutem tantummodo habebant obſcuram Prophetiam & adumbrationem, nos verò clariſſimam hiſtoricam & picturam.

De II.

1. Non eſt dubium, quin poſt factum ſchiſma duorum regnorum plurimi ex decem tribubus habitatum conceſſerint in Judæam, ubi purus erat Dei cultus, atque ita cum Judæis ſenſim coaluerint. Vide 2 Chron. 1. 3. 13. 14. 16. & 31. 6. & ſic Judæa tum temporis jam tum fuit δωδεκάφυλον ſeu corpus ex duodecim tribubus conflatum.

2. Poſt deportationem Iſraëlitarum multi Iſraëlitæ in terra Iſraël manſerunt, & deinde poſt annos circiter 133. unâ cum Judæis in Babyloniam deportati ſunt, & cum iiſdem in Judæam vel etjam Samariam redierunt, & uſque ad Pauli tempora ibidem in poſteris ſuis habitârunt. Patet

.. Ex reformatione Joſiæ, poſt deportationem Iſraëlitarum facta, 2 Chro. 34. verſ. 6. 7. 33. & 35. 18. 2 Reg. 23. 19. 20.

.. Apud Ezram c. 2. 64. & apud Nehemiam c. 7. 66. dicitur, quod numerus reverſorum Judæorum ex Babylonia fuerit 42360. præter Proſelytos. Si verò numeros ſingulares, qui inveniuntur in Catalogis Ezræ 2. à v. 1. ad 66. & Nehem. 7. v. 6. ad 77. computes, non invenies niſi apud Eſdram 29878. apud Nehemiam 31031. Qui igitur hos numeros explerunt, ex cæteris tribubus fuerunt.

... Sic tempore Chriſti in Judæa habitabat Anna quæ erat ex tribu Aſar. Luc. 2. 36. Confer. Eſr. 2. v. 70. & 6. 16. 17. Matth. 4. v. 14. Vide hac de re Annales Uſſerii ad annum mundi 3327. & 3468.

3. Et ſicut Judæi, qui poſt ſolutam captivitatem Babylonicam in Judæam & Samariam redierunt, fuerunt δωδεκάφυλον, ſeu Corpus ex duodecim tribubus conflatum, ita ſine dubio tales fuerunt judæi qui manſerunt ἐν τῇ διασπορᾷ Jac. 1. 1. ſicut fuerunt mixti ex Iudæis, qui ex Abrahamo carnaliter nati erant, & ethnicis proſelytis, ita etiam fuerunt mixti ex 12 tribubus Iſraël. Nam multos qui ex decem tribubus deportati ſunt,

Digitized by Google

ſunt, non degeneráſſe in Ethnicos, vel ſolius Tobiæ exemplum docere nos poteſt. Tob. 1.6. & 4.13.14. Hinc etiam de ſpe Judæorum quæ etiamnum reliqua eſt, non dicitur tota Judæa ſalvabitur, ſed totus Iſraël ſalvabitur, Rom. 11.25.26. Et ut omnino conſtet, Eccleſiam N. T. eſſe verum Iſraël Dei, & unam eandemque cum veteri Iſraële Eccleſiam, etiam ipſa, quoniam ex omnibus nationibus populis & linguis conflata eſt, introducitur ut δωδεκάφυλον ſeu Corpus ex duodecim tribubus conflatum, Apoc 7.2. ad 8. Denique etiam tota Eccleſia in cœlo triumphans & triumphatura dicitur habitura formam δωδεκαφύλυ. Apoc. 21.12. ad 22. Vide hanc totam unionem Iſraëlis prædictam, & typo repræſentatam apud Ezechielem cap. 37.16. uſque ad finem.

De III.

Duplex eſt ſpes religioſa, profanam enim hic nihil moramur.

1. Quæ provenit ex charitate, cum nulla ſuppetunt in contrarium firma argumenta. Chriſtianus amor requirit ut bene de aliquo ſperem, cujus cor non novi. Sic ſperamus alios homines, quorum cor non novimus, & de quorum tamen impietate non conſtat, probos eſſe & ſalvatum iri. Sic amor, quo nos Deus amat. & quo nos Deum, facit nos bene ſperare. Deum hoc vel illud rerum temporalium nobis daturum ſperamus, etſi nullam ejus dandæ promiſſionem habemus. 1 Corinth. 13.7. 2 Corinth. 1.13. Hebr. 6.9. Eſt hæc ſpes licita & Chriſtiana, ſed poteſt fallere.

2. Quæ provenit ex fide promiſſionis. Hæc plane alia ſpes eſt, in eo conſiſtens, quod rem promiſſam, quam credimus venturam, patienter & cum deſiderio expectamus donec veniat. Invitâſti convivam, promiſit venire, credis ipſum venturum, ideoq; etiamſi tardetur, expectas patienter donec veniat. Non dubitas utrum ſit venturus, ſed exſpectas donec veniat. Sic Deus contritis omnibus dedit promiſſiones auxilii & ſalutis. Huic promiſſioni contriti credunt, & per hanc fidem ſciunt venturum auxilium & ſalutem, nec emanſurum. Obſignant enim per fidem quod Deus verax ſit & mentiri non poſſit. Ideóque etiamſi tardetur, patienter expectant donec veniat. Hæc eſt ſpes illa quæ non fallit, nec pudefacit. Rom. 5.5. Talis fuit ſpes Iſraëlitarum in V. T. Vide Iob. 19.25.26.27. Pſalm. 22.6. Habac. 21.3. Pſalm. 33. v. 10. talis quoque debet eſſe ſpes noſtra aliorum corda non novimus, & tamen propter charitatem bene de ipſorum ſalute ſperamus, ſed nos ipſos poſſumus probare, & noſſe quod in fide ſimus. Ideoque noſtræ ſalutis certi eſſe poſſumus, & eam exſpectare exerto collo.

De IV.

Quomodo poſſumus continenter diu noctuque Deo ſervire? Utique aliud quid etiam agendum, edendum, bibendum, dormiendum, quieſcendum, curandum corpus, curanda familia & vocatio, præſtanda officia proximo, quomodo igitur ſemper poſſumus Deo ſervire?

Reſp. 1. Ἐν ἐκτενείᾳ hic non temporis

durationem, ſed ardoris intentionem notat, zelum & fervorem in cultu Dei, idem ἐκτενέστερον, Luc. 22. 44. Totum δωδεκάφυλον ſerviebat Deo, ſed pauci erant quibus cultus Dei cordi erat, ut ſeriò & intentè Deum colerent, & magno deſiderio regnum Dei expectarent. Pleriq; expectabant regnum terrenũ & bona mundi. Pauci admodum ex vero deſiderio cœleſtis ſalutis Deo ſerviebant. Hos non laudat hoc loco Apoſtolus, ſed illos tantùm, qui erant ſimiles Simeoni & Annæ. Luc. 2. 25. 37. 38.

2. Poſſumus etiam Deo ſervire tum, cum in operibus charitatis & vocationis & recreationis occupati ſumus. Vide 1 Corinth. 10. v. 31. Coloſſ. 3. v. 17. Cum in omnibus actionibus ſtudemus eſſe moderati, & ſanctè intendimus per illas Deum honorare, & proximo prodeſſe, ſervimus Deo.

3. Commendatur conſtantia in cultu, ut de ſingulis diebus & noctibus aliquid conſecremus divino cultui, & ut ita vivamus, ut nunquam corda noſtra ſint gravata crapulis & curis, ſed ut ſemper ſimus apti ad precandum, cum occaſio poſtulat.

De V. [illegible]

Paulus in hoc primo argumento tria argumenta connectit quibus Agrippam, hominem Judæum, conſtringit. 1. Eſt res promiſſa; ſpes promiſſionis Patribus facta à Deo. 2. Eſt ſpes communis omnium Iſraëlitarum. Præcedit teſtimonium verbi, tum ſequitur teſtimonium Eccleſiæ. 3. Eſt res Deo Iſraëlis non impoſſibilis q. d. Philoſophos Gentiles contra reſurrectionem ex mortuis diſputare tanquam rem impoſſibilem, mirum non eſt, non enim nôrunt potentiam Dei: ſed vos Iſraëlitæ, qui creditis Deum veſtrum eſſe omnipotentem, qui ſcitis Deum totum mundum ſpatio ſex dierum ex nihilo condidiſſe, an apud vos quoque æſtimatur res incredibilis, Deum excitaturum mortuos? Sic ſemper fides in promiſſiones Dei roboranda eſt per conſiderationem omnipotentiæ Dei, ſæpe fides in promiſſiones patitur deliquium ex difficultatibus rei promiſſæ. Sed ſi credentes promiſſionibus conſideramus omnipotentiam Dei, quâ Deus potens eſt facere etiam ultra quàm nos intelligimus, hoc efficaciter roborat fidem noſtram. Vult facere ut benignus Pater, & poteſt facere ut omnipotens Deus.

Et hæc eſt ſpes Iſraëlis, quæ in Cœna Domini nobis obſignabitur. Hoc enim S. Cœna nobis obſignat quòd Chriſtus pro peccatis noſtris quidem mortuus ſit, ſed ex mortuis reſurrexerit, & virtute ſuæ reſurrectionis nos reſuſcitaturus ſit ex morte ſpirituali & corporali, & tanquam fidelis & reconciliatus pater nos nutriturus & defenſurus, donec nos transferat in hæreditatem vitæ æternæ. Quod ſi nos Iſraëlitæ ſumus, hæc quoque debet eſſe noſtra ſpes, ad quam venire laboremus, Deo ſervientes intentè diu noctuque, Eph. 6. 16. 18. Coloſſ. 1. 5. Tit. 2. 13. Hebr. 6. 18. Judicate voſmet ſuper hac ſpe, antequam ad Cœnam accedatis. O quàm pauci ſunt qui hanc ſpem Iſraëlis expectant. Plerique Chriſtiani ſunt ſicut corrupti Iſraëlitæ erant tempore Chriſti & Apoſtolorum, qui expectabant

Digitized by Google

bant Meſſiam, qui Romanos ſit expulſurus & Regnum terreſtre inter Iſraëlitas erecturus, ut viverent in perpetua abundantia rerũ temporalium, & cum hac ſpe fruſtrantur, exclamant cum infirmis diſcipulis, ut eſt Luc. 24. 21. Patet hoc in nobis omnibus hoc tempore, quo exſpectamus nos brevi triumphaturos de noſtris hoſtibus, ſed ubi res non ſuccedet ex voto, adeò erimus dejecti, ac ſi omnis ſpes decollâſſet. Quid? An hæc eſt ſpes Iſraëlis quam ſacramenta Iſraëlis nobis obſignant, fore ut in eodem ſemper flore, honore, abundantia vivamus in hac terra atque viximus hactenus. Nec patiamur damnum aut opprobrium ab hoſtibus? Nonne mirandum, tot homines hodie imbutos eſſe inani iſta ſpe, fore propediem, ut veniant mille anni, quibus Chriſtiani ab Anti-Chriſti violentia liberati, in perpetua pace & abundantia ſint victuri! Deum Ante-Chriſtum ſpiritu oris ſui tandem annihilaturum eſſe ex Scriptura conſtat, ſed ideo ex terris remotum iri calamitates & perſequutiones, inanis ſpes & exſpectatio eſt. Sit nobis quæſo commendata vera ſpes Iſraëlis, ſcilicet reconciliatio cum Deo, adoptio, & inde emanans paterna Dei cura dum vivimus, conſolatio in morte, reſuſcitatio ex morte, & vita æterna. Hæc ſpes non pudefaciet, cum in temporalibus ſecus fit ac ſperabamus, ad hanc ſpem recurramus, quæ in S. Cœna nunc nobis obſignatur, demuſque operam, ut Deo continenter & ſeriò diu noctéque ſervientes ad hanc ſpem veniamus, & hæc nos ſuſtentabit in omni adverſitate. Accedamus itaque ad Cœnam, & videamus quantam charitatem nobis exhibuerit Pater, dum hoc nutrimento declarat, nos ſibi filios eſſe. 1 Iohan. 3. v. 1. 2. 3. Pro hac ſpe gratias agamus ut 1 Petr. 1. 3. 4.

Actor. 26. *v.* 9. 10.

CONC. CCLXVII.

SEquitur ſecundum argumentum, quo Paulus demonſtrat ſe propter doctrinam de reſurrectione mortuorum per Chriſtum non debere accuſari. Videl. quia in Phariſaiſmo ab hac doctrina averſus per cœleſtem ipſius Chriſti apparitionem ad iſtam doctrinam prædicandam vocatus ſit. q.d. Si doctrinam de Chriſto & ejus beneficiis meo cerebro finxiſſem, & proprii fœtus amore impulſus mea ſponte currerem ad hanc doctrinam prædicandam, mirum non foret, Judæos ſe mihi opponere. Verùm caro & ſanguis hanc doctrinã mihi non revelavit, ſed potius quamdiu ſecundum carnem & ſanguinem vixi, à Chriſto & ejus doctrina ita averſus fui, ut in conſcientia me obligatum putarem ad exercendam omnem hoſtilitatem contra Chriſtum, nec quiſquam hominum aut diſcipulorum Chriſti humanâ eloquentia rationalibuſq; argumentis animũ meum mutavit, ſed mutatus ſum & ad Chriſtum recipiendum & prædicandũ inductus per miraculoſam ipſius Chriſti apparitionem & alloquutionem ex cœlo. Ergò meæ doctrinæ de reſurrectione mortuorum per Chriſtum non debebam accuſari. Cœleſtibus enim apparitionibus

Digitized by Google

non licuit mihi reſiſtere. Tria igitur in hoc argumento veniunt conſideranda:

1. Averſio quam Paulus habuit à Chriſto, & hoſtilitas quam contra Chriſtum exercuit ante converſionem, v. 9. 10. 11.

2. Cœleſtis apparitio & alloquutio Chriſti, per quam converſus & animo mutatus eſt. verſ. 12. ad 19.

3. Concluſio argumenti, per quam infert, ſe non ſua ſponte, ſed ex obedientia cœleſtis viſionis Chriſtum prædicare, & propter illam prædicationem accuſari non debere. v. 19. 20.

Hoſtilitas Pauli contra Chriſtum fuit duplex:

1. Interna in mente & conſcientia, v. 9. Putabam certè, &c.

2. Externa in operibus, v. 10. 11.

De I.

Putabam me oportere adverſarium eſſe Chriſto. q. d. Fui antehàc adverſarius ejus Chriſti, quem nunc prædico, & quidem non ex cæca quadam malitia, aut mera violentia affectuum me Chriſto oppoſui, ſed ex opinione conſcientiæ, quâ me obligatum putabam ad odium Chriſti. Paulus non erat ſicut illi Phariſæi, qui contra claram illuminationem Spiritus S. ex mera malitia & mero Diabolico odio Chriſtum proſequebantur. Matth. 12. v. 31. 32. Si enim talis fuiſſet, converti non potuiſſet, nec remiſſionem accipere. Vide 1 Timoth. 1. 15. Defuit Paulo tanta Chriſti cognitio, quantum habebant alii Phariſæi. Johan. 3. 2. Neque tamen Paulus talis fuit, ut ſine conſcientia ageret quicquid egit, in perſecutione Chriſti. Non fuit ſicut populus, qui ex mera ignorantia & inſtigatione Doctorum clamabat. *Crucifige, crucifige.* Huic enim clamori parum conſcientiæ inerat. Sed Paulus erat homo religioſus, qui ex conſcientia faciebat quicquid faciebat, verùm ex conſcientia errante, quæ imbuta erat perverſâ opinione, quâ Pauli conſcientia decepta judicabat pravũ judicium, & Paulum ſtimulabat ad odium ejus quem debebat amare. Cum enim quis errore imbutus putat quod malum ſit bonum, & quod Chriſtum perſequi ſit Deo gratum cultum præſtare, tum conſcientia ſtimulat & quaſi cogit hominem ad faciendum malum. Conſcientia erroris vacua non niſi ad bonum obligat & ſtimulat. Eſt enim ideò in animo poſita, ut ſit retinaculum refrænans à malo, Pſal. 16. 7. Sed cum error in conſcientia eſt, per quem perſuadetur quòd malum ſit bonum & bonum malum, tum ipſa conſcientia hominem ſtimulat & impellit ad faciendum malum. Sicut Pictor ita pingit, ut res eſt in ſuo oculo, ſed non ſemper uti eſt in ſe ipſa: ita homo religioſus ita agit, quemadmodum res agenda eſt in ſua conſcientia. Pictor, niſi volens decipiat, ſemper ita pingit, ut res eſt in ejus oculo, ſed non ſemper uti eſt in ſe ipſa. Cum enim oculus Pictoris vitiatur, ſive ab interno aliquo principio, ſive ab externa repræſentatione rei pingendæ, tum Pictor pingit ſicut res pingenda eſt in ſuo oculo, ſed aliter pingit quàm eſt in ſe ipſa. Sic homo religioſus ſemper agit ex conſcientia, & ſecundum conſcientiam, ſed cum conſcientia imbuitur errore

Digitized by Google

circa rem agendam, ſive ille error veniat ex interna indiſpoſitione ipſius conſcientiæ, ſive ex externa repræſentatione rei agendæ, tum conſcientia ſtimulat ad aliter agendum quam decet. Ut res iſta nonnihil fiat clarior, ſciendum eſt quòd tripliciter homo poſſit agere quicquid agit, ſcilicet ſine conſcientia, ſecundum conſcientiam ſeu ex conſcientia, & contra conſcientiam. Particularius ſic rem accipe:

I. Homo ſine conſcientia poteſt agere quod bonum eſt, & quod malum eſt:

. Quod bonum, e. g. infantes & alii inconſiderate agentes, cum precantur, eleemoſynas dant, templum frequentant, faciunt quod bonum eſt, ſed nec ex conſcientia, nec contra conſcientiam, ſed ſine conſcientia, ſeu ſine ſtimulatione conſcientiæ, vel ex conſuetudine, vel ex inductione & perſuaſione parentum. Hi faciunt quod bonum eſt, ſed non faciunt benè, adeoque non faciunt bonum opus. Bonum opus enim proficiſcitur ex ſtimulatione conſcientiæ. Huc pertinent qui malum intendere facientes, per accidens bonum faciunt. e. g. Gen. 50. v. 20. Huc pertinent omnes illi hypocritæ, qui ſe pios ſimulant ſine intentione pietatis. Hi omnes agunt ſine conſcientia.

.. Quod malum eſt. e. g. Loth concumbens cum ſuis filiabus, nec ex conſcientia nec contra conſcientiam hoc fecit, ſed ſine conſcientia. Gen. 19. Conſcientia enim erat ſepulta, & ſopita, ut renes ejus ipſum non caſtigarent. Sic cum populus Epheſinus, concitatus à Demetrio concurreret contra Paulum, nec ex conſcientia nec contra conſcientiam hæc faciebat, ſed ſine conſcientia, ex meris paſſionibus affectuum & libidinum, qui conſcientiam excuſſerant ſicut equi aurigam excutiunt. Actor. 19. 32. Huc pertinent omnes inconſiderate agentes, & conſcientiam non conſulentes in ſuis actionibus. Malum quod hic agitur, non eſt quidem tam malum, atque id quod agitur contra conſcientiam, ſed tamen malum eſt, & à merito pœnæ non immune. Homo enim tenetur non inconſiderate agere ſed ſecundum conſcientiam, conſcientia debet eſſe prima rota omnium motuum.

II. Homo ex conſcientia & ſecundum conſcientiam poteſt agere quod bonum eſt & quod malum.

. Quod bonum. Qui quod bonum, ſaltem quod licitum eſt, agit ex ſtimulatione, ſaltē ex permiſſione conſcientiæ, ille & bonum agit, & bene agit, & laudem habet ac promiſſionem premii, ſic tamen, ut non tantùm agat ex terrore conſcientiæ, ſed etiam ex impulſu conſcientiæ. e. g. Ethnici ſunt obedientes Magiſtratui ſuo, non faciunt ex conſcientia ſed ex metu. Hi bonum faciunt, ſed laudem non habent, agunt ex conſcientia quod bonum eſt, ſed ex ſolo terrore conſcientiæ, quia conſcii ſibi ſunt, quòd non obedientes non ſervientes pœnam ſint laturi. Qui verò hoc faciunt propter conſcientiam, i. e. ſtimulati per obligationem conſcientiæ tanquam ad rem æquam juſtam & piam ac divinitus mandatam, horum laus ex Deo eſt. Rom. 13. 3.

Digitized by Google

.. Quod malum eſt. Sic Paulus ex conſcientia perſequutus eſt Chriſtum. Errans enim ejus conſcientia ipſi dictabat, quod Moſaicæ Legis præcepta & ceremoniæ eſſent æternæ, & ad juſtificationem hominis coram Deo neceſſariæ, adeoque faciebat Paulum concludere, quòd Chriſtus, abrogans ceremonias legis, eſſet hoſtis Dei, perſequutione dignus & reſiſtentiâ. Hìc jam quæritur utrum Paulus rectè fecerit, quod hoc dictamen & hanc concluſionem ac ſtimulationem ſuæ conſcientiæ ſequutis ſit, an verò peccaverit? *Reſp.* Et rectè fecit & peccavit.

1. Rectè fecit, quantum ad modum agendi. Fecit enim quod fecit bono animo, & ſtimulo conſcientiæ, quem ſi non eſſet ſequutus, ipſius Dei contemptor fuiſſet. Conſcientia enim eſt tribunal Dei in homine erectum. Sicut Scriptura eſt regula conſcientiæ, quam tenetur ſequi, ita conſcientiæ dictamen & ſtimulato eſt regula voluntatis, quam tenetur ſequi. Contra conſcientiam nec malum faciendum nec bonum. *Cor meum dicit de te, faciem meam quæras.* Pſalm. 27. 8. q. d. Mandatum tuum ſentio in corde & conſcientia mea. Si cor & conſcientia noſtra nos condemnat, & actionibus noſtris contradicit, non habemus parrheſiam apud Deum. 1 Iohan. 3. 21. id eſt, non poſſumus ſine periculo pereundi conſiſtere coram Deo. Hactenus itaque Paulus non peccavit, ſed officium honeſti hominis fecit, cum Chriſtum perſequutus eſt, & ſi non eſſet perſequutus contra conſcientiam ſuam peccaſſet, & contempſiſſet Deum conſcientiæ auctorem. 2. Sed & malè fecit, imò peſſimè quantum ad materiam. Bona enim fide & bono animo fecit peſſimum opus, dum conſcientiam ſuam paſſus eſt aberrare à regula quæ ipſi à Deo præſtituta erat. *Cum cor noſtrum nos condemnat vel ſtimulat, Deus eſt major noſtro corde.* 1 Iohan. 3. 20. & conſcientiæ noſtræ præſtituit regulam verbi ſui, cum mandato, dictamen noſtræ conſcientiæ examinandi ad regulam iſtam, antequam illud ſequamur. Secundum Legem & teſtimonium, *ſi ſecundum hoc non dixerint, auroram non videbunt,* Eſai. 8. 20. Hic igitur vitium Pauli, non quod dictamen conſcientiæ ſuæ ſequutus eſt, ſed quod dictamen conſcientiæ Scripturæ non ſubjecit, ſed traditionibus Patrum mancipavit. Hoc idem peccatum multorum inter Papiſtas, quod conſcientias ſuas non Scripturæ, ſed ſedi Romanæ mancipantes, putant ſe Deo rem gratam facere, cum faciunt quod Dei voluntati, in Scripturis revelatæ, directè contrarium eſt. Iohan. 16. 2. Idem peccatum eorum qui conſcientiam non ſubjiciunt dictamini Scripturæ, niſi quatenus illud convenit cum rationis naturalis maximis & Philoſophorum placitis. Poteſt fieri ut hi homines ex conſcientia faciant mala, quæ contra Eccleſiam & veritatem faciunt, ſed talis conſcientiæ obedientia eos non liberat à pœna quam Deus minatus eſt contra inobedientiam Evangelii revelati, 2 Theſſ. 1. 8. Conſcientia errans eſt caput illius veteris hominis, quem debemus deponere. Eph. 4. 22. Conſcientia errans poteſt nobis imperare

malum

Digitized by Google

malum & nos ſtimulare ad faciendum malum, ſed non poteſt nos obligare ad faciendum malum. Conſcientia enim non obligat niſi ſecundum Legem, non contra Legem. Tenemur quidem erranti conſcientiæ obedire, ſed ſimul tenemur dictamen conſcientia ad Scripturam probare. Si hæc duo ſeparamus, peccamus ſi obediamus conſcientiæ, & ſi non obediamus. Si obedimus peccamus, contra Scripturam, ſi non obedimus, tum ex vitio conſcientiæ peccamus contra ipſam conſcientiam Dei vicariam. *Object.* Si ex conſcientia facio quod malum eſt, an eſt damnabile peccatum? e. g. Jacob ex conſcientia concubuit cum Lea, quam putabat ſuam eſſe Rachelem, Gen. 29. 23. Opus quod fecit, fuit opus malum. Concubuit enim cum fœmina non ſua, fecit tamen bono animo, quia conſcientia putabat ſuam eſſe. An hoc peccatum adeò damnabile? Et ſi hoc non eſt, annon eadem eſt ratio eorùm, qui in rebus religionis decepti & erroribus imbuti, Euangelicæ veritati reſiſtunt. Multi ex his quoque Scripturam legunt. Non favet illis fortuna, ut ſenſum Scripturæ tam bene percipiant ac alii, an non hoc excuſat, quod bono animo faciunt quicquid faciunt?

Reſp. 1. Errores conſcientiæ ſunt duplices, vitabiles & inevitabiles. Jacobi error fuit inevitabilis. Nemo enim ipſi datus, qui errorem & deceptionem indicaret, niſi aurora poſt factum, ideoque in iſto facto parum peccati. Sed quòd ad errores in negotio religionis, illi ſunt evitabiles, quia nobis data eſt Scriptura, quæ errores noſtros detegere poteſt inſtar ſpeculi modò inſpiciatur. Qui igitur errat ex neglectu vel contemptu Scripturæ, is non errat ſine damnabili peccato. 2. Præſertim ſi erret in fundamentalibus articulis Legis & Euangelii. Hi enim tam clarè in verbo ſunt revelati, & ex parte etiam in ipſo rationis naturalis dictamine fundati, ut nemo niſi volens in iis errare poſſit. Non igitur inter parva peccata habendi errores, & pravæ opiniones in religione. Tales enim errores non veniunt ex impotentia ſciendi, ſed ex voluntaria negligentia diſcendi, & ex pertinaci venditione conſcientiæ ſub autoritatem hominum.

III. Homo contra conſcientiam poteſt bonum facere & malum.

. Bonum. e. g. Papiſta verus communicans cum Reformatis in auditu verbi & precibus, agit quod bonum eſt, ſed agit contra conſcientiam. Vitiata enim ejus conſcientia ipſi dictat, quod preces & totus noſter cultus ſit hæreticus & damnabilis, cui non liceat intereſſe: Huc pertinet quod facimus cum ſcrupulo conſcientiæ, verentes ne non ſit rectum quod facimus. Sæpe facimus quæ ſunt licita, & tamen verentes ne ſint illicita, non facimus ſine ſcrupulo & angore conſcientiæ. e. g. Aliquis corde contritus accedit ad Cœnam Domini ſed tamen quia non ſatis clarum ſenſum in conſcientia habet, quòd ſit vere regenitus, mordet ipſum conſcientia & veretur ne indignè manducet. Vide de hoc, Rom. 14. 22. 23. Beatus qui ſe ipſum non judicat in

Digitized by Google

eo quod facit: Quicquid facimus cum tremula conſcientia, verentes ne ſit malum, non fit ex fide, adeoque peccatum eſt. Danda igitur opera, ut quicquid facimus, ex verbo Dei ſciamus & certioremur quod ſit licitum. Hìc tamen obſervandum, ſcrupulis conſcientiæ non nimium eſſe indulgendum, ſed potiùs violenter reſiſtendum, cum nihil ſunt aliud quam formido temeraria ſine fundamento, contraria communi judico eorum qui in Scriptura exercitatos habent ſenſus, præſertim contraria publicis SS. Miniſterii determinationibus.

.. Malum. Cum bonum agis contra conſcientiam, malum eſt, ſed cum quod malum eſt contra conſcientiam facis, duplex malum facis. Facis enim contra regulam quam tibi Deus præfixit, & ſimul rebellas contra judicem quem Deus tibi præfecit in proprio ſinu, & calcitras contra ſtimulum conſcientiæ. Præſertim grave eſt peccatum, cum malum, quod facis, non tantùm ſcis malum eſſe, per naturale conſcientiæ lumen ſed etiam per ſingularem convictionem Spiritus S. Hoc enim non tantùm eſt contra conſcientiam peccare, *ſed etiam Spiritui S. reſiſtere.* Actor. 7. 5. Cujus reſiſtentiæ una & peſſima ſpecies eſt illud peccatum quod Scriptura vocat *Peccatum in Spiritum S. vel peccatum ad mortem.* Matth. 12. 1 Iohan. 5. 16.

Ex his, quæ diximus, clarum eſt quod non ſufficiat ad hominem faciendum pium, ſi quicquid facit ex conſcientia & ex ſtimulatione conſcientiæ faciat, ſed ut etiam conſcientiam habeat ex verbo Dei bene informatam, ne vel perverſa conſcientiæ ſtimulatione impellatur ad faciendum quod malum eſt, vel injuſtis conſcientiæ ſcrupulis bonum ſuum maculet. Neceſſarium itaque omnibus Chriſtianis ſedulo anniti, ut vitantes pernicioſos errores falſaſque opiniones, in rebus ad conſcientiam pertinentibus, conſcientiam habeant in agnitione veritatis ſtabilitā & firmatam. *Obj.* Atenim hoc difficile eſt obtinere. Res diſcendæ multæ ſunt, intellectus noſter tenuis, & ad errandum pronus. *Quis intelligat errores & à veritate diſcernat?* Pſal. 19. 13. *Reſp.* Perfectam conſcientiæ illuminationem, per quam omnium errorum expers ſit, in hac vita non dari ex dicto, Pſal. 19. 13. rectè concluditur. Interim & hoc verum, quod Deus media ordinaverit, per quæ obtineri poteſt illuminatio conſcientiæ ad ſalutem ſufficiens. Deuter. 30. v. 11. 12. 13. 14. Quæ illa media?

Reſp. 1. Agnoſce Scripturam ſacram pro lucerna quæ te poſſit reddere ſapientem ad ſalutem. Ne conſcientiam tuam mancipes traditionibus hominum cum Papiſtis, vel humanæ rationis placitis cum aliis, ſed ſoli Scripturæ te ſubjicias. *Si hoc non feceris, auroram non videbis,* Eſa. 8. Qui hoc unum dogma non tenet, quod ſola Scriptura ſit perfecta regula ſalutis, is omnibus erroribus expoſitus eſt.

2. Non tantùm lege & ſcrutare Scripturam, ſed etiam in ſcrutatione Scripturæ utere diligenter manuductione SS. Miniſterii, & conſiliis ſapientum. Ne ſis ſicut Mennonitæ & fanatici, qui ſpreto SS. Miniſterii auxilio

Digitized by Google

lio ſibi ipſis nimis confidunt, & audaces ſunt in interpretandis Scripturis, & movendis ſcrupulis, & ſerendis opinionibus ſine auctoritate vocationis. Non fruſtra Deus Eccleſiæ juxta Scripturam Scripturæ interpretes addidit doctores & Paſtores. Eph. 4. 11. Actor. 8. 31.

3. Agnoſce & cum humiliatione cordis confitere coram Deo tegmen illud cæcitatis, & impotentiam videndi ſine illuminatione Spiritus S. eamque illuminationem diligenter implora cum ſerio appetitu cœleſtis ſapientiæ & illuminationis. Vide Ioh. 9. 39.

4. Cave ne reſiſtas Spiritui S. per malitioſa peccata, ſed Deo oſtende ſeriam in te eſſe voluntatem faciendi voluntatem ejus, ſi modo cognoveris, quæ ſit accepta voluntas Domini. Si ſic facis, promiſſa tibi eſt agnitio veritatis ad ſalutem ſufficiens. Pſal. 25. 9. Joh. 7. 17. Joh. 16. 13.

Obj. 2. At hæc facere naturâ non poſſumus, & quibus contingit talia facere, iis fortuitò contingit, & quibus non contingit, illos nil juvat quærere & currere. Non enim eſt currentis nec quærentis, ſed miſerantis Dei, qui dat cui vult & ſpirat ubi vult. Inutile igitur eſt hæc media præſcribere.

Reſp. 1. Non fortuitò contingit quibus contingit talia poſſe & facere, ſed quibus contingit, iis contingit per gratuitam & liberam Dei donationem, qui dat has primitias ſpiritus cui vult, & ſub adminiſtratione Euangelii omnibus offert, nec ulli negat, niſi qui per malitioſam repudiationem Euangelii, & abuſum donorum Dei, ſe ipſos vita æterna indignos declarant. Quibus igitur contingit ſapientem fieri ad ſalutem illi habent pro quo Deo gratias agant, quibus non contingit, habent quod ſuæ malitiæ imputent. Quod attinet ad eos, qui externè per Euangelium non vocantur, de iis judicia Dei non ſcrutamur.

2. Qui per gratuitam Dei donationem primitias ſpiritus acceperunt, iis non fruſtra præſcribuntur ſuperiora media accipiendi incrementum illuminationis. Nam illi & uti iſtis mediis per gratiam Dei ſpiritus poſſunt, & cum utuntur non fruſtra utuntur, ſed habent promiſſionem incrementi & etiam perſeverantiæ. 2 Petr. 1. 10. 11. Primitias ſpiritûs dat Deus quibus vult, & hæ non ſunt quærentis neque currentis, ſed miſerantis: verum incrementum & perſeverantia non datur niſi quærentibus & currentibus.

Actor. 26. v. 10. 11.

CONC. CCLXVIII.

A*Rbor bona non fert fructus malos, nec mala bonos*, Matth. 7. 18. Sic bona conſcientia non fert fructus malos, nec mala bonos, *ſed ex abundantia cordis & os loquitur & manus operatur.* Matth. 12. 34. 35. *Obj.* Atqui David erat vir bonæ conſcientiæ & boni cordis Pſal. 131. 1. 2. Pſal. 139. 23. & 26. 2. & tamen ex Davidis corde provenere adulterium & homicidium. Hiſkias habebat conſcientiam bonam, Iſai. 38. 3. & tamen ex bono ejus corde malum prodiit.

Digitized by Google

2 Chron. 32. 25. *Reſpond.* Peccata Davidis & Hiskiæ non prodierunt ex corde & conſcientia Davidis, quæ bona erat, ſed ex carne & ſanguine, ſeu ex peccato, quod poſt regenerationem in bono eorum corde reliquum erat, in tantum, ut cum Paulo poſſunt dicere quod eſt Rom. 7. 20. 21. 22. ſicut ex puro & lympido puteo, poſſunt prodire maligni vapores, qui tamen non prodeunt ex aqua putei, ſed ex reliquiis luti quæ ſunt in fonte purgato, ita ex bona conſcientia, per Chriſti verbum & ſpiritum purgata, prodeunt peccata, ſed non prodeunt ex ipſa bona conſcientia, ſed ex reliquiis carnis, quæ etiam in bona conſcientia reliquæ ſunt. Purgationem enim conſcientiæ novimus in hac vita non eſſe perfectam. Verum ex conſcientia & corde malo, nec per Chriſti verbum & ſpiritum purgato, ita proveniunt fructus mali & opera mala, ut nulla poſſint provenire bona, & malum quod operantur ſæpe operentur ex ipſius conſcientiæ, malæ informatæ, ſeductione & impulſu. Patet hoc ex Paulo, qui intus habens conſcientiam errantem, & malè informatam, per quam putabat, quod Chriſtum perſequi non tantum licitum, ſed & neceſſarium eſſet, impulſu iſtius conſcientiæ omni genere hoſtilium operum Chriſto & Eccleſiæ & verbo ejus ſeſe ſtrenuum adverſarium exhibuit. Superiori concione ex v. 9. diſſeruimus de ipſa mala & errante Pauli conſcientia, explicuimuſque quibus modis & mediis noxii errores conſcientiæ poſſint curari vel præveniri. Nunc hiſce verſibus proponuntur externa mala opera, quæ Paulus impulſu errantis conſcientiæ contra Chriſtum patravit. Hæc deſcribuntur

1. Generaliter: quod & feci Hieroſolymis. Sicut putavi me oportere facere multa adverſa, ita & feci.

2. Specialiter: quænam fuerint illa Ieſu adverſa quæ fecit. ſcil.

. Quod auctoritate à Pontificibus accepta ſanctorum multos carceribus incluſerit.

.. Quod condemnationi eorum conſenſerit.

... Quod eos per omnes ſynagogas ſæpe puniverit, & ad blaſphemandum coëgerit.

.... Quod extremo furore, uſque ad exteras civitates eos perſequutus ſit.

I. *Sicut mihi putavi faciendum, ita feci.* Hìc apparet, quod pravæ opiniones, & malè informata conſcientia non poſſit non producere vitam malam, & impiam, & quod proinde nihil magis neceſſarium ſit, quam recta informatio conſcientiæ per ſanam doctrinam, ex verbo Dei. Conſcientia enim ignara veritatis, & hæreticis opinionibus repleta, hominem facit inimicum Chriſti, ut multa faciat Chriſto adverſa. Honeſta & virtuoſa vita poteſt eſſe, ubi eſt ignorantia veritatis, & opinio hæretica, ſed ipſa illa honeſtas ſit inimicitia Chriſti, & impedit ſalutem. Hæreticæ enim opiniones *ſunt ſapientia carnis, & hæc inimicitia Chriſti*, Rom. 8. 7. ſed hæc fuit materia concionis ſuperioris.

II. Cum Pontifices fateantur, ſibi jus necis ademptum eſſe à Romanis Joh. 18. 3. quî ſit quod Paulus poteſtatem

Digitized by Google

ſtatem capiendi & necandi accepit à Pontificibus ? *Reſpond.* 1. Sunt qui putant Judæos non abſolutè negare, ſibi fas eſſe quemquam occidere, ſed tantum die Paraſceves, ne fierent impuri & inepti ad veſcendum Paſchate. 2. Si Romani ipſis ademerunt jus quenquam occidendi, reliquerunt tamen poteſtatem capiendi, & minora ſupplicia infligendi. Actor. 5. v. 40. 3. Cum in ſynedrio ſuo Chriſtianos condemnarent ad mortem, ſententiam ſuam exſequuti ſunt ſine auctoritate per tumultum, fruſtra reclamantibus, aut etiam conniventibus Romanis Præſidibus, ut patet in Stephano, Actor. 5. 57. 58. Hoc enim Chriſtus præ martyribus Judaicis peculiare habere voluiſſe videtur, quòd ipſe per ſententiam politici Judicis condemnatus teſtificari nobis voluit, ſe divinitus condemnatum mortem maledictam pro nobis oppetere. Qui verò propter nomen Chriſti occiſi ſunt Hieroſolymis, ſine ſententia politici Judicis, mortem obierunt legitimæ condemnationis expertem. Animadverſione hìc dignum, quod fideles, etſi adhuc peccantes, vocantur ſancti. Verum hoc alibi explicatum. Dignum quoque conſideratione, quod prima ſanctorum paſſio, ſit eorum concluſio in carcerem. Libertas enim, quâ Chriſtus ſanctos ſuos verè liberavit, non impedit incarcerationem corporalem, ſed nec corporalis captivitas libertatem eorum ſpiritualem. Multi vivunt in plena libertate corporis, cingunt ſeipſos, & eunt quò volunt, & tamen ſunt capti & vincti laqueo Satanæ, carentque vera libertate corporis & animæ. Sed è contrario multi vinculis constricti conjiciuntur in carcerem, qui tamen in medio carcere tam liberi ſunt & ingravati, ac erant tres ſocii Danielis in ignito fornace. Dan. 3. 24. 25. *Vinctos injecimus, liberos video ambulantes.*

III. Quæritur quid intelligat Paulus, cum dicit: *Ipſis mortem appetentibus tuli calculum* ? *Reſpond.* 1. Paulum inter Judices ſediſſe, & ſuffragium tuliſſe non eſt abſurdum. Etſi enim ex Actor. 9. 1. (conſidera vocem, ἐπιτροπὴ quæ commiſſionem & procurationem ſignificat, Actor. 26. 12.) patet, quòd fuerit inſtar Prætoris qui Chriſtianos caperet, & judicibus ſiſteret judicandos, tamen in judicio Scabinorum poſtulatio Prætoris facilè tuetur nomen ſuffragii. 2. Sed præcipuè deſcribitur his verbis Sauli applauſus, quo beneplacitum ſuum in morte fidelium teſtatus eſt, de quo beneplacito late diximus Actor. 5. 1. & 22. 20. Cum quis malefactor judicis auctoritate morte plectitur, non mirum eſt, eos huic morti applaudere, qui privato aliquo occiſi odio laborant.

IV. Judæorum ſynagogæ erant domus deſtinatæ ad auditum verbi & precès publicas per ſingulas civitates, non autem ad offerenda ſacrificia, quippe quæ in ſolo templo offerebantur. In his ſynagogis etiam exercebatur diſciplina Eccleſiaſtica, & fiebant flagellationes eorum, qui ſe non recte gerebant ex ſententia Præfectorum, in rebus ad religionem pertinentibus & ad bonos mores. Vide Matth. 10. 17. & 23. 34.

Digitized by Google

ter beſtias viveret, Dan. 4. per quem morbum Deus ſinè dubio multorum morboſorum ſalutem extrà periculum ponit, claudens eorum intellectum, ne petulanti ejus abuſu ſalutem perdant. Vide talium deſcriptionem Prov. 26. 16.

2. Quæ oritur ex appetitu fruſtrato & in iram converſo. Cum homines adipiſci non poſſunt, quòd enixè cupiunt, iraſcuntur, & præ ira inſaniunt. *Ira furor brevis eſt*, ſed & furor diuturnus, cum in odium degenerat. Vide exemplum furentis iræ in Nebucadnezare, Dan. 3. 19. & furentis odii in Saulo, 1 Sam. 19. 1. &c.

3. Quæ oritur ex ſpiritu Prophetico. Prophetæ vocabantur inſani, 2 Reg. 9. 11. quia cum Spiritus Domini ſuper ipſos incideret in ecſtaſin incidentes geſtus excercebant inſanientibus ſimiles, quod & imitabantur qui malo ſpiritu agebantur, 1 Sam. 18. 10. 1 Reg. 18. 29.

4. Quæ oritur ex zelo religioſo, ſed perverſo. Cum enim homines errante conſcientiâ zelantur pro eo quod malum eſt, zelus ille exardeſcit in iracundiam & furorem contra eos, *qui zelantur pro eo quod bonum eſt*. Pſalm. 102. verſ. 9. Huc pertinet idolomania gentilis & Papiſtica, Jerem. 50. 38. Hùc pertinet inſania hæreticorum, qui ſana verba veritatis Euangelicæ deſerentes, circa quæſtiones inutiles inſaniunt, 1 Timoth. 6. v. 3. 4. Horum hominum proprietas eſt ruptis legibus juſtitiæ & charitatis, inſtar furentium beſtiarum diſſentientes ſeſe lacerare, vel etjam in propria viſcera ſævire, intercedentibus deluſionibus Diaboli. Tales præter Ethnicos plerique fuerunt hæretici, Arriani, Donatiſtæ, & præſertim patrum & noſtro tempore plurimi Anabaptiſtæ.

Singularis ſpecies maniæ eſt quam Græci vocant idolomaniam. Sicut qui perditè amant quo potiri non poſſunt, præ amore inſaniunt atque furunt: ità idololatrìa, ſpiritualis ſcortatio, efficit, ut idololatræ furant, & ferro atque igne ſæviant in eos qui idolis eorum quicquam adverſum faciunt. Si Papiſtæ hac in re Ethnicos non ſuperârunt, paria certè fecerunt, ut patet ex hiſtoriis antiquis & recentibus. Nec minor eſt hæreticorum inſania atque furor. Tempore Arrianiſmi ſuſpiciebat mundus & mirabatur, ſe tam ſubitò, relictâ ſanâ Euangelii doctrinâ, Arrianum factum eſſe. Donatiſtarum quorundam tantus erat furor, ut cædes diſſentientium & contradicentium in religione ponerent, ſeque ipſos & alios occiderent, ne ſecta ipſorum martyribus careret. Anabaptiſticus furor innotuit in bello ruſtico & tragœdia Monaſterienſi. Sed proh dolor! mirum in modum renovatus eſt hodiè noſtro tempore in noſtra vicinia, idque verè ſecundum præſagium Lutheri in epiſtola, quam ſcripſit ante captum Monaſterium, referente Sleidano comment. lib. 10. ad annum 1535. Chriſtiani orthodoxi etiam utuntur zelo pro veritate & pietate contrà mendacia, & ſcandala: ſed eorum zelus non tantùm in eo differt, quòd zelantur pro bono & ex ſcientia, ſecundum informationem verbi Dei, caventes deluſiones Diaboli in affectatione

Digitized by Google

ne revelationum extra Scripturam, ſed etiam in eo, quòd non tranſgrediuntur per zelum leges charitatis, & juſtitiæ, & manent intra canalem ordinis ac diſciplinæ divinitus inſtitutæ, & intrà limites ſuæ vocationis Luc. 9. verſ. 55.

VII. Denique hìc conſiderandum, quòd verba, quæ explicuimus, non ſint Lucæ deſcriptio, ſed ipſius Pauli confeſſio, quâ ipſemet exprimit, quàm malè fuerit in Chriſtum affectus, idque ob duas cauſas.

1. Ut manifeſtum fiat, ſe non ſuâ ſponte & proprio conſilio Chriſtum prædicare, ſed ſupernaturali & cœleſti vocatione ad Chriſtianiſmum eſſe adductum, cum maximè à Chriſtianiſmo averſus eſſet, & proindè divinæ vocationi reſiſtant, qui ipſum ob amplexum Chriſti perſequantur.

2. Ut ſuo exemplo nos doceat peccata noſtra libenter confiteri, & propter ea nos coram Deo & hominibus, cum opus eſt, pudefacere. Non facit profectò ad honorem Pauli tam furioſum & ſanguinolentum zelotem fuiſſe pro falſa religione; ſed quià ad honorem Dei faciebat, & ad extollendam gratiam converſionis, non erubeſcit turpia ſua peccata confiteri, ſicut & facit 1 Timoth. 1. v. 12. 13. 1 Cor. 15. v. 9. Sed non eſt nunc nobis animus tradere locum communem de confeſſione peccatorum. David Rex Pſal. 51. Nebucadnezar Rex gentilis Daniel. 4. non erubuerunt publicè ſua peccata confiteri, cur igiter nos pudeat?

Actor. 26. v. 11. ad. 19.

Conc. CCLXIX.

In ſecundo argumento, quo Paulus demonſtrat ſe propter doctrinam de reſurrectione mortuorum per Chriſtum, non debere accuſari, vidimus partem primam, videlicet averſionem à Chriſto, & hoſtilitatem contra Chriſtum, quàm Paulus habuit, cum Phariſæus eſſet, ex qua liquere poteſt, ipſum non ſuâ ſponte, nec proprio conſilio Chriſtum nunc prædicare. Sequitur pars ſecunda, videlicet deſcriptio ſupernæ & cœleſtis vocationis, per quam ab ipſo Chriſto ad agnitionem, & prædicationem Chriſti potenter fuit vocatus, & efficaci animi mutatione flexus. In hac cœleſti Pauli vocatione duo ſunt:

1. Cœleſtis lux, quia Chriſtus Paulo & comitibus ejus apparuit, eoſque territos humi proſtravit.

2. Cœleſtis vox, quâ Chriſtus Paulum ex cœlo alloquutus eſt, eumque de voluntate ſua erudiit. De hac cœleſti luce ac voce diximus quantum ſatis eſt in cap. 9. verſ. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & præſertim in cap. 22. 6. 7. 8. quæ hìc non repetemus. Unum tantum neceſſarium eſt, ſcilicet ut paulò preſſiùs explicemus iſtam partem alloquii Chriſti ad Paulum, quæ verſu 16. 17. 18. deſcribitur, & in ejuſdem alloquii deſcriptione, quæ eſt Actor. 9. & 22. non invenitur. Videtur quoque deſcriptio hujus cœleſtis alloquii, quæ hìc eſt, non ſatis convenire cum eâ

quæ

Digitized by Google

quæ eſt Actor. 9. verſ. 6. Cum enim hoc loco tàm multa Chriſtus dicatur ex cœlo ad Paulum locutus, in altero illo loco dicitur, quod ſciſcitanti Paulo quid ſe velit facere, nihil reſponderit, ſed tantùm Damaſcum ire juſſerit, & ibi dictum iri promiſerit, quid facere debeat, ſcilicet per Ananiam. Sed non eſt pugna inter hæc. Paulus enim hìc non tantum refert quæ Chriſtus ſibi dixerit in via extrà urbem, cum immediatè ipſum ex cœlo alloqueretur; ſed etiam quæ poſteà nunciaverit in urbe per miniſterium Ananiæ. Quæ enim cap. 22. 14. 15. 16. Ananias nomine Chriſti ad Paulum dixit in urbe, quantùm ad ſubſtantiam eadem ferè ſunt, quæ hìc Chriſtus ipſe Paulo dicitur loquutus, & eandem rem diverſis verbis ſæpè in Scriptura recitari, non eſt novum; in qua tamen verborum diverſitate ſemper aliquid novæ inſtitutionis apparet. Habes igitur in hoc alloquio Chriſti per Ananiam ad Paulum, uti hìc quidem deſcribitur, partes ſequentes: 1. Reprehenſionem perſequutionis Paulinæ verſ. 14. 2. Inſtitutionem, & manifeſtationem perſonæ, quam perſequebatur verſ. 15. 3. Vocationem Pauli ad Apoſtolatum verſ. 16. 17. 18. Reprehenſio & inſtitutio, quantum ſatis eſt, explicatæ ſunt Actor. 9. v. 5. 6. & cap. 22. 7. 8. Non igitur hìc inſiſtendum niſi tertiæ parti hujus alloquii, ſcilicet vocationi Pauli ad Apoſtolatum, quæ tamen & ipſa in cap. 22. 14. 15. ex parte explicata eſt. In hac vocatione Pauli ad Apoſtolatum, ut ea quidem hoc loco deſcribitur, duas habemus partes:

1. Deſcriptionem officii ad quod vocabatur: Ideò tibi apparui, ut te ponam miniſtrum & teſtem rerum tibi revelatarum & adhuc revelandarum v. 16.

2. Promiſſionem vocationi ad hoc officium annexam, eamque duplicem:

. Promiſſionem defenſionis & conſervationis contra omnes oppoſitiones contra hoc officium, quas tùm inter Judæos tùm inter Gentes experturus eſſet, verſ. 17.

.. Promiſſionem benedictionis, quâ ſe obſtringit labori & Miniſterio Pauli ita benedicere, ut non fruſtrà ſed plurimo & beatiſſimo cum effectu ſit laboraturus verſ. 18. Et hæc quidem promiſſio duo habet membra:

a. Fore ut efficiat ſapientes atque ſanctos.

b. Fore ut efficiat juſtos & beatos verſ. 18.

Incipiamus à deſcriptione Apoſtolatus. Quid eſt Apoſtolus? Eſt vir cui Jeſus Nazarenus apparuit, quemque miſit ad populum Judaicum, & ad Gentes eo fine, ut ipſis eſſet Miniſter atque teſtis eorum, in quibus Chriſtus ipſi apparuit, vel adhuc appariturus ſit. Membra hujus deſcriptionis ſunt ſequentia:

I. Eſt vir. Fœminæ & pueri ſæpe præficiuntur Regnis & Rebuſpublicis, ſed Eccleſiæ docendæ atque regendæ nonniſi viros Deus præficit, 1 Cor. 14. 34. 1 Tim. 2. 12.

II. Apoſtolus eſt vir cui Chriſtus apparuit, quemque miſit & poſuit: *Ego tibi*

Digitized by Google

tibi apparui, Ego te poſui, Ego te mitto. Apoſtolorum vocatio immediata eſt, Gal. 1. 1. Duplex eſt vocatio legitima ad Miniſterium verbi, ordinaria & extraordinaria. Vocatio ordinaria eſt quidem à Deo, ſed fit per homines, faciunt eam homines vi inſtitutionis divinæ. Talis fuit vocatio Sacerdotum & Levitarum in V. T. (etſi enim tribus Levi ab ipſo Deo ad hoc munus erat ſegregata, tamen non allegebantur in actuale Miniſterium, niſi ſuffragio humano poſt impletam convenientem ætatem, Eſdr. 3. 8.) Talis quoque eſt vocatio Paſtorum & Doctorum ordinariorum N. T. Actor. 14. 23. Vocatio extraordinaria fit à Deo immediatè ſinè Ecclesia. Tales fuerunt Prophetæ V. T. & Apoſtoli N. T. Quoniam enim ordinarii Miniſtri non prædicant niſi quod ſcriptum eſt: extraordinarii autem revelationibus immediatis opus habent, ut eorum teſtimonium poſſit eſſe fundamentum noſtræ fidei; ideò immediatum Dei alloquium ipſis neceſſarium eſt. Ideo Paulus, quem Chriſtus in terris non fuerat alloquutus ſicut cæteros Apoſtolos, immediatâ apparitione ex cœlo vocatur, undè & inter ſigna Apoſtolatus ſui refert, *quod Chriſtum viderit*, 1 Corinth. 9. v. 1. *Object.* At Matthias non fuit immediatè vocatus, ſed per homines in locum Judæ ſubſtitutus, & tamen verus Apoſtolus, Actor. 1. 25. v. 26. *Reſp.* 1. Sine dubio tamen fuit inter illos, qui Chriſtum viderunt, imò inter illos LXX. quos Chriſtus juxtà Apoſtolos ad prædicandum Euangelium miſit, Luc. 10. 1. 3. 4. 2. Etiam in electione Matthiæ immediata Dei declaratio intervenit: Non enim per nuda hominum ſuffragia electus eſt, ſed Deus per ſortem voluntatem ſuam declaravit ad preces Apoſtolorum, qui omnes fuerunt homines inſtinctu Spiritus ſancti acti, & ad ſortem cum precatione mittendam incitati, Actor. 1. 24.

III. Miſſus ad Judæos & Gentes. Minus offenſi fuiſſent Judæi, ſi ſolis Judæis Chriſtum prædicâſſet; ſed hoc demum eos offendebat, quod beneficia fœderis ad Gentes quoque extendebat, quod natio ſuperba ferre non poterat, putans ſe ſolum ſuâ dignitate eſſe populum gratiæ divinæ capacem. Fuit hæc prærogativa Apoſtolorum & Euangeliſtarum, non tantùm præ ordinariis Paſtoribus & Doctoribus, qui particularium Eccleſiarum Epiſcopi ſunt, ſed etiam eſt prærogativa, quam habuerant præ ordinariis & extraordinariis Doctoribus V. T. Hi enim non mittebantur ad Gentes, ſed tantùm ad Iſraëlitas. Prophetârunt multa de Gentibus, ſed non miſſi ſunt ad docendum Gentes viam ſalutis. Solus Jonas aliquid peculiare hìc habet, qui ad Ninivitas convertendos extrà terminos Iſraëlis miſſus eſt, ut hoc ſingulari exemplo præludium fieret converſionis Gentium, utque eodem exemplo præfracti Iſraëlitæ, ad æmulationem provocarentur. Sed Apoſtoli miſſi ad omnes Gentes promiſcuè & perpetuo docendos, Actor. 10.

IV. Quo fine autem mittebantur Apoſtoli, & ipſorum coadjutores Euangeliſtæ, ad Gentes & Judæos? *Reſp.* Ut ipſis eſſent adminiſtri, atque

Digitized by Google

teſtes rerum revelatarum & revelandarum. Nota:

a. Apoſtoli habuerunt revelationes divinas, & has adminiſtrârunt Gentibus ac Judæis. *Object.* Atqui nihil prædicârunt extrà id quod ſcriptum in Moſe & Prophetis, Actor. 26. &c. *Reſp.* Sed quod in Moſe & Prophetis ſcriptum erat, naturâ æquè parum intelligebant ac cæteri Judæi. Acceperunt igitur immediatas revelationes Spiritus ſancti, per quas de rebus in Moſe & Prophetis prædictis, fuerunt inſtructi, & de complemento eorum convicti, idque non unâ vice, ſed ſenſim magis magiſque & quæ facta eſſent & quæ adhuc futura per haſce revelationes divinas didicerunt.

b. Harum rerum revelatarum Gentibus fuerunt adminiſtri. Non enim haſce res Deus Apoſtolis revelaverat ut eas ſibi ſcirent, ſed ut earum cognitionem adminiſtrarent Gentibus ac Judæis. 1 Corinth. 11. 23. Non de ſuo docuerunt homines, ſed Divinarum revelationum adminiſtri fuerunt.

c. Non tantùm adminiſtri, ſed etiam teſtes. Hoc ſingulare Prophetis & Apoſtolis, quòd non tantùm veritatem ſalvificam nobis notificent; ſed præcipuè, quòd ſint illi teſtes, quorum teſtimonio nititur Eccleſia in recipienda & credenda iſta veritate. Hinc Eph. 2. 20. Eccleſia dicitur ædificata ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, quin propter horum hominum teſtimonia Eccleſia credit, quod credit. Pontifex Romanus ſuſtinet nos non habere aliud teſtimonium, cui tutò inniti poſſit noſtra fides in credendis rebus religionis, quàm teſtimonium ſuum, ſuorumque Prælatorum. Sed noſtra fides alio nititur fundamento, ſcil. teſtimonio Prophetarum ut Apoſtolorum. Cum his hominibus credimus, ipſi Deo credimus, quippe qui nihil aliud nobis loquuti ſunt, quàm quod Deus ipſis revelavit.

Atenim undè nobis hoc conſtat, quòd hi homines nihil aliud loquuti ſint, quàm quod Deus eis revelavit? Tot ſemper fuerunt, qui revelationes divinas jactârunt, unde igitur conſtat hos paucos homines veras habuiſſe revelationes divinas; ut teſtimonio eorum tutò credere poſſimus?

Reſp. 1. Teſtimonium totius Eccleſiæ non contemnimus. Non enim eſt levis manuductio & inductio ad recipiendum Apoſtolorum teſtimonium, cum videmus omni tempore Eccleſiam hoc teſtimonium habuiſſe pro teſtimonio Divino, ac tanti æſtimâſſe.

2. Quia Prophetarum & Apoſtolorum teſtimonia adeò ſunt conſonantia, ut Apoſtoli nihil teſtentur factum fuiſſe, niſi quod Prophetæ multò antè prædixerunt futurum eſſe.

3. Quia illi omnes Apoſtoli Chriſtum ſuis oculis viderunt, idque non tantùm dum in carne vixit, ſed etiam poſtquam ex mortuis revixit. Si de reſurrectione Chriſti ex mortuis certi ſumus, de totâ Chriſti doctrinâ dubitare non poſſumus. At Apoſtoli omnes & Euangeliſtæ ſunt teſtes αὐτόπλαι quòd Chriſtus revixerit, Luc. 1. 2. Act. 10. 40. 1 Iohan. 1. v. 1. 2. 3. Quod etiam ſuum teſtimonium martyrio obſignârunt, & miraculis humanas vires

Digitized by Google

& Satanæ artes ſuperantibus confirmârunt.

4. Quia doctrina ipſa, quam protulerunt Apoſtoli, & reliquerunt in ſuis ſcriptis, ſe adeò probat conſcientiis eorum, à quibus intelligitur, ut gaudium ac pacem in iis operetur etiam per mortem non extinguibilem.

5. Quia hoc teſtimonium comitatur teſtimonium Spiritus ſancti, qui teſtatur *Spiritum eſſe veritatem*, 1 Ioh. 5. v.6. non nos ipſos ſuperſtruimus fundamento Prophetarum & Apoſtolorum, ſed Spiritus ſanctus nos ſuperſtruit: non enim dicit, ædificaviſtis vos; ſed *ædificati eſtis*, Eph. 2.20. ſcil. à Spiritu ſancto: Spiritus ſanctus nobis perſuadet horum hominum teſtimonium eſſe divinum teſtimonium, facitque ut in eo conſcientia noſtra acquieſcat.

En hæ ſunt proprietates, quibus extraordinarii Eccleſiæ Doctores, præſertim Apoſtoli, diſcernuntur à Doctoribus ordinariis ſcil. 1. Quòd immediatè ab ipſo Chriſto edocti, & ad prædicandum miſſi ſunt, & nihil aliud prædicant, quàm quod immediatè ab ipſo Chriſto didicerunt. 2. Quod fuerunt Doctores univerſales, miſſi ad omnes Gentes & Judæos. 3. Quòd non tantùm ſunt prædicatores, ſed & teſtes doctrinæ ſalvificæ, in quorum teſtimonio conſcientiæ totius Eccleſiæ acquieſcunt.

Uſus hujus doctrinæ de Apoſtolis ſit hic:

1. Si Apoſtoli ſunt adminiſtri & teſtes earum rerum, quas immediatè ex ipſius Chriſti revelatione didicerunt, tùm id, quod nobis ex ſcriptis Apoſtolorum prædicatur & demonſtratur ab iis, qui vi inſtitutionis Apoſtolicæ ad Eccleſiam docendam per Eccleſiæ voluntatem legitimè vocati ſunt, eſt doctrina non humana ſed divina. Sunt homines adeò inſani, qui, quod Apoſtoli ſcripſerunt & Prophetæ, æſtimant ut verbũ Dei; ſed quod ex Apoſtolis & Prophetis prædicatur per Paſtores mediatè per Eccleſiam vocatos, id contemnunt ut verbum hominum, adeoque totam vocationem Miniſterii ordinarii contemnunt ut opus merè humanum, & prædicationem verbi non opus peculiaris vocationis, ſed charitatis eſſe dicunt, quod unicuique licitum ſit, qui dona habeat quibus poſſit; atque eo fine adducunt loca quæ ſunt Numer. 11.28.29. Marc. 9.38. Iohan. 3.26. Sed 1. Quod per Eccleſiam fit vi inſtitutionis & mandati Apoſtolici, æquè divinum eſt, atque ſi fieret ab ipſis Apoſtolis. At vocatio Miniſterii ordinarii fit ab Eccleſia vi inſtitutionis Apoſtolicæ, quam didicerunt Apoſtoli ex immediatâ revelatione Dei. Hoc non tantùm patet ex Apoſtolorum exemplo, Actor. 14.23. Sed ex ſpeciali Apoſtolorum præcepto & inſtitutione, Tit. 1.5. 2 Tim. 2.2. unde & vocatio mediata ipſi Deo tribuitur, Actor. 20.28. Eph. 4. 11. 12. 13. Imò non tantùm vi inſtitutionis Apoſtolicæ fit mediata vocatio, ſed vi inſtitutionis ipſius Chriſti. Quod enim Matth. 28. v. 19. & 20. legimus, *Non eſt ſolorum Apoſtolorum miſſio, ſed totius Miniſterii Eccleſiaſtici uſque ad finem mundi inſtitutio.* 2. Quod ad loca quæ objiciuntur, non probant quemquàm debere ſuſcipere

Digitized by Google

munus docendi Eccleſiam ſine vocatione. Illa enim loca non loquuntur de hominibus non vocatis, ſed de iis qui cum miraculoſis donis etiam miſſionem & vocationem acceperant, ſicut expreſsè dicitur de Eldad & Medad, quòd fuerint inter ſcriptos ſeu vocatos, quanquam non comparuerant coràm tentorio, ſubterfugientes vocationem inſtar Jonæ. Quod Moſes optat ut totus populus prophetet, non evertit vocationem Miniſterii. Moſes enim nil aliud optat, quàm ut veniat illud tempus, quo Eccleſia ad eam perfectionem excreverit, ut Doctoribus non amplius opus habitura ſit, ſed quilibet ſibi ipſi Propheta eſſe poſſit, Hebr. 8. 11. Et quando adimplebitur? In cœlo. Nè itaque contemnamus vocationem ordinarii Miniſterii: non enim eſt humana, ſed divina vocatio, facta vi inſtitutionis & præcepti Apoſtolici. Nemo ſinè tali vocatione ſit Doctor Eccleſiæ. Ne eliminetur ex hac vocatione quod Eccleſiaſticum eſt, ut fiat vocatio merè politica & humana. Et qui taliter vocati ſunt, æſtimentur ut ſervi Dei & Eccleſiæ, divinitus vocati, & Miniſterium eorum ut Miniſterium ſacrum immediatè pertinens ad ſpirituale regnum Chriſti; quod cum regnis mundi nihil commune habet. *Object.* An igitur Magiſtratus politicus à vocatione Miniſterii planè excludendus, ut vocatio ſit purè Eccleſiaſtica? *Reſp.* Magiſtratus politicus non eſt conſtitutus, ut omnia faciat quæ fieri debent in republica, ſed ut omnia regat ſuâ poteſtate & auctoritate, ut cuſtos utriuſque tabulæ, proſpiciens, ne, quod fieri debet, fiat illegitimè, in detrimentum reipublicæ & Eccleſiæ. Etſi noſtrum officium à Magiſtratus officio diſtinguimus, tamen nec nos nec noſtra officia ab inſpectione Magiſtratus eximimus, ſed potiùs inſpectionem & defenſionem Magiſtratus Eccleſiæ neceſſariam judicamus & utilem, præſertim ſi ſit Magiſtratus Chriſtianus, qui non tantùm res Eccleſiæ regere, & intra ordinem legitimum continere, ſed etiam fidus Eccleſiæ nutricius & defenſor eſſe velit. Aliud enim jus Magiſtratus, aliud prætenſum jus patronatus. In regalia politica legitimi Magiſtratus more Cleri Romani non involamus: Sed patronatus, quem vocant, nil eſt aliud quàm nundinatio œconomica, quâ per collationem officii Eccleſiaſtici aliorum favor emitur, & hæredium conferentis prætenſo hoc jure tantò vendibilius redditur, quæ nundinatio Simoniaca inter Reformatos meritò ſordet.

II. Si, quod ſcribunt Apoſtoli & Euangeliſtæ, immediatè acceperunt à Chriſto; tum non alii fundamento nos ſuperſtruamus, quàm ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum. Pontificii fidem ſuam ſuperſtruunt auctoritati Pontificis & Eccleſiæ Romanæ. Sociniani cum aſſeclis ſe ſuperſtruunt maximis humanæ rationis & philoſophiæ. Mennonitæ cum ſociis nituntur captatis revelationibus. Is demum Chriſtianus eſt, qui ſolius Scripturæ teſtimonio credit, nec aliam recipit religionem, quàm quæ in verbo Prophetarum & Apoſtolorum fundata eſt. Hoc enim teſtimonium divinum, cætera humana, & fallacia, Eſa. 8. v. 20.

Digitized by Google

v.20. Luc.16.29. Actor. 5.39. 1 Tim. 3.14.15.16.

III. Si, quod Apoſtoli docuerunt, eſt immediatè à Chriſto profectum, tùm, quoties Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta legimus, vel audimus, cogitemus nos ipſum Chriſtum audire loquentem. Non minus veritatis eſt in eo quod Apoſtoli ſcribunt, quàm quod Chriſtus ipſe loquitur. Hoc obſervent.

1. Contemptores verbi, & qui non tremunt à verbo Dei. Non homines contemnunt ſed Chriſtum, 1 Sam.8.7. Luc. 10.16. 1 Theſſ. 4.8.

2. Afflicti fideles, qui per experientiam Chriſtianiſmum triſtiorem & difficiliorem percipiunt, quam Scriptura Prophetarum & Apoſtolorum videtur promittere. Scriptura iis, qui cauſam tuentur juſtam, & piam ducunt vitam, promittit defenſionem & benedictionem. Sed experientia oſtendit planè contrarium. Ne labaſcat animus, ſed cogitet infallibilitatem verbi Apoſtolici, 2 Petr. 1.19. Luc. 21.33. & 16.17. Eſa. 54.9. Quàm parum metuis reditum diluvii univerſalis, tàm parùm metuas fruſtrationem verbi Dei.

Actor. 26. v. 17. 18.

Conc. CCLXX.

NUllum caput ſacræ & ſalvificæ doctrinæ Satanas enixiùs conatus eſt vitiare atque corrumpere quàm doctrinam de Doctoribus ſacræ & ſalvificæ doctrinæ, i. e. caput de S. Miniſterio Eccleſiaſtico. Novit enim ſe facilè Eccleſiam privaturum ſalvificâ doctrinâ, ſi privare eam poſſit legitimis Doctoribus & rectoribus. Ideò ſemper in eo fuit, ut vel autoritatem SS. Miniſterii nimium extolleret vel nimium deprimeret. Prius aſſequutus eſt in Papatu, ubi populo perſuaſit, clero Romano tantam à Deo eſſe datam poteſtatem, quantam vix ipſi Chriſto, adeò ut cœcâ obedientiâ eorum ductui ſe totos ſubmittant, & illis totam ſalutem committant. Poſterius conatus eſt efficere per veteres Donatiſtas eorumque ſimias Anabaptiſtas patrum & noſtro tempore, qui id unum & præcipuè dant operam, ut Miniſterium in contemptum adigant, & publicam diſpenſationem verbi vel abrogatam velint, vel ſaltem unicuique ex plebe ſine legitima vocatione permiſſam, qua ex re tantæ turbæ patrum noſtrorum tempore ortæ ſunt in Eccleſia, & utinam non hodiè renovatæ, ut fidi Doctores iſtius temporis in ſcriptis ſuis nobis reliquerint hanc querelam: Paulò antè nobis certamen fuit cum hypocriticis monachis & ſacrificulis, ſed jam certandum nobis cum ipſa hypocriſi, quia ſcil. gens Anabaptiſtica artificioſiſſimo prætextu ſanctitatis ac pietatis novit palliare graviſſima ſua ſcelera, & præcipuè rebellionem ſuam contra omnem ordinem ac diſciplinam in politia & republica. Quàm carum itaque nobis eſt puram & ſalvificam doctrinam nobis & poſteris noſtris retinere, tàm ſolliciti debemus eſſe, ut orthodoxè ſentiamus de officio Doctorum Eccleſiæ, ne vel ſublimes nimis conceptus de eo fovea-

Digitized by Google

mus, vel nimis contemptim de eo ſentiamus. Si enim nimium illud æſtimemus, vendimus noſmet ſub ejus voluntatem, & noſmet facimus obnoxios omni ſeductioni. Si nimis tenuiter hoc officium ſanctum æſtimamus, vel totum rejicimus, privamus nos omni felicitate, quam Deus per illud operari promiſit.

Hoc fine nuper cœpimus declarare cœleſtem vocationem Pauli ad Apoſtolatum, ut ex ejus conſideratione diſceremus qua in re Apoſtoli & ordinarii Paſtores inter ſe conveniant & differant, ut ita & Doctores limites ſui officii ſuæque auctoritatis intelligerent, & auditores quales ſuos Miniſtros æſtimare debeant viderent. Diviſimus hiſtoriam hujus vocationis in duas partes. Prior habet deſcriptionem officii ad quod Paulus à Chriſto vocatus eſt; poſterior promiſſionem, quam vocationi ad hoc officium Chriſtus annexuit. Vidimus deſcriptionem officii Apoſtolici, ad quod Paulus à Chriſto vocatus, ſequitur promiſſio huic vocationi adjuncta, eaque duplex:

I. Prior eſt promiſſio liberationis & conſervationis v. 17. Liberans te ab iis ad quos te mitto. q. d. Non ignoro, tùm Judæos tùm Gentes, ad quos te prædicatum mitto, tibi reſtituros, & te miſerè afflicturos propter Miniſterium ad quod te voco, ſed promitto me te liberaturum ab iis & te conſervaturum, quam etiam promiſſionem impletam eſſe dicit verſ. 22. Sed cur potiùs non mittit, quam miſſum liberat? cur potiùs non conjicit in ignem, quam liberat ex igne? Sic mos Deo ſervos ſuos mittere & conjicere in pericula ut liberet ex periculis, Dan. 3. 23. 24. & 6. 23. Matth. 10. 16. Cur facit? Ut ex medio igne perditionis, & ex mediis lupis eripiant quos Deus vult facere oves. Servi Chriſti in eo Magiſtro ſuo conformes ſunt, quòd ſicut ille in mortem & in manus Diaboli, & in voluntatem hoſtium ſuorum traditus eſt, ut ſuos electos ex morte & manu Diaboli atque mundi erueret & redimeret, ita ipſi mittantur in medium mundum, ut, quod Chriſtus ex mundo ſibi elegit & redemit, ipſi ſuo Miniſterio à mundo ſegregent & Chriſto adducant, Jud. verſ. 23. Quoniam autem mundus amat quod ſuum eſt, non patitur ſibi eripi quod amat, ſed ſervis Chriſti reſiſtit, eoſque affligit. Sed Chriſtus promittit defenſionem ſuam. Non fuit quidem hæc promiſſio, Paulo facta, perpetua. Tandem enim fuit devoratus à lupis, occiſus à Gentibus, nec fuit liberatus. Attamen multoties fuit liberatus, donec conſilio Dei ſufficienter ſerviviſſet, & curſum præſtitutum perfeciſſet. Nec fuit hæc promiſſio communis omnibus Chriſti Miniſtris, ſed ſoli Paulo peculiaris. Attamen totum Miniſterium habet promiſſionem præſentiæ Chriſti uſque ad finem mundi, ut patet in ejus inſtitutione, Matth. 28. 19. 20. Cum igitur in opere ſuo occupati experiuntur pericula & incommoda, ſolentur ſe hac promiſſione, cogitentque Chriſtum eſſe ſecum, nec permiſſurum ut pericula prævaleant, donec curſum ſuum abſolverint. Hoc ſolatio carent, qui

currunt

Digitized by Google

currunt non miſſi. Cum hi devorantur à lupis, habent quod ſuæ temeritati adſcribant, quâ Deum tentantes ſine neceſſitate ſe ipſos conjiciunt in pericula. Sic cuilibet in ſuis viis; i.e. in ſua vocatione ambulanti promittitur tutela Dei, Pſalm. 91. 11. 12. 13. Et quod legitur, Marc. 16. 18. non eſt tantum miraculorum promiſſio primitivis Eccleſiæ temporibus valida, ſed eſt generalis conſolatio omnium fidelium, quâ certiores redduntur de ope auxilioque divino, quo ad ferenda & vincenda onera ac pericula vocationis indigent. Deus eſt herus & Dominus fidelis, ſi quem vocat ſibi in ſervum, qui laboret in vinea, ei non tantùm dat præmium laboris & operis, ſed & vires operandi & perficiendi, 1 Theſſ. 5. 24. Applicent ſibi hanc promiſſionem regentes hoc difficili tempore regendi. Applicent nautæ, milites, commercantes hoc difficili tempore iter facientes, &c.

II. Poſterior promiſſio eſt promiſſio benedictionis. Non tantùm ipſi promittit conſervationem vitæ in periculis vitæ, ſed etiam fructum laboris & Miniſterii. Non eſt prædictio ejus, quod prævidebat Paulum effecturum, ſed promiſſio benedicendi Pauli Miniſterium, ut res magnas efficere poſſit. Ab hac promiſſione dependet vis & virtus totius Miniſterii, & hæc promiſſio eſt anima Miniſterii, ſine qua Miniſterium eſt opus mortuum & inefficax. Quid enim homo hoc opere faciundo efficeret, ſi non haberet promiſſionem divinæ benedictionis? Effectus noſtræ prædicationis non ſitus eſt in noſtra voluntate & promptitudine, in noſtris donis, in noſtra diligentia, in voce & geſtibus, & ne quidem in noſtra pietate (nam quàm parum pii parentes poſſunt generare filios pios, tàm parùm ſine Dei benedictione prodeſt noſtra inſtitutio) & ſimilibus Miniſterii requiſitis, quibus alius Miniſter alium ſæpè ſuperat & excellit; ſed totus pendet à promiſſione divinæ benedictionis, quam Deus annexuit legitimæ vocationi ad Miniſterium. Verum quidem, quòd omnes humanæ vocationes, artes, labores, opificia etiam totam ſuam efficaciam habeant à divina benedictione, & ſine illa inefficacia ſint, Pſalm. 127. v. 1. 2. attamen hìc planè alia ratio. Etſi enim humanus labor ſine Deo ne naturalia quidem & humana effecta, ad quæ producenda proportionatam quandam aptitudinem habet, producere poteſt; tamen plus divini requiritur ad illam vocationem, in qua per humanum & naturalem laborem producenda ſunt ſpiritualia & ſupernaturalia effecta, qualis eſt illuminatio animarum, earumque converſio ex tenebris mortis, & poteſtate Diaboli ad Deum, nec non earundem juſtificatio & glorificatio cœleſtis. Cum hæc ſupernaturalia effecta producuntur labore & eloquio humano, productio illa non fit virtute humani laboris & eloquii, ſed ſolâ virtute divinæ benedictionis tali vocationi annexæ à Deo. Confer 1 Corinth. 3. 5. 6. 7. Labor noſter, comparatur quidem cum labore, quem confert agricola ad generationem frugum, ſed neutiquam eſt adeò pro-

Digitized by Google

proportionatus ad ſuum effectum ac ille. Ille enim naturali labore naturalem, ſed nos naturali labore ſupernaturalem producimus effectum, ad quem requiritur immediatus Dei concurſus, non obſtante quod labore noſtro ceu medio utitur. Effectus noſtri Miniſterii non magis eſt effectus noſtri laboris, quàm miracula, quæ faciebant Apoſtoli, erant naturalis effectus geſtuum & ceremoniarum, quibus miracula efficiebant. Pondera illud Chriſti, Iohan. 9. 6. & compara cum ſanationibus Medicorum per naturalia pharmaca. Quantum differentiæ eſt inter has duas ſanationes, tantum differentiæ eſt inter efficaciam noſtri Miniſterii, & inter efficaciam humanæ artis ac laboris. Confer 2 Corinth. 12. 9. 2 Corinth. 4, 7. 1 Corinth. 2. 4. 5. Deus utitur humano Miniſterio ad producenda effecta ſpiritualia, ſupernaturalia & planè divina, non quia humani Miniſterii aptitudine & mediatione aliquo pacto ad effecta ſua producenda indiget, aut quia vox, geſtus, eruditio Miniſterii aliquam proportionatam aptitudinem habet ad regenerationem ſupernaturalem; ſed ſimpliciter quia beneplacitum ipſi in humana infirmitate potentiam ſuam exſerere & Eccleſiæ infirmitati ſuccurrere, dum divinæ præſentiæ intolerabilem ſplendorem tegumento humanæ infirmitatis involvit, 2 Corinth. 3. 7. Compara cum 2 Corinth. 4. 6. 7. Verbum quidem, quod prædicamus, eſt verum & proportionatum inſtrumentum ac ſemen regenerationis ſupernaturalis, quia hoc in ſe ipſo eſt lux ſupernaturalis ex Deo procedens, ideoque incorruptibile & ſemper manens regenerationis ſemen, 1 Petr. 1. 23. Sed dona labor & pietas Miniſtri, quibus hoc verbum plantatur in animam, non eſt verum inſtrumentum regenerationis, ſed tantum humana infirmitas, in qua Deo placet perficere ſuam potentiam. Non ſumus niſi lucerna quæ vobis ſplendorem divinæ lucis adminiſtrat. Lucernæ quidem differunt, & aliæ aliis minus ſunt pellucentes. Sed cum Deus vult lucem verbi, quæ eſt in lucernis, intendere, per denſiorem & terreſtriorem lucernam æquè poteſt illuminare ac per minus denſam. Quæ clarior lucerna quàm ipſe Chriſtus Iohan. 1. 14. & tamen vide quid dicat, Iohan. 14. v. 12. Adde Luc. 7. v. 28. Quàm ægrè homines perſuadentur, quòd illuminatio oculorum animæ, & converſio animæ à tenebris ad lucem &c. non ſit opus liberi arbitrii, ſed ſupernaturale opus Spiritus ſancti, tam parum poſſunt perſuaderi, hunc effectum non dependere à diverſitate donorum & laboris in Miniſtris, ideoque varia contra hanc doctrinam objiciunt.

Object. 1. Atqui experientia confirmat & teſtatur, Miniſtrum majorum donorum plus ædificare quàm qui habet minora. Ergo ædificatio dependet à menſura donorum.

Reſpond. 1. Teſtimonium ſenſus & experientiæ in hoc negotio parum valet. Non enim undè tu motum & delectationem ſentis atque hauris, inde te veram & ſpiritualem ædificationem haurire certum eſt. Eſt enim quædam ſæpè ani-

Digitized by Google

animorum titillatio & delectatio, quæ non eſt verè ſpiritualis, fluens ex benedictione Dei, ſed naturalis, fluens ex humana eloquentia & dulcedine myſteriorum ac promiſſionum Evangelii, quæ carnem quoque titillare & movere poteſt, Hebr. 6. v. 5. Vera ædificatio ex fructibus agnoſcenda, & ex mutatione vitæ.

Reſpond. 2. Non eſt incredibile, quin quibus miniſtris Deus majora dona largitur, eorum miniſterio etiam ordinariè magis benedicat. 1 Cor. 15. v. 10. Sed inde non ſequitur, rem pendere à donis, aut dona ſectanda eſſe cum cæterorum contemptu, qui legitimè vocati, pièque & diligenter in vinea Domini laborantes minus videntur donis ſuis efficere. Deus qui ordinariò majoribus donis plus benedicit, minoribus ſæpè efficit quod non operatur per majora. Sunt ſervi domini *quorum cuilibet gratia datur ſecundum menſuram doni Chriſti*, Eph. 4. 7. 1 Cor. 12. 4. 7. 11. Dicendum igitur ut 1 Cor. 15. 11.

Object. 2. Quis credat effectum miniſterii non pendere à pietate miniſtrorum? Si veſtrum miniſterium tam ſanctum eſſet ac fuit Apoſtolorum, ſimilia haberetis effecta; Sed inter vos multi ſunt qui Chriſtum aliis prædicant, quem ipſi in corde non habent: vel ſi ſynceri eſtis, tamen nimis mundanè vivitis. *Reſpond.* Vetus hoc delirium Donatiſtarum, renovatum à modernis Anabaptiſtis, quòd propter miniſtrorum vitia totum miniſterium rejicere & eradicare ſatagunt. Non eſt quæſtio, utrum miniſterii vitia non multum obſint ædificationi. Fatentur enim hoc. Sed quæſtio eſt, an ex miniſterio miniſtrorum vitiosè viventium boni & ſancti auditores nullam poſſint percipere utilitatem. Hoc eſt quod negamus. Scriptura nuſquam vim miniſterii ſuſpendit à pietate miniſtrorum, ſed à divina promiſſione, *cujus veritatem & fidem incredulitas & impietas miniſtrorum non poteſt facere inanem*, ut loquitur Paulus Rom. 3. 3. 4. Vide Matth. 23. 1. 2. 3. Phil. 1. v. 15. 16. Hinc & Judas prædicatum à Chriſto miſſus, quem ſciebat Diabolum habere & non credere. Non minùs impius miniſter poteſt ædificare Eccleſiam, quàm impius agricola producere fructus terræ. Non ſemper quoque eſt ſcandalum quod pro ſcandalo accipitur, ſed vel legitima libertas, vel ſaltem communis infirmitas quæ tolerari debet in omnibus qui ſunt homines. Non enim vobis tantum cauſæ querendi, ſi veſtrum miniſterium comparetis cum veteri Levitico & moderno Papiſtico. Si miniſterium contemnendum propter miniſtrorum vitam, tum etiam Magiſtratus ſæpè. Quis unquam plura ſcelera patravit, quàm qui prætextu vitioſæ Concionatorum vitæ ſine vocatione concionari aggreſſi ſunt? Vide Donatiſtas, Anabaptiſtas & modernos horum ſocios. Vide D. Crocii Antiweigel. Part. 2. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 1. & 2.

Object. 3. Si ædificatio penderet à legitimâ vocatione miniſtri, tum qui non ſunt legitimè vocati, non ædificarent. At, inquiunt homines, ſæpè ædificatus ſum 1. Per Jeſuitas & Concionatores heterodoxos. 2. Per privatos opifices qui concionantur ſine vocatione. 3 Imò per hiſtrionum comœdias, ſacras vel

Digitized by Google

moraleſ hiſtorias ludentes. Perinde igitur eſt quiſquis ſit qui doceat, modò quod bonum eſt doceat, Phil. 1. v. 18. *Reſpond.* 1. Quaſi verò non conſtet, quòd Diabolus & ejus inſtrumenta eo ipſo ſuum venenum ſuum involvant rebus bonis & ſacris, ut tantò avidius hauriatur! Non videndum an quis benè dicat & bonum, ſed annon bono & ſancto immiſceat malum & exitiale. 2. Non omnis delectatio & commotio cordis, quam tu pro ædificatione habes, eſt vera ædificatio, ut dictum ad objectionem primam. 3. Deus ſe non alligavit mediis ſed nos. Deus per tenebras & per peccata ſæpè operatur quod bonum eſt. Non inde ſequitur, relicta luce nos tenebras debere quærere & peccata patrare, ſed nobis uſurpanda media divinitus inſtituta. Deus, *qui eſt Deus ordinis*, etiam per ἀταξίαν ſubinde facit quod bonum eſt. Sed non ideò laudanda ἀταξία. Aquæ Adanæ & Pharparis meliores aquis Iſraëlis, & tamen non ſanant, quia non electæ à Deo. Sic & hæc res habet.

Object. 4. An igitur planè illicitum eſt eos, qui non habent legitimam vocationem Eccleſiaſticam, alios docere & in veritate & pietate inſtituere? An nullo modo poſſunt lucrifacere animas qui hanc vocationem & promiſſionem non habent? *Reſpondeo.* Hoc verò non ſequitur ex iis quæ dicta ſunt. Scriptum utique *ut nos invicem hortemur*, Hebr. 10. 24. 25. Præcipuè *ut parentes filios educent in doctrina*, Eph. 6. 4. Aliud eſt doctorem eſſe Eccleſiæ, aliud hortari & inſtituere familiam ſuam vel amicum ſuum. Qui ad annos diſcretionis perveneruntt, non ideò tantùm frequentant cœtus publicos, ut ſibi aliquid diſcant, ſed etiam ut inde auferant quod junioribus in ſua familia communicent. Apoſtolus dicit 1 Petr. 3. 1. *Maritos infideles ſæpe ab uxoribus lucrifieri ſine verbo per caſtam converſationem.* Quomodò ſine verbo? Quià quod ſæpè Concionatores labore ſuo publico efficere non poſſunt, id efficit uxor privatâ exhortatione, pudicâ converſatione adornatâ. 1 Cor. 7. 16. Confer Matth. 18. v. 15. Verùm hæc inſtitutio non debet fieri cum doctorali auctoritate, ſed cum omni lenitudine & quiete, ſeu modeſtia, non tam multis verbis, quam bono exemplo vitæ, ſine neglectu ſuæ vocationis propriæ, ſine confuſione & perturbatione Eccleſiæ ſub manuductione Miniſterii, ſine curioſitate periculoſa, ſine ſchiſmate &c. Firmum itaque manet ac certum quod hæc magna & ſupernaturalia effecta tribuantur quidem verè noſtro miniſterio, ſed tamen noſtrum miniſterium non ſit vera cauſa horum effectorum, ſed ſolus Deus, & hoc ità, ut Miniſterium noſtrum ne verum quidem inſtrumentum ſit horum effectorum. Hic enim honor competit verbo, quod prædicamus, ſed non nobis nec noſtro labori, ſed in ſolidum ſoli Deo. Diſcatur hinc:

1. Ut humiles ſint qui verbum prædicant. Si quid efficis, non tu efficis, ſed gratia Dei quæ in te eſt. Quid glorietur lucerna, quæ lucem quidem adminiſtrat, ſed non ſuam. Facit Deus miniſtris hunc honorem ut eos vocet *lucem terræ*, Matth. 5. 14. Joh. 5. 35.

Digitized by Google

Sed hoc facit Deus ex gratia, non quia ipſi lux ſunt, ſed quià Deus in cordibus eorum luxit, ut lucem Dei aliis inſtar lucernæ adminiſtrarent. Si quis hoc gratuito honore ſuperbit, is carebit fructu ſui laboris.

2. Ut auditores non dependeant à miniſtris. Non ſe concionantur ſed Chriſtum. Hunc amate non autem miniſtros. Nè dicite *ego ſum Cepha, ego Apolli, ego Pauli.* Quid ſunt hi? ſervi per quos credidiſtis. Cum hos audiviſtis cogitate hos non poſſe vos convertere. Convertite igitur vos ad Deum, & hunc invocate ut vos doceat per ſpiritum, deſiderate eſſe Θεοδίδακτοι.

3. Ne tamen contemnant laborem miniſterii, ſed eo utantur. Vides enim hìc quanta beneficia per illud Deus conferre promittat. Ne dicas, habeo Scripturam quam legere poſſum. Ne ſepara quæ Deus conjunxit. Deus non tantùm per oculos ſed per aures & per prædicationem audibilem vult ſervare, Rom. 10. 13. 14. 15. & præcipuè verſ. 17. Actor. 9. v. 15. Actor. 13. v. 2. 1 Cor. 1. 21. 1 Tim. 4. 16. Iſai. 52. 7. 8. Confer quæ dicta ſunt in Actor. 2. v. 4. Cogitate vos eſſe oves Chriſti, quibus præfecit paſtores, donec Archipaſtor appareat, in cujus præſentia non opus erit ut alius alium doceat. Vide 1 Theſ. 5. 12. 13. Sunt patres veſtri, *qui vos regenerant*, 1 Cor. 4. 15. Pontificii hìc poſſent interrogare, ſi tota converſio & juſtificatio hìc tribuitur labori & miniſterio hominum, qui fit quòd adeò indignamini, quòd nos vim regenerandi & juſtificandi tribuimus ſacramentis, clamatiſque, nos creaturis, elementis & inſtrumentis tribuere vim & virtutem, quæ ſoli ſanguini ac Spiritui Chriſti competit? An miniſtri non æquè ſunt inſtrumenta juſtificationis & converſionis, cum ſacramenta adminiſtrant, atque, cum verbum prædicant? *Reſpondeo*, Sic non defenditur neque purgatur Papiſmus à ſuperſtitione quam committit circa ſacramenta. Nos non negamus, adminiſtrationem ſacramentorum æquè eſſe inſtrumentum juſtificationis ac, prædicationem verbi. Etſi enim ſacramenta regenerationem non incipiunt, nec fidem juſtificantem ubi non eſt producunt, nec regenerationis verum ſemen & vera inſtrumenta ſunt, quod eſt verbi proprium, tamen æquè ac verbum fidem juſtificantem, Chriſto nos unientem, & merita ejus amplectentem & applicantem, per ſuam obſignationem roborant, & per conſequens juſtificationem noſtram confirmant, & ſpiritum ſanctificationis in nobis augent. Hanc vim libenter ſacramentis tribuimus æque ac prædicationi verbi: Sed hìc non ſubſiſtit Pontificiorum de ſacramentis ſententia, verùm quod ſuperſtitioſum eſt, addit, baptiſmum ex opere operato producere, vel impetrare, vel inſtar vaſis in ſe continere, vel etiam mereri noſtram juſtitiam, remiſſionem peccatorum, & ablationem peccati originalis ut non amplius ſit, Cœnam eſſe ipſum Chriſtum, eſſe ſacrificium expiationis peccatorum, ore comeſtum tollere reatum peccati, ſanctificare communicantem ex opere operato, etiam ſine fide uſurpatum, &c. Hoc plus eſt quam competit cauſæ inſtrumentali, hoc ſuperſtitionem ſapit, & glo-

riam Chriſti ac Spiritus ſancti transfert in inſtrumenta.

Actor. 26. v. 18.

Conc. CCLXXI.

Hactenus promiſſionem benedictionis, quam Deus vocationi Pauli ad Apoſtolatum annexuit, conſideravimus, generaliter videntes quo ſenſu & quâ de cauſâ labori & miniſterio humano tam divina tribuantur effecta. Jam reſtat ut ipſa illa effecta divina, quæ ex labore & miniſterio Pauli, vi divinæ benedictionis ac promiſſionis, fluxura erant, particulatim explicemus. Sunt autem illa duorum generum: alia ad regenerationem & ſanctificationem, alia ad juſtificationem & glorificationem Eccleſiæ pertinent. Ad regenerationem pertinent apertio oculorum, eorumque converſio à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum. Ad felicitatem ſeu beatitudinem pertinent acceptio remiſſionis peccatorum, & hæreditatis inter ſanctos per fidem in Chriſtum. Ita ut ſacroſanctum miniſterium ſuis auditoribus ſextuplicem præſtet fructum 1. Facit ut oculi eorum aperiantur. 2. Facit ut à tenebris convertantur ad lucem. 3. Facit ut à poteſtate Satanæ convertantur ad Deum. 4. Facit ut credant in Chriſtum. 5. Facit ut per hanc fidem accipiant remiſſionem peccatorum, 6. itemque hæreditatem inter ſanctos. Habet igitur hic verſus ſummam Chriſtianæ doctrinæ, cui non nihil latius inſiſtendum.

Primus effectus miniſterii eſt apertio oculorum tum Judæorum tum gentilium. Non loquitur hic Chriſtus de apertione oculorum corporalium, quæ duplex in Scriptura habetur. 1. Apertio oculorum cæcorum Johan. 9. v. 30. 2. Oculorum retentorum, Lucæ 24. verſ. 16. 31. quo etiam referendum 2 Reg. 6. 17. 20. Num. 22. 31. Sed loquitur de apertione oculorum animæ, i. e. intellectus & conſcientiæ; *Intellectus enim & conſcientia eſt oculus hominis*, Matth. 6. v. 22. Hæc apertio oculorum animæ etiam duplex eſt in Scriptura:

1. Naturalis, quæ fit per peccatum. Eſt enim proprietas conſcientiæ humanæ, quod per commiſſionem peccati aperitur & videt cum terrore & pudore quam noxium ſit factum quod anteà putabat utile eſſe. Vid Geneſ. 3. 5. & 7. Non erat Adam cæcus, ut non videret corpus ſuum eſſe nudum & omni involucro deſtitutum: ſed conſcientia ejus per tentationes Satanæ, quibus ſe ſponte involverat, erat quaſi excæcata, ut non videret horrendum damnum quod ſecum traheret inobedientia contra Deum. Sed inobedientiâ peractâ aperitur conſcientia, ut cum terrore videat & ſentiat quam ſtultum & damnoſum opus fecerit. Hinc arbor, cujus eſu peccavit, vocatur *arbor cognitionis boni & mali*, quia per ejus eſum reipsâ expertus eſt atque ſenſit quantum eſſet diſcrimen inter ſtatum obedientiæ & inobedientiæ. Hæc naturalis apertio conſcientiæ per commiſſionem peccati etiamnum fit quotidiè. Sic Ammon ante peccatum non capiebat quod dicebat Thamar, 2 Sam. 13. v. 12. 13. 14. Sed commiſſo peccato & expletâ libidine ilicò ſentiebat, verſ. 15. 17.

Digitized by Google

Præſertim hæc apertio oculorum naturalis erit perfecta in ultimo judicio, Apoc. 20. v. 12. Sap. 5. 2. ad 7. Dum peccator in terris vivit, multa & ſæpe gravia committit peccata, quæ non ſecum ferunt aliquam magnam atque penetrantem apertionem & turbationem conſcientiæ, per quam moleſtè ſentiat quàm malè fecerit, quia ſcilicet conſcientia vel per cæcitatem originalem, vel per conſuetudinem peccandi, vel etiam per tegmen divinæ indurationis & Diabolicæ tentationis ſopita & quaſi callo obducta eſt. Sed per apparitionem filii Dei in nubibus cum fragore cœli terræque & tubâ Archangeli ita concutientur, ut non tantùm evigilaturi ſint ex ſomno corporalis mortis, ſed & callus indurationis ſquamarum inſtar ab oculo conſcientiæ deciſurus ſit, ut cum dolore & terrore videant omnia ſua peccata tanquam in libro coram ſe ſcripta.

2. Supernaturalis, ſpiritualis & cœleſtis, quæ fit à Spiritu ſancto per prædicationem verbi. Commiſſio peccati per ſe naturaliter aperit quidem oculos animæ, ut videat peccatum quod homo commiſit, ſed non aperit ſatis profundè ut videat ſalutariter. Sicut qui ebrius homicidium committit ſcit ſe commiſiſſe, ſed tamen ebrietate adeò quaſi ligatus eſt ut non fugiat à facie judicis, ſed decumbat in lecto & dormiat cum angore & metu, donec diſcutiatur ebrietatis vapor: Sic qui peccavit, aliquam quidem patitur conſcientiæ concuſſionem ſuper peccato, ſed tamen illa concuſſio non eſt tanta, ut evigilet & ſurgat atque exeat ex praxi peccati, donec Deus det per ſpiritum atque verbum, ut rupto Diaboli laqueo, quo conſcientiam tenet ſopitam, verè & ſalutariter evigilet, 2 Tim. 2. 26. 2 Cor. 3. Aperire igitur oculos animæ eſt conſcientiæ naturali, per vim peccati & Diaboli peccatorum ἀναισθήτῳ ſeu ſenſu carenti, imprimere vivum ac ſalutarem ſenſum peccati, per quem reddamur verè ſolliciti ad effugiendam condemnationem peccando promeritam. Oculus conſcientiæ naturalis eſt corruptus per peccatum, & indiget reparatione Spiritus ſancti, antequam naturam peccati & rerum ſpiritualium poſſit ſalutariter comprehendere. Sicut ſpeculum tergo nudatum incurrentem faciem tranſmittit, nec aliquam idoneam ejus repræſentationem reflectit, ita naturalis conſcientia, Spiritu Dei nudata, non ſalutariter repræſentat peccatum, ſed renovatione indiget, Prov. 20. 12. Apoc. 3. v. 18. Non tantum ex oculo conſcientiæ tollendum eſt tegmen cæcitatis, ſed etiam inſerenda nova pupilla, novus humor Chriſtallinus. Hic primus gradus converſionis, ſine quo nulla converſio ſana & ſalutaris. Hæc enim apertio ſecum fert non tantùm verum terrorem, ſed etiam verum pudorem & liquefactionem animi, quæ parit humiliationem & abnegationem ſui, cùm fame, ſiti ac deſiderio alienæ liberationis, quod non erat in apertione oculorum Judæ, nec erit in apertione oculorum quæ impiis fiet extremo judicio. Hìc enim nullus pudor, nulla liquefactio, nullum liberationis deſiderium, ſed

mera deſperatio; Apocal. 6. v. 16. Dives quidem in gehenna deſiderat & petit liberationem, Luc. 16. v. 24. imò etiam converſionem à peccatis videtur deſiderare v. 27. 28. ſed ex ſolo ſenſu pœnæ, corde permanente in eadem duritie, & in eodem deſiderio peccandi, quale erat deſiderium Bileami, Numer. 23. v. 10. & quale illorum de quibus Sap. 5. v. 5. 6. 7. Qui in terris non accipiunt verum viſum, veramque agnitionem ſuorum peccatorum, in inferno eam non accipient. Curemus ut non deſtituamur verâ agnitione noſtrorum peccatorum, nec perfunctoriè in hoc negotio agamus, contenti conſcientiâ qualicunque, & ſenſu frigido, ſed talis in nobis ſit peccati agnitio, quæ ſerium ſecum ferat terrorem, dolorem, pœnitentiam, pudorem, deteſtationem, abnegationem noſtri ipſorum, humiliationem, lachrymas, metum, vindictam, famem, ſitim, deſiderium & ſollicitudinem eluctandi ex ira Dei futura. Non deſunt nobis media, quæ, ſi non contemnantur, hoc in nobis effectum dabunt. Conſcientia ipſa naturalis, etiamſi tegmine cæcitatis obvoluta, & verâ luce deſtituta ſit, tamen ſingulis peccatis percutitur ut rugiat. Sicut nunquam malleus pulſat campanam, quin ejus ſonitu tinniant tuæ aures, ita nunquam peccando contra Legem Dei inſultas, quin conſcientia tua rugiat & mugiat. Hunc clamorem conſcientiæ, ſi non violenter ſuffoces indulgendo lætitiæ & libidinibus, ſed patiaris te caſtigari à propriis renibus, non deerit tibi agnitio peccati. Accedit prædicatio verbi, cujus non minima pars eſt annunciatio peccati; Mich. 3. v. 8. Ipſe baptiſmus quid aliud quam tuæ impuritatis teſtimonium, ipſa panis in Cœnâ Dominicâ fractio quid aliud, quam pœnæ promeritæ ocularia demonſtratio? Spiritus ſanctus, cujus accepiſti primitias, non tantum eſt ſpiritus conſolationis; ſed & ſpiritus judicii, qui mundum convincit peccati, Johan. 16. 8. Cum hic ſpiritus cor tuum pulſat; ut eſt, 2 Sam. 24. v. 10. 11. ne ſuffoca hunc pulſum, ſed pulſanti aperi, & reſponde ſicut David reſpondet ibidem. Cum Dominus te hoc ſpiritu reſpicit, *exi & lachrymas funde amaras*, Matth. 26. v. 75.

Secundus effectus miniſterii eſt converſio oculorum à tenebris ad lucem. Inter affectus oculorum eſt στραβισμὸς, ſtrabiſmus, oculi quædam convulſio & diſtortio, quâ is in obliquum ita contorquetur, ut nequeat amborum unus aſpectus eſſe. Hæc perverſio oculi requirit converſionem. Sic intellectus & conſcientia quoque naturaliter perverſa eſt, ut, cùm debeat ſurſum tueri quæ cœleſtia ſunt, non niſi deorſum tueatur, ubi nihil præter tenebras, adeoque converſione opus habet, ut poſſit τὰ ἄνω φρονεῖν, Coloſſ. 3. v. 2. Per tenebras intelliguntur hic errores, quos mens humana fovet in negotio religionis. Aſpicite Gentes, Turcas, Judæos, hæreticos Chriſtianos qui monſtroſos errores tenent in negotio ſalutis, & tamen hos omnes errores intuentur ut veritatem; ſicut qui luſcus eſt & obtortos habet oculos, novum ſepis pa-

Digitized by Google

lum cernit eſſe album equum. Hi errores rectè vocantur tenebræ partim quia fluunt ex imaginatione obtenebrati intellectus, partim quia inſpirantur ab infernali ſpiritu, qui eſt poteſtas tenebrarum. Per lucem intelligitur cœleſtis veritas manifeſtata in myſteriis Euangelii. Hæc verè lux cœleſtis, non qualem dat ignis in foco, non qualis ex nubibus fulget, aut ex Sole coruſcat, ſed lux verè divina ex mente Dei, ex ſinu Patris per Chriſtum prolata, Scripturarum ſiliquis involuta; & per Spiritum ſanctum in oculum naturalis intellectus & conſcientiæ implantata. Non enim ſufficit ad converſionem aperire oculum intellectus, tollendo tegmen cæcitatis, ut penetrare poſſit ſenſus peccati, ſed & nova lux implantanda in oculum, per quam diſcernatur error infernalis à cœleſti veritate; & hoc non tantum fit per apertionem Scripturæ, ſed etiam per apertionem oculorum, Luc. 24. v. 32. & 45. inter ſe collatis, per quam nobis dantur oculi quaſi novi, Epheſ. 3. v. 16. & Iſai. 42. v. 7. *& ſic in luce Dei videmus lucem Dei*, Pſalm. 36. Sicut igitur primus gradus converſionis eſt vera agnitio peccati, ita ſecundus eſt vera agnitio myſteriorum & voluntatis divinæ in Scripturis revelatæ. Hæc agnitio myſteriorum & Legis habet tres gradus:

1. Primus eſt ſcientia veritatis. Ignorantia cæcitas eſt, & qui neſcit quid ſit in Scriptura, cæcus eſt. Verbum igitur prædicatum auditoribus dat notitiam veritatis revelatæ. Hæc tamen ſcientia veritatis poteſt eſſe non ſalutaris. Poſſunt enim & illi, qui non ſunt ſalutariter illuminati, ſcientiam habere orthodoxæ veritatis, ſicut Bileam, Judas &c.

2. Secundus igitur gradus veræ agnitionis eſt fides veritatis revelatæ, per quam mens noſtra in veritatem collocatur, ut ei firmiter adhæreat. Hoc ſalvificum. Niſi Spiritus ſanctus cor noſtrum figat in veritatem revelatam; eamque illi aglutinet, non adhæret veritati. Sicut acus in pyxide nautica non adhæret Septentrioni niſi ſit illita magnete, ſic animus non figitur in veritate, niſi à Spiritu S. perſuaſus. Hoc illud 1 Petr. 5. 10. Etiam Diabolus, etiam impii ſciunt veritatem, ſed cor eorum non eſt radicatum in veritate. Aliter ſe res habet in piis quorum cor adhæret teſtimoniis Dei, Pſal. 119. 31. *Spiritus teſtatur & perſuadet quod verbum ſit veritas*, alioqui non crederent. 1 Johan. 5. 6.

3. Tertius gradus agnitionis eſt comprehenſio veritatis. Multi habent fidem, veritatis, per quam veritatem retinent, etiam cum propriæ rationi videtur contraria, & tamen non habent magnam aliquam comprehenſionem veritatis, quæ totam mentem occupet & oblectet. Cum autem hæc accedit, tùm demum ſcientia & agnitio veritatis fit lætifica, cor dilatans & efficiens, ut curramus & ſtemus in veritate etiam ſub perſequutione veritatis. Huc pertinet illud, Pſal. 119. 18. Eph. 1. 18. & 3. 18. Cum quod ſcimus & credimus etiam comprehendimus, & charecteres divinitatis, nec non aptitudinem ad operandam peccatoris ſalutem in illo diſcernimus, hoc demum animum lætificat, & in agnitione veritatis ſtabilem ac firmatum reddit.

Actor.

Digitized by Google

Actor. 26. v. 18.

CONC. CCLXXII.

ADmirandus eſt honor, quem Chriſtus Apoſtolis ſuis tribuit, dum eos vocat *ſal terræ & lucem mundi,* Matth. 5. 13. 14. Magnus eſt honor quem dat Magiſtratibus & Regibus terræ, dum eos vocat *ſuos ſervos & Deos,* Pſalm. 82. v. 6. *ſuos Paſtores & unctos,* Eſa. 44. 28. & 45. 1. Sed rectè conſideranti major eſt honor quem Chriſtus dat Apoſtolis, quàm quem Deus dat Magiſtratibus. Regum honor habet plus auctoritatis & ſplendoris, ſed Apoſtolorum plus dignitatis & utilitatis. Reges ſunt inſtrumenta iræ divinæ ad pœnam maleficorum, ſed Apoſtoli ſunt inſtrumenta gratiæ divinæ ad æternam ſalutem peccatoris. Reges defendunt atque protegunt eos qui ſunt juſti & probi, ſed Apoſtoli faciunt juſtos & probos peccatores injuſtos & improbos. Veruntamen probè ſciendum quo ſenſu Chriſtus Apoſtolis hunc honorem tribuat. Nam ſi hoc non rectè intellexerimus, & Chriſto faciemus injuriam, & ſacroſanctum Miniſterium ordinarium, quo Deus Eccleſiam collegit poſt Apoſtolos, ſuo honore ſpoliabimus. Si Apoſtolos proprio ſenſu habemus pro ſale terræ & luce mundi, Apoſtolis tribuimus quod ſoli Chriſto competit. *Ille enim ſolus ſal terræ per ſpiritum ſuum corruptionem Eccleſiæ auferens,* Marc. 9. 49. 50. Sicut ſacrificia Veteris Teſtamenti condiebantur ſale, ita unuſquiſque fidelis ſale ſpiritus condiendus, præcipue illi qui ad alios docendos mittuntur. Nam ſi hi ſunt ſine ſale, non condient alios. *Ille quoque Chriſtus ſolus lux mundi, per radios juſtitiæ nos glorioſos, juſtos atque acceptos ſiſtens coram Deo, & per radios ſpiritus ſui oculos Eccleſiæ illuminans & corda ejus vivificans.* Vid. Ioh. 9. 12. Eſa. 42. 6. 7. Luc. 2. 32. Iohan. 1. 6. ad 10. Coloſſ. 1. 13. Hunc titulum, ſibi ſoli de jure competentem, metonymicè tribuit Chriſtus Apoſtolis, quia ſunt vaſa & inſtrumenta deferentia ſalem & lucem quæ fluit ex Chriſto auctore in Eccleſiam, ut Chriſtus ſe ipſum declarat, Actor. 9. 15. & Paulus 2 Corinth. 4. 7. Sicut ſtellæ cœli ſunt vaſa deferentia & diſtribuentia lucem, quam Deus prima die creavit, ita Apoſtoli deferunt lucem & Spiritum Chriſti. Sic intelligendus hic titulus, ut Apoſtoli non convertantur in idola, nec cæteris Miniſtris Chriſti, quorum operâ præter Apoſtolos in ædificanda Eccleſia utitur, ſuus adimatur honos, ſuumque laboris ſolatium. Papiſtæ propter hunc titulum Apoſtolos eximunt ex numero communium hominum, & tanquam Deos adorant. Hæretici & Ethuſiaſtæ ita ſolis Apoſtolis hunc honorem tribuunt, ut dicant inde ab Apoſtolorum tempore neminem fuiſſe, qui ſal terræ & lux mundi vocari poſſit, nec ullo modo hunc titulum tribuendum eſſe iis, qui poſt Apoſtolorum tempora mediatè per Eccleſiam ad SS. Eccleſiæ Miniſterium vocati ſunt. Fatemur Apoſtolis ſuam competere prærogativam. Sicut enim in domo vel culina una candela ab igne accenſa accendit candelas alias, ita

Digitized by Google

ita Apoſtoli ſunt prima candela, quæ à Chriſto, igne, & prima lucis origine accenſa, ut eſt 2 Corinth. 4. 6. omnes alias Eccleſiæ candelas accendit. Scripta enim Apoſtolica & Prophetica accendunt omnes fideles ut fiant lumina in generatione curva, & præſertim omnes ordinarios Eccleſiæ Miniſtros, legitimè vocatos & in publico candelabro poſitos, ut ſint candela prælucens Eccleſiæ ad vitam æternam. Sicut ignis, qui ex cœlo decidit in altare V. T. accendit omnes ignes quotidianos in eodem altari uſque ad deſtructionem templi, Levit. 9. 24. Levit. 6. 9. 12. ita ora & ſcripta Apoſtolorum & Prophetarum ſunt illa lux ex cœlo delapſa, quæ omnes ordinarios Eccleſiæ Miniſtros accendit, ut ſint lux Eccleſiæ. Eſt igitur ille honos Apoſtolis quidem aliquo pacto ſingularis, ſed nihilominus omnibus legitimè vocatis Eccleſiæ Miniſtris communis, adeoque, quod hoc noſtro textu Paulo Apoſtolo tribuitur, etiam inter effecta fructuſque ordinarii Miniſterii recenſeri debet. Cœpimus nuper particulatim recenſere ſex fructus Sacroſancti Miniſterii, quos præſtat Eccleſiæ Chriſti, duoſque primos abſolvimus, nunc ad tertium percurſuri, qui eſt, quod oculos auditorum convertunt à poteſtate Satanæ ad Deum. Cum enim homo peccator per apertionem & reparationem corruptæ conſcientiæ ad verum ſenſum peccati adactus eſt, & revelatam veritatem Euangelii didicit, credidit, & lucem Dei, in illâ ſplendentem, comprehendere cæpit, tum ſponte ſe avertit à ſervitute Diaboli. Non diſputabo nunc ſpinoſam illam quæſtionem philoſophicam, an voluntas naturaliter & neceſſariò ſequatur judicium intellectus, & neceſſariò faciat vel omittat quod intellectus & conſcientia omittendum vel faciendum judicat? Hanc, inquam, quæſtionem nunc non diſputamus. Hoc autem certum eſt quod lux illa, quæ à Spiritu ſancto per verbum infunditur in conſcientiam & intellectum, & in illis accendit verum ſenſum, veramque agnitionem fidem & comprehenſionem veritatis Euangelicæ, tam efficax ſit, & per continuum influxum Spiritus ſancti ita ſecundetur, ut voluntatem & affectus noſtros non relinquat ſub ſervitute, dominio & poteſtate Diaboli, nec in indifferentia quadam poſitos inter bonum & malum, ſed eos efficaciter à malo avertat & ad Deum convertat. Ideò hæc adeò conjunguntur. Conſcientia ſenſu miſeriæ accenſa deſiderat agnitionem mediorum per quæ ſalvemur. Intellectus, luce veritatis accenſus, emollit voluntatem & affectus, eoſque ita mutat, ut poteſtate Diaboli ſe ſponte ſubtrahant. *Vera enim agnitio veritatis ſecundùm pietatem eſt*, Tit. 1. 1. Porrò ſciendum, quod per poteſtatem Satanæ non ſimpliciter hîc intelligatur naturalis ejus vis & potentia, ſed malitioſa & hoſtilis ejus machinatio, quâ cupit perdere quicquid eſt bonum. Satan eſt hoſtis omnium eorum qui ſunt boni, & quidem hoſtis potens. De hoſtili potentia Satanæ Chriſtus loquitur; Eſt enim:

1. Hoſtis Dei. Eſt θεομάχος, potenter Deum oppugnans eique relu-

 ctans,

Digitized by Google

ctans; ardenſque malitioſâ quadam contrà Deum vindictâ objectionem ex cœlo, & propter inflictionem pœnæ. Patet hoc non tantùm ex primo ipſius peccato, quo contrà Deum inſurrexit & rebellavit, quod quale fuerit ignoratur, ſed præcipuè ex ſeductione primi hominis, in qua expreſsè Deum apud hominem calumniatur, quod homini invideat majorem felicitatem, adeoque clarè indicat, quod malitia ſua non tantùm feratur in hominem, ut eum perdat, ſed præcipuè in Deum, ut eum ſpoliet excellentiſſimo illo opere, quod ad æternam ſuam delectationem ſibi ipſi condiderat. Et ſi qui inter homines ſunt θεομάχοι, Actor. 5. 39. ſi qui θεοστυγεῖς, Rom. 1. 30. non tantùm ſuo arbitrio tales ſunt, ſed præcipuè Satanæ inſtinctu, Actor. 13. v. 10. At enim quî hoc probabile, quòd Satan adverſus ipſum Deum bellum ſuſcipiat atque gerat. Utique, *cùm modò cogitat eſſe Deum, contremiſcit*, Iacob. 2. 3. & cùm ſit ſpiritus ſagax & magni intellectus, probè utique intelligit illud Chriſti, Luc. 14. v. 31. Scit ſe Deum nec vincere nec perdere, imò ne affligere quidem poſſe, cur igitur inimicitiam & bellum contrà ipſum ſuſciperet? *Reſpond.* Eſt ſagacitas & ſcientia Satanæ magna, ſed malitia major, quæ ſcientiam vincit, & facit ut agat quod abſurdum, impoſſibile & damnoſum ſibi fore ipſemet intelligit ac probè nôvit. Sicut ſunt homines, quibus non incognitũ, quod quæ occipiunt malefacta abſurda ſint & impoſſibilia, & tamen per abundantiam malitiæ ita præcipitantur, ut non deſinant tentare quod ſciunt ſe non poſſe effectum dare, ita Diabolus. Satan igitur non tantùm creaturarum Dei, ſed ipſius Dei hoſtis eſt.

2. Hoſtis Chriſti. Non inquiram nunc an ab initio creationis filius Dei omnibus Angelis fuerit præpoſitus princeps, cujus imperium Satan ægrè ferens rebellaverit præcipuè contra filium Dei. Hoc certum quod poſtquam intellexit, filium Dei deſignatum in mediatorem, qui homines in poteſtatem Satanæ lapſos indè erueret & ad Deum reduceret, eoque fine incarnatum in mundum veniſſe, in hunc potiſſimum totum ſuum odium converterit, eumque perdere & vincere omni ope ſategerit, nec tantùm propriæ malitiæ impulſu in Chriſtum involaverit, & homines contra eum incitaverit, ſed etiam à Deo ipſo ſingularem quandam poteſtatem in Chriſtum acceperit, ut eum, qui reatus noſtri ſponſorem ſe ſtiterat coram tribunali divino, ut Dei lictor & Miniſter affligeret, & ſupplicium peccatis noſtris dignum ab ipſo ſumeret. Ex hac poteſtate fluxit illa gravis Chriſti tentatio, Matth. 4. Hæc illa hora & poteſtas tenebrarum quæ ſuper Chriſtum venit, Luc. 22. 53. Ioh. 14. 30. venit & non habet. Non poteſt me quidem vincere & perdere, ſed tamen affligere poteſt, & occidere ex Dei commiſſione propter veſtra peccata quorum ego ſponſor ſum. Ideò mors & paſſio Chriſti fuit lucta cum Satana, & reſurrectio ejus fuit debellatio Satanæ, Coloſſ. 2. 15. Et cum hodieque Satan Eccleſiam Chriſti oppugnat, hoc non tantùm fluit ex mali-

tia

Digitized by Google

tia ejus contra homines, quibus beatitudinem invidet, ſed præcipuè ex odio Chriſti, cui invidet prædam ſibi ereptam.

3. Hoſtis ſanctorum Angelorum. Etſi enim eandem cum ipſis etiamnum habet naturam, eſtque ſpiritus magnæ ſcientiæ, agilitatis ac potentiæ ſicut illi, tamen per apoſtaſiam à Deo illorum quoque hoſtis factus eſt. Vide Dan. 10. 13. & 21. Satan Princeps Mundi Dei juſto judicio factus, & magnam poteſtatem nactus in Regna & Imperia Mundi nititur omnia ſurſum deorſum vertere, nec unquam humano generi ullam concederet in terris pacem, niſi Deus contra ipſum pugnaret per ſanctos Angelos & furorem ejus compeſceret. Præſertim piis Eccleſiæ Chriſtianæ membris pacem nullam daret, niſi ſanctorum Angelorum Miniſterio cuſtodirentur, Pſalm. 34. 8. Pſalm. 91. v. 11. 12. Hebr. 1. 14. Apoc. 12. 7. Non tantùm habent pii internum præſidium Spiritus ſancti cordibus impoſitum, *quo ſervantur immoti in ſimplicitate Chriſti*, Philip. 4. 7. cum 2 Corinth. 11. v. 3. Sed etiam externum præſidium ſanctorum Angelorum. Quoniam igitur ſancti Angeli Dei juſſu contra Satanam pugnare, & ſanctos ab ejus maliciis defendunt, ideò etiam Angelorum eſt hoſtis.

4. Hoſtis hominum, idque magno cum diſcrimine. Omnium hominum hoſtis eſt, ſed tamen magno cum diſcrimine. Nam

a. Erat hoſtis Adami cum erat integer, quem hoſtili potentiâ adortus eſt & vicit atque occidit, Iohan. 8. 44. *Cur quæſo.* Quid Adam ipſi fecerat, cur odio ejus dignus eſſet? *Reſp.* Duplex cauſa erat in Adamo, cur Satan ipſi hoſtis erat: 1. Quia ſanctus erat. Quicquid ſanctum eſt Diabolo odioſum eſt, *quippè qui præcipuè eſt hoſtis omnis juſtitiæ*, Actor. 13. 10. 2. Quia erat Dei amicus & per eum felix.

Invidia igitur Adamo hoſtem fecit Satanam. Calumniabatur Deum apud Evam, quòd ex invidia, prohibuiſſet fructum arboris, ſed reverà ipſum ſtimulabat invidia, in hominem felicem. Qualis autem erat poteſtas quam in primos parentes habuit Satanas. Non niſi poteſtas tentandi. Non habebat poteſtatem cogendi, & ne ſeducendi quidem propriè, ut poſteà patebit, ſed tantùm tentandi, & peccatum ſuadendi. Hanc Deus ipſi in primos parentes conceſſerat, ſed parentes noſtri non debebant Satanæ tantum poteſtatis in ſe conceſſiſſe, ut tentare potuiſſet, ſed extemplo tentationem repellere, dicentes: ſcriptum eſt in noſtris cordibus, quòd ſolus Deus ſit noſter creator, cui ſoli debemus auſcultare. Abi igitur à nobis tentator quiſquis es. Si ſic feciſſent, & Diabolo reſtitiſſent, ut per vires concreatas reſiſtere poterant, Satan quidem ad eos veniſſet eoſque tentaſſet, ſed tentatione ſua non prævaluiſſet. Tentare hominem penes Diabolum erat, ſed tentationibus ſeduci vel non ſeduci non erat in arbitrio Diaboli, ſed in poteſtate hominis.

b. Eſt hoſtis poſterorum Adami, qui per Adami peccatum rei facti ſunt coram Deo. In hos aliam longè poteſtatem habet, quàm habuit in Adamum.

Digitized by Google

mum. In hos enim habet poteſtatem divinitus datam, ut eos tanquam lictor Dei & miniſter divinæ juſtitiæ propter peccatum puniat & perdat. *In hos habet poteſtatem mortis ac poteſtatem ſeductionis* Hebr. 2. 14. 2 Timoth. 2. 26. Poteſtatem mortis habet in omnes Adami poſteros, naturaliter ex ipſo deſcendentes, etiam in infantes & rationis uſu nondum compotes, Rom. 5. v. 14. Hos poteſt affligere & occidere. Sed poteſtatem ſeducendi habet in eos qui adoleverunt & rationis uſum habent ut ſeduci poſſint. His injicit laqueum, & tanquam captivos ſeducit ad ſuam voluntatem Non tantùm tentat ſicut Adamum, ſed habet poteſtatem eos ſeducendi, utpote reſiſtendi poteſtate deſtitutos, & in corde gerentes concupiſcentiam agnatam, quâ ad peccandum proni tanquam laqueo prehenduntur & abducuntur ſine vera reſiſtentia & reluctatione. Eſt quidem eadem concupiſcentia in infantibus, & tamen in iis locum habere non poteſt ſeductio Diaboli, quia intellectum non habent ſuaſionis capacem, in quem operari poſſit Satan per argumenta & rationes. Sed qui ad uſum rationis pervenerunt, horum intellectum poteſt excæcare per ſtratagemata & ſufflationem concupiſcentiæ, ut eos facili negotio pertrahat ad faciendũ quod vult malum. Et quantò lubentius homines ſe patiuntur ſeduci, tantò majorem poteſtatem & ſeducendi & torquendi obtinet juſto Dei judicio in ipſos. Etſi enim homines corrupti non habent poteſtatem reſiſtendi tentationibus Diaboli ſalutariter & perfectè ſicut Adam habebat, tamen non deſtituuntur omni poteſtate reſiſtendi ſeductionibus Satanæ, quippe in ſe habentes notitiam diſcernendi bonum à malo, ſtimuloſque conſcientiæ contra malum, extus quoque habentes dehortationes & diſciplinam œconomicam, politicam & Eccleſiaſticam, quibus ad tentationes Satanæ repellendas invitantur, & quantò libentius iis indulgent, quantò lubentius & liberius media reſtringendi ſuas cupiditates contemnunt, quantò lubentius ſe Satanæ exponunt, tantò magis Deum irritant, ut retrahere deſinat, donec tandem poteſtas Satanæ, reſtrictione divina deſtituta, ita creſcit in illos, ut ſint incurabiles. Verum antequam hoc fit, antequam poteſtas Satanæ ſuper homines rationis compotes euſque invaleſcit ut planè ſint incurabiles, Miniſtri Euangelii medium ſunt, quod homines poteſt convertere à poteſtate Satanæ ad Deum. Sunt homines, quibus Euangelium prædicatur, ſub poteſtate Diaboli, tùm ſub poteſtate mortis, tùm ſub poteſtate ſeductionis, non habent in ſe ullam vim reluctandi & eluctandi ex poteſtate Satanæ: Attamen prædicatio Euangelii Chriſti, quæ fit per Miniſterium hominum à Chriſto vocatorum, eſt verum medium per quod Deus eripere poteſt ex poteſtate Satanæ, ut vivant & non moriantur, ut Deo obedientes fiant & non Diabolo. Et hæc illa vis atque virtus muneris Apoſtolici & totius Sacroſancti Miniſterii, de qua hic noſter textus agit. Non poteſt per Miniſterium quiſquam à Diabolo ad Deum converti, quem Diabolus in antrum

Digitized by Google

antrum inferni pertraxit, nec quiſquam, quem juſto Dei judicio propter diuturnum Euangelii contemptum laqueo indurationis & reprobæ mentis ligavit. Præda, quam eouſque ingluti-vit & pertraxit Satanas, juſto Dei judicio, eripi ipſi non poteſt. Hæc enim ipſi ceſſit in peculium, cujus tormentatione ſe ipſum delectat & ſolatur in angoribus ſuis. Sed antequam res eò pervenit, magna quidem eſt poteſtas Satanæ in homines, & invincibilis per vires naturæ, attamen ſanabilis & vincibilis per Euangelium, quod prædicamus. Sicut enim Angelus ille Petrum, ita concluſum & conſtrictum ut movere ſeſe non poſſet, per lucem & claritatem, quam ſecum ferebat, perque concuſſionem lateris & hortationem ſurgendi ita commovit, ut non ſolum ex ſomno evigilaret, ſed etiam à catenis & clauſtris liberatus ſpontè incederet, & Angelum ſequeretur per omnes oppoſitiones, Actor. 12. 6. &c. Eodem planè modo Miniſtri Euangelii per ſplendorem divini verbi non tantum hortantur homines ad converſionem, ſed hortando ita illuminant & commovent, ut à poteſtate Diaboli liberati, & virtute Spiritus ſancti roborati à voluntate Diaboli ſe avertant, verbumque ſequantur per omnia obſtacula Diabolica & humana, donec in vitam æternam introiverint. Hæc virtus prædicati Euangelii, unde vocatur *potentia Dei ad ſalutem*, *brachium Domini*, Eſa. 52. Rom. 1. Miniſterium vocatur *exercitus Chriſti*, per quem robuſtum illum armatum ligat, domum ejus intrat, & vaſa ejus prædatur, Matth. 12. Hæc doctrina demonſtrat Euangelium non fruſtra prædicari hominibus in ſtatu naturæ conſtitutis, & per peccatum ita debilitatis ac mortuis, ut ſe convertere non poſſint, poteſtate Diaboli conſtrictis; ſed homines per prædicationem Euangelii reverâ poſſe converti. Nec tamen hæc doctrina vel liberum Dei beneplacitum in hominum converſione evertit, vel liberi arbitrii idolum erigit, naturalemque, & perfectam hominis impotentiam negat ad ſe ipſum convertendum. Nam cum aliqui homines per Euangelium convertuntur, alii non convertuntur; hoc non fluit inde, quaſi alii ſuâ naturâ minus ſint poteſtati Satanæ ſubjecti, quàm alii: ſed inde, quòd Euangelium non convertit ſuâ propriâ vi, ſed virtute Dei operantis per Euangelium pro beneplacito. Hinc fluit quod Miniſterium Euangelii eſt potentia Dei ad ſalutem.

c. Eſt denique hoſtis eorum, qui per Chriſtum juſtificati & ad Deum converſi ſunt. Horum præcipuus adverſarius eſt, 1 Petr. 5. 8. *Hos cribrat inſtar tritici*, Luc. 22. 31. *Hos accuſat, & inquietat diu noctuque*, Apocalyp. 12. 10. His quoque neceſſarium quotidiè precari: *Libera nos à malo*, Matth. 6. Non habet quidem in hos poteſtatem tantam quantam habet in homines naturales, & carnales. Hi enim evigilârunt ex ejus laqueo, nec captivi ſunt ad ejus voluntatem, liberatique à dominio peccati, & ſic à poteſtate Satanæ, ut ſeduci non poſſint. Poſſunt tentari ſicut Adam, ſed non poſſunt ſeduci ſicut Adam. Plus potentiæ habet in juſtificatos peccatores, quàm in Ada-

Digitized by Google

mum non peccatorem. Adam enim perfectus erat in ſanctitate, & carne & ſanguine deſtitutus, per quam Satanas in voluntatem ejus operari potuiſſet: at juſtificati peccatores & in fide ac ſanctificatione ſunt imperfecti, & fomitem peccati & concupiſcentiæ in ſe gerunt, qui ex tentationibus Satanæ ſeductiones facilè concipit, ut etiam contra voluntatem, propoſitum, atque ſeriam reluctationem in peccatum præcipitentur, etiam graviſſimum, idque ſæpiſſimè. Et tamen Adamum ſeducere potuit, juſtificatos non poteſt. Quî fit hoc? quia hi ſunt ſub præſidio Spiritus ſancti, & defenduntur contra vim Satanæ per interceſſionem Chriſti apud Deum. *Object.* At Paulus metuit 2 Corinth. 11. 2. 3. *Ne ſerpens juſtificatos ſeducat ſicut Evam ſeduxit. Reſpondeo*, non vocat in dubium Dei cuſtodiam, ſed juſtificatorum ſollicitudinem extimulat, dicens, ſine illa certitudinem ſalutis eſſe nullam. En hæc magna illa poteſtas, quam Satanas habet, præſertim quàm habet in homines peccatores, tum juſtificatos per Chriſtum, tum in ſtatu naturæ conſtitutos, ut de omnibus hiſcè dici poſſit illud, Apoc. 12. 12. ideoque hîc eſt:

I. Commonefactio pro iis, qui ſuæ converſionis nondum habent idonea ſigna, atque fructus evidentes. Ne deſperate, ne prætendite converſionis veſtræ impoſſibilitatem propter magnitudinem potentiæ, quam habet in vos Satanas. Euangelium enim quod quotidie vobis prædicatur, eſt potentia Dei, & brachium Domini. Hoc autem curate, ne voluntariâ & petulante reluctatione & contemptu regnum Dei à vobis repellatis, & potentiæ Diaboli vos proſtituatis. Ne contemnite ſacroſanctum Miniſterium, eique vos ſubducite, ne negligite preces, & implorationem divinæ protectionis, ne vivite extra communionem Eccleſiæ, extra quam Satanas dominatur ſine reſtrictione, ne ambulate in otio, quod eſt pulvinar Satanæ, ne indulgete iræ, & invidiæ, quæ ſunt laqueus, quo vos trahere poteſt quò vult, ne inebriemini, ut ſine præſidio rationis expoſiti ſitis cribrationi Satanæ, ne pravæ ſocietati vos immiſcete, quæ eſt illex Satanæ, ne ſaltationibus, comœdiis, aliiſque vanis exercitiis, quæ antiqua Satanæ ſeductionis, ſunt inſtrumenta. Si ſecus facitis, ne culpam veſtræ perditionis conjicite in Adamum, ne in potentiam Satanæ, ne in defectum gratiæ divinæ, vos cauſa veſtri exitii, vos voſmet præcipitatis in barathrum miſeriæ, vos voſmet vitâ cœli indignos judicatis. Janua gratiæ vobis erat aperta, media ſalutis in veſtrâ manu ſunt, quibus à poteſtate Diaboli liberari poteſtis, ſed vos ultrò peritis. Ne ſitis ſicut aves ſtupidæ, quæ aucipem non metuunt. Quàm triſte eſt, homines adeò eſſe ſecuros ſalutis, & in vitandis ejus impedimentis incautos, ac ſi ſalus peccatorum in nullo eſſet periculo, ac ſi nullus eſſet ſpiritus tentator, qui ſaluti eorum inſidias ſtrueret? Si æquum eſt juſtos, qui ſtant ſub præſidio Spiritus ſancti invincibili, tamen videre ne cadant, & metuere, ne ſeducantur. 2 Corinth. 11. 2. 3. (metu ſcilicet filiali) an non æquum eſt illos metuere

Digitized by Google

tuere jacturam ſalutis quibus nulla converſionis & juſtificationis ſunt ſigna?

2. Conſolatio pro piis. Habet in hos quoque poteſtatem Satanas. Sed ſint bono animo: *Venit & non habet.* Armati ſunt panopliâ Dei, habent præſidium Spiritus S., cincti cuſtodiâ Angelorum, defenſi per intercesſionem Chriſti, portæ inferorum eos non ſuperabunt, ſed Deus Satanam ſub pedes eorum conculcabit brevi.

Actor. 26. *v.* 18.

Conc. CCLXXIII.

Reſtant tres ultimi fructus, quos ex ſacroſancto Miniſterio accipit Eccleſia, quos ſtrictim delibabimus. Quartus itaque fructus Miniſterii eſt fides in Chriſtum efficit enim Miniſterium ſuo labore, ut homines credant in Chriſtum. Ponitur quidem hîc ultimo loco, ſed tali tamen conſtructione, ut ſatis appareat, quòd ei debeatur locus quartus. Poſtquam enim illuminati & converſi ſumus, credimus in Chriſtum, accipimuſque remisſionem, & hæreditatem. Sed annon fides includitur in converſione, & eſt pars converſionis? Cur igitur hîc à converſione diſtinguitur? *Reſp.* Fides dupliciter conſideratur, legaliter, & Euangelicè; ſeu ut opus legis, & ut organum Euangelii juſtificantis. Non Euangelium ſolum præcipit ut credamus in Chriſtum, ſed & lex. Eſt enim fides inter virtutes & bona opera primo Decalogi præcepta ſancita ſicut enim infidelitas eſt vitium contra primum præceptum, ita fides virtus, Hebr. 1. 6. *Sine fide cætera opera ſunt peccatum,* Rom. 14. 23. Qui Deo diffidit, Deum non æſtimat veracem, quod eſt peccare in legem; unde & Adami primum peccatum hunc habuit primum gradum, quòd non credidit ſe ſatis beatum fore, niſi legem tranſgrederetur, & de vetitâ arbore commederet. Hoc itaque ſenſu fides ad converſionem à Diabolo ad Deum pertinet: nemo enim, qui Diabolo plus credit quam Deo, ſic converſus eſt. Eſt tamen aliquis actus fidei in Euangelio præceptus, qui lege non præcipitur, ſcil. *credere in Chriſtum,* Iohan. 6. 29. 1 Iohan. 3. 23. Fides Adami erat obedientia ſolius legis, ſed fides noſtra eſt obedientia Legis & Euangelii. Obedimus legi cum credimus Deum eſſe veracem & ſanctum in omnibus præceptis, & promisſis; obedimus Euangelio, cum credimus, quod Deus in Euangelio jubet credere de Chriſto mediatore. Adami igitur fides & noſtra fides non differunt naturâ, ſed tantum objecto; non quòd Adami fides ſit alia fides, quàm noſtra, ſed quia noſtra fides plura & diverſa credit, quàm Adam credidit. Eadem potentia credendi, quæ per prævaricationem legis fuit amiſſa, per prædicationem Euangelii in nobis regignitur. Fides igitur legaliter conſiderata, quatenus fertur in Deum creatorem & conſervatorem, includitur in converſione à Satana ad Deum, quam lex requirit: Sed Euangelicè conſiderata, quatenus reſpicit Chriſtum mediatorem & ſalvatorem, eſt aliquid præter

Digitized by Google

illam fidem & obedientiam quam lex requirunt. Marc. 1. 15. Eſt enim opus non in Lege ſed in Euangelio præceptum: non eſt opus, quo juſtitia Legis impletur, ſed eſt opus organicum, quo injuſtus Legis prævaricator juſtitiam accipit, qua coram Deo conſiſtere poteſt.

Quid igitur eſt fides Euangelicè conſiderata, & à converſione ad Legem Dei diſtincta? Definitur hoc loco, quòd ſit motus in Chriſtum, quo illuminati, & converſi à Satana ad Deum, accipiunt remiſſionem peccatorum & hæreditatem inter ſanctos. Quæri hìc poſſit, an igitur illuminatio conſcientiæ, & intellectus, itemque converſio à Satana ad Deum fiat, antequam per fidem in Chriſtum accipitur remiſſio peccatorum & hæreditatis? Cum tamen converſio ſoleat referri inter effecta fidei? Actor. 2. v. 38. *Reſp.* Hæc quæſtio non eſt magni momenti. Cum unum datur, datur ſimul & alterum, etiamſi deinde fides in Chriſtum converſionem ad Deum per augmentationem Spiritus S. magis magiſque roboret. Habemus in hac definitione fidei duos gradus: 1. Motum hominis ad Chriſtum. Nam præpoſitio εἰς notat motum ad aliquid, πίςιᾳ τῇ εἰς ἐμὲ. 2. Acceptationem beneficiorum à Chriſto. Nam fides non tantum hominem ad Chriſtum & in Chriſtum ducit: ſed etiam à Chriſto accipit & reportat beneficia.

I. Πίςις ἡ εἰς ἐμὲ, id eſt fides, *quâ homo ad me venit*, Iohan. 6. 35. *in me credit*, Ioh. 3. 16. Mihi innititur, & in me recumbit, mihique adhæret, me amplectitur, recipit, atque tenet tanquam rupem ſuæ conſervationis & cauſam unicam omnis ſalutis; præcipuè tum, cum tentationes, caſtigationes, & perſequutiones tam divinæ quam diabolicæ & humanæ nos premunt, & in deſperationem demergere ſatagunt. Hic prior, & præcipuus gradus fidei, *per quem Chriſto inſerimur, ac unimur, ut cum ipſo fiamus unum corpus & unus ſpiritus*, 1 Corinth. 6. 17. Non poſſemus Chriſti beneficia accipere & reportare, niſi Chriſto eſſemus inſiti & uniti. Sicut ſurculus non trahit ſuccum ex arbore niſi priùs radicatus ſit in arbore: ſicut in matrimonio contrahendo duo reſpiciuntur: 1. Perſona. 2. Bona, & qui ſolum adhæret bonis, nec bene affectus eſt in perſonam, inſincerè contrahit: ſic non eſt ſincera fides, quæ beneficia Chriſti reſpicit, & recipit, nec ipſi Chriſto toto corde adhæret.

II. Accipiunt remiſſionem, &c. Prior gradus fidei eſt accedere ad Chriſtum, poſterior accipere & reportare à Chriſto beneficia. Sicut ſurculus arbori inſitus, ex arbore trahit ſuccum & vitam, ita Chriſto inſiti ex Chriſto accipimus & trahimus beneficia. *Sicut* qui in contrahendo matrimonio cor ſuum ſyncerè conjecit in perſonam, ei fas eſt ejus perſonæ bona accipere & adire ut ſua: ita qui cor ſuum in Chriſtum conjicit tanquam in unicum ſuum fulcrum, unicumque ſalutis autorem, ei jus & fas eſt ſibi applicare juſtificationem, & adoptionem, dicereque, mihi mea peccata ſunt remiſſa, ego adoptatus ſum in filium Dei, & hæredi-

Digitized by Google

hæreditatem ſalutis,& ſic ſcio me nunquam ſeparatum iri à charitate Dei. Prioris gradus exemplum eſt in Davide, Pſalm. 42. 12. In Jobo cap. 13. 15. In Petro Matth. 26. v. 35. In Paulo 2 Timoth. 1. 11. In omni juſto Prov. 14. 32. Hebr. 10 38. 39. Coloſſ. 1. 23. Poſterioris gradus exemplum & deſcriptio eſt Pſalm. 18. 2. 3. Pſalm. 103. v. 3. 4. 5. Pſalm. 23. 1. Hab. 3. 17. 18. 19. Sic itaque fides non tantùm Chriſtum ipſum apprehendit, & ſibi ut ſuum applicat, ſed etiam beneficia Chriſti, præcipuè remiſſionem peccatorum & hæreditatem inter ſanctos. Hinc textus dicit, quod remiſſionem, &c. accipiamus non poſt fidem, ſed per fidem. Poſt meritum ſuum operarius accipit mercedem per manum, per quam datam ad ſe transfert, & ſecum aufert. Sic poſt merita Chriſti nos per fidem noſtram, tanquam per manum, nobis applicamus, & nobiſcum auferimus remiſſionem peccatorum, &c. Demus operam ut ſimus παῤῥησιαζόμενοι in utroque gradu fidei. Nam poſtquam Chriſtus pro peccatoribus mortuus eſt, liberum & licitum omnibus contritis peccatoribus ad Chriſtum accedere, confugere, & dicere: *rupes mea, ſalus mea.* Et poſtquam ſic ad Chriſtum acceſſêre, licitum iis eſt omnia Chriſti bona habere pro ſuis & confidenter gloriari de remiſſione peccatorum. Atenim cur hoc quoque beneficium Miniſterio adſcribitur? *Reſp.* Non directè & immediatè ſicut priores quatuor fructus, ſed indirectè & mediatè, quia enim ſunt cauſa, quod credant, ſimul etiam ſunt cauſa per quam remiſſionem peccatorum accipiunt. Sic baptiſmo adſcribitur ablutio peccatorum, Actor. 22. non quod peccata abluit, ſed quod eſt ſacrum inſtrumentum roborans fidem, per quam ablutio peccatorum accipitur.

Verum de hiſcè duobus ultimis SS. Miniſterii fructibus multa non dicemus, quia de utroque jam tum dictum in Actor. 10. 43. & cap. 20. 32. ubi eadem reperiuntur verba. Pauca tamen dicemus de ſingulis. Duo dogmata ſunt in his verbis conſideratione digna:

I. Qui credit in Chriſtum per iſtam fidem accipit remiſſionem peccatorum. Hìc iterum duo particularia conſideranda:

1. Quid remiſſio peccatorum? Eſt non tantùm pœnæ, peccatis promeritæ, gratuita condonatio; ſed eſt culpæ ſive reatus ipſius annihilatio per veram & perfectam juſtificationem. Prius concedit Judæus, Turca, Socinus. Sicut pater multis filiorum peccatis ne iraſcitur quidem, ſed paterno impulſus amore, planè impunita dimittit, ac ſi non viderit; & ſicut proximus proximi injuriam muſſitat, ut ait Poëta, ſic putant Deum muſſitare & patienter devorare hominum injurias. Verùm hoc non ſufficit ad fidem Chriſtianam. Deus enim omnibus hominum peccatis, parvis æque ac magnis ita iraſcitur, ut non condonet, ſed ad condemnationem imputet, niſi culpa peccati annihiletur per juſtitiam. Deus enim non tantùm eſt miſericors Deus, ſed etiam juſtus peccatorum vindex, cujuſque juſtitia tam ſtricta eſt, ut nullum pec-

Digitized by Google

catum ferre aut remittere poſſit ſine ejus expiatione per juſtitiam, Habac. 1. v. 13. Remiſſio peccatorum non eſt mera muſſitatio injuriæ. Hoc nobiſcum agnoſcit Papiſta, creditque ſe non poſſe coram Dei judicio ſubſiſtere, niſi peccata ſua expientur per juſtitiam. Neque tamen Papiſta ſapiens eſt ad ſalutem. Juſtitiam enim illam, quâ peccata ſua expientur, ponit in ſuâ propriâ juſtitiâ operum, in ſuis meritis, in ſuis, vel aliorum hominum ſatisfactionibus, quæ in tantum non poſſunt expiare ullam peccati culpam, ut ipſa ſint opera peccata, & peccatorem reum facientia coram Deo. Qua in re igitur conſiſtit vera remiſſio peccatorum? *Reſp.* In eo, quod Deus gratis, & ex merâ gratiâ culpam peccatorum noſtrorum omnium per imputationem juſtitiæ Chriſti ita tegit, delet, & quaſi annihilat, ut juſtitiam ejus non magis irritent, ac ſi nunquam facta eſſent. Quod factum eſt infectum fieri nequit. Sic peccata noſtra ſemel facta nunquam fiunt infecta, ſed ſunt & manent peccata reos nos facientia coram Deo. Attamen expians, & ſatisfaciens juſtitia Chriſti reatum peccatorum ita ſupprimit, ut juſtitiam Dei, juſtitiâ Chriſti pacatam, non magis irritare poſſit, ac ſi non eſſet. Hæc vera peccati remiſſio, quæ peccatorem tutum præſtat coram judicio Dei & verè conſcientiam pacat, Rom. 3. 24. 25. 2 Corinth. 5. 19. 21. Etiam in gratuita juſtificatione peccatoris Deus juſtitiam ſuam manifeſtat.

2. Quid fides confert ad remiſſionem peccatorum? Per fidem enim accipitur. *Reſp.* Nota modum loquendi. Fides non dicitur eſſe noſtra juſtitia, nec eſt remiſſio peccatorum, ſed accipit remiſſionem peccatorum. Non eſt juſtitia peccatum expians, nec loco ejus juſtitiæ à Deo acceptilatur, nec eſt pars, nec initium & radix ejus juſtitiæ: ſed eſt acceptio, & receptio iſtius juſtitiæ, quæ nos à culpa peccati liberat. Fides igitur nonniſi inſtrumentalis cauſa eſt remiſſionis peccatorum. Sicut in ſanatione corporis pharmacum eſt cauſa operans ſanitatem, ſed os inſtrumentum applicans pharmacum. Sic merita Chriſti ſunt juſtitia illa perfecta quæ nos juſtos facit, ſed fides eſt manus quæ juſtitiam illam nobis applicat. Diſcamus intelligere hunc articulum, quia ſalus noſtra ab illo dependet. Levi errore in hac materiâ grave incurrimus ſalutis periculum. Vid. Rom. 3. 22. Merita Chriſti ſunt vera, ſola, perfecta juſtitia peccata expians, & condonationem eorum à juſtitia Dei impetrans. Fides tantùm recipit, quod juſtitia Chriſti impetravit. *Object.* At preces impetrant remiſſionem peccatorum. *Reſp.* Preces à fide diſtinctæ, vel diſtinctè conſideratæ, impetrant remiſſionem peccatorum poſtquam juſtitia Chriſti à Deo nobis donata & per fidem recepta eſt, & noſtra facta juſtitia. Sicut poſtquam pater ex mera paterna gratia *filio* obedienti paravit cibum, quem non habet pro ſuo, ſed quem in ſuo animo filio dedit, tamen filium ſuum vult petendo iſtum cibum impetrare: ita poſtquam Deus ex gratia remiſſionem peccatorum credentibus donavit, eoſque verè

Digitized by Google

verè juſtificavit, vult tamen fideles eam petant, & tum demum donationem remiſſionis peccatorum conſcientiis eorum manifeſtat, itemque fructus remiſſionis, ſcil. plagarum ablationem. Impetratio igitur per noſtras preces tum demum fit, poſtquam per Chriſti juſtitiam jam tum impetrata & donata eſt remiſſio peccatorum.

II. Qui in Chriſtum credit, per illam fidem non tantùm remiſſionem peccatorum accipit, ſed etiam hæreditatem inter ſanctos. *Fiunt enim per fidem filii ideoque & hæredes*, Rom. 8. Iohan. 1. 12. Non per merita operum acquiritur vita, ſed per adoptionem & hæreditatem, quæ per fidem in Chriſtum obtinetur. *Object.* Atqui eſt merces bonorum operum. *Reſp.* Non eſt merces quem bona opera merentur, ſed eſt merces impromerita, & gratuita, quâ Deus opera noſtra coronat, vel potius ſua in nobis dona. At quid eſt hæreditatem accipere inter ſanctos vel ſanctificatos? Nemo utique hæreditatem accipit niſi qui æquè ſanctificatus eſt ac alii. Cur igitur qui per Paulum convertendi erant dicuntur inter ſanctos hæreditatem habituri? *Reſp.* Habuimus eundem loquendi modum, Actor. 20. 32. Sed ibi ponitur in promiſſione quæ datur ſolis Miniſtris verbi in N. T. hìc verò ponitur in promiſſione quæ datur omnibus electis N. T. per Miniſterium Pauli & Apoſtolorum convertendis, hi dicuntur hæreditatem accepturi inter ſanctificatos. *Quare?* propter duas cauſas:

1. Quia converſi ex Ethnicis habebunt communionem & fraternitatem cum ſacro Judæorum populo, quæ ante Miniſterium Apoſtolorum nulla erat, Eph. 2. 14. ad fin. & 3. 6. Vide quæ diximus in Actor. 20. 32.

2. Quia qui in Eccleſia militante habent communionem juſtificationis & regenerationis, cum Eccleſia triumphante ſunt habituri communionem hæreditatis vitæ æternæ, adeò ut ἡγιασμένοι hìc idem ſit quod δίκαιοι τετελειωμένοι, Hebr. 12. 13.

En habetis ſex illos inſignes & planè ſupernaturales ac cœleſtes fructus quos ex ſacroſancto miniſterio Eccleſia percipit. Diſcatis inde non eſſe contemptores Miniſterii.

Actor. 26. v. 19. 20.

Conc. CCLXXIV.

VErſamur adhuc in ſecundo argumento, quo Paulus demonſtrat coram Agrippa, quòd Judæi ipſum injuſte perſequantur propter prædicationem Chriſti. Primum erat, quia nihil aliud prædicet, niſi quod Eccleſia Judaica antiquitus crediderit & ſperaverit. Secundum eſt, quia, cum antea perſequutor Chriſti fuerit, per viſionem cœleſtem ad prædicandum Chriſtum vocatus ſit, cui non poſſit eſſe inobediens. Tertium erit: quia experientia oſtendat prædicationem Chriſti & doctrinam ipſius divinâ ope adeò defendi & propugnari, ut nulla humana vis quicquam contra illam valeat. Forma argumenti ſecundi eſt hæc: Quod ſponte meâ non facio, ſed per expreſſum mandatum Dei, per cœle-

Digitized by Google

ſtem viſionem mihi manifeſtatum, id non poſſum omittere niſi Deo velim eſſe inobediens. Atqui quod Chriſtum prædico, ſponte meâ non facio, ſed per expreſſum mandatum cœleſtis viſionis: Ergo iſti viſioni non debui eſſe inobediens, ſed neceſſe habui Chriſtum & ejus doctrinam prædicare. Vidimus hactenus antecedens hujus argumenti, ſeu rationem ipſam & medium terminum demonſtrationis, ſequitur his duobus verſibus concluſio demonſtrata, quam ex hoc medio termino deducit: *Ergo meritò non fui inobediens cœleſti viſioni, ſed converſionem & opera converſione digna prædicavi primùm Damaſci, Hieroſolyma in Iudæa, deinde etiam Gentibus.*

Tria hic habes:

1. Cauſam impellentem, & finem prædicationis.

2. Materiam & ſummam prædicationis.

3. Ordinem prædicationis.

I. Obedientia cœleſtis viſionis Paulum ad prædicandã Chriſti doctrinam impulit, fuitque finis ejus quem prædicando ſpectavit, ne inobediens fieret Deo vocanti, ſicut Jonas, Moſes & Jeremias tergiverſati ſunt Deo, ad prædicandum vocanti, obedire. Idem de ſe teſtatur, Gal. 1. 16. Quaſi dicat: Si cum carne & ſanguine voluiſſem conſulere, multa fuiſſent, quæ mihi prædicationem Chriſti diſſuaſiſſent. Sed potior mihi habenda fuit ratio conſcientiæ erga Deum. Multa profectò ſunt quæ Concionatores deterrere poſſent à prædicanda Chriſti doctrina ſine λοξοποδία, ſi poſſent à conſcientia ſua impetrare ut non concionarentur. Nam 1. Vident ſe ferè fruſtra laborare. Et quis hoc faciat lubenter? Eſai. 53. v. 1. & 49. 4. & 50. 10. Luc. 5. 5. 2. Experiuntur ſe in omnium odia incurrere. Si enim unquam verum, quòd obſequium amicos veritas odium pariat, certè verum eſt in Concionatoribus. Non tantùm quia odio ſunt hæreticis contra quos veritatem defendunt, ſed præcipuè quia ſuis propriis auditoribus, quoties adverſantur ipſorum mundanæ & iniquæ vitæ. Nullus Medicus aut Chirurgus tantum indignationis & contemptus patitur à ſuis patientibus, atque Concionatores patiuntur à ſuis auditoribus, quoties ſeriò intendunt ipſos ſervare ab impia converſatione à Patribus tradita. Vide Ierem. 15. 10. Veruntamen quibus cordi eſt Deo placere, propter has cauſas legitimum zelum in concionando Dei verbo non deponent. Credunt enim fructum ſui laboris quem non vident, Eſa. 55. 10. 11. & majori felicitati ducunt Deo vocanti obedire, quàm favore mundi frui & indignationem ejus evadere, 1 Cor. 9. 16. 17. Debebant hoc conſiderare auditores, qui ob peccata ſua à nobis reprehenſi nobis tam facilè indignantur. Quod facimus, facimus ex obedientia erga Deum. Si vos vultis in peccatis veſtris perire, cum dolore quidẽ pati cogimur. Saltem hoc nobis date, ne per inobedientiam erga Deum in non concionando contra veſtra peccata vobiſcum perire opus habeamus. Debebant idem conſiderare qui divinitus de veritate Euangelii convicti, & de mandatis Dei perſuaſi malunt mundanis reſpectibus obedire quàm Deo.

Digitized by Google

Vide Matth.8. 22. q.d. Vocationi me obedire plus eſt quàm mortuos ſepelire. Hoc enim parenti tuo præſtare poterunt qui non ſunt vocati ſed in peccatis mortui.

II. Atenim quid concionatur Paulus? Ut reſipiſcant, ut ſe ad Deum convertant, ut faciant opera reſipiſcentiâ digna. Quid hæc tria inter ſe differunt? Quid aliud emendare ſe & convertere, quàm bona opera facere? Et an hæc tria ſufficiunt ad ſalutem, cum nullam Chriſti & fidei includant mentionem? *Reſp.* Comprehendunt hæc tria tres partes noſtræ Catecheſeos agnitionem miſeriæ, fidem & gratitudinem quæ certè inter ſe ſunt diſtinctæ, & tamen ad ſalutem ſufficiunt. Nam

1. Quid μετάνοια ſeu pœnitentia aliud quàm vera agnitio noſtræ miſeriæ? Significat conſiderationem facti poſt inconſideratam perpetrationem facti. (**Een nâ-bedencken.**) Significat igitur nihil aliud quàm veram contritionem de peccatis, quæ eſt prima pars Catecheſeos, includens agnitionem, confeſſionem, compunctionem, triſtitiam, pœnitentiam, terrorem, dolorem, diſplicentiam, vindictam, pudorem, abnegationem ſui ipſius, deſiderium liberationis, & quæcunque ad primam Catecheſeos partem pertinent, ſecundùm illud, 2. Corinth.7. v.10.11. Oſtendiſtis vos puros ab hoc negotio. Et tamen reos ſe fecerant, 1 Corinth. 5. v.2. Sed ſe purgaverant per pœnitentiam & contritionem. Etſi enim hæc non expiabat contractam culpam, tamen oſtendebat mutatum animum & purgatum à complacentia & communione peccati, quà antea erat pollutus.

2. Quid ἐπιςρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν aliud eſt, quàm fiduciam ponere in Deum? Vertere ſe ad aliquem eſt in neceſſitate & angore confugere ad alicujus auxilium, ut in illo requiem inveniamus, quam nuſpiam alibi invenimus. Confer Gen. 8.9. & Matth. 12. 43. 44. Sic homines contriti & per ſenſum peccati omni conſcientiæ tranquillitate deſtituti ſe vertunt ad Deum per veram fidem, ut inveniant quietem pro animabus ſuis. Matth. 11. 28. Sicut Adam per infidelitatem receſſerat à Deo, & ad Diabolum ſe converterat, ut ejus conſilio, inveniret ſtatum Deo ſimilem, ita peccatores contriti, & de vanitate conſilii Diabolici convicti & pudefacti trementes revertuntur ad Dominum per fidem, ut ab ipſo ſanentur à miſeria, in quam ſe conjecerunt ipſos. Vide Hoſ. 3.5. & 6.1.2. Luc. 15.17.18. Actor.9.35. Qui autem non ſunt contriti, ſe non convertunt ad Deum per fidem, etiamſi vocentur, Act. 28. 7. Hìc itaque ἐπιςρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν, eſt nihil aliud, quàm confugere ad Deum ut ab eo diſcas conſilium ſalutis, *& jugum ejus recipias*, Matt. 11.29. Cum enim contriti ad Deum ſe vertunt & veniunt auxilii cauſâ, non veniunt ſicut Naaman ad Elizæum, præſcribentes modum juvandi, 2 Reg.5. v. 11. ſed veniunt cum intentione diſcendi & uſurpandi conſilium ſalutis à Deo præſcriptum. In converſione igitur ad Deum comprehenditur omne id, quod ſecunda pars Catecheſeos ad ſalutem nobis præcipit & præſcri-

Digitized by Google

bit, videl. agnitio Chriſti ſecundùm perſonam, officia & beneficia, applicatio Chriſti per veram fiduciam, uſus verbi & ſacramentorum, tanquam mediorum ad fidem conſequendam inſtitutorum.

3. Quid facere opera converſione digna aliud, quàm præſtare Deo gratitudinem, quam requirit pœnitentia de peccatis, & liberatio per fidem à Deo impetrata? Pergere igitur in peccatis non eſt dignum pœnitentiâ de peccatis. Si licitum & æquum eſt in peccatis vivere, quid opus eſt de peccatis pœnitere? Nam de re licita & æqua non decet pœnitere. Dignum profectò atque decens eſt, ut qui ad Deum confugit, & per fidem in Chriſtum æternam liberationem ac ſalutem à Deo obtinuit, impoſterum faciat opera tanto beneficio digna. An igitur proprietas eſt bonorum operum, dignum eſſe & meritorium? Nequaquam. Non vocantur digna quia merentur liberationem, juſtificationem, regenerationem & adoptionem, ſed quia liberatio, juſtificatio, regeneratio & adoptio, ex Dei gratia propter Chriſtum nobis donata, & per fidem recepta, meretur, & nos obligat ut faciamus opera & præſtemus gratitudinem tanto beneficio dignam & convenientem. Hic ſenſus omnium eorum locorum, quibus jubemur vivere dignè, Matth. 3. 8. Rom. 16. 2. 3 Ioh. 6. Epheſ. 4. 1. Philip. 1. 27. Col. 1. 10. 1 Theſſ. 2. 12. Quid, quæſo, dignitatis eſt in bonis noſtris operibus, cur vocantur digna Deo, digna Euangelio, digna vocatione, per quam vocati ſumus, digna converſione? Utique Scriptura non ſatis queri poteſt de indignitate operum bonorum, Eſa. 64. 6. Mich. 7. 4. Rom. 7. 2. *Reſpond.* Aliud eſt dignitas æquivalentiæ, aliud eſt dignitas convenientiæ? Gratia & beneficia Dei digna ſunt noſtris operibus æquivalenter, imò plus quàm æquivalenter. Merentur enim plus & majorem compenſationem ac gratitudinem, quàm opera noſtra valent præſtare, Apocal. 4. 11. & 5. 12. Sed opera noſtra ſunt digna gratiâ & beneficiis Dei convenienter, quia convenit & æquum eſt, ut Deo benefacienti non faciamus quod ipſi ægrè eſt, ſed quod placet & acceptum eſt, ut ita coram bono Deo juſtè & bene vivamus, eique præſtemus gratitudinem quam præſtare poſſumus. Eſt certè tum in converſis hominibus, tum in converſorum operibus aliqua convenientia cum Deo & divinis beneficiis per fidem acceptis, ut digni ſint & digna Deo & Dei beneficiis, Luc. 21. v. 36. 2 Theſſ. 1. 5. Apoc. 3. 4. Nam

1. Bona opera fidelium ſunt digna Deo. Conveniunt enim cum natura ejus. *Dignum Deo ut ſancti ſimus ſicut ille ſanctus eſt*, 1 Petr. 1. 15. 16. *Conveniunt cum voluntate ejus*, 1 Theſſ. 4. v. 3. 4. 7. Conveniunt cum juſtitia Dei. Etſi enim in ſe ipſis ſunt maculata & imperfecta, tamen quia fiunt ex animo contrito, humili, ſe ipſum & omnia merita abnegante, ſolam gratitudinem pro accepta gratia intendente, lavantur in ſanguine Chriſti, atque adeò Deo placent propter Chriſtum ut ipſi ſint gratus odor & ſacrificium acceptum, Hebr.

Digitized by Google

Hebr. 13. 16. *Imò ut juſtitia ejus non ſinat eorum obliviſci,* Hebr. 6. 10. Matth. 25. v. 40. *Mihi feciſtis.*

2. Bona opera ſunt digna Domino, i. e. Chriſto. Sunt enim fructus quem paſſione ſua intendit ſibi ipſi acquirere, Tit. 2. 14. Sunt ſola & unica merces & gratitudo Chriſti, quam habet pro omni labore quem pro nobis ſuſtinuit, non quidem ulla æquivalens compenſatio & retributio, attamen illud unicum, quod loco retributionis Chriſto dari poteſt, Pſal. 116. 12. 13. 14. Sunt honor Chriſti & gloria, 2 Cor. 8. 19. 21. 23.

3. Sunt denique digna vocatione & converſione. Sunt enim illud περισσὸν ſeu illa melior juſtitia, quam habent vocati & converſi ac regeniti Dei filii præ irregenitis mundi filiis. Externa quædam opera, in Lege Dei præcepta, poſſunt & publicani & irregeniti facere. Sed talia opera non ſunt operæ pretium ut propter ea mortificeris, regenereris, ex mortuis vivificeris per omnipotentem operationem Spiritus ſancti. Poſſunt enim fieri ab hominibus naturalibus. Sed toto corde in omnibus Dei præceptis lætè ambulare, & per omnia obſtacula omneſque tentationes in contrarium in iſto curſu perſeverare, hoc demum illud eſt quod homines vocatos & converſos ſublimat & dignos facit ut vocentur ſancti, regeniti, converſi & vocati Dei filii lucis, ſeparati à mundo & evocati ex Ethnicis. Hic eſt fructus dignus tam potenti operatione Spiritus, quam ad converſionem peccatoris adhibet. Vide Matth. 5. 20. 44. 45. 46. 47. 48. Non eſt vocatio nec regeneratio quæ nos facit dignos nomine filiorum Dei, ſed opera regenerationi & vocationi reſpondentia: Sicut qui ex Rege natus eſt fruſtra gloriatur de illuſtri ſua nativitate, ſi non vivat ut filius Regis, ſed ut filius ruſtici vel mendici. Nihil enim talis habet quod regio ſanguine dignum ſit: Ita fruſtra gloriantur de converſione & vocatione qui non faciunt opera vocationi reſpondentia. In tales quadrat illud, 1 Corinth. 6. 20. Oportet certè rem dignam eſſe quæ tanto pretio empta eſt, Epheſ. 5. v. 8. 1 Theſſ. 5. 5. 6. 1 Petr. 4. 2. 3. Rom. 6. 2. Vivere in peccatis eſt converſioni contrarium.

Videtis hìc tres partes veſtræ Catecheſeos in Scriptura fundatas. Ne patiamur eas ſeparari. Omnes enim neceſſariæ, & una ſine altera nil poteſt. Non contemnimus bona opera, ſed in pretio habemus, & dignitatem magnam atq; neceſſitatem ipſis adſcribimus, etſi meritoriam eorum dignitatem Papiſtis non concedimus. Etſi bona opera noſtra non merentur gratiam Dei, tamen gratia Dei meretur noſtra bona opera, nos ad ea obligat, eaque facit neceſſaria ad ſalutem. Nam bona noſtra opera ſunt illud medium compenſationis & retributionis quod Deo ab homine pro omnibus beneficiis præſtari poteſt, quodque Deus propter Chriſtum dignum æſtimat in quo beneplacitum habeat, & quod gratuitâ dignetur mercede. Ne ſimus igitur inter inanes gloriatores de converſione & fide, ſed oſtendamus ſynceritatem regenerationis & ſeparationis à

Digitized by Google

mundo, vocationemque ad ſpem cœleſtem per opera tali ſtatui convenientia. Quid facis, quæſo, filio Dei & homine converſo dignum? Vadis in templum, uteris ſacramentis, prædicas verbum Dei? At hæc quoque Judas fecit? Non es adulter, prædator, fur manifeſtus? At hoc quoque Phariſæus fecit, qui tamen ſub prætextu longarum precum viduarum domus devoravit. Facis bonum iis qui tibi bonum faciunt? At hoc etiam publicani faciunt. An Deum amas cum tibi bene facit? At hoc impii quoque faciunt. Quod ſi igitur vis tueri nomen converſi & regeniti, fac ut ſis perfectus ſicut Pater tuus perfectus eſt. *Object.* At mea converſio non eſt perfecta, quomodo igitur fructus converſionis poſſunt eſſe perfecti? *Reſp.* Regeneratio & converſio non eſt ita imperfecta quin habeat aliquā perfectionem, ideoque etiam opera & fructus regenerationis habere debent aliquam perfectionem. Regeneratio enim & converſio euſque perfecta eſt, ut non partem hominis regeneret & convertat ſed totum hominem, ut homo non partim ſit converſus partim inconverſus, ſed totus converſus, & quicquid eſt in homine ſit ſanctificatum, 1 Theſſ. 5. v. 23. & hæc perfectio ſe ita exſerit, ut & opera noſtra habeant perfectionem perfectioni converſionis reſpondentem. Quænam illa perfectio operum?

Reſp. 1. Perfectio numeri. Non electionem inſtituunt converſi inter opera, ſed in omnibus obediunt, externa, interna, facilia, difficilia, carni adverſa, carni conſentanea, opera cultus, opera charitatis, &c. Heb. 13. 21. Omnibus dant operam.

2. Perfectio gradus. Graduum perfectio bonis operibus vulgò detrahitur, & meritò. Nullum enim opus tam perfectè bonum ut ſit ſine omni macula, & cum præſcripto Legis exacte conveniat, ut ſuprà dictum. Interim regeniti gradu operum etiam ſuperant irregenitos. *Cum enim illi ſint tepidi, facientes opus Domini negligenter,* Apoc. 3. 16. Ierem. 48. 10. *Hi ſunt fervidi in bonis operibus,* Tit. 2. 14. & 3. 8. *Currentes viam Domini cum gaudio,* Pſal. 119. Quærunt & obſervant omnes occaſiones ſerviendi Deo.

3. Perfectio temporis. Non aliquando neque ad tempus faciunt regeniti quod bonum eſt; ſed conſtāntem obſervant curſum, & nullis avertuntur obſtaculis aut pietatis impedimentis, ſed dicunt quod Paulus Actor. 20. 24.

Ne obliviſcamini, quæſo, quantum diſcrimen conſtituat Scriptura inter regenitos & irregenitos, inter horum & illorum opera. Illi ſunt boni piſces; bonæ arbores, lilium, triticum, virgines ſapientes, lux, oves, homines vivi, viva Chriſti membra, fœcundi palmites, &c. Hi verò ſunt piſces inutiles, arbores malæ, ſpinæ, lolium, palea, virgines fatuæ, tenebræ, hædi, mortui in peccatis, palmites rejectanei, ſpuma auri & argenti, &c. Quid igitur ſunt qui vivunt vitam mundo tam vicinam, conformem, ſimilem, quomodo differunt à profanis & hypocritis? *Opera regenitorum ſunt bonæ uvæ, boni fructus, herba idonea,* Hebr. 6. 7. *Irregenitorum opera ſunt*

Digitized by Google

ſunt uva fœtida, Iſai. 5. 3. *Mali fructus*, Matth. 7. *Spina & ſentes*, Hebr. 6. Si tantum inter nos & impios diſcrimen non eſt, non ſeparabimur ut triticum à lolio, nec feremur in horrea Domini. Sed ſi differimus, nulla tempeſtas mundi nos faciet tabeſcere & emori, ſed manebimus vivi & fæcundi donec tranſplantemur in cœleſte atrium Domini.

III. Ordinem concionandi Paulus hunc obſervavit, quòd primum Judæis in Judææ vicinia prædicavit Euangelium, deinde etiam Gentibus procul habitantibus. Converſus Damaſci in ſynagogis Iudæorum Chriſtum prædicare ilicò cœpit, Actor. 9. v. 20. ad 26. Inde ejectus in Arabiam abiit & Damaſcum rediit, & ſic integrum triennium abſumpſit in prædicando Chriſto inter Judæos, in vicinia Judææ diſperſos, vel etiam in ipſa Iudæa, Gal. 1. 17. 18. Tum demum Hieroſolymam venit, & ibi quoque atque in Judæa docere conatus fuit, ſed perſequutione impeditus Tarſum in Ciliciam patriam ſuam fugere coactus fuit, Actor. 9. 26. 27. 28. 29. & cap. 22. 17. ad 22. Tarſo vocatus Antiochium per integrum annum cum Barnaba Eccleſiam illam docuit, Actor. 11. 22. ad 27. & tum demum ſpeciali mandato Spiritus S. cum Barnaba miſſus eſt verſus occidentem inter Gentes in Aſia & Europa habitantes, quod opus quatuor itineribus abſolvit, ſemper obſervato hoc ordine, ut in quaſcunque veniret urbes, primùm ſynagogas Judæorum intraret, iiſque Euangelium prædicaret, his autem non obedientibus ad Gentes ſeſe converteret, Actor. 13. 45. 46. Vide quæ in iſtum locum diximus. Ne ſimus ſecuri, ſed conſideremus illud Rom. 11. 15. ad 27.

Actor. 26. v. 21. 22. 23.

Conc. CCLXXV.

HActenus ſecundum argumentum apologiæ Pauli coram Agrippa, quo demonſtrat ſe à Judæis injuſtè perſequutionem pati propter prædicationem Chriſti & doctrinæ ipſius. Primum argumentum petebatur à conformitate doctrinæ Chriſti, quam Paulus prædicabat, cum doctrina quam patres Judæorum ſemper crediderant: Secundum petebatur ab expreſſo mandato cœleſti, quo Paulus ex Phariſæo in Chriſtianum mutatus ad prædicandum Chriſtum miſſus erat. Sequitur tertium argumentum, quod petitur ab auxilio divino, quo hæc prædicatio Pauli fuit ſecundata, quodque evidens eſt teſtimonium, quod opus ejus ex Deo eſſet. Forma hujus argumenti hæc eſt: Si opus meum ex Deo non eſſet, tanta vis & perſequutio Judæorum me dudum ſuſtuliſſet & impediviſſet. Fecerunt enim quicquid potuerunt, tum per vim tum per inſidias & aſtutiam, ad me tollendum & occidendum. At non potuerunt omni vi & fraude ſua me impedire. Nactus enim à Deo auxilium in hunc uſque diem ſto & tum parvis tum magnis annuncio &c. Ergo opus meum eſt ex Deo. Secundum materiam conſideratus hic textus tria habet:

Digitized by Google

1. Deſcribit furorem Judæorum contra prædicationem Pauli.

2. Deſcribit auxilium Dei contra hunc furorem Paulo ſuppeditatum.

3. Deſcribit conſtantiam, parrheſiam & prudentiam Pauli, quâ à Deo adjutus uſus eſt in prædicando Chriſto, videl.

a. Quod & magnis & parvis prædicet.

b. Quod nihil aliud de Chriſto prædicet quàm Moſes & Prophetæ de Chriſto prædixerunt.

c. Quòd præcipuè iis inſiſtat de Chriſto doctrinis, quæ de Chriſto maxime in converſiam veniunt, ſcil.

α. Chriſtum oportuiſſe pati & reſurgere.

β. Et poſt reſurrectionem tum Iudæis tum Gentibus Euangelium prædicare.

Furor Judæorum contra Paulum tantus erat, ut in ipſo templo eum apprehenderent & occidere conarentur, Actor. 21. 30. Superſtitio Judæorum circa templum erat magna, Actor. 21. 28. 29. & templum erat aſylum illis, qui innocenter perſequutionem paſſi eò confugerent, 1 Reg. 1. v. 50. adeò ut religioni eſſet in templo quemquam occidere, 2 Reg. 11. 15. Nihilominus odium adeò prævalet contra ſuperſtitionem, ut in ipſo templo Paulum capiant ad occidendum, ſicut & olim factum Prophetæ, Matth. 23. 35. Dicitur quidem Actor. 21. v. 30. quod captum eduxerint ex templo, & januas clauſerint ut in templo non occideretur, ſed interim hoc ſatis arguit indomitum ipſorum furorem, quod in ipſo templo eum capere cum conſilio occidendi non reformidarunt, & quòd extra templum extractus eſt clauſis foribus, ſuperſtitioſorum ſacerdotum inſtinctu factum videtur, cùm aliàs furentes hoſtes in ipſo templo inter ſacrificia eum mactare non erubeſcant. Tantum poteſt animus implacabili odio perſonarum imbutus, ut nec per religionem nec per ſuperſtitionem coërceri poſſit. Nihil igitur in toto mundo quod pios tutos præſtare queat contra odium mundi, niſi ſolius Dei auxilium. Nihil fidendum impiorum promiſſionibus, fœderibus, juramentis. Talia enim odium eorum in pios non coërcent, ſi non à Deo coërceatur. Totus mundus odit pios, Matth. 10. v. 16. 22. Non magis igitur ſunt tuti in mundo quam David erat vivente Saulo, quem odium non ſinebat quieſcere à molienda Davidis cæde 1 Sam. 19. 1. 9. Caveamus ne hoc cogitantes aliquando incidamus in infirmitatem Davidis, quæ deſcribitur, 1 Sam 27. 1. ſed conſideremus quod ſequitur.

Quantumvis enim inſatiabile & incoërcibile eſſet odium Judæorum contra Paulum, in tantum ut nihil intentatum relinquerent ad cædem Pauli pertendendam, ut vidimus inde à cap. 21. tamen gloriatur Paulus quod auxilium Dei odium hoſtium adeò ſuperaverit eique dominatum ſit, ut in illum uſque diem non potuerint impedire ipſius prædicationem. q. d. Si mea functio non eſſet ex Deo, tanto & tam indefatigabili Judæorum perſequutione utique impediretur. At non impeditur. Ergo. Clarum exemplum quòd quam-

Digitized by Google

quamvis Regnum Chriſti & Eccleſia ejus per mundum & Anti-Chriſtum vehementer oppugnetur, tamen non poſſit vinci, & contra Chriſti regnum prævalere mundus. Cum ſe pii conſiderant ut oves inter lupos, conſiderent ſimul, ſibi eſſe potentem paſtorem, vid. Johan. 10. 28. & applicent ſibi illud, Iſai. 41. v. 8. ad 15. Meritò nos hoc argumentum urgemus apud Pontificios: Si cauſa noſtra ex Deo non eſſet, vos utique illam dudum ſuppreſſiſſetis. Quid enim intentatum reliquiſtis vel vi vel fraude quod ad illam ſupprimendam aliquid conferre poſſet? & tamen non obſtante tanta veſtra oppoſitione ſtamus, auxilium nacti à Deo, in hodiernum diem. Applicent ſibi hæc præcipuè Eccleſiæ harum Provinciarum, ſuoque diuturno bello.

At enim Paulus non tantùm gloriatur, quòd auxilio Dei præſervatus ſit contra Judæorum vim & inſidias, ſed etiam per id auxilium magis magiſque animatus ſit ad prædicandum Euangelium Chriſti cordatè & prudenter. Fortitudo & parrheſia Pauli in prædicando Euangelio indicatur, cum dicitur, quòd parvis & magnis prædicaverit. q. d. Non minus formido vobis magnatibus, Præſidi, Regi, Tribunis in os dicere, quòd ſitis in peccatis & condemnatione, nec poſſitis niſi per Chriſtum liberari, quàm hæc prædico viliſſimis ex populo. Sic uſurpatur hæc phraſis, 1 Sam. 30. v. 19. Apoc. 13. 16. & 19. 18. Sic vult Chriſtus ſine diſcrimine Euangelium prædicari omni hominum ordini, Pſal. 49. 2. 3. 4. omni creaturæ, Marc. 16. v. 15. Vide Rom. 1. 14. Gal. 3. 28. Col. 3. 11. & præcipuè vult Chriſtus, ſuos miniſtros ſplendore magnatum non abſterreri à prædicanda veritate, Gal. 1. 10. 1 Theſſ. 2. 4. Jacob. 2. 1. 2. &c.

Prudentia Pauli in prædicando in duobus poſita.

1. Quod nihil prædicavit extra id quod Prophetæ & Moſes dixerunt futurum eſſe. Judæi non audebant negare verum eſſe quod Moſes & Prophetæ docebant. Itaque Paulus omnem ſuam doctrinam confirmavit ex Moſe & Prophetis, ut ſic ipſas adverſariorum conſcientias ſuæ doctrinæ teſtes haberet. Idem etiamnum nos facimus. Vos auditores non poteſtis negare quòd vera ſint quæ Scriptura dicit, juſta quæ probat, injuſta quæ condemnat. Itaque nihil vos docemus, nihil præcipimus, nihil vetamus niſi quod ſacra Scriptura docet, præcipit, vetat. Etiamſi igitur impræſentiarum callus & tegmen voluptatum oculum conſcientiæ veſtræ ita excæcat, ut prædicationi noſtræ non conſentiat, nec juſtum judicet judicium, tamen ubi aliquando per terrorem mortis ſquamæ voluptatum ab oculis veſtris deciderint, ſerò teſtabimini, nos vobis veritatem dixiſſe. Habemus hoc loco argumentum, quo Eccleſia uti ſolet contra Papatum, ad refutandam neceſſitatem traditionum præter Scripturam. Si Vetus Teſtamentum tam perfectum, ut Apoſtoli nihil docuerint, niſi quod ex Vet. Teſtam. probarunt, an jam Vetus & N. T. adeò imperfectum, ut non omnia doceat & contineat quæ ad ſalutem ſcitu ne-

Digitized by Google

ceſſaria ſunt? Si Apoſtoli nihil docuerunt extra Scripturam, an nos hodie docebimus quòd extra & præter Scripturam eſt? Apoſtoli enim non imperfectè ſed perfectè prædicarunt Euangelium, Actor. 20. 27. Paulus nihil docuit extra Moſen & Prophetas. Ergò quæ dixit, in Moſe & Prophetis continentur. Judæi objiciebant quòd doceret quæ eſſent contra Moſen & Prophetas, Actor. 21. 28. Ille affirmat tantum abeſſe, ut quicquam doceat contra Moſen & Prophetas, ut nihil doceat niſi quòd ſit in illis, & quòd ipſi quoque doceant. Nec difficile nobis foret particulatim demonſtrare, ſingulas doctrinæ Euangelicæ partes in Prophetis & Moſe contineri. Mirè ſe torquent Jeſuitæ, ut vim hujus argumenti enervent. Sic enim excipiunt: 1. Si omnia, quæ Apoſtoli & Euangeliſtæ docuerunt, continentur in Veteri Teſtamento tum ſcripta Novi Teſtamenti ſunt ſupervacanea. *Reſpond.* Non ſequitur. Quod enim Moſes & Prophetæ obſcurè prædixerunt ad Novum Teſtamentum confirmandum, id Euangeliſtæ & Apoſtoli hiſtoricè deſcripſerunt ad Vetus T. declarandum, & ad ethnicos quoque transferendum. Confer duo loca, Rom. 1. 2. & Rom. 16. 25. 2. Moſes & Prophetæ prædixerunt Chriſtum venturum, novam Legem, novam Eccleſiam, nova ſacramenta eſſe inſtituturum. Quod autem & qualia ſit inſtituturus non prædixerunt, ſed hoc ab Euangeliſtis & Apoſtolis deſcriptum. Ergò hi docuerunt aliquid extra Moſen & Prophetas. *Reſpond.* Falſum hoc. Nuſquam Moſes & Prophetæ prædixerunt Chriſtum novam Legem, novam Eccleſiam, novâ ſacramenta inſtituturum, nec hoc Chriſtus fecit. Chriſtus non niſi veterem Legem Moſis prædicavit eamque à falſis Scribarum & Phariſæorum gloſſis ac interpretationibus vindicavit. Chriſtus non inſtituit novam Eccleſiam, ſed veterem Judaicam Eccleſiam per advocationem & inſertionem electorum Gentium auxit & ampliavit, atque ex diverſis ovibus *unum gregem unumque ovile fecit*, Johan. 10. Chriſtus non inſtituit propriè loquendo nova ſacramenta, ſed umbras veteris T. futurum Chriſti adventum præmonſtrantes, mutavit in clariora ſpecula, conſummatam per Chriſti adventum redemptionem repræſentantia & ob oculos ponentia, adeoque cum ſtatu Novi T. magis convenientia, & quoad ſubſtantiam eadem cum ſacramentis V. T. 1 Cor. 10. 1. 2. 3. 4. Et hæc omnia non fecit extra Moſen & Prophetas, ſed ſecundum eorum prædictionem. Vide Malach. 3. 2. 3. *Inſtant.* At ubi Moſes & Prophetæ prædixerunt circumciſionem mutatum iri in baptiſmum, Paſchalem agnum in Cœnam ex pane & vino conſtantem? *Reſpond.* Quid opus erat hæc particulatim prædicere? Sufficit hanc ordinationem Chriſti eſſe conformem ſtatui Eccleſiæ, ſecundum quem Prophetæ prædixerunt Chriſtum externa Eccleſiæ ſacra eſſe mutaturum. Prædixerunt Prophetæ Chriſtum quædam melioraturum in externis Eccleſiæ ſacris quæ uſque ad tempus meliorationis eſſent impoſita, Hebr. 9. 10. Secundum vaticinium

Digitized by Google

ticinium Iſai. 65. v. 17. collatum cum 2 Cor. 5. 17. 18. Confer Hebr. 8. 7. 8. ubi Jeremias tempora illa meliorationis dicitur prædixiſſe cap. 31. 31. &c. Fatemur quidem, ſicut Chriſtus in rebus externis habuit libertatem mutandi, ita & ſuis in N. T. quandam libertatem in rebus ad ordinem pertinentibus conceſſiſſe. Sed quid hoc ad traditiones de doctrina. Certum igitur, Apoſtolos nihil docuiſſe extra Scripturam V. T. Multò minus nos aliquid decet docere extra Scripturam V. & N. T.

II. Prudentia quoque prædicationis Pauli in eo conſiſtit, quòd illas elegit materias, & Agrippæ propoſuit, de quibus ſibi præcipua cum Judæis lis erat. Tres erant inveterati errores quos Judæi mordicus defendebant: 1. Chriſtum fore Regem terrenum & terrena magnificentia & potentiâ Gentes debellaturum, ac populum Iſraëliticum terreſtri gloriâ, quiete & abundantiâ beaturum. Huic Paulus opponit, & ex Moſe & Prophetis demonſtrat, Chriſtum eſſe paſſurum & ex mortuis reſurrecturum. 2. Eos qui ex mortuis ad vitam æternam reſurgent, reſurrecturos merito ſuorum operum, præſertim per ſacrificia & cæteras ceremonias Legis Moſaicæ. Huic Paulus opponit & ex Prophetis demonſtrat, Meſſiam per ſuam mortem & reſurrectionem fore auctorem reſurrectionis noſtræ. 3. Euangelium & verbum Dei pertinere ad ſolos Judæos. Huic Paulus opponit & ex Prophetis demonſtrat, tempore Meſſiæ lucem Euangelii annunciatum iri Judæis & Gentibus. Breviter hæc illuſtremus:

I. Quid ſibi vult illud oportet, & quæ erat neceſſitas patiendi & reſurgendi? Et cur dicit. Si Chriſtus eſt paſſibilis? *Reſpond.* Si idem ac quòd: Annuncio quòd Chriſto patiendum. Similis locus, Luc. 24. 26. Matth. 26. 54. Confer Actor. 4. v. 28. Quænam illa neceſſitas patiendi, quæ erat ſuper Chriſto. *Reſpond.* 1. Non quia coactus paſſus eſt ſicut malefactores qui cum ipſo crucifigebantur. Poterat enim reſiſtere & ſe liberare. 2. Nec quia conditio naturæ ejus mortem ſecum ferebat. *Non enim erat mortalis, nec ullam mortis cauſam habebat in ſe ipſo*, 1 Petr. 2. 22. ſed

1. Propter decretum Dei quod immutabile.

2. Propter prædictionem Scripturæ, quæ infallibilis.

3. Propter ſcopum ſibi propoſitum, qui aliter & per alia media obtineri non poterat. Non poterat peccator ſervari, niſi per paſſionem & reſurrectionem Servatoris. Hæc tria impoſuerunt Chriſto neceſſitatem patiendi, quæ tamen voluntatem & libertatem patiendi non ſuſtulit, Joh. 10. 18. Tali neceſſitati uno alterovè modo ſubſunt omnium hominum actiones tum bonæ tum malæ, ut quicquid faciunt neceſſariò faciant. Vide Actor. 27. 24. & 23. 11. Neque tamen hæc neceſſitas ab actionibus humanis tollit libertatem & lubentiam, nec eas liberat à merito pœnæ ſi malæ ſint, nec eas ſpoliat dignatione gratuitæ mercedis ſi bonæ ſint. Cum enim lubenter & cum delectatione facio malum, pœnam mereor, etiamſi ali-

Digitized by Google

aliqua mihi incumbat neceſſitas malè agendi, non tantùm ex decreto Dei ſed etiam ex corruptione & impotentia naturæ meæ. Cum libenter & cum delectatione facio bonum, dignatur me Deus gratioſa mercede, etiamſi aliqua neceſſitas bene agendi mihi incumbat tum ex decreto Dei, tum ex dominante mihi Spiritus ſancti operatione. Ne igitur ex neceſſitate benè vel malè agendi, quæ hominibus incumbit vel ex immutabilitate æternæ præſcientiæ & prædeſtinationis, vel ex impotentia naturæ, vel ex divina prædictione, vel ex efficaci providentiâ Dei ſuper omnes motus creaturarum, vel ex efficaci operatione Spiritus ſancti in mentibus piorum, nec damus hanc conſequentiam, quòd peccata hominum ſint excuſabilia, preces & alia media pietatis inutilia &c. Quorſum iſtæ inanes conſequentiæ? An non horreſcat homo peccator cum Deo diſputare, & contendere de ſuperioritate vel collateralitate arbitrii, uter utrius arbitrio ſuccumbat? Potius nobis proponamus eandem neceſſitatem patiendi ex Actor. 14.22. 2 Tim. 3. v. 12. & formemus propoſitum libenter & cum delectatione patiendi quicquid oportet pati.

II. Sed quia hìc præcipuè reſpicitur ad eam neceſſitatem quæ ex prædictione Moſis & Prophetarum oritur, meritò quæritur, ex quibus dictis Moſis & Prophetarum demonſtrari poſſit Chriſtum ſive Meſſiam paſſurum, moriturum & ex morte reſurrecturum eſſe? *Reſpond.* Moſes paſſionem & exaltationem Chriſti prædixit in vaticinio de ſemine mulieris, Gen. 3. v. 15. item per typos ſerpentis ænei, per immolationem Iſaaci quaſi ex mortuis recepti, per captivitatem & exaltationem Joſephi, per ſacrificia & ſacramenta Levitica. Prophetarum autem vaticinia de Chriſti paſſione & exaltatione ſunt clariſſima, Pſal. 2. Pſalm. 8. Pſalm. 16. Pſalm. 22. Pſalm. 40. & 41. Pſalm. 55. Pſalm. 68. & 69. Pſalm. 110. & 118. Iſai. 53. Dan. 9. Ne dicam de typis Davidis, Samſonis, Jonæ &c. Hæc harmonia V. & N. Teſtamenti magna fidei noſtræ confirmatio.

III. Sed cur non ſimpliciter dicit Chriſtum oportuiſſe reſurgere, ſed primum eſſe ex reſurrectione mortuorum? Chriſtus utique non fuit primus qui ex mortuis reſurrexit. Lazarus & multi ante ipſum ſurrexerunt ex mortuis. *Reſpond.* 1. Chriſtus primus imò ſolus & unicus eſt qui ſua virtute ex mortuis reſurrexit, & per hoc potenter demonſtratus eſt eſſe filius Dei, Rom. 1. cæteri ex mortuis alienâ virtute fuerunt ſuſcitati. 2. Chriſtus non tantum ſurrexit ex mortuis, ſed per reſurrectionem ſuam factus eſt primus, i. e. auctor & caput reſurrectionis mortuorum, 1 Cor. 15:20. Coloſſ. 1. 18. Apoc. 1. 5. Sicut primogenitus in V. Teſtamento non tantum erat primus filius familiæ, ſed & totius familiæ caput & dux, ita &c. Sicut primitiæ in V. Teſtam. non tantum erant primus fructus agri, ſed etiam totius meſſis arrha atque pignus, ita &c. Non tantum igitur reſurrectio Chriſti hìc deſcribitur, ſed etiam fructus reſurrectionis Chriſti, ut 1 Petr. 1. 3. 4. 5. Col. 3. 1. Rom. 6. 4. 5. 6. & 8. 11. Atenim ubi in V. T. hoc prædictum,

Digitized by Google

dictum, quod Meſſias non tantum ex mortuis eſſet reſurrecturus, ſed etiam per ſuam reſurrectionem futurus auctor reſurrectionis noſtræ? *Reſpond.* In typo ænei ſerpentis, qui erectus ſanavit omnes morſu ſerpentum compunctos, in omnibus ſacrificiis, quorum ſanguis remiſſionem peccatorum & ſpiritum vitæ pollicitus eſt ſacrificantibus, in vaticinio Iſai. 53. quod Chriſto paſſo & reſurgenti tribuit ſemen, in vaticinio Danielis cap. 9. 26. 27. ex vaticinio Jobi cap. 19. 25. 26. &c.

IV. Quæ denique illa lux, quam Chriſtus reſuſcitatus à mortuis annunciaturus eſſet Judæis & Gentibus, & ubi hoc prædictum in V. Teſtamento? *Reſpond.* Per lucem intelligit Euangelium ut verſ. 18. Congruit quod dicitur, Ioh. 12. 32. De vocatione Gentium plena eſt Scriptura V. Teſtamenti, Gen. 12. 3. Pſal. 22. 28. Iſai. 9. 1. Iſai. 42. 6. & 49. 6. & 60. 3. Sed cur dicit, quod poſt reſurrectionem & Iudæos & Gentes vocaturus ſit? Judæi utique erant populus vocatus, cujus erat adoptio, fœdera, legiſlatio, cultus, promiſſiones, qui non ſedebant in tenebris & umbra mortis ſicut Gentes. Cur igitur his quoque dicitur annunciaturus lucem, ut & Luc. 2. 32. *Reſp.* Iſraël lucem Euangelii ante reſurrectionem Chriſti acceperat, ſed in tenui umbra figurarum & vaticiniorum, poſt reſurrectionem Chriſti in claro ſpeculo hiſtoriæ; candelam habebant, Chriſtus Solem oriri fecit. 2. Iſraël lucem ſuam obſcuraverat per doctrinas & traditiones ac perverſiones hominum. Chriſtus redivivus per Apoſtolos eam purgavit, & claritatem ſuam ipſi reſtituit, & candelam ipſorum emunxit. 3. Confirmat denique hic locus ſpem de vocatione Judæorum poſt diutinam eorum rejectionem, de qua Rom. 11. 1. 25. 26. Hoſ. 3. 4. 5. Sic nos quantumvis illuminati, tamen quotidie precemur ut Chriſtus nobis lucem annunciet. Sedemus enim etiamnum in mortis tenebris. Chriſtus nobis præbet lucem quâ videre poſſumus viam per quam venitur ad lucem æternæ vitæ. Hanc viam calcemus. Nam non calcantibus Chriſtus tenebras annunciat, Matth. 8. 2. Ambulemus in luce dum lucem habemus; ſurgamus ex ſomnolentia & ſecuritate, & Chriſtus nos magis magiſque illuminabit, Eph. 5. 14. Iohan. 12. 35.

Actor. 26. v. 24. 25. 26. 27.

Conc. CCLXXVI.

VErum & jucundum eſt verbum Chriſti, Matth 11. 19. Sapientia juſtificatur à filiis ſuis, i. e. qui veram ſapientiam à Deo acceperunt, & ejus ſunt obedientes diſcipuli, veram ſapientiam defendunt, quoties à mundanis patiuntur criminationem. Exemplum habes in hoc textu, ubi Feſto doctrinam Euangelii criminante quod ſit inſania, Paulus eam defendit ut verba veritatis & ſanæ mentis. Aliud verbum eſt ex ore Salomonis, Prov. 24. 7. Sapientia ſupergreditur captum ſtulti. *Sapientia ſapientibus eſt lux*, Prov. 14. 6. Sed ſtultis eſt tenebræ & inſania. Hujus quoque verbi

Digitized by Google

verbi complementum habes in hoc textu, qui alteram partem apologiæ Pauli coram Feſto & Agrippa incipit. Apologiam enim Pauli coram Agrippa diviſimus in ſolitariam, quæ eſt ſine interpellatione alterius, & in dialogicam, in qua Paulus reſpondet ad interpellationem primò Feſti, deinde Agrippæ, quæ etiam interpellationes appellari poſſunt effecta apologiæ Pauli. His verſibus prælectis habetur interpellatio Feſti & reſponſio Pauli ad illam.

I. Feſtus, auditâ Pauli apologiâ, altâ voce exclamat quòd Paulus inſaniat, idque ex nimia eruditione. Mira res eſt, & tamen inter homines uſitatiſſima, quod qui verè inſaniunt, inſanire putent eos qui verè ſapiunt, fatente Salomone, Prov. 12. 18. Apparet hoc in furioſis, quos ſemper videbis irridere ſanos mente tanquam ſtultos. Sic juventus ſua conſilia ſuaſque actiones longè ſapientiores ſolet æſtimare conſiliis ſenum & per experientiam ſapientium, 1 Reg. 12. v. 7. Sic voluptuoſi, laſcivi & injuſti ac diſſoluti homines homines piè, juſtè, ſobriè viventes habent pro ſtultis, 1 Petr. 4. 4. Sap. 5. 3. 4. Quod præſertim doctoribus pietatis, quibus curæ & cordi eſt ut non ipſi tantum piè vivant, ſed & alios à vana mundi converſatione convertant, contingit, ut rideantur & pro ſtultis habeantur, 2 Reg. 9. 11. Jerem. 20. v. 7. & Chriſtus ipſe talis habitus, Marc. 3. 21. Joh. 10. 20. præſertim autem qui agnitione veræ religionis imbuti ſunt eamque firmiter tenent, ſtulti ſunt omnibus heterodoxis atque iis qui abſurdis erroribus imbuti ſunt, vel qui in religionis negotio ſunt ἀστήρικτοι nullique doctrinæ generi mentem addicunt. Quid abſurdius & magis ridiculum quam fabuloſa & theatralis religio corrupti Judaiſmi, Ethnicorum & Enthuſiaſtarum, & tamen his Euangelium eſt ſcandalum & ſtultitia, 1 Cor. 1. à verſ. 18. ad 24. Sic etiamnum Papiſtica & Monaſterienſis religio in oculis addictorum eſt ſapientia, veritas Euangelii iiſdem ſtultitia. Præſertim qui ſuperbi ſunt & philoſophicâ ac mundanâ ſapientiâ inflati, veritatem & pietatem pro ſtultitia habent. Sic Philoſophi Paulum appellant σπερμολόγον, Act. 17. 18. Feſtus μαινόμενον. Rationes hujus rei reddit Paulus duas. Prior eſt 1 Cor. 2. v. 14. poſterior 2 Cor. 4. v. 4. Ideò etiam opus converſionis vocatur reſipiſcentia, quia qui erant ἀνόητοι & ebrii ac ſtulti, per illam incipiunt videre ſuam ſtultitiam & evigilant, 2 Tim. 2. 26. Animadvertendum tamen quòd hæc Feſti exclamatio contra Paulum non fuerit adeò malitioſa atque contemptuoſa. Non contemptim de Paulo loquitur ſed ex quadam perverſa compaſſione. Agnoſcit enim ſtupendam quandam eruditionem in Paulo. Non habebat Paulum pro homine emotæ mentis, neque pro ſtulto aut ebrio, ſicut illi contemptores faciebant, Actor. 2. 13. neque pro phrenetico & febricitante, ut fit Actor. 12. 15. Sed agnoſcebat in Pauli oratione conceptus adeo ſublimes, ut humanâ ratione comprehendi non poſſent, adeoque ſicut Philoſophi habent ſuos ſubtiles & ſublimes conceptus de rebus naturalibus,

quos

Digitized by Google

quos cæteri non contemnunt ſed ſuis autoribus relinquunt, ita hic Feſtus aliquid mirabile & magnum videt in doctrina Pauli, quod non contemnit quidem, ſed habet pro exceſſu quodam eruditionis, ſicut ſolet eſſe eruditorum mos, ut acrimoniam judicii oſtentaturi, abſtruſiores & ſublimiores ſoleant proferre conceptus quàm quos communis hominum intellectus comprehendere poſſit. Putabat eſſe Philoſophicam quandam ambitionem, quæ Paulum tranſportâſſet in conceptus tam ſublimes, & in eloquium adeo efficax & prægnans. Nec omninò malè ſenſit Feſtus. Revera enim doctrinam abſtruſam & ſublimem ac omnem rationis captum ſupergredientem Paulus protulit. Non igitur peccatum Feſti in eo conſiſtit, quod Euangelii doctrinam habeat pro doctrina humanum intellectum ſuperante, ſed in eo, quod noluit credere revelationibus doctrinæ ſupernaturalis in verbo Dei conſignatis, & tot miraculis confirmatis. Videbat aliquid ſublime & ſupernaturale in doctrina Pauli, ſed quia fide carebat, maniam interpretatus eſt, non habens pro divino, quod tamen ſciebat humanum intellectum excedere.

II. Atque hæc cauſa eſt, cur Paulus ad interpellationem & exclamationem Feſti, reſponſum Feſti adeò leniter tractat, appellans ipſum Feſtum optimum. Non tam acriter increpat ut Elymam, Actor. 13. 10. ſed leniter & honorificè ipſum compellat, quòd non ideò tantum facit, quia magiſtratum Feſtus gerebat, ſed & quia non erat malitioſus Euangelii contemptor, ſed tantum infidelis illius admirator, cui deerat illuminatio Spiritus & donum fidei. Talibus parcere, & leniter eos ferre, magiſque informare æquum eſt, 2 Tim. 2. 24. 25. Sed qui in rebus ad fidem pertinentibus myſteria, rationis captum ſuperantia, non tantum cum admiratione declinant quod Scriptura docet, & non fatentur eſſe ſupra ſuum captum, ſed ex malitia traducunt & perſequuntur, & qui in rebus ad praxin pertinentibus non tantum non convicti ſunt, ſed obſtinatâ malitiâ contra ſuggeſtuum monita non tantùm ſe ipſos obfirmant, ſed etiam confœderationem ineunt ad alios obfirmandos, qui mos inter noſtros magnates præcipuè nunc regnat, eos ſi tam leniter non tractemus nemo mirabitur qui legerit inſtructionem quæ nobis datur Tit. 1. verſ. 13. & exemplum Pauli contra Elymam, qui Sergium Paulum ad fidem inclinantem avertere ſatagebat, Actor. 13. verſ. 10.

Duo porro ſunt in reſponſione Pauli ad interpellationem Feſti.

1. Prius eſt excuſatio ſuæ doctrinæ ab impacto vitio maniæ, verſ. 25.

2. Poſterius eſt confirmatio ſuæ excuſationis per provocationem ad conſcientiam Agrippæ.

Negat Paulus ſe inſanire. Atqui ſuprà v. 11. dicit ſe fuiſſe ſupra modum furentem, μαινόμενον. Quomodo hæc conveniunt? *Reſpond.* 1. Non pugnat Paulum ante converſionem ſuam fuiſſe inſanientem, & poſt converſionem non eſſe. 2. Etiam ante converſionem non erat inſaniens inſaniâ vel maniâ corpo-

Digitized by Google

rali, quæ proficiſcitur ex vitiatione humorum & organorum corporis, ſed ſpirituali, quæ proficiſcitur ex ipſius animæ corruptione, obcæcatione & malignitate à Diabolo inſpirata. Paulus inſaniebat cum ratione, mentis compos, nec elleboro vel alio pharmaco opus habebat quo ad ſanam mentem reduceretur. Interim in ipſa anima illius erat aliqua cæcitas & malignitas ſpiritualis & Diabolica, ex qua proficiſcebatur doctrina inſana, Deo injurioſa, hominis ſaluti noxia, & ſimul veræ & cœleſtis doctrinæ odium & furioſa perſequutio, ut ipſe de ſe fatetur 1 Timoth. 1. v. 13. Verum poſtquam lux cœleſtis in animam ejus incidit, eamque illuminavit, extemplo inſanam doctrinam, quam antea deperibat, cœpit odiſſe & pro ſtercore habere, & dulcedinem percipere ex ſana doctrina Euangelii. Philip. 3. 7. 8. 9 adeoque qui antea erat ἐμμαινόμενος rectè nunc dicit οὐ μαίνομαι. Hæc naturalis cæcitas & hæretica pravitas vel malignitas, quæ fuit in anima Pauli ante converſionem, vocatur hic mania vel inſania, diciturque poſt converſionem in Paulo non fuiſſe. Hæc naturalis cæcitas & hoc perverſum judicium in rebus ad religionem pertinentibus naturaliter eſt in omnibus hominibus, 1 Corinth. 2. v. 14. Tit. 3. 3. Ad quam naturalem cæcitatem & perverſitatem judicii cum accedit voluntaria oppoſitio contra prædicatam veritatem, multi homines fiunt inſani hæretici veritatem odio habentes & malignè perſequentes. Hic ſitus fundus noſtræ calamitatis. Qui hunc morbum animæ ſuæ nolunt agnoſcere, ſeſe ſuper eo humiliare, illuminationem Spiritus S. implorare, lucem verbi indagare, ſed malunt doctrinam de hac noſtra cæcitate exſibilare & animæ corruptæ ductum inconſideratè ſequi, quid mirum tales homines manere ſub poteſtate Diaboli? Qui inde à prima ætate morbum in ſe gerunt vel morbi ſemina, & à medicis commonefacti curationis media negligunt atque contemnunt, ii deinde experiuntur morbum tales ſumere vires, ut nulla ſit curatio. Eodem modo hic fit. Si hoc conſiderarent parentes, non ita in vanitatis exercitiis ſe & ſuos liberos lavarent, per quæ Deus hujus mundi occæcaret eorum mentes, ut eſt 2 Cor. 4. 4. Non debebamus ludere in re tam ſeria. Curationem morbi corporalis negligere & in morbos incurabiles ſe ipſum præcipitare, etſi ſtultum eſt, tamen nihil eſt, ſi comparetur cum eo, quod in negligenda animæ curatione committitur.

Non tantùm negat Paulus doctrinam ſuam inſaniam aliquam ſapere, ſed dicit ſe loqui verba veritatis & ſophroſynes i. e. verba ſanæ mentis. Hæc enim rectiſſima & genuina verſio hujus vocis. Quod Paulus narrabat de apparitione viſionis cœleſtis propè Damaſcum, Feſtus habebat pro dramate poëtico, in quo confingendo Paulus eloquentiam ſuam oſtentaret, adeoque de veritate eorum dubitabat. Quæ autem doctrinalia protulerat, tum theoretica tum practica, Feſto videbantur conceptus nimis ſubtiles qui proficiſcerentur ex nimia quadam eruditionis affectatione vel oſtentatione, ideoque judicat non eſſe

Digitized by Google

eſſe ſatis convenientia rationi & intellectui humano bene conſtituto. Paulus contra affirmat ſe & vera loqui & ſanæ menti convenientia. *Object.* Atqui doctrina cœleſtis ſupernaturalis eſt, & non convenit cum naturali ratione, quantumvis ſana. *Reſpond.* Revelata doctrina Euangelii excedit quidem captum & comprehenſionem rationis humanæ & naturalis, ſed tamen non eſt contraria ſanæ rationi naturali. Gratia enim Euangelii non tollit nec deſtruit naturam, ſed perficit eam. Ratio naturalis non capit neque diſcernere poteſt res ſpirituales, niſi à ſpiritu Dei illuminetur, & etiam poſtquam illuminata eſt, non niſi imperfectè comprehendit, inſtar oculi luſci. Attamen ſi homo naturali ſua ratione vult uti, per illam ipſam judicare poteſt, nihil eſſe in Euangelio, quod non ſit conſentaneum ſanæ rationi. Sic enim judicat ratio humana & naturalis, quod doctrina quæ ex Deo ſit & nos ad Deum adducat, debeat convenire cum Dei ſapientia, potentia, bonitate, juſtitia, veritate & honore, & quod omnis doctrina, quæ pugnat contrà Dei ſapientiam, potentiam, bonitatem, juſtitiam, veritatem & honorem, non ſit divina, ſed humana & damnabilis. Hoc eſt judicium naturalis rationis & conſcientiæ humanæ. Hebr. 11. 6. Quod ſi porrò vis intellectum & rationem tuam in verbo Dei exercere, & ea quæ in Scriptura revelantur ſcrutari & probare, ſimulque illuminationem tuæ rationis à Spiritu ſancto petere, per ipſam naturalem rationem judicare potes, doctrinam Scripturæ & Euangelii non tantum non pugnare contra Dei ſapientiam, potentiam, bonitatem, juſtitiam, veritatem & honorem, ſed inſigniter cum ea convenire, & præterea utilem eſſe ad juſtificationem, ſanctificationem & conſolationem in vita & in morte. Non igitur cœleſtis & ſupernaturalis doctrina Euangelii pugnat contra humanam & naturalem rationem, ſed cum ſana ratione ſanoque intellectu verè convenit. Hinc vocatur *doctrina ſana*, 1 Tim. 1. 10. & 6. 3. 2 Tim. 1. 13. Tit. 1. v. 13. non tantum quia eſt medium & pharmacum animam hominis liberans à ſpiritualibus morbis, & ſuæ ſanitati reſtituens, Apoc. 22. 2. Pſal. 107. 20. ſed præcipuè quia convenit cum ſana ratione hominis, & quia eſt doctrina cujus fides atque praxis hominem ſanæ mentis decet. Quicunque igitur putatis vos pollere ſano intellectu ſanaque ratione, utamini veſtra ratione & judicate, an non rationi veſtræ conveniat quicquid vos ex Scriptura docemus, & ſi ſic, ne obnitimini noſtræ doctrinæ, ut non inveniamini contra propriam conſcientiam & ſic contra ipſum Deum, rationis & conſcientiæ auctorem, pugnare. Improperium maniæ ſæpè Paulo objectum fuit, quoties veritatis & pietatis doctrinam magno cum zelo & eloquii ardore ſuis auditoribus inculcavit, 2 Corinth. 11. 1. 16. 17. & omnibus fidis verbi miniſtris à carnalibus auditoribus etiamnum objicitur. Sed vide quid reſpondeat Paulus 2 Cor. 5. 13. 14. quaſi dicat; ſive acriter & cum zelo pietatem inculcemus, ſive leniter & manſuetè, utrumque fit ex obedien-

tia erga Deum, & ex appetitu veſtri boni.

Hactenus excuſatio doctrinæ, ſequitur hujus excuſationis confirmatio, quâ ipſum Agrippam nititur perſuadere ad perhibendum teſtimonium veritatis. Feſtum ad fidem doctrinæ ſuæ perſuadere videbat ſe non poſſe, quia Scripturas ignorabat, & de hiſtoria Chriſti & Apoſtolorum nihil ſciebat. Multos quidem convertit alio tempore Ethnicos, ſimili ignorantia Scripturæ & Chriſtianæ hiſtoriæ laborantes. Attamen plus ſpei erat veritatis teſtimonium obtinendi ab Agrippa, qui & hiſtoriam Chriſti ac Apoſtolorum ſciebat, & Scripturæ cognitionem habebat. Provocat igitur tùm ad ſcientiam Agrippæ verſ. 26. tùm ad ejus conſcientiam verſ. 27. Feſti judicium Paulus declinat, & ad Agrippæ judicium appellat, q. d. Optime Feſte, neceſſe eſt mihi non indigneris, ſed me excuſes, ſi tuo ſuper hac re judicio non multum defero, ſed in judicio Agrippæ paulò plus præſidii quæro. Tu enim es peregrinus in Iſraël; res de quibus loquor Romæ non contigerunt, ut tu quicquam eorum ſcire poſſis. Verum Rex Agrippa Judæus eſt, qui & Prophetas habet cognitos, vaticiniaque eorum de his rebus, & præterea tali vixit tempore, quo hæc omnia publicitus fuerunt facta & audita inter Judæos. Ipſe vidit & audivit Chriſti doctrinam, miracula, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem, Spiritus ſancti effuſionem, doctrinæ Chriſti propagationem per Judæam & per gentes vicinas, nec puto ipſi incognitam miraculoſam hiſtoriam meæ converſionis propè Damaſcum, quam ſatis teſtati ſunt lictores mei comites. Quod ſi Rex Agrippa vult judicare ſecundum id quod novit, ab ejus judicio omnia propitia mihi promitto. Hæc ad Feſtum præfatus ad ipſum Agrippam ſe convertit, & quaſi exſertâ manu conſcientiam ejus prehendit, interrogans: Credis, Agrippa, Prophetis? Scio te credere. Interrogat, & propriæ interrogationi reſpondet, ne videatur in dubium vocare, an Agrippa verè profiteretur religionem Judaicam. Zelum ſuum in promovenda Agrippæ converſione Paulus miſcet cum prudentia, quâ cavet offendiculum ad quod impingere Agrippa poſſit, & honoris læſione provocari contra Paulum, converſionis media adminiſtrantem. Sic decet Concionatores in concionando prudentes eſſe, Prov. 11.30. Matth. 10. v. 16. 1 Corinth. 3. 10. Non eſt igitur in hac reſponſione ad propriam interrogationem ſchema Rhetoricum, quod ab Oratoribus Paulus didicit, ſed eſt virtus & ſapientia Spiritus in Paulo loquens, & conſcientiam Agrippæ pulſans, ut Chriſto aperiat. Etſi enim Chriſtus non omnium corda per prædicationem Euangelii aperit & efficaci operatione ſibi ſubjicit, tamen multorum corda graviter pulſat, ut contremiſcant, & inexcuſabiles omnimodò fiant, *ſi in* incredulitate perſeverent, Apoc. 3. v. 20. *Object.* Atenim quâ veritate Paulus dicit ſe ſcire, quòd Agrippa Prophetis credat. Si enim Prophetis credidiſſet, credidiſſet etiam Apoſtolis loquentibus ea, quæ Prophetæ teſtantur, vide Johan. 5: 46. 47. Si Moſi crederetis, mihi

cre-

Digitized by Google

crederetis? *Reſpond.* Paulus non teſtatur, ſibi ſpiritu prophetico perſpectum eſſe, quòd Agrippa verâ & ſalvificâ fide ſcripta Prophetarum recipiat. Hoc enim qui faciebat, non poterat non agnoſcere Jeſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam, & in ipſum credere. Sed hoc ſibi tantum Paulus cognitum aſſerit, quod Agrippa teneat hoc principium atque hanc maximam, quod quicquid Prophetæ dicunt, verum ſit. Hoc enim principium apud omnes Judæos, etiam infideles & impios, firmum erat, vultque Agrippam hac appellatione monitum, ut Prophetarum vaticinia inſpiciat, atque ex illis diſcat, Jeſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam, ejuſque doctrinam cœleſtem. Idem principium apud omnes noſtros auditores firmum eſſe nos quoque ſcimus. Non enim inter vos vel antinomos vel anti-Scripturarios eſſe credimus, qui ullam Scripturæ partem in dubium vocent. Itaque eodem modo ad veſtras appellamus conſcientias, nec vanè & ſine fructu appellaremus, ſi Prophetis & Apoſtolis crederetis verâ & ſalvificâ fide potiùs, quàm pura imitatione patrum, ut principium *πατροπαράδοτον*. Si enim verè crederetis Prophetis & Apoſtolis, etiam crederetis ea quæ ex Prophetis & Apoſtolis ſuggeſtus vos docet, nec ita contra doctrinam & monita ſacroſancti miniſterii conjuraretis, tanquam contra ſtultitiam. Cavete ne vobis ſapientia veſtra imponat, ut Rom. 1. 22. 1 Cor. 3. 18. Deus, qui non tantum per prædicationem verbi graviter pulſare, ſed etiam per efficaciam ſpiritus aperire corda veſtra poteſt, largiatur vobis ex gratia, ut potius inſaniam veſtræ vanæ converſationis agnoſcatis, quàm ut cum Feſto doctrinam ſacroſancti miniſterii & zelum piorum miniſtrorum pro inſania traducatis. Diſcant autem ex hoc exemplo pii non dedignari propter pietatem à mundo notari ſtigmate inſaniæ. Contigit hoc Paulo, contigit Chriſto & aliis.

Actor. 26. v. 28. *ad finem.*

CONC. CCLXXVII.

DEo ſervire nec ars nec laus eſt. Id enim multi improbi faciunt magno cum ardore & fervore. Sed Deo ſecundum verbum ſuum perfecto corde ſervire, hoc demum illud eſt, quod Chriſtianum facit. Hæc cauſa quòd, cum pauci ſunt athei & pleríque Deo ſerviant, tamen pauciſſimi ſerventur, quia ſcil. Deo non ſerviunt perfectè, offerentes Deo ſacrificia manca, mutila & maculata, quæ ipſi non ſunt accepta. Hæc imperfectio cultus divini duplex eſt:

1. In exceſſu. Sunt enim qui nimis religioſi ſunt, Actor. 17. v. 22. Non quòd quis poteſt eſſe nimis pius, ſed quod quis ſe in cultu Dei poteſt extendere ultra regulam, ut loquitur Paulus 2 Corinth. 10. 13. 14. non contentus facere quæ verbum præcipit, ſed verbo addens traditiones & mandata hominum, non contentus facere quæ tenetur, ſed ultra vocationem ſe extendens, imò vocationem à cultu ſeparans, nolens in cultu ſuo ſubeſſe ordini & diſciplinæ ſecundum verbum Dei con-

Digitized by Google

conſtitutæ in Eccleſia. Huc pertinent qui nimis juſti ſunt, Eccleſ. 7. 16. i. e. qui capitoſo & immodico zelo furentes perpetui & auſteri ſunt aliorum cenſores & condemnatores, nullas in Eccleſia volunt ferre infirmitates, ſed omnia evellere zizania, ut nihil eorum maneat ſub tritico uſque ad diem judicii, Matth. 13. 28. 29. in precibus ſunt βαττολογήσαντες ἐν πολυλογίᾳ, Matth. 6. 7. *Percolatores culicum & decimatores menthæ & aniſi*, Matth. 23. 23. 24. In tali religione videtur eſſe quidam exceſſus religionis & pietatis; ſed reipſa eſt defectus & truncatio religionis. Dum enim faciunt iſta perierga, omittunt graviora Legis, ſcil. judicium, miſericordiam & fidem, quæ apud tales exceſſivos zelotas rariſſimè inveniuntur, Matth. 23. 23. & ſic Deo offerunt nucem ſine nucleo, magnam & exceſſivam pietatis formam ſine vi pietatis, 2 Tim. 3. v. 5. Plena eſt horum hominum hoc tempore Eccleſia.

2. In defectu. Sicut alii ſe extendunt ultra regulam, ita alii ſubſiſtunt infra regulam, nec toto corde anhelant ad conformitatem cum regula. Hi ſunt illi *nimis impii*, i. e. profani, Eccleſ. 7. v. 17. mundani & vix quicquam facientes aut ſcientes, quod ad religionem pertinet. Sicut priores nimis ſunt calidi, ita hi nimis frigidi & tepidi. Huc etiam pertinent qui multa faciunt bona, ſicut Herodes, Marc. 6. 20. Pilatus, Matth. 27. 24. *qui ad tempus ſatis magnum credunt & tempore tentationis deficiunt*, Luc. 8. 13. *qui non multum abſunt à regno Dei*; ſicut ille ſcriba Marc. 12. 34. *qui multum patiuntur propter profeſſionem Chriſtianæ religionis*, Gal. 3. 4. *admovent manum aratro & retroſpiciunt*, Luc. 9. 62. qui denique propemodum perſuaſi ſunt ut fiant Chriſtiani, ſicut noſter Agrippa in hoc textu. Hi, etſi multum faciunt in negotio religionis, tamen omnes fruſtra laborant, nec auferunt ſalutem, ſed manent ſub ira Dei extra reconciliationem cum Deo, & extra hæreditatem vitæ.

Et tamen tales homines, qui tali cum exceſſu & defectu Deum colunt, maximum implent numerum, non ſolum extra ſed & intra ipſam Eccleſiam viſibilem in terris, & qui verè ac perfectè Deum colunt, perfectione tali quæ ſecundum Euangelium eſt, ſunt pauciſſimi, adeoque attendendum ut in Chriſtianiſmo non ſimus profanus Feſtus, nec ſemiſanctus Agrippa, ſed integer & perfectus Paulus. Feſtus erat non Chriſtianus. Agrippa erat propemodum Chriſtianus. Paulus erat Chriſtianus perfectus & integer, cui nihil deerat quod ad conſtituendum militantis in terra Eccleſiæ verum membrum neceſſarium eſt. Non poſſumus quidem in terris eſſe Chriſtiani perfecti, perfecti enim Chriſtiani ſunt in cœlo; Attamen poteſt quis in terris perfectè eſſe Chriſtianus, non mutilus aut dimidius ſicut Agrippa. Tota dialogus inter Paulum & Agrippam habet tres partes:

1. Interrogationem Pauli, propriâ reſponſione ſecundatam & roboratam v. 27.

2. Reſponſionem Agrippæ ad hanc interrogationem Pauli v. 28.

3. Replicam Pauli ad reſponſionem Agrippæ v. 29.

Digitized by Google

Supe-

Superiori concione de interrogatione Pauli dictum quantum ſatis. Nunc de reſponſione Agrippæ & replicâ Pauli dicemus, adjectis paucis de tertia parte principali hujus capitis, videlicet de ſententia & ultimo conſilio, quod de Paulo ceperunt judices, poſtquam publicè fuit auditus, quod deſcribitur v. 30. 31. 32. *Propemodum*, inquit Agrippa, *me perſuades ut Chriſtianus fiam.* Hanc reſponſionem omnes interpretes accipiunt ut confeſſionem, quâ Agrippa fateatur ſe per concionem Pauli adeò eſſe affectum & commotum, ut parum abſit quin Chriſtianus fiat. Imò ſunt qui putant Agrippam intus & in corde verè perſuaſum fuiſſe de veritate Chriſtianæ religionis, & tamen noluiſſe hoc fateri, ne Feſto & Romanis ludibrio fieret, ideoque tantum fateri quod propemodum ſit perſuaſus. Sunt tamen qui ironiam & ludibrium quærunt in his verbis Agrippæ, q. d. Mi Paule, tu me adeò vehementer interrogas & urges, ac ſi me extemplò & in momento velis facere Chriſtianum. Nimis citò me vis Chriſtianum fieri, an putas me tam citò poſſe tranſire ab avita religione ad Chriſtianiſmum? Vide Pricæum in hunc locum. Hæc interpretatio à Theologis aulicis, vel potius criticis aulicis profecta, in eo videtur fundata, quod talibus interpretibus non videtur convenire cum decoro & generoſitate aulica, vel moribus aulicis, tantum Regem in tam illuſtri conſeſſu publicè fateri, ſe per prædicationem Apoſtoli adeo commotum & affectum fuiſſe. Eſt enim maxima aulica hodie receptiſſima, diſſimulandos eſſe omnes motus & affectus religioſos, ut videaris eſſe immotus, nec habere pectus tam molle, ut vel metus, vel dolor, vel triſtitia vel ullum pietatis pathos in illo cieri poſſit. Imo in publicis Eccleſiæ conventibus, qui devotionis causâ inſtituuntur, videndum potiùs, confabulandum, jocandum & omnem externam devotionem diſſimulandam. Poſſe enim te clam & in ſecreto eſſe triſtem de peccatis, de calamitatibus, amantem Dei & verbi, etiamſi cures ut nemo ſentiat. Verum etſi non laudamus theatralem & oſtentatoriam illam devotionem, quæ conſiſtit in geſtibus ac exclamationibus coactis & factitiis, (**geforceerde ſuchtinghen / tranen en mijnen**) per quos devotio noſtra hypocriſeos non immerito ſuſpecta ſit, quaſi fiat ut coram hominibus videatur, Matth. 6. 2. 5. 16. tamen cenſuris non eſt gravanda externa devotio non fictitia, ſed vi verbi divini expreſſa, multò minus laudandum, ut in loco devotionis profanitas locum habeat, & effectus verbi ac devotio animi datâ operâ diſſimuletur. Magnates mundi pietatis ſenſum & affectum etiam publicè præ ſe ferre congruum eſt & utile. Vide Pſal. 116. 18. 19. nec niſi profana Michal publicam pietatis profeſſionem illudit, 2 Sam. 6. v. 20. Nec ullum in textu hoc fundamentum eſt pro diſſimulatione devotionis. Agrippa nec negat nec diſſimulat, ſe ex concione Pauli motus devotionis hauſiſſe, ſed expreſſè fatetur, ſe propemodum perſuaſum ut obediat. Niſi enim hic eſſet ſenſus reſponſi, Paulus non optâſſet ipſi majorem & perfectiorem commotionem ac perſuaſionem.

Digitized by Google

nem. Habemus igitur potius hoc in loco exemplum, quod prædicatum Dei verbum etiam apud impios ſæpè habeat magnam efficaciam, ut quamvis non convertantur, tamen valde pulſentur & quod tamen iſta religio ac devotio & converſio, quantumvis magna, quantumvis multa, non ſufficiat ad pietatem, niſi ſit tota & perfecta. Confer quæ diximus in Actor. 2. 12. Agrippa per prædicationem verbi erat mirum in modum pulſatus & commotus, in tantum, ut parum abeſſet, quin Chriſtianus fieret, & tamen non eſt ſalvatus. Sic Joſephus Hiſtoricus de Chriſto talia profitetur & ſcribit antiquit. lib. 18. cap. 4. ut appareat eum minimè fuiſſe contemptorem Chriſti, ſed propemodum Chriſtianum. Bileam multum fecit & dixit quod ad religionem pertinet, & verbo Dei mirum in modum commotus eſt, ut diceret, ſi vel domum plenam auri daret Balac, tamen non facerem contra verbum Dei. Achab multa fecit, in cinere & ſacco humiliatus eſt. Herodes multum, multum Phariſæus fecit, Pilatus multum fecit, multum Judas, multum ille Princeps, Luc. 18. v. 21. multum Ananias, multum propter Chriſtianiſmum paſſi fuerunt ámentes Galatæ, *qui in ſpiritu cœperunt, in carne finiverunt*, ſed omnia fruſtra, Gal. 3. 3. 4. Et tamen hodieque regnat inter nos hæc opinio, quod ſi non plenè ſis atheus, impius & omnis religionis contemptor, ſed aliquid aliquando facias, quod ad cultum Dei pertinet, id ad ſalutem ſufficiat: Ne decipite vos ipſos, propemodum Chriſtianus non eſt Chriſtianus, propemodum pius non eſt pius, ſive multum ſive parum abſis à perfectione Chriſtiana. Hoc patet ex replica Pauli ad reſponſionem Agrippæ, in qua 1. Rejicit confeſſionem Agrippæ. 2. Optat ipſi ut fiat quod non erat. 3. Votum limitat.

Rejectio eſt in his verbis: καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ. Paulus hic indicat, nullum eſſe diſcrimen inter planè impium & propemodum pium, ſed utrumque perire. q. d. non ſufficit parum abeſſe ut ſis Chriſtianus. Sive enim parum abſit, ſive multum, nihil refert. Non ſunt niſi duo hominum ordines, ſcil. pii & impii, nec datur aliquod genus intermedium, qui partim pii partim impii ſint. Aut verè ovis es aut totus hædus, aut triticum verum aut lolium verum, aut aurum aut ſtipula, aut argentum aut ſpuma, aut agnus aut lupus, aut infans aut baſiliſcus, aut arbor bona aut arbor mala, aut mortuus aut vivus. Quanta inter mortuum & vivum differentia eſt, tanta inter hominem naturalem & Chriſtianum, etiamſi propemodum Chriſtianus ſit. Sicut ſæpe inter procum & virginem tanta eſt affectio, ut ferè fiat conjugium, & tamen res in nihilum redit, ſicut in contractibus ſæpè in nonaginta novem articulis convenitur, & tamen totus contractus nullus eſt, quia in centeſimo conveniri non poteſt: ita quantumcunque prope accedis ad Chriſtianiſmum, tamen non es Chriſtianus, niſi ſis totus Chriſtianus. Sicut embryo ferè homo tamen non eſt homo, ita *homo Dei debet eſſe perfectus*, 2 Tim. 3. 17. Qui propemodum pius eſt, propemodum ſervabitur, i. e. non ſervabitur. *Qui juſtus*

eſt

Digitized by Google

eſt vix ſervatur, 1 Petr. 4. 18. Sed qui propemodum pius eſt, non ſervatur.

Sequitur votum. Animadvertebat Paulus in Agrippa aliquid Pelagianum eſſe. Dum enim dicit: ἐν ὀλίγῳ μεπείθεις, parum abeſt quin fiam Chriſtianus, ſatis ſignificat ſe credere, converſionem peccatoris non eſſe tantam mutationem, quin naturalis arbitrii viribus fieri poſſit. Hunc errorem Agrippæ Paulus indicat, dum ſermonem ad Agrippam convertit in preces & votum ad Deum, optarim equidem à Deo. q.d. Putas, Agrippa, inter te & Chriſtianum tam parum differentiæ eſſe, cùm tantum interſit quantum inter vivum & mortuum. Putas converſionem ad Chriſtianiſmum eſſe rem adeò facilem, ut mea ſuaſione & tuo arbitrio poſſit perfici, cùm fieri non poſſit niſi intercedente omnipotente operatione Dei. Convertere enim peccatorem in Chriſtianum eſt convertere lapidem in carnem, mortuum in vivum, terrenum in cœleſtem, cæcum in videntem, lupum in ovem, &c. quod ſolâ meâ perſuaſione & tuo arbitrio fieri non poteſt. Itaque opto, ut quod tu putas tuâ & meâ ope tam facilè poſſe perfici, tibi detur à Deo, qui ſolus poteſt ex peccatore Chriſtianum facere. Si Chriſtianiſmus conſiſteret in externa profeſſione oris, meâ perſuaſione & tuo arbitrio fortè aliquid fieri poſſet, ſed aliud eſt quod ad verum Chriſtianiſmum requiritur, quod ſolâ hominum ope & voluntate tuâ effici non poteſt. Hoc itaque tibi à Deo opto.

Nec tibi ſolùm, ſed & omnibus, qui me hodie audiunt. Cur non eâdem operâ omnibus hominibus? Si optando res poteſt effici, cur adeò anguſtus eſt Pauli amor, ut ſolis illis auditoribus converſionem optet? *Reſp.* Paulus, ut bonus piſcator, rete ſuum extendit, quouſque pertingere poteſt, & ut bonus agricola ſemen ſuum non ſerit extra agrum. Hoc enim voto Paulus non tantum collimat ad Deum, ut ipſum moveat, ſed ad corda auditorum ut illa moveantur, q.d. opto tibi & omnibus qui me audiunt à Deo, & ſimul vos doceo optare à Deo. Hæc indoles fidelium Concionatorum, ut ſermonibus ſuis colliment ad corda auditorum. Non ſunt ἀέρα δέροντες, 1 Corinth. 9. v. 26. non loquuntur in aërem, ſed ſermonem ſuum dirigunt ad auditores & ad eorum corda & cogitationes collimant. Non tantùm ſtudent in Bibliis, ſed ſtudent in cordibus auditorum & vitiis eorum, ut cogitationes & affectus, qui ſe efferunt contra Chriſtum, detegant & dejiciant. Ne feratis itaque ægrè, ſi vos concionando tangimus. Non enim in aërem verba ſerimus, ſed collimamus ad corda eorum qui nos audiunt hodie.

Atenim quid optat Agrippæ, & iis qui ſe audiunt? Ut ſint tales, qualis eſt ipſe. Sive in paulo ſive in multo, hoc nihil ad rem facit, ſi vis eſſe Chriſtianus, debes eſſe qualis ego ſum. Similes loci ſunt 1 Corinth. 4. 16. & 11. v. 1. Philip. 3. 17. 1 Theſſ. 1. 6. 2 Theſſ. 3. 9. Hoc durum, inquis, verbum eſt. An nemo poteſt verus Chriſtianus eſſe, niſi qui tantus Apoſtolus & tantus ſanctus eſt atque Paulus fuit? *Reſp.* 1. Non

Digitized by Google

requirit ſimilitudinem ſecum in officio, ſed in converſione & pietate. 2. Non requirit æqualitatem in gradibus, ſed ſimilitudinem in eſſentialibus pietatis. Quantum ad gradus pietatis, æqualitatem aliquam optare licet, 1 Corinth.7.7. Num. 11.29. Sed eſſentialia abſolutè requirenda. Atenim qualis fuit Paulus, & quid illud in quo ipſi debemus eſſe ſimiles? *Reſp.* Nuſpiam melius ſe ipſum deſcribit quàm Philip.3.4. ad 15. Ex hac deſcriptione facilè patet, quòd non fuerit Ethnicus idololatra, nec Judæus apoſtata à doctrina Patrum, nec Hæreticus apoſtata ab articulis Chriſtianæ fidei, nec ſuperſtitioſus Papiſta, nec ſuperbus & turbulentus Anabaptiſta, nec mundanæ vanitatis & profanitatis aſſecla, aut ſimilis propemodum Chriſtianus vel Agrippa, vel Ægrippa, ab ægro partu, infans qui uſque ad nativitatem pervenit, ſed naſcendi viribus deſtitutus naſcendo moritur; ſed quod fuerit verus Chriſtianus, formatus & Reformatus ſecundum tres partes noſtræ profeſſionis, quæ ſunt

1. Abnegatio ſui ipſius, & humiliatio ſuper propriâ indignitate. Etſi haberet carnalia quædam privilegia in quibus confidere poſſet, ſi cuiquam liceret in carne confidere, utpote circumciſus Iſraëlita, Hebræus, Benjaminita: etſi haberet propriam ſuam juſtitiam, utpote in Lege irreprehenſibilis, ejuſq; acerrimus propugnator & zelotes, tamen tantùm abeſt in his confidat, ut potiùs omnia pro damno & pro ſtercore ducat.

2. Confugium ad Chriſtum & ſtudium habendæ communionis cum eo. In eo felicitatem ſuam conſtituebat, eò omnes conferebat vires, ut haberet ſufficientem cognitionem Chriſti ſui Domini, ut Chriſtum lucraretur, & in ipſo inveniretur, ejuſque habens & tenens juſtitiam per fidem, & ſic tum paſſionis tum reſurrectionis ipſius fieret particeps & utrique conformis.

3. Emendatio vitæ. De gratia Dei per fidem in Chriſtum certior factus, eâ non utebatur ad laſciviam, ſed ſeipſum excitabat per illam ad reſurgendum ex morte peccati in novitatem vitæ, nec contentus ſanctificationis initiis obliviſcebatur quæ retrò erant, & ſe extendebat ad ulteriora; ut ſanctitatem ſuam magis magiſque perficeret, non ſibi ſed Deo aſcribens laudem ſuæ converſionis, publicè confeſſus, ſe à Deo prehenſum & converſum, ut ita converſus magis magiſque ſeſe converteret. En hæc perfectio Pauli, quæ Agrippæ & cæteris auditoribus Pauli deerat, quamque iis à Deo optat, & quam nos habere omnes oportet, ſi ſpem ſalutis habere volumus. Ad hanc abnegationem & humiliationem noſtri, ad hanc communionem cum Chriſto, ejuſque juſtitiam & ſpiritum per fidem, ad hanc emendationem vitæ & quotidianum ſtudium creſcendi & proficiendi in ſanctitate, cum agnitione & confeſſione divinæ gratiæ contendamus omnes, & erimus Paulo ſimiles, & ejuſdem ſalutis participes; & quamvis hæc perfectio partium ſit cum multiplici imperfectione graduum, tamen perfecta Chriſti juſtitia hanc imperfectionem teget.

Digitized by Google

Reſtat

Reſtat limitatio hujus voti quod Paulus facit pro Agrippa & ſuis auditoribus. *Opto te eſſe talem, qualis ego ſum, exceptis tamen hiſce vinculis.* Quid opus hac limitatione? *Reſp.* Hoc facit, ne videatur abſurdus & ridiculus, quaſi optaret ut Rex, depoſito ſtatu regio, miſeriam Pauli captivi aſſumeret. q.d. Non opto tibi ut mihi ſimilis fias in corporalibus, ſed in ſpiritualibus. Non invideo tibi honorem regium, nec me tædet meorum vinculorum, modò animas veſtras poſſim lucrari Chriſto, eripere Diabolo, & transferre in ſtatum ſalutis. Paulus & omnes veri Chriſtiani non ſunt ſicut ille murmurator Matth. 20. 11. 12. Etiamſi manè vocati jugum Domini & onus ac æſtum diei tulerint ſemper, alios autem viderint in deliciis & lætitiis diu viventes, tandem tamen converſos & æquàm ſecum ſalutem nactos, hoc nihil eos movet, quippè ſcientes, quòd quicquid accipiunt, non ex merito ſed ex gratia accipiant, adeòque cum prodigo dicentes, ut eſt Luc. 15. 19.

Tertia pars capitis habet ultimum decretum de Paulo conditum, præſertim conſilium quod Agrippa contulit poſtquam Paulum audiverat, ſcil. quod approbavit decretum Feſti, ut Paulus, quamvis innocens & nec mortem nec vincula commeritus, tamen vinctus Romam mittatur propter appellationem ad Cæſarem, verſ. 30. 31, 32. Confirmat hoc quod ſupra dictum, ſcil. eum, qui propemodum Chriſtianus eſt, pilo meliorem non eſſe eo qui non eſt Chriſtianus. Eandem enim injuſtitiam patrat Agrippa quam Feſtus. Sic tandem hoc quoque caput ad finem perduximus.

Actor. 27. v. 1. ad 9.

Conc. CCLXXVIII.

INter ridicula narratur, agricolam quemdam, navigationem experiendi cupidum, procelliſque maris egregiè quaſſatum, relatis in terram pedibus exclamâſſe: *Nunc & mihi aliquid arbitrii eſt, in mari ſolus Deus regnat.* Ridicula profectò vox, & nec homine, nec Chriſtiano digna; ſiquidem is ejus ſit ſenſus, quòd homines in terrâ ambulantes minus ſint ſub regimine providentiæ Divinæ, & greſſus eorum minus dirigantur à Domino, quam cum ſunt in mari. Interim non eſt ſine omni veritate, quòd hominis arbitriũ minus poſſit in negotiis & itineribus marinis, quàm in motibus ſuis, quibus movetur in terra, & quòd hominis vita, atque motus magis immediatè ſit ſub providentiâ Dei, cum eſt in mari, quàm cum eſt in terrâ. Confirmat hoc Pſalmus 107. 23. 24. 25. 26. 27. Confer phraſin, quæ eſt in fine verſ. 15. hujus capitis. Hinc etiam vita ambulantium in terra tum demum rectè intelligitur, cum per comparationem navigantium in mari illuſtratur. Nam ex hac comparatione demum intelligitur rectè, quàm plena ſit omnis hominum vita inconſtantiæ, turbarum, periculorum, deſideriorum, quoties & deſideria & ſpes fruſtrentur, quot impedimentis retardentur actiones noſtræ, & quam ſæpe nos obtinuiſſe putantes actionum & vitæ

ciſſim ſi bonum nobis faciunt homines, reſpiciendus quidem eſt ante omnia Deus, ut præcipuus beneficii auctor; ſed ideo non extra conſiderationem ponendus homo, per cujus charitatem, & juſtitiam, ac fidelitatem Deus nobis bonum facit. Vide exempla utriuſque Geneſ. 50. 20. 1 Sam. 25. v. 32. 33. Deus eſt qui per piratas nos affligit. Huic igitur confitemur noſtram culpam, & promittimus noſtram pœnitentiam, & patientiam. Interim non extra conſiderationem ponimus peſſimorum horum piratarum malitiam, ſed Deo & hominibus eam querimur, & juſtam Dei vindictam contra eos imploramus, ſi converſionem eorum obtinere non poſſumus. Deus eſt qui hanc divitem claſſem ab omni incommodo cuſtodivit, ſalvamque & incolumem ad nos deduxit. Huic igitur agimus gratias & mactamus ſacrificia laudis. Interim non ponimus extra conſiderationem prudentiam, vigilantiam, & fidelitatem Magiſtratus & eorum horum, qui pro nobis & noſtra ſecuritate pugnare parati ſunt; ſed beneplacitum in eo habemus, Deumque oramus ut porrò eis benedicat.

II. Perſonæ, quæ Paulo in hoc itinere fuere comites, ſunt triplices: 1. Capitaneus Julius cohortis Auguſtæ, ſive prætoriæ, cum aliquot militibus, ut eſt verſ. 1. nec non gubernator & nauclerus cum nautis, ut eſt verſ. 11. & 30. 2. Aliquot alii captivi Romam deferendi, verſ. 1. Quales illi fuerint, ignoratur. Maleficos quoſdam fuiſſe probabile eſt, cui optimus Paulus annumeratur, ſicut Chriſtus latronibus. 3. Aliqui domeſtici Eccleſiæ, inter quos Lucam hujus libri auctorem fuiſſe conſtat ex verbo primæ perſonæ, navigaremus. Specialiter autem exprimitur Ariſtarchus Macedo ex civitate Theſſalonicâ, quæ ad Macedoniam pertinet. Hujus Ariſtarchi ſpecialis mentio ſine dubio fit ideò, ut laudem ferat ſingularis conſtantiæ in Paulo juvando, Actor. 19. 29. & 20. 4. Sic Deus voluit Paulo addere aliquot pios, ne ſolus inter tot impios verſaretur. Videmus hic impios pioſque eidem periculo implicitos. Sic erat in arca Noe, Cham & Sem, pecus purum & impurum in eâdem navi, Gen. 7. Sic in navigio Jonæ erat cultor veri Dei & idolorum cultores in eodem periculo, Jon. 1. 5. Sic in navicula Chriſti Judas cum cæteris, Matth. 8. 23. Sic teſtatur Scriptura Eccleſ. 9. v. 14. Sic experientia in bello, peſte, naufragio aliiſque calamitatibus. Ne ſibi pii hic promittant privilegium. Etſi autem utrique ſunt in eodem periculo, tamen non in eadem conditione. Nam 1. *Pii in periculis Deum habent ſecum & ſolatium ejus.* Pſalm. 23. 4. & 36. 7. 2. *Pii morientes non pereunt.* Johan. 11. 25. Jer. 45. v. 4. 5. & Eſa. 43. 2.

III. Ordo navigationis talis eſt. Ingreſſi ſunt navem Adramytenam, quæ eſt civitas & portus Myſiæ, vel, ut alii volunt, Phrygiæ in Aſiâ minori. Navem ingreſſi poſtridiè venerunt Sidonem, civitatem Phœniciæ Galilææ vicinam, cum intentione legendi littus Aſiæ, ſine dubio commerciorum causâ. Sed contrariantibus ventis legen-

dum

dum erat littus Cypriæ inſulæ, donec pelagus Ciliciæ & Pamphiliæ pervagati devenerunt Myram Lyciæ, ubi navis illa Adramytena finem itineris fecit, ſaltem itineri in Italiam non amplius proderat. Hic invenerunt aliam navem, quæ ex Alexandriâ Ægypti iſtuc venerat, & in Italiam tendebat, in quam navem Capitaneus captivos ſuos ſecum traduxit, ut indè rectà in Italiam navigarent. Sed quia vento fruebantur exiguo, vel adverſo, multis diebus parum itineris conſciebant, adeò ut vix poſſent Cretam Inſulam attingere, tranſireque anguſtum mare, quod eſt inter duo promontoria, Salmonem & Cnidum, quorum alterum ex Cariâ procedebat (ſaltem erat inſula Cariæ objecta) alterum ex Cretæ parte Orientaliori. Trajectis hiſce promontoriis, cum difficultate, legerunt littus Cretæ ſive Candiæ, in quâ Titus Eccleſias conſtituit cum Paulo, Tit. 1. 5. quæque hodiè non tantum nautis noſtris ſatis cognita eſt, ſed etiam celebris graviſſimo & diuturno bello Turcarum & Venetorum. Tandem navem applicant ad inſulæ partem, quâ ſpectat euronothum, ingrediunturque portum, qui pulcher appellabatur, vel potius portus pulchri, Laſeæ civitati vicinam, ubi ad tempus quieverunt. Pulcher ille portus appellabatur, non tam ratione ſecuritatis, quam præſtabat navibus, ea enim ipſi ex parte videtur derogari verſ. 12. Sed propter ſituationis amœnitatem. Hæc prima itineris periodus. Quod ſi quis ex me quærat, quo fine Spiritus S. hunc ordinem hujus itineris, & nomina, atque ſitum locorum tam accuratè per Evangeliſtam conſignaverit, ei *reſpondeo*:

1. Omnia omni tempore non æquè proſunt. Quantum hæc conſignatio potuerit ad confirmandos in veritate hiſtoriæ illos, qui hiſce in locis, & proximis Apoſtolo temporibus vixerunt, noſtrum non eſt dicere. Deus etiam vult hominibus innoteſcere ſitum terrarum, & maris. Nos deglutimus fructus peregrinarum terrarum, & non putamus, inde veniant. In comœdiis & nugis nos occupamus, opera Dei & naturæ negligimus, Rom. 1. 20.

2. Docet nos omnes, quòd mitiſſimum humanæ vitæ in mundo plenum ſit tædii & moleſtiæ, & ſine patientiâ non tranſigatur. Non fuit in hac itineris periodo tempeſtas, nec periculum pereundi, & tamen diuturnum tædium. Sic in omni vita, Pſal. 90. 10. Optimum vitæ, ipſa gaudia vitæ, ipſæ nuptiæ, quæ vitæ totius lætiſſimum ſolent æſtimari, non ſunt ſine tædio. Cum ſumus in tempeſtatibus & paroxyſmis calamitatum, deſideramus optatum exitum, ſed eum adepti à tædio non ſumus liberati. Sanitas melior morbo, pax melior pace; malacia melior procellâ; ſed nihil horum immune à tædio. Docet hoc non deſiderare perennitatem hujus vitæ, ſed anhelare ad vitam aliam, tædii & moleſtiæ expertem.

3. Docet, quòd tamen Deus tædiis & moleſtiis hujus vitæ interponat quietem & pulchrum portum. Non finitur hic iter Pauli, attamen ſtatio quietis interponitur. Sic Iſraelitarum iter in deſerto habuit varias ſtationes. Vide etiam Pſalm. 39. 14. Hoc nobis

Digitized by Google

nunc contigit. Non finitum eſt noſtrum bellum, non fracta hoſtium potentia, nec avaritia, neſcimus quid malorum exanthlandum reſtet. Interea laus Deo, qui hanc refectionem & ſtationem quietis curis interjicit, ut per hyemem ſine cura vivere poſſimus. Difficilem ſuſtinuimus æſtatem. Nunc Deus interponit hanc ſtationem quietis in pulchro portu, quæ grato animo agnoſcenda. Qui enim pro ſublevatione gratus eſt, facilius impetrabit plenam liberationem. Canamus nunc, quod eſt Pſalm. 147. 12. 13. 14.

4. Eſt exemplum patientiæ adhibendæ tum, cum commercia & navigationes marinæ lentè, & cum multa difficultate ſuccedunt. Quanta impatientia ſe oſtendit quod tam tarde ad nos venit hæc noſtra claſſis, adeò deſideriis indulſimus, ut videremur morituri præ deſiderio. Navigantibus etiam cita navigatio tarda videtur, inquit Servius ad Æneid. 3. Ergò his præcipuè patientia opus, quam hoc Pauli exemplum docet Eſa. 28. 16. & 30. 15. 16. Habac. 2. 3.

5. Denique hâc periodo habes ſingularem quandam gratiam, quam Deus Paulo in hoc itinere exhibuit per Julium Centurionem. Is enim humaniter agens cum Paulo permittebat ipſi ire ad amicos, & ab his petere, quæ ad corpus curandum pertinebant verſ. 3. Habes hic

1. Exemplum Ethicæ virtutis vidl. humanitatis ergà hominem virtute præditum, & calamitate preſſum. Non erat Julius Pauli amicus, nec Chriſtianiſmo addictus, attamen, quia Cæſareæ judicio ejus interfuerat, ut officiarius Imperatoreæ cohortis, & eruditionem, eloquentiam & morum probitatem perſpexerat, omni humanitate ipſum proſequitur. Fecerat idem Felix cap. 24. 25. Redarguit hoc barbaram crudelitatem Pontificiorum in Reformatos, quos laudare cogebantur propter doctrinam, & virtutem, & tamen tam inhumaniter perſequebantur. Si non Chriſtianè, ſaltem philantropicè cum iis agere decebat, φιλανθρώπως.

2. Exemplum ſpecialis curæ, quam Deus gerit pro ſuis, concilians ipſis animos hoſtium & peregrinorum, Prov. 16. 7. Simile exemplum habes Actor. 21. v. 32. Exod. 12. 35. 36. Cui Deus amicus, ei non deerunt amici homines.

3. Chriſtianorum eſt procurare pauperibus Chriſtianis, præſertim in verbo Dei operantibus, neceſſaria corporis. Sic fecère Paulo Sidonenſes Chriſtiani. Hoc hac occaſione faciant, qui ex felici adventu hujus claſſis ſpecialem fructum percipiunt. Ne ſit occaſio luxuriæ ſed liberalitatis in pauperes.

Actor. 27. v. 9. ad 14.

Conc. CCLXXVIII.

Homini conſtitutum eſt ſemel mori, Hebr, 9. 15. Sed ſi verum eſt veterus proverbium, quòd metus & periculum mortis graviùs cruciet, & gravior mors ſit, quàm mors ipſa; tum ſunt homines, qui millies moriuntur,

quia

Digitized by Google

quia millies incidunt in tanta pericula vitæ, ut nil videant niſi mortem violentam, & deſtituantur omni ſpe conſervationis, ut & infrà verſ. 20. Contingit hoc omnibus ſæpe hominibus præſertim imbecilliori valetudine fruentibus, Phil. 2. 2. ſed præcipuè itinerantibus & belligerantibus, nec toties illis, qui terrâ iter faciunt, & bella gerunt, quam illis, qui mari. Nam ſi illis metuenda eſt vis hoſtium, ſaltem fidum ipſis & tutum elementum, quod calcant, & quod eos portat: ſed quod ad illos, qui mari iter faciunt, & bella gerunt, illi inambulant viæ infidæ, & quod Coræ, Datani, & Abiramo ſemel contigit, his contingit quotidiè, ſcil. quod via vel elementum, cui inambulant, aperit ſuum os, & abſorbet vivos, & cum artificioſas hoſtium ſagittas pari arte poſſunt retundere, Deus ipſe ex cœlo ipſos oppugnat, contra quem nulla ars, vel ſapientia quicquam valet. Hoc crebrum mori contigit Paulo ſanctiſſimo Apoſtolo, qui ſæpiſſimè conjectus fuit in dubitationem de vitâ, imò ſententiam mortis in ſe ipſo habuit, 2 Cor. 1. 8. 9. Sæpè fuit in periculo mortis, cum in terra eſſet, 2 Cor. 11. v. 23. Sæpè in mortibus. *Non ſemel mortuus ſum, ſed multis mortibus fui implicitus.* Sed præcipuè in mari tanta paſſus eſt vitæ diſcrimina, ut ter naufragium fecerit, & ſemel integrum νυχθήμερον in profundo egerit, ut eſt 2 Cor. 11. 25. i. e. extra navem in undas ipſas ejectus fuerit, ex quibus non niſi tabulis & fragmentis emerſit. Confer Ionæ 2. v. 3. 5. 6. Jonas tria νυχθήμερα Paulus unum. Hoc graviſſimum vitæ periculum, in quo Paulus fuit, hoc capite admodum circumſtantialiter à Luca deſcribitur, & à nobis eſt electum in textum & materiam noſtri ſolennis *jejunii*, quod in ſingulos menſes indictum nobis, ad avertenda pericula, quæ præcipuè ex mari nobis imminent. Vivimus enim in terrâ, ex quâ non niſi ex navigatione vivitur, & in quâ tot ſunt pericula mortis, quot ſunt neceſſitates navigandi. Præſertim hoc infirmo tempore, & verâ mundi ſenectute crepitante, qua inuſitati cœlorum motus maria & flumina noſtra ita concutiunt, ut non ſolum naves in mari agminatim abſorbeantur, ſed & in mediâ terrâ, & poſt aggeres tuti vix ſimus à fluctibus maris, præcipuè quibus ex mari adſcendit, vel adſcendere ſaltem conatur terribilis beſtia belli ex vicinia, habens ſeptem capita & decem cornua, non ſine blaſphemiis, & centum divini nominis abuſibus in capite ſcriptis, quæ & naves & terram noſtram, & bona & vitam noſtram deglubere ſatagit. His, inquam, pericu loſiſſimis temporibus elegimus vobis proponere graviſſimum mortis periculum, quod Paulo ex mari obvenit, ut ex ejus exemplo diſcamus in ſimili periculo ità nos gerere, ut in vera arca Noæ conſervationem corporis, & præſertim animæ inveniamus.

Diviſimus hanc Pauli navigationem in tres partes ſive periodos. Prima habet mite & periculis carens navigationis initium, quo ex Iudæâ in Cretam uſque delati ſunt. Secunda habet periculoſiſſimum & triſtiſſimum navigationis progreſſum, quo poſt diuturnos

Digitized by Google

angores naufragium paſſi in Melitam Inſulam conjecti ſunt, ibique hybernârunt. Tertia periodus habet felicem navigationis exitum, quo ex Melitâ in Italiam & Romam uſque pervenerunt. Superiori concione abſolvimus periodum primam, accedimus nunc ad ſecundam, eamque in ſequentes partes ſubdividimus:

1. Prima eſt Pauli præmonitio de inſtante tempeſtate, ejuſque præmonitionis rejectio, & poſtpoſitio, v. 9. 10. 11. 12. 13.

2. Secunda habet tempeſtatis ortum, incrementum, & durationem, nec non media corporalia à nautis adhibita ad conſervationem navis, & navigantium, & quàm parum iis profecerint, v. 14. ad 21.

3. Tertia habet media ſpiritualia, quæ Paulus ſuggeſſit, quomodo illa uſurpata, & quid tandem profuerint à v. 21. ad finem capitis.

Incipimus à præmonitione Pauli, ejuſque poſtpoſitione. In explicatione verborum breves erimus. Habemus in hac parte

I. Præmonitionem Pauli de inſtante periculo v. 9. 10. ubi notatur 1. Periculum, quod Paulus prævidit: Prævideo, inquit, ὕβριν καὶ ζημίαν tum merciam tum navis, tum animarum ſeu vitæ hominum. An non falſa fuit hæc Pauli præviſio? Prævidet enim ζημίαν ψυχῶν, & tamen verſ. 22. dicit, nullam fore ullius animæ ἀποβολὴν? *Reſpond.* Non eſt pugna: Prævidit periculum exitii, & moleſtiam vitæ, in quam eſſent inciſuri, etiamſi poſteà demum per Angelum ipſi revelatum fuit, Deum ipſos ex hoc periculo, & ex hac afflictione liberaturum, ne in illis pereant. Divinâ ope ſunt liberati, ſed quantum in naturâ erat, miſerè torquebantur, & perierant. Hæc mors illa, quæ viventibus contingit, & vitam ipsâ morte pejorem efficit. 2. Cauſa, in quâ fundatur hæc prædictio & præviſio Pauli: Lapſus anni. Multum temporis, ſcilicet æſtivi, præterierat, imò etiam jejunium jam tum præterierat. Iejunium intelligit Iudaicum, quod celebrabatur decimo ſeptimo menſis, qui incidit in Calendas noſtri Novembris. Vide Annales Uſſerii pag. 2. Quod feſtum annuum inſtituitur, Lev. 16. 29. & 23. 27. Non igitur hinc Pontificii exſculpunt jejunium ſuum quadrageſimale, vel jejunium quatuor temporum in Decembri, tanquam Chriſtianis tempore Apoſtolorum jam tùm inſtitutum. Palam enim ex textu, quòd Apoſtolus non de fine, neque de medio, ſed de initio hyemis loquatur. Hoc confirmat vox ἤδη. Iam tum navigatio erat difficilis, quia jam tum jejunium præterierat, inde jam tum dies erant breves, & aër jam tum impetuoſus, quòd ſanè non quadrat in tempus verum, & quadrageſimam Papiſticam, nec in mediam hyemem, & tempora halcyonii ſed in tempus autumnale. Poſt æquinoctium enim autumnale uſque ad Martium veteres non ſolebant navigare, ſed mare habebant pro clauſo. 3. Adhortatio Pauli ad nautas, præſertim ad Capitaneum Julium, ut maneret in ſolo ubi eſſet, nec ſe ſuoſque conjiceret in periculum; ut plenius exprimitur infrà v. 21. Audiebat Paulus conſultationes & altercationes

Digitized by Google

tiones de ſolutione ex portu, & de alio portu quærendo. Hoc quia ſciebat periculoſum eſſe, ſurgit & hortatur ut maneant.

II. Contemptum hujus præmonitionis cum decreto contrario, ejuſque probabili ſucceſſu. Non obedivit hortationi Pauli Iulius propter duas cauſas: primò quià plus credebat nauclero & gubernatori. *Cuilibet artifici in ſua arte credendum.* Paulus enim non erat nauta. Ergò maluit nautis credere. Deindè quià portus non erat ſatis commodus ad hybernandum. Aut non ſatis tutus, aut ſaltem non ſatis idoneus ad victum. Pulcher quidem erat, ſed aliquid ei deerat ἀνεύθετος, non ſatis benè & commodè ſitus. Non ſimpliciter ineptus, attamen non ſatis aptus. Decreverunt igitur hunc portum deſerere, & commodiorem quærere in eàdem inſulâ, videlicet Phœnicem portum Cretæ magis occidentalem inter Africum, & Chorum, ſitum quidem in meridie Cretæ, ſed exitum habentem inter Africum & Chorum. Favet propoſito Auſter leniter flans, & implet animos opinione propoſiti jam tum obtenti. Propè igitur legunt Cretam, quia ſcil. ventus auſtralis non patiebatur ut in altum mare exirent.

Veniamus ad propiorem inſtitutionem conſcientiæ ex hoc textu. Quæritur an rectè fecerit Paulus, quod ſuum conſilium interpoſuit, & Julio obtrudere voluit, cum deliberaretur de re nautica, ſeu de tempore navigationis, quæ res erat extrà Pauli profeſſionem & vocationem. Et annon rectè fecerit Iulius, quòd Pauli conſilium repudiavit, & experto nauclero ac gubernatori in hac materia plus credidit, quam Paulo? Chriſtianus quidem, qui Paulum habet pro Apoſtolo Chriſti, non rectè faceret, ſi dubitaret an rectè fecerit Paulus: ſed tamen etiam ſcrupulis humanæ rationis ſatisfaciendum eſt, & malevolis quibuſdam hominibus, quorum ordinarium eſt improperium hoc, quod miniſtri Euangelii ex ſuggeſtu involent in res politicas & extra ſuam vocationem poſitas, ſicut Moſi factum Exod. 2. 14. Capitaneus Julius erat Magiſtratus Pauli, in cujus ſolius arbitrio & conſilio erat, quando ſolvendum nec ne. Cur igitur Paulus ſeſe immiſcet? *Reſpondemus igitur.*

1. Non erat Iulio ſpectandum quis eſſet qui conſuleret, ſed quale eſſet conſilium, quod daretur. Si hoc bonum, perinde qualis ſit conſultor. David bonum conſilium à muliere profectum non repudiavit, 1 Sam. 25. 32. & contrà repudiavit conſilium ſummi ducis, 2 Sam. 16. 10. Bonum conſilium ſequendum, etiamſi proficiſcatur à ſervi famulo.

2. Paulus fuit idoneus conſultor etiam in hac materia, ideoque rectè fecit, quod ſic conſuluit, & male Iulius, quod non obedivit. Paulus enim in hoc negotio tripliciter poteſt conſiderari.

I. Ut vir ſenex & expertus. *Experientiæ multum deferendum*, Job. 8. 8. 9. Ironicè loquitur, quaſi dicat, ſi nos tibi non ſatis videmur experti, conſule ſeniores. Vide etiam Syrach. 39. v. 9. Expertus idiota in conſiliis felicior quam juvenis artifex. At verò quis ex-

Digitized by Google

pertior Paulo in navigatione? In mari & fluminibus expertus erat pericula, 2 Corinth. 11. 26. Non debebat apud nos tam parum valere priſcorum & majorum exemplum atque conſilium, qui diſſuadebant hybernas navigationes, & quibus mare tempore hyberno erat clauſum. Sed noſtra avaritia & audacia ſæpè tanta eſt, ut hoc conſilium rideat. *Object.* At tempore æſtivo æquè poſſunt procellæ venire ac hyberno. *Reſpondeo*: In ſolo æquali æque potes crus frangere, atque per præcipitationem tui ex monte. Attamen in illo non eſt æquè tentatio Dei, atque in hoc. Periculum certum periculo incerto pellere licitum eſt, ſed non ſine neceſſitate in certum periculum ſe conjicere.

II. Ut Apoſtolus, habens ſpiritum revelationis. Iulius tamdiu verſatus erat in Iudæâ, ut non ignoraret, quid in miraculis & revelationibus poſſent, qui Ieſum Nazarenum prædicarent, & ſine dubio inter illos fuit, qui Pauli apologiam audiverunt in prætorio Act. 25. v. 23. quod facilè concluditur ex ejus in Paulum affectu, Actor. 27. 3. Meritò igitur debuiſſet & doctrinam Euangelii à Paulo recipere, & in conſiliis vitæ ipſum audire, quippè quem ſcire poterat non loqui ex ſola conjectura ab anni tempore petita, ſed ex inſpiratione divina. Æquè debuiſſet nunc Paulo credere, atque credidit poſteà, cum experimento cognoviſſet quis eſſet, verſ. 30.

III. Ut prædicator verbi ſcripti. Si nos noſtris Magiſtratibus demus tale conſilium, quale Paulus dedit Iulio, nihil faciemus præter officium, quià nihil conſulemus, niſi quod Scriptura docet, & nos docere tenemur. Officium omnium miniſtrorum verbi eſt ſuos auditores hortari ne Deum tentent, nec ſe ipſos atque alios in non neceſſarium periculum vitæ & bonorum conjiciant. Sunt enim vigiles ad præmonendum conſtituti, Ezech. 33. v. 7. Matth. 4. 7. Debent miniſtri eſſe prudentes & circumſpecti, ne profundius ſeſe immiſceant rebus politiæ quam par eſt: verum quouſque verbum ſcriptum præit, neceſſario ſequendum. Hoc & nihil aliud facit Paulus. Conſidera verba textus, & videbis quod audacia navitarum fuerit vera tentatio Dei, quam Paulus, ut miniſter verbi, tenebatur reprehendere, & diſſuadêre. Quatuor ſunt in textu, ex quibus hoc concluditur:

1. Textus teſtatur, quod propter ſolam incommoditatem portum reliquerint, in quo erant. Non ſatis commodus erat ad hyemandum. Ex impatientia cujuſdam incommoditatis ſubeunt periculum vitæ & bonorum. Magno labore vix hunc portum ante hyemem obtinuerant, v. 7. 8. & jam tam leviter ſine neceſſitate, ob impatientiam exiguæ incommoditatis eum volunt deſerere. Sæpe hoc fit in politia, Eccleſia, œconomia. Quoties fiunt rebelliones & inſurrectiones contrà magiſtratum, & publicum ordinem, quæ vitæ & bonorum diſcrimen ſecum trahunt, quot periculoſæ pugnæ committuntur ex merâ impatientiâ cujuſdam leviculæ incommoditatis? Quot fiunt ſchiſmata ex merâ impatientia paucorum minus rectè poſitorum? Quot

Digitized by Google

ſunt ſervi & ancillæ, quæ in paupertatem ſe conjiciunt, quòd ferre non poſſunt verbulum reprehenſionis ab hero? Et quis enumeret omnes miſerias, in quas ſe homines ſæpe conjiciunt ex mera impatientia alicujus exiguæ incommoditatis? An hoc non debet reprehendi à miniſtris? Annon ex tot Scripturæ locis inculcanda eſt patientia, an non acclamandum ut 2 Tim. 1. 8. & 2 Tim. 2. 3. & 9. 2 Sam. 11. v. 11. Si omnia non ſunt ad amuſſim recta, non ideò move periculoſas turbas, ſed patere aliquid incommodi.

2. Teſtatur textus quod conſilium Iulii & nautarum ex mera audacia & temeritate profectum ſit: *ſi forte poſſent Phœnicem attingere.* q. d. Proponebant ſibi ſcopum, & media ulla obtinendi non ſciebant, ſed rem in fortunam conjiciebant, clamantes: Non decet milites & nautas adeò timidos eſſe, experienda eſt fortuna, qui non periclitatur non lucratur, *Caſarem vehis & fortunam ejus.* Annon neceſſe eſt tam ethnicos diſcurſus à miniſtris verbi retundi? Quot homines talis audacia in mortem præcipitavit, quot coëgit foro cedere & verſuram facere inter mercatores? Quanta damna peperit in republica? Temeritas & inconſiderata audacia ingens peccatum, & multum differt à prudenti fortitudine, quæ debet eſſe in magiſtratibus, & rerum gerendarum præfectis. Fortitudo non amat niſi neceſſaria pericula, nec ſuſcipit opus, niſi perſpiciat probabilia media, Luc. 14. 31. *& eſt cum fide in Dei promiſſiones,* Hebr. 11. 29. Nota quæſo in hoc loco expreſſam oppoſitionem inter fidelem fortitudinem & temerariam periclitationem. Ex fide ingredi mare rubrum, & ex audacia & temeraria periclitatione ingredi mare rubrum. In rebus periculoſis ſuſcipiendis fortitudo quidem neceſſaria, ſed vitanda temeritas, ne quid facias ſine neceſſitate, ſine prudentia, ſed humiliter & cum fide in Deum, vid. Num. 14. à verſ. 42. ad 45. Confer Exod. 9. 20. 21. Compara quoque Eſther. 4. 16.

3. Teſtatur textus, quòd fuerit conſilium charitati repugnans. Paulus enim Julio objicit, quòd & navem & bona & vitam omnium in periculum adducat: q. d. Si omninò tuam vitam non curas, ſaltem conſiderandum tibi quòd tecum perdas 276. animas, & tot alios homines, quorum bona ſunt in navi, in paupertatem conjicis. Hæc quoque doctrina Scripturæ, ut aliorum bonum quæramus & damnum vitemus, Phil. 2. 4. Utinam hoc prædicatum fuiſſet hoſtibus noſtris antequam ſuſciperent hoc bellum tam planè inneceſſarium!

4. Denique teſtatur textus, quòd fuerit conſilium diſcors, extortum per pluralitatem votorum, aliis contradicentibus. Plurimi, ſeu pars major cœperunt conſilium. Poſt multas altercationes itum eſt in conſilium multitudinis. Altercationes, & iracundæ rixæ rarò pariunt bona decreta. Hortatio Pauli, quæ eſt 1 Corinth. 1. 10. non tantum quadrat in doctores Eccleſiæ, ſed etiam in rectores reipublicæ. Non quidem ſemper concordibus votis res geri poſſunt, ſed tamen concordiæ & contentionibus manſuetis danda

Digitized by Google

opera. Cum concordibus vobis res periculoſa ſuſcipitur, durante malo ſucceſſu auctores conſilii ſibi invicem poſſunt eſſe ſolatio, ſed ſi diſcordibus votis, tum diſſentientes, pertendentibus ſiniſtrum ſucceſſum exprobrantes, magis dolorem augent.

Vides igitur, quòd Paulus nihil conſuluerit præter officium, ſed quod ipſa Scriptura docet, & ab omnibus Concionatoribus prædicari debet. Non itaque eſt, quòd quis ægrè ferat, ſi in hoc periculoſo bello gerendo idem conſilium ſuppeditem noſtris magiſtratibus. Verbum Dei ſe extendit ſuper omnia negotia, politica, Eccleſiaſtica, œconomica. Penes magiſtratum eſt arbitrium pacis & belli, nec quiſquam ſubditorum ad ſe hoc rapere debet. Attamen ſicut in tempeſtate periculoſa penes nautas quidem arbitrium eſt regendi navem, attamen nemini vectorum illicitum hortari nautas ad prudentiam, concordiam, & charitatem, dehortarique à temeraria audacia: ita tempore periculoſo ſolius quidem magiſtratus eſt decernere quid facto opus ſit, ſed tamen utile, & neutiquam abſurdum in Eccleſia Chriſtiana Chriſtianis magiſtratibus ex verbo Dei acclamari, ut non fidant ſuæ ſapientiæ, nec temerè agant & audacter, carnalibus acti paſſionibus, ne quid committant contrà juſtitiam, veritatem, Eccleſiam; ſed ſapientiam petant à Deo, ejuſque os interrogent, ſicut Reges V. T. Jud. 20. 18. 23. 27. Num. 27. 1. 1 Sam. 23. 9. *Object.* At non habet Eccleſia Chriſtiana Sacerdotem, Ephod, Urim & Thummim. *Reſpondeo*: 1. Imò habet Eccleſia Legem Dei. Hanc audiant Rectores Reipubl. & ſecundum hanc vivant, & per hoc impetrabunt ſapientiam à Deo, Joſ. 1. 7. 8. 2. Habent magiſtratus preces ſuas & Eccleſiæ. Illas effundant, has requirant, & Eccleſia alacriter eas contribuat, non tam petens ut fiat quod noſtrum quiſque judicat utile, quam ut magiſtratibus detur ſapientia eligendi quod tutiſſimum eſt, utque ipſis detur verus amor veritatis & Eccleſiæ, veruſque zelus pro gloria Chriſti contrà omnia ſcandala: item verus amor ſubditorum, ut parcant eorum vitæ atque bonis quantum fieri poteſt, nec ad privatum commodum augendum plus exigant à ſubditis, quam publica neceſſitas requirit. Nam propter hunc amorem datur ſapientia Regibus, 1 Reg. 3. 5. ad 15. Utile quoque magiſtratibus in Eccleſia acclamari ut non deficiant animo tempore periculoſo; ſed ſint bono animo, fidant juſtitiæ cauſæ, conſiderent injuſtitiam hoſtium: cogitent ſe non deſcendere in mare rubrum ex mera animoſitate & iracundia ſicut Ægyptii; ſed perſuaſione neceſſitatis, & ex fide in Deum ſicut Iſraëlitæ. In Eccleſia non acclamatur magiſtratibus: Eſtote bono animo, quia vehitis Cæſarem & fortunam ejus, ſeu quia defenditis Chriſtum, & Eccleſiam ejus. Si quis regerat: Non opus à paſtoribus hæc ſuggeri magiſtratibus, cum ipſi probè nôrint; is contemptu magis dignus eſt quam reſponſione. Nos non ideò tantum conſtituti ſumus, ut dicamus, quæ ignorantur, ſed etiam ut inſtemus, donec fiant quæ ſciuntur & intelliguntur.

Hactenus

Digitized by Google

Hactenus præmonitio Pauli de inſtanti periculo, ejuſque rejectio. Reſtat conſiderandum

1. Quomodo S. Paulus ſe geſſerit poſtquam præmonitio ejus ſic eſſet rejecta; & contrarium conſilium receptum. Tacuit, & ſe trahi in miſeriam paſſus eſt, donec res ad deſperationem venit verſ. 20. 21. Cum contra Pauli ſenſum eſſet decretum, Paulus non obnititur vi aut tumultu, nec ex manu magiſtratus ſe ſatagit ſubducere; ſed poſſidet animam ſuam in patientia ſua, & traquillè patitur ſocietatem infauſti itineris. Sine dubio tamen anxiè Deum ejuſque auxilium invocavit & imploravit. Simile valde exemplum Jeremiæ exemplo, qui cum præmonuiſſet non eſſe deſcendendum in Ægyptum, tamen prævalente multitudinis conſilio, patienter paſſus eſt ſe ſimul trahi in communem interitum. Jerem. 43. 5. 6. 7. Sic & hodie multoties contingit, ut multi ſint in republica, qui judicent rempublicam non prudenter adminiſtrari, & vellent ut ex ſuo regeretur judicio. Hi inſpiciant exempla Pauli & Jeremiæ, & diſcant, Deum etiam regere imprudentia rectorum conſilia, & in bonum finem poſſe vertere. Sint igitur patientes & ferant, quòd ſine peccato ferri poteſt, præſertim poſtquam ſalutariter monendo ſuam exonerârunt conſcientiam. Rerumpublicarum adminiſtratio plerumque tumultuoſa eſt, & ſumma imis miſcentur, interludente præſertim & interveniente Principe hujus mundi Diabolo, ideoque patientia opus habet. Vid. Jerem. 48. 11. 12. Pſalm. 46. 5. 4. &c. Gubernatorum omnium ſummus Gubernator eſt in cœlo. Tandem veniet Regnum illud immobile; Hebr. 12. verſ. 28.

2. Quam lætum ſub initium ſucceſſum habuerit malum conſilium. verſ. 13. Putabant ſe propoſito ſuo potitos. Confer Judic. 9. v. 50. &c. & 2 Sam. 16. 22. 23. & 2 Sam. 17. 23. Qui ſe conſilio Dei ſubducunt, feliciter quidem in altum mare aſcendunt, & à facie Dei fugiunt, ſed tum Deus ventum in mare conjicit, Jon. 1. 3. Impietati ſæpè diu favet ventus, ſed non perpetuo. Noſtri hoſtes præter modum gloriantur, quòd cœptis eorum adeò favet ventus, ſed omnium dierum veſpera nondum venit.

Actor. 27. *v.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

Conc. CCLXXX.

Veteres nautæ inter cæteras anchoras habebant unam validam & robuſtam, quam ſacram anchoram appellabant, quamque non demittebant niſi in extrema tempeſtate. Sic Chriſtiani ſemper precantur, precibuſque tanquam anchoris ſalutis utuntur: ſed publicos dies jejunii, & ſupplicationes habent pro anchora ſacra, quam non ejiciunt, niſi magnis periculis & difficultatibus Eccleſiæ & reipublicæ imminentibus. Fatemur calamitates horum temporum eſſe ſatis graves, ut nos impellant ad ejiciendam hanc ſacram anchoram: ſed tamen quia non tàm propè nobis incumbunt, quam eminus

minan-

Digitized by Google

minantur; fit ut ſatis ſint frigida noſtra jejunia. Operæ pretium igitur eſt ut ſenſus minantium calamitatum in nobis acuatur per propoſitionem ſpeculorum miſeriarum, quas paſſi ſunt alii, ut ex aliorum exantlatis periculis diſcamus tantò acutius ſentire & metuere noſtra imminentia. Inter hæc ſpecula miſeriæ meritò recenſetur navigatio Pauli in Italiam, quam hoc fine cœpimus proponere. Diviſimus eam in initium, progreſſum & exitum, & explicato initio, acceſſimus ad progreſſum, cujus hiſtoria tria habet membra. Primum habet deſcriptionem commonefactionis Paulinæ de inſtante periculo tempeſtatis. Secundum deſcribit ipſam tempeſtatem & media artis contra illam adhibita. Tertium deſcribit media ſpiritualia à Paulo præſcripta. Nuper explicuimus primum membrum, quod Pauli commonefactionem deſcribit: Sequitur nunc ſecundum membrum ſecundæ periodi hujus itineres, quod deſcribit ortum, vehementiam & durationem ipſius tempeſtatis, media corporalia contra illam adhibita, incommoda denique & perturbationes, ὕβριν καὶ ζημίαν, (onghemacken en ontſtelteniſſen) quas ex iſta tempeſtate paſſi ſunt vectores ſimul atque nautæ.

I. Non poſt multum tempus mutatum eſt gaudium nautarum. Auſter enim leniter flans propediem mutatus eſt in Euroclydonem, ventum Typhonicum. Hic ventus impegit ſive ſe ipſum illiſit in Cretam, non in eam partem Cretæ, ubi navis erat, ſed in contrariam partem. Fuit igitur ventus flans ex ortu brumali, ſpecies Aquilonis. Fuit autem ventus Typhonicus, non ſpirans recto curſu, ſed rotatus & ſecum circumtorquens, vel etiam in altum ſubvehens obvia, ut patet ex prima voce verſus 15. Fuit quoque hic ventus conjunctus, ut eſt v. 20. cum denſiſſimis tenebris, adeò ut nec Sol interdiu, nec noctu ullum ſidus appareret: id quod tantò gravius fuit navigantibus illo tempore, quo artificium pyxidis nauticæ nondum erat inventum, ſed navis ex ſolo ſiderum conſpectu erat dirigenda. Acceſſit χειμὼν οὐκ ὀλίγος, i. e. hyemalis pluvia cum nive & grandine, ut ſolet in hyeme. Duravit denique hæc tempeſtas complures dies, perpetuoque ſine interruptione incubuit v. 20. uſque in noctem decimam-quartam v. 27. En hæc ipſius tempeſtatis deſcriptio.

II. Media corporalia ſecundum artem nauticam, ad evadendam tempeſtatis injuriam adhibita, ſunt ſequentia. 1. Conati ſunt ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ, i. e. oculos avertere vento, ventoque obniti ut retrocederent in portum ex quo egreſſi erant. Pœnitentia egreſſus eos cœpit, ideoque conati ſunt reverti. Verum fruſtrà. Cum enim navem vertiſſent, ventus validior eam retorſit. Confer Johan. 1. v. 13. 2. Datâ igitur vento navi, ferebantur quo ventus volebat, & ſic Claudam, parvam inſulam, occidentem verſus à Creta *parum* diſtantem; prætervecti ſunt, ſperantes fore ut etiam in media hyeme iter uſque in Italiam perficerent, ſaltem aliquam in partem devenirent, ubi hyemare poſſent. 3. Sed hanc inſulam prætérlapſis adeò invaleſcit & incumbit ventus

tus, ut ſcapham ipſis extorquere inciperet. Omnem itaque operam dederunt ut hanc vento eriperent & in navem traducerent, ut datâ occaſione uti poſſent, quod magno conatu vix effecerunt. 4. Tum cœperunt alia adhibere auxilia, inter quæ primum fuit, quod navim ligaverunt, funibus ſcil. in medio & in prora, ne quà illiſa ſtatim diſrumperetur. Alii, quod è dextro & ſiniſtro latere aliquid alligaverint ad navem gravandam, ut minus jactaretur. Verùm hoc non ita commodum. Nam quod ex ſola navi expromere poterant, extrinſecus alligatum navem non gravabat, magis quam intus repoſitum. 5. Quoniam autem ventus aliquo pacto Septentrionalis magis magiſque navim verſus auſtrum impellebat, verebantur ne in ſyrtes inciderent, quæ erant loca maris Africani, vadum & fundum habentia arenoſum & mobile, quod à vento motum vertices efficiebat & voragines, quibus naves abſorbebantur. Id ne fieret, velum demiſerunt, & ſic ſine velo navigârunt, ut facilius poſſent declinare littus Africanum. 6. Verùm demiſſo velo navis quidem gubernaculo magis obediebat, ſed propter onus & gravitatem ſine velo navis movebat quidem, ſed nihil promovebat; non ſulcabat aquas, nec tranſiliebat fluctus; jactabatur ex latere in latus, & onera ſua ſurſum deorſum vertebat, adeò ut vectores intra navem non tantum jactarentur vehementer, ſed etiam periculoſè comprimerentur ab incidentibus oneribus. Ut ab hoc incommodo ſe liberarent, jacturam fecerunt mercium, & tertia die etiam ipſa navis armamenta ſeu inſtrumenta, ad navigationem neceſſaria ejècerunt, ut navis parte oneris levata ſine velo propelli poſſet. Malum ſcil. antennas & quæ inde dependebant, ſucciderunt, & in mare conjecerunt, planè ut in ſimili hiſtoria factum Jonæ 1. 5. Nam τὸ σκεῦος verſ. 17. & ἡ σκευὴ verſ. 19. ſignificatione non multum differunt, niſi quod poſterius notat malum cum velo. Hic notabile quod Αὐτόχειρες ſe hoc feciſſe Lucas indicat. Non vi tempeſtatis fractus malus, ſed ipſi ſpontè ſucciderunt. Sic ſe ipſos nudant omnibus mediis itineris proficiendi, ut modò vitam prorogare ad tempus poſſent, ſicut qui gangræna laborantes manus & pedes ſibi abſcindi patiuntur, ut modò vivere poſſint, etiamſi miſerè vivendum ſit. Tanta homini ineſt vitæ cupiditas. Αὐτόχειρες propriè dicuntur, qui ſibi ipſis manum inferunt, & mortem conſciſcunt. Sic anguſtia ſæpe adeò premit, ut quæ chariſſima nobis ſunt, abjiciamus, vel amota à nobis cupiamus.

III. Additur quis animus fuerit hominibus cum ita jactarentur: Certè animus planè abjectus. Non bonorum tantùm ſed animi atque ſpei jacturam fecerant. Adempta enim ipſis fuit omnis ſpes ſalutis, in tantum, ut nec edere nec bibere poſſent per integros quatuordecim dies, verſ. 20. 21. 27. 33 Fuit inedia non propter penuriam cibi, ſed propter triſtitiam animi, & præſentis mortis ſpectaculum, cui ſine dubio acceſſit timor conſcientiæ ex mala vita anteacta, remedia contra iram Dei ignorantis, quo poſtremo ſolus Paulus

Digitized by Google

fuit felicior, habens ſolatium reconciliationis cum Deo per Chriſtum, & ſpem futuræ vitæ, qua timorem mortis mitigare potuit, etſi non ita, quin & ipſe aliquid humani pateretur, donec ſolatium ex cœlo impetraret per angelum, verſ. 24.

Ex verbis textus hunc in modum concinnatis diſcimus ſequentia duo dogmata:

I. Qui verbo & Spiritu Dei nolunt duci, tempeſtatibus puniuntur. Hi homines contempſerant conſilium Apoſtoli, ſequitur ipſos à tergo exitialis tempeſtas. Non fortè fortuna hæc procella orta, ſed ex juſto Dei judicio contra contemptores conſilii Apoſtolici, & contra homines audaces Deum non metuentes ſed tentantes. Sine dubio Satan excitavit hanc tempeſtatem ut Paulum perderet, ſicut fecit filiis Jobi, Job. 1. 19. Sed præcipuè tamen Deus, juſtus judex peccatorum, hunc ventum in mare projecit, ut eſt Jon. 1. 2. Ventus enim & procella eſt res judicialis, Pſal. 18. 16. & Eccleſiaſtici 39. 32. præſertim eſt pœna & vindicta inobedientiæ contra verbum & Spiritum Dei. Vide exemplum primi mundi, Gen. 6. 3. Nolebant duci Spiritu Dei, nec audire prædicatorem juſtitiæ, pœna ſequitur diluvii ex cœlo intemperato. Idem teſtatur Propheta Proverb. 1. 23. 24. 25. 26. 27. Adde Pſalm. 1. 4. Zachar. 7. 13. 14. Matth. 7. 26. 27. Et exemplum Jonæ, quem propter inobedientiam tempeſtas in mari corripuit. Eſt quædam pœna talionis. *Spiritus enim & verbum ſunt halitus oris Dei, quo propellere vult ſuos filios, ut in viis ſuis ambulent,* Rom. 8. 14. Galat. 5. 18. 2 Theſſalon. 2. 8. Qui igitur non vult duci vento ex tertio cœlo ſpirante, illum Deus ulciſcitur per tempeſtatem ex ſecundo cœlo ſpirantem.

Object. Ab hac pœna ſibi metuant qui in mari navigant. Ego maneo in ſicco, ubi tempeſtas non poteſt perdere.

Reſp. 1. Annon dantur exempla, quod ventus perruptis aggeribus, aquas maris in terram propulerit, & vicos ac oppida, homines & beſtias ſuffocaverit? An hujus rei nulla dantur exempla in his regionibus, annon motus hujus judicii unaquaque hyeme nos concutit? Quod Deus toties minatur, annon aliquando faciet?

2. An nunquam contigit æſtate, ut tonitrua & fulgura cum procellis ex cœlo deſcendentia domos & oppida ſuccendant, vel habitatoribus in caput conjiciant, eoſque vivos ſepeliant? Vide Job. 1. 19. Annon hoc præcipuè crebrum in locis, ubi propter belli neceſſitatem pulvis pyrius cuſtodiendus in omnibus ferè urbibus, an nulla hujus rei dantur exempla vicina & recentia?

3. An neſcitis quod venti aëris ſe poſſint inſinuare in ventrem terræ, & terram ita movere, concutere ac perrumpere, ut cùm ſupernè nihil nobis metuimus; terra ipſa ſicca, cui inſiſtimus, nos vel evomat, vel obruat, vel abſorbeat?

4. An neſcitis Deum ſæpe ſolere aërem & ventum, quem haurimus, inficere veneno, ut cita morte contabeſcamus, aut decidamus ſicut folia arborum

Digitized by Google

borum à frigore? An hujus rei nullus apud nos nunc metus ſupereſt?

5. An neſcis ex animabus hominum poſſe prorumpere ventum, inter ſpirante inferno, qui homines in eadem civitate habitantes, ita inter ſe collidat, ut tumultuentur inſtar tempeſtatis ad mutuam perditionem? Homines ejuſdem civitatis ſibi invicem unâ horâ cohabitant converſatione tam placidâ, ut ſit inſtar æquoris & malaciæ: ſed alterâ horâ in tot factiones dividuntur, in quot fluctus ſcinditur mare per ſubitam procellam, qui ſe invicem pellunt & perdunt, planè ut factum in mari rubro, Exod. 14. 27. 28. Mundus ſemper eſt ut mare rubrum. Ordo Politicus & Eccleſiaſticus ſtant ut muri, ut ſine metu inter ſe converſentur homines: ſed cum generatione piorum egreſſâ, ſequitur generatio Ægyptiorum & impiorum franguntur muri ordinis, & ſuffocatur tumultibus populus. Quam facilè hoc fieri poſſit ex cauſis tum politicis, tum Eccleſiaſticis, non opus eſt ut antiquis doceatur exemplis, dum recentia ſunt in promptu. Reſpice Germaniam, Galliam, Britanniam, nec obliviſcere ſtatum harum Provinciarum, in quo erant circa ſecundam ſeculi hujus decadem, *cum ventus peregrinæ doctrinæ*, ut appellatur, Epheſ. 4. 14. conſidebat in linguis Concionatorum, quibus contra ſe invicem flantibus intumuit populus inſtar maris, & fluctuum inſtar ſe invicem concuſſerunt, donec effuſo ſanguine tandem vix ſedata fuit tempeſtas. Saltem ſi intus ventus ſeditionum & ſchiſmatum nos non torquet, facillimo negotio vicinæ nationes inſtar turbinis in nos irruunt, noſque vel ſupprimunt, vel patriâ pellunt. Vid. Eſa. 5. 28. & 27. 8. & 25. 4. & 28. 2.

6. Denique an neſcis nobis inſtare gravem illam tempeſtatem ultimam, per quam cœlum præteribit cum fragore, & omnia elementa colliqueſcent, &c. 2 Petr. 3. 10. Quæ tempeſtas adeò erit terribilis, ut fortiſſimi quique, & quibus robur & æs triplex circa pectus eſt, exclamaturi ſint, ut eſt Apoc. 6. 12. uſque ad finem.

Quod ſi ſcimus inobedientiam contra Dei verbum & ſpiritum tantis tempeſtatibus à Deo vindicari, cur ſumus adeò inobedientes, cur non patimur nos duci verbo & ſpiritu Dei? *Deus ſinit inter nos ſtare Aquilonem & Nothum*, Cantic. 4. 16. Sed nos hoc vento nolumus duci in viis Domini, ſed ejus ductui obnitimur, & reſiſtimus, cupimuſque illi ἀντιοφθαλμεῖν, ut eſt verſ. 15. & loquimur ut illi Pſal. 2. 3. Sicut impii nautæ contra orientes tempeſtates ſolent inſurgere maledictionibus & imprecationibus, ita vos contra ventum verbi & Spiritus ſancti inſurgitis, quoties ille vos nititur repellere, & reprimere intra limites Chriſtianæ modeſtiæ, temperantiæ & εὐταξίας quæ Deo placet: imò non tantùm ipſi inſurgitis, ſed alios, qui miniſterium æſtimant, tamdiu tentatis & vexatis, donec & illos eadem vobiſcum facere propuleritis. Cur ſic facitis, cum ſciatis quod talia facta ſequatur talis tempeſtas, quam effugere nullo modo poteſtis, Pſalm. 139. 7. ad 13. Cur igitur adeo ſecuri, laſcivi, injuſti, impudici, dece-

Digitized by Google

ptores, cor gravantes voluptatibus & curis, cur nullus apud vos metus & tremor à tantis tempeſtatibus? Cur non conſideratis illud Luc. 13. 2. 3.

Object. Vos id agitis ut hominibus adimatis animum & fortitudinem, ſupprimatis ſpiritum, juventutem reddatis meticuloſam, & rebus gerendis ineptam, extinguatiſque generoſitatem in pectore. Nos vobis regerimus iſtud antiquum, quod ſapientes ſolebant ingerere omnia timentibus: *Quid ſi cælum ruat.* Si tales tempeſtates, taliaque infortunia ſemel iterumque contigêre, an ſimilia ſemper metuemus? Quid tandem indè fiet niſi ut omnes conſeneſcamus, dicamuſque quod ille piger, Prov. 22. 13. Nos nolumus filios & filias noſtras fieri melancholicos phantaſtas, qui nihil audeant niſi quod Concionatoribus probatur, qui inter mutos libros conſeneſcunt, nec intelligunt politiam, & quo pacto mundus regendus. Curent Concionatores ut ipſi melius vivant. Homines generoſos, qui heroës eſſe volunt, oportet tantum habere fortitudinis, ut ſe doctrinæ Concionatorum tam ſtrictè non ſubjiciant, nec reformident jurare & dira imprecari, bibere ad ebrietatem, ſcortari, ſaltare, &c. Quibus animus ſedet celſa & illuſtria in mundo adminiſtrare officia, & converſari cum magnatibus mundi, atque cum honore mundum penetrare, & vitâ defungi, iis non debet eſſe conſcientia tam anguſta, nec deeſſe fortitudo faciendi quæ contrà conſcientiam & verbum Dei ſunt, nec debent omnia pro peccatis habere, quæ pii & Concionatores pro peccatis habent. En hæ ſunt cogitationes veſtri cordis, hi ſermones veſtri oris. *Reſpondemus vobis:*

1. Quod de vitâ Concionatorum dicitis, de eo vobiſcum non expoſtulabimus. Quod de intellectu Concionatorum & eorum doctrinâ, id neceſſario in conſiderationem vocandum. Non gloriamur de noſtro intellectu in rebus religionis & pietatis; attamen, quóniam ſumus veſtri Doctores, ſaltem interrogare vos liceat: An igitur hic ſolus & præcipuus veſter ſcopus eſt, ut fiatis heroës & fortes bellatores in mundo? Annon cupitis ſalvi fieri & æternum vivere, ac condemnationem evadere? an creditis non eſſe Deum nec ſalutem poſt vitam hanc?

2. Si creditis eſſe Deum & remunerationem quærentibus, annon creditis verbum ſcriptum eſſe ſolam & unicam regulam veſtræ vitæ, & neminem Deo placere, niſi qui vivit ſecundum Scripturam, & utitur iis mediis, quæ Scriptura proponit? An eſtis Papiſtæ, qui ex traditione, an Ethnici & Sociniani, qui ex ratione, an Enthuſiaſtæ, qui ex revelatione volunt ſapere ad ſalutem?

3. Si ex ſolo verbo Dei creditis ſapiendum, an creditis fruſtra inſtitutum ſacroſanctum Miniſterium? Si non, an parum debet apud vos valere uniforme judicium totius SS. *Miniſterii* veteris & recentis? An putatis vos jus Dei, & quæ neceſſaria ſunt ad bonam coram Deo ſervandam conſcientiam, rectius intelligere quam totum Miniſterium? Utique in doctrina noſtrâ ferè fide nitimini, & omnia ferè Mi-

Digitized by Google

niſterio concreditis, parum ſcrutantes Scripturam an ita res habeat. In precibus nos habetis pro veſtris ducibus, & omnia in nos conjicitis, parum agentes ſine nobis. At in caſibus ad bonam conſcientiam pertinentibus determinandis nihil apud vos valet, judicium & uniformis determinatio Miniſterii, tum dicitis, Concionatores non intelligunt? An hoc convenit cum eo quod eſt Malach. 2. 4. Hebr. 13. 17.

4. Si Reformati eſtis, annon in Reformata religione tantum profeciſtis, quod primus & primarius Scripturæ & Miniſterii ſcopus ſit conterere hominum corda, naturâ dura, & timoris divini vacua, ut liqueſcant, compungantur, triſtentur de peccatis, & in timore ac tremore ſalutem operentur, & annon tam neceſſaria hæc cordis contritio, ut ſine eâ nemo ſalvari poſſit? Si ita res ſeſe habet, cur vos dicitis, vobis utendum talibus exercitiis & mediis, per quæ cor reddatur durum, vanum, ferum, ſuperbum, & metus ac timoris expers? An hoc Chriſtianum? Hæc eſt vera θεομαχία, cum, Deo mittente prædicationem verbi ad frangendum & conterendum veſtrum cor, ad exſtinguendam ſuperbiam, accendendum metum à judiciis Dei, vos huic brachio Domini totis viribus obnitimini per contraria exercitia, facientia ad indurandum cor, exſtinguendum metum judiciorum Dei, prætendentes verbo Dei & ejus obedientiâ generoſitatem & fortitudinem exſtingui. Annon meritò hìc vobis inculcamus illud Pauli 1 Corinth. 10. 22. & illud 1 Timoth. 1. 19. An verè poteſtis dicere non alia eſſe media conſervandi alacritatem & generoſitatem naturæ quàm illa, quæ Deus in verbo condemnat ut ædificationi contraria, & quæ Diabolus elegit ſibi in inſtrumenta propagandi & conſervandi ſui regni? Aut an certum apud vos eſt, quod vera generoſitas & fortitudo, quâ quis aptus redditur ad ſerviendum Deo in defenſione Eccleſiæ & bonæ cauſæ, non ſit inter dona Dei, nec aliter poſſit obtineri, niſi à Deo per media licita & ſancta?

5. Annon Chriſtianiſmus requirit ſeparationem à mundo, Eſai. 52. v. 11. Apoc. 18. 4. Neſcitis vos non eſſe veſtri ipſius, ſed Chriſto deſponſatos, Chriſtum eſſe adeò zelotypum, ut vos pro ſuis nolit agnoſcere, ſi ſitis mundo conformes. Annon teſſeras Chriſtianiſmi æquum eſt Eccleſiæ oſtendatis & veſtris conſcientiis, ut de ſinceritate veſtra conſtet? an ulla differentia plagarum erit ubi non eſt differentia vitæ? Imò an Deus Ethnicam, Papiſticam, & mundanam vita in Reformatis tam diu relinquet impunitam, ac in Ethnicis, Papiſticis & mundanis? annon incipiunt plagæ ejus à domo ejus? Et ſi fortè dicatis, vos doctrina & fide differre ab illis, & exiiſſe ab illis, an hoc ſufficit? Annon hæc differentia æquè debet eſſe in vita & moribus, atque in fide & doctrina? At verò quid eſt, per quod veſtra vita differat à luxuria & protervia mundanorum, ſi ita tranſibitis ordinem in Eccleſia Reformata conſtitutum? Undè igitur Eccleſiæ, unde vobis ipſis conſtabit, unde Chriſtus judex in ultimo judicio petet ſigna & argumenta, quod ſitis ſui. Meditemini,

Digitized by Google

ditemini, quæſo, has quæſtiones, & ſi poteſtis nobis ſuppeditare tales reſponſiones, quæ in hora mortis & judicii poſſint tranquillare veſtram & noſtram conſcientiam, non amplius vobis erimus graves in urgendis & proponendis tempeſtatibus capiti veſtro imminentibus, ſed patiemur vos edere, bibere, ludere, ſaltare, hiſtrioniam facere, & connivebimus ad veſtra exercitia, quibus vos invicem proliciatis & provocetis ad ſuperbiam, luxuriam, impudicitiam, feritatem, &c. Sed ſi nihil eſt quod reſpondeatis, cedite, quæſo, & metuite à judiciis Dei, antequam eorum tempeſtas vos obruat. Non admodum hæc inculcamus juvenculis, quos excæcant libidines, ut nihil ſanctum comprehendant, quamtumvis ſæpè ejus ſunt ætatis, ut meritò comprehendere deberent. Vos adultos præcipuè alloquimur, qui veſtra diſciplina domeſtica ſuccurrere debebatis diſciplinæ Eccleſiæ, & verò potiùs contrariis exemplis & indulgentiis zelum Concionatorū veſtrorum proſtituitis. Veſtrum erit rationem reddere Deo. Ex veſtro ore fluit objectio, cui ſuperiores quæſtiones opponimus.

6. Conſidera porrò annon à Chriſtianis requiratur interna obedientia Legis æquè ac externa? Annon datur interna impudicitia, ſcortatio, annon adulterium internum, Matth. 5. v. 28. Annon eſt ſcopus Miniſterii mortificare & crucifigere libidines membrorum? Quid proderit externa civilitas & honeſtas, ſi internæ voluptates, internaque deſideria non mortificentur, ſed magis vivificentur & saginentur, an hoc te poterit facere Chriſtianum? Matth. 5. v. 20. Ethnici civiliores id quoque dederunt operam, ut in publicis ſuis lætitiis, luſibus, & recreationibus exularet publica & externa inhoneſtas, ut patet legentibus Terentium, Plautum, &c. Sed interim emicant in iis internæ protervia (De innerliche Unzucht) & titillationes veteris hominis, & per iſta exercitia ita aluntur & artificiosè reguntur, ut ſeductio ad prava opera fiat clàm & ſine animadverſione. An ab his artificioſis & clancularis ſeductionibus immunia ſint veſtra exercitia? Eſto, non faciant vos omnes externos ſcortatores, an ideò pilo meliores, ſi internis ardeatis libidinibus? Cedite, quæſo, & eſtote contenti uſu libertatis Chriſtianæ quam vobis concedit Scriptura. Ea enim eſt ſine ſcandalo non obeſt ædificationi, non conducit ad saginandam carnem, non impedit ſpiritualem mortificationem, & contritionem; non obnubilat ſerenitatem conſcientiæ ac certitudinem ſalutis, & plus prodeſt ad conſervandam neceſſariam alacritatem in officio vocationis; quàm vana illa licentia, pro qua vos tantoperè pugnatis contra eos, qui de ſalute veſtra ſunt ſolliciti.

7. Annon eò uſque profeciſtis in Reformatæ religionis cognitione, ut ſciatis parva peccata non minus eſſe ſine pœnitentia venialia quàm magna?

8. Denique, annon eo uſque profeciſtis, ut ſciatis, etiam res indifferentes non eſſe licitas ſi fiant cum ſcandalo?

II. Diſcimus quoque hinc quod cum

Digitized by Google

cum impii contemptores ſpiritus & verbi ſua inobedientia & rebellione Deum irritârunt, & tempeſtates iræ ipſius provocârunt; tum pii & obedientes, imò ipſi obedientiæ præcones iiſdem tempeſtatibus æque ac impii implicentur. Sic Paulus, ſic Noa in diluvio, ſic Prophetæ Jeremias, Daniel, Ezechiel, Baruch in captivitate Babylonica, ſic Chriſtiani Judæi in deſtructione Hieroſolymæ per Romanos, ſic tempeſtas ultimi judicii æque terribilis erit piis & impiis. Quid igitur opus ſingularem eſſe, cur non peccandum cum multitudine, ſi eadem pœna ferenda. *Reſp.* Sed cæteris deſperantibus Paulus ſolatio fruitur & alios ſolatur. Sciebat enim Deum ſervaturum. Qui ebrietate, profanitate, audaciâ jurandi, & pejurandi, omniſque generis feritate & vanitate ſibi acquiſiverant cor firmum & durum contra pericula, jam deſperant, ut nec edere, nec bibere poſſint. Paulus verò qui cor habebat contritum, molle, compunctum, & vitâ modeſtâ omnem feritatem & vanitatem vitaverat, cæteris omnibus & fortior, animoſior, lætior.

Object. At non omnibus apparet Angelus & dat tale promiſſum ſicut Paulo. *Reſpond.* Sufficit promiſſio Scripturæ, quod per ignem per undas meantes nec flamma nec unda conſumet, quod omnia ceſſura in bonum, quod nihil gravius quàm poſſimus ferre, quod tandem Sol, Luna, & omnes tempeſtates cœli ſint futura ſub pedibus noſtris. Hinc in ultimo judicio cæteris deſperantibus pii tollent capita & triumphabunt.

Actor. 27. v. 21. ad 27.

CONC. CCLXXXI.

Sulpitius apud Ciceronem ait, miſerum eſſe conſolationis genus, cum, qui alium conſolatur, eſt in eadem calamitate cum eo, quem conſolatur. Et tamen exemplum notabile eſt in ultimis duobus Actorum capitibus, quod contrarium demonſtrat. Paulus enim eidem periculo implicitus cum ſociis in navigatione, tamen comites tam egregiè conſolatur, ut omnes facti εὔθυμοι in medio mortis periculo commederint cibum, & ex deſperatione ad laborem lætè reverſi omnes ex periculo ſervati ſint. Hanc conſolationem Pauli cœperamus adhibere ad nos conſolandos contra periculoſum hoc bellum navale, cui nunc ſumus impliciti, & quod multos adeò auxit & angit, ac ſi res deſperata eſſet. Quartum hoc eſt Pauli iter ab Oriente in occidentem, quod regreſſu caret, quod diviſimus in tres periodos. Prima eſt iter ex Judæa in Candiam, ſecunda ex Candia in Melitam, tertia ex Melita in Italiam. Prima periodus fuit quidem tarda & tædioſa propter ventorum contrarietatem, attamen mitis & ſine periculo. Secunda fuit anxia, moleſtiſſima atque periculoſiſſima; cum naufragio conjuncta. Tertia fuit felix atque proſpera, & ſine incommodis peracta, ad profectum Euangelii evenit, ut eſt Phil. 1. 12. 13. 14. Verſamur adhuc in periodo ſecunda, in qua deſcribitur graviſſima iſta tempeſtas,

Digitized by Google

ſtas, quæ Paulum & comites tam diu, & tam miſerè preſſit, concuſſit & afflixit, & tandem in naufragium deſiit, ſalvis tamen vectoribus. In hac periodo habemus

1. Præmonitionem Pauli de inſtante tempeſtate, hortationemque ut manendo ubi erant injuriam ejus evaderent, & quomodò hæc hortatio Pauli fuerit contempta, conſiliumque naucleri prælatum conſilio Apoſtoli.

2. Deſcriptionem ipſius tempeſtatis, quomodo orta, quamdiu duraverit, quàm afflixerit vectores, & quæ media artis nauticæ fuerint adhibita ad periculum evadendum, & quàm fruſtra fuerint omnia.

3. Conſilia atque media ſpiritualia & cœleſtia, quæ Paulus dedit, quomodo illa fuerint uſurpata, & quomodo tandem per illa periculum fuerit ſuperatum.

Explicatis prioribus accedimus ad tertium, in quo duo ſe nobis objiciunt:

1. Generale Pauli alloquium ad duces, præfectos atque comites itineris, verſ. 21. ad 27.

2. Duæ particulares inſtantiæ, quibus ſuperavit eorum tergiverſationes, & finem periculi obtinuit, verſ. 27. ad finem cap.

Generale alloquium habet tria membra:

1. Reprehenſionem, verſ. 21.

2. Conſolationem, verſ. 22. ad 26.

3. Informationem, verſ. 27.

Reprehendit Paulus, quod ſibi ſuadenti non obtemperaverint manentes in Creta & iſtud damnum lucrantes, i. e. prævenientes. Præventio enim inſtantis damni pro lucro habenda. Parcit ſibi à multis incommoditatibus, & ſibi lucratur immunitatem à multis turbis, qui prudentibus conſiliis obtemperat. *Object.* At iſta inobedientia erga Paulum videtur fuiſſe inculpabilis. Cùm enim cuilibet in ſua arte credendum ſit, benè videntur feciſſe, quòd in re nautica plus crediderint nauclero & gubernatori quam Paulo. Et verò Ethnici cùm eſſent, neſciebant Paulum eſſe Miniſtrum verbi Dei, & habere Divinas revelationes de inſtante tempeſtate? Reſpondimus ad hanc quæſtionem concione tertia ſuper hoc caput. Breviter ſic habe: 1. Non erat ſecundùm artem nauticam media hyeme mari ſe committere, & tot hominum vitam atque bona periclitari ſine neceſſitate, propter exiguam aliquam incommoditatem portus: ſed iſtud conſiliũ proficiſcebatur ex naucleri & ſociorum temeraria audacia, & ex impatientia alicujus parvæ incommoditatis, decretum ſine dubio inter aleam & fiſtulam. 2. Quòd Chriſtum & Miniſtros ejus non noverant, hoc non excuſat eorum inobedientiam ergà Chriſtum & Apoſtolos. Nam præterquam quod naturalis ignorantia Dei, impotentia diſcernendi vocem Chriſti & ſpiritus Prophetarum, & totum peccatum originale inexcuſabile eſt; fama Chriſti & Apoſtolorum per orbem terrarum ſatis increbuerat, nec facta eorum geſta in angulo, cap. 26. 16. adeò ut nulla infidelitas erga Chriſtum & Apoſtolos amplius eſſet excuſabilis, cùm non amplius eſſent illa tempora,

de

Digitized by Google

de quibus Actor. 17. v. 30. 3. Saltem Julius Capitaneus, cui propriè conſilium manendi Paulus dederat, non erat excuſabilis. Ei enim Paulus in Judæa & in prætorio Cæſarienſi ſatis innotuerat, ut dictum in Cap. 27. 3. Nos impræſentiarum rectiſſimè vobis oggerimus hæc verba Pauli. Oportebat vos Concionatoribus veſtris ex verbo Dei vos præmonentibus auſcultâſſe, & prævenîſſe iſtam cladem, iſtud damnum atque iſtam injuriam nuperi belli. Etſi enim iſti nationi non eſt data à nobis cauſa nos oppugnandi, tamen Deo data cauſa hos adverſarios nobis excitandi, idque per noſtram ſecuritatem, ſuperbiam, profuſionem, laſciviam, contemptum ſacrorum &c. Et

Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix;

Sæpè ſatis vos præmonuimus, vos, ſi non ſponte ſaperetis, virgis caſtigatum iri. Jam dicimus quod Daniel cap. 9. 11. 12. 13. 14. *Iam caſtigati eſtis.* Nolite obliviſci, quod ſitis meriti. Ne hærete in hominibus, qui afflixerunt, ſed reſpicite Deum, qui juſſit, & confiteamini veſtrum meritum. Eſt cometa caudatus. Caveamus ne revertatur.

Reprehenſionem Paulus contrahit, & conſolatione temperat, in qua

1. Hortatur ut ſint bono animo: παραινῶ ὑμᾶς εὐθυμεῖν, v. 22. εὐθυμεῖτε ἄνδρες, v. 25.

2. Dat Rationem ſuæ conſolationis, quia *præter navem nullius veſtrûm vita peribit*, verſ. 22. Confer verſ. 34.

3. Confirmat hanc conſolationem per conſolationem aliam, quâ ipſum conſolatus eſt Deus, 2 Corinth. 1. 4. De hac conſolatione indicat

. Quando illam acceperit: Hac nocte.

.. A quo illam acceperit: A Deo, cujus eſt, & cui ſervit.

... Per quem acceperit: Per Angelum iſtius Dei ſibi aſtantem, v. 23.

.... Res hac conſolatione ſibi manifeſtatas, & promiſſas, videl. Non eſſe cauſam timendi ab iſta tempeſtate, cum neceſſe ſit, & per tempeſtatem iſtam impediri non poſſit, quin Paulus Romam veniat & coram Cæſare ſiſtatur, cumque Deus Paulo donaverit omnes cum eo navigantes, v. 24.

4. Applicat hanc ſuam ab Angelo acceptam conſolationem ad conſolationem eorum, qui ſecum navigabant, teſtaturque ſuo exemplo, quam certum ſit, conſolationem ſuam non fore irritam verſ. 25. Breviter hæc percurremus, & paucis quæſtionibus enucleabimus.

I. Quid eſt eſſe bono animo? Et cur non potius hortatur ad preces ſicut Johan. 1. 6. & 5. Erant utique homines impii & inconverſi. Cur igitur tales jubet eſſe bono animo? *Reſpondeo:* Verbum Dei conſolatur impios in deſperatione ſua, conſolatur etiam pios in triſtitia ſua. Hi homines nautæ & milites erant deſperantes, qui præ deſperatione non tantum ſpem ſalutis ſed etiam conatum abjecerant. Nec Deum eſſe credebant, qui ſervare poſſet, nec laborem & conatum ſuum quicquam profuturum ad liberationem: Itaque manum in ſinum mittebant, nec edere nec laborare volentes. Huic deſpe-

Digitized by Google

rationi opponit Paulus ſuam conſolationem, quâ eos excitat tum ad fidem, quòd ſit Deus qui ſervare poſſit, tum ad uſum mediorum per quæ Deus juvare velit, monens ut manus exerant, inſulam aliquam quærant & obſervent, & in hanc navem provide illidant. Talis conſolatio etiam impiis ſubminiſtranda, imò ipſi deſperanti Judæ debebat ſubminiſtrari à Sacerdotibus. Talis eſt conſolatio deſperantium Judæorum. Sic Deus ſolatur deſperantem Cainum, opponens deſperatæ ejus querelæ acrem comminationem contra eos, qui Cainum occiderent, ut ita Caino ſupereſſet tempus pœnitendi & ſe cum Deo reconciliandi, Geneſ. 4. 13. 14. 15. Conſolatio verò piorum contra triſtitiam in eo conſiſtit, ut beatitudinem eorum ipſis ſuggerentes & in memoriam revocantes, eos excitemus ad patientiam, gratitudinem, lætitiam, & perſeverantiam in fide & pietate. Talis illa conſolatio, quæ eſt Pſal. 42. 12. & 103. 1. 2. 3. 4. & illa Euangelica Chriſti Matth. 9. 2. Talem conſolationem Paulus his hominibus non ſuppeditat. Nihil enim in ipſorum ſtatu erat, quod poſſet eſſe argumentum lætitiæ. Hoc unum habent impii in hoc mundo, quod janua gratiæ adhuc aperta, & auxilium Dei paratum invocantibus; ideoque poſſunt juberi eſſe bono animo, non deſperare, ſed Deum quærere, ſi fortè inveniant. Sed piis aliud ſolatium. Hi jubentur eſſe læti, quia ſalus eorum extra periculum eſt.

II. Ratio conſolationis eſt: Quia nullius vita perdetur, ſed ſola navis. Ergo eſtote bono animo, non deſperate, non abjicite conatum vos ſervandi. Non promittit æternam ſalutem, ſed temporalis vitæ incolumitatem. Carpunt talem argumentationem heterodoxi, dicentes: Si deſtinatus es ad vitam, ſi promiſſum habes te non periturum, quid opus eſt laborare & mediis uti? Sed videtis quod ſit argumentatio Apoſtolica: Nullius vita peribit, oportet me Cæſari ſiſti. Ergo eſtote bono animo, & admovete manum operi, navemque propellite in inſulam. Sed de hoc latè dictum in Actor. 26. 23. & redibit occaſio dicendi infra v. 31. Verum cur ſolam vitæ incolumitatem promiſit Deus, & non ſimul navis? Quia voluit quidem ſervare, ſed vix, & non niſi per jacturam navis: Sicut quidam deſperatè ægrotantes ſervantur quidem, ſed per jacturam cruris, pedis, manus abſciſſæ; ita hi ſervati, ſed per jacturam navis. Navem enim ipſam in littus coëgerunt, & fregerunt ipſi, ut per fragmenta navis ſervarentur. Eſt imago fidelium. His certa promiſſa eſt liberatio & ſervatio, ſed difficilis & periculoſa, 1 Petr. 4. 18. Præſertim hoc habent quod non liberantur nec ſervantur, niſi per jacturam navis, i. e. corporis. Anima virtute Spiritus ſancti, & cuſtodiâ Angelorum ſervatur, ſed ita, ut ligneum illud & terrenum tabernaculum & navicula, in qua peregrinationem peregimus, frangatur, & ſic per naufragium corporis anima intret in terram vitæ. Placeat nobis hoc Dei conſilium. Potuiſſet increpare ventum ut conticuiſſet, ſicut Matth. 8. potuiſſet cetum advocare, qui abſorberet, & in terram redderet, ſicut Jonam,

Digitized by Google

Jonam, potuiſſet undas dividere ſicut Jordanem & mare rubrum, ut ſicco pede in terram aſcenderent, potuiſſet aquas conſolidare, ut iis ſuperambularent tanquam pavimento, ut Matth. 14. 25. 29. ſed mavult eos ſervare per naufragium, ut omnia media ſervationis iis excuteret & tamen ſervaret, ut ita ſalutem non ſibi & ſuæ arti, ſed Dei gratiæ, ac promiſſioni adſcriberent.

III. Sequitur confirmatio hujus rationis, petita à teſtimonio Angeli Dei, qui Paulo adſtitit noctu, & timorem ei interdixit duabus rationibus. Quæritur igitur cur noctu potius quàm interdiu apparuerit Paulo Angelus conſolator? *Reſpond.* Quia divina conſolatio lux eſt, quæ ſuppeditatur iis, qui ſunt in tenebris, & quantò denſiores tenebræ tantò vicinior conſolatio Dei. *Tempeſtas interdiu tenebras dabat*, ut eſt v. 20. *ſed longa hyemalis nox tenebras & triſtitiam duplicabat*, Cantic. 3. 8. Pſal. 91. 5. Tunc igitur apparebat lux conſolationis. Sciant hoc graviter afflicti. Quantò gravior afflictio, tantò vicinior ſublevatio. Cum duplicantur lateres, venit Moſes. Ideo non ſemel, ſed ſemper noctu Angelus conſolator ad Paulum venit, Actor. 16. 9. Actor. 18. v. 9. & Actor. 23. 11. Sic etiam Lucæ 22. v. 43. Chriſto apparet Angelus in ſummo triſtitiæ culmine, eâ ipsâ nocte, quâ prodebatur. Sic Deus in maximis tenebris ſemper demonſtrat lucem, Iſai. 50. verſ. 10. & 58. 10. Pſalm. 23. v. 4.

IV. Hic Angelus Dei Paulo adſtans cur jubet Paulum non timere? An poſſibile, imò an æquum, & Chriſtianum eſt in tantis vitæ periculis non timere? *Reſpond.* Non timere in tantis vitæ periculis neque Chriſtianum neque poſſibile eſt: Decet enim à judiciis Dei tremere & timere, & fideles reverà ſunt ſicut arundo, quæ à ventis afflictionum hinc inde impellitur. Verùm hìc non ſimpliciter vetatur ut Paulus non timeat; ſed ut non timeat præter modum, ut non indulgeat timori, ut compeſcat timorem, ne ipſum abripiat ad illicita & indecora. Timor Dei eſt ſicut ignis, qui in familia & domo neceſſariò habendus & comparandus, ſed ſimul cuſtodiendus in foco & compeſcendus, ne fiat nimius. Chriſtianus poteſt metuere, ſed in medio terrore & tremore poteſt cor & vocem ad Deum dirigere, & teſtari ſuam fidem in Deum, Pſal. 22. 1.

V. Angelus, qui Paulo apparebat, erat Angelus Dei, cujus Paulus erat, & cui ſerviebat. Quo fine Deum ita deſcribit: *Deus cujus ſum, & cui ſervio?* *Reſpond.* Eſt propriè deſcriptio Chriſti. Hujus enim erat vocatus ſervus, & in hujus ſervitio ſuſceperat hoc iter. Hujus quoque ſunt & huic ſerviunt Angeli, ut patet ex tota hiſtoriâ Euangelii. Chriſtus igitur expreſſè Deus hic appellatur. Non dicit: Deus cujus nos ſumus & cui nos ſervimus; ſed cujus ego ſum, cui ego ſervio, deſcribens ſuam ſingularem communionem cum Chriſto, quam præter ſocios & comites habebat tum ut Chriſtianus tùm ut Apoſtolus.

1. Ut Chriſtianus. Eſt enim vera deſcriptio Chriſtiani hominis, quod

Digitized by Google

Dei eſt & Deo ſervit. Eſt Dei & Chriſti non tantum jure creationis ſicut omnes creaturæ, ſed propter ſingularem unionem & communionem quam habet cum Deo per gratiam Jeſu Chriſti. Eſt enim *Dei filius*, *amicus*, *Chriſti ſponſa & membrum*, *caro de carne ejus & os de oſſibus ejus*, *hæres Dei*, *cohæres Chriſti*, *templum S. ſancti*. Nec tantum eſt Dei, ſed etiam Deo ſervit. Si quis ſit filius tuus & amicus, & tamen tibi ægrè faciat, nec tibi ſerviat, non juvabit ipſum, ſed ſi filius ſit & filialiter erga te ſe gerat hoc tutum præſtat. Sic ſi filii Dei ſumus & gratiam Dei non fruſtra accepimus, ſed dicere poſſumus ut Hiskias Iſai. 38. 3. hæc vera eſt cum Deo communio. Ad hanc ſingularem ſuam cum Deo communionem ſancti provocant, & in iis ſuas preces fundant, Iſai. 44. v. 5. Pſalm. 116. v. 16. Phil. 4. 19. 1 Cor. 3. 24. Pſalm. 17. v. 8. q. d. O Domine, non ſum peregrinus nec hoſtis tuus, ſed filius, ſervus, amicus. Noli me tractare ut hoſtem, ſed ut tuum.

2. Ut Apoſtolus. Sic ſpecialiter erat ſervus Dei, quia peregrinabatur in opere Domini. Non peregrinabatur ſicut cæteri in ſuis negotiis & ſui commodi cauſâ, ſed opera ſua deſerens proficiſcebatur ad opus Domini agendum. Meritò igitur provocat ad hoc. Qui enim ſervos Dei opus Dei facientes tangit, facit ſe fœtidum coram Deo, 2 Sam. 10. 6. Sic Nehemias provocat ad ſuam fidelitatem in faciendo opere Domini, Nehem. 13. v. 31. & paſſim, & in ea fundat precationem divini favoris. Hoc poſſumus imitari cum in viis vocationis noſtræ nobis obveniunt pericula. Qui non quærit ſe ipſum, ſed Dei opus facit, Deum habet protectorem.

VI. Prima ratio, quâ ſuadet temperare timorem, eſt, quia Paulum oportebat Cæſari ſiſti. Non potes perire hac tempeſtate ſed oportet Romam venias. Ergò non time. De hac neceſſitate ſatis dictum in Actor. 26. 23. Confer Actor. 23. 11.

VII. Altera ratio diſſuadens timorem eſt: *quia Deus tibi donavit omnes qui tecum navigant*. Quomodo hoc intelligendum: Deus, fateor, eſt Dominus omnium hominum & poteſt de iis facere quod lubet. Sed quo fine Paulo tot homines donat? Aut quid faciat Paulus hoc dono? An ut ſint ejus ſervi & mancipia, ut eos vendat & in pecuniam commutet? Nuſquam hoc factum. An ut eos convertat & ſecum ſalvos faciat, ſicut Iſai. 8. 18. Neque de hoc conſtat. Pontificii volunt nos inde diſcere, quod ſancti ſint invocandi ut pro nobis intercedant. Paulum enim ajunt ſuis precibus his hominibus impetrâſſe liberationem à morte. Unde verò conſtat Paulum pro iis interceſſiſſe? Et ſi interceſſiſſet an inde ſequitur eſſe invocandum? Et ubi dicitur, quod ſocii unquam ſuis precibus interceſſionem Pauli imploraverint? Rectius igitur dicitur, quod Deus propter Paulum pepercerit vitæ ſociorum, eoſque ipſi donaverit in totidem teſtes ſuæ vocationis cœleſtis? Hi enim omnes poterant jam teſtari, Paulum omnia prædixiſſe quæ evenerunt, & hic in omnibus terræ partibus, ex quibus

Digitized by Google

bus ſinguli erant oriundi, doctrinæ & ſcriptis Pauli apud alios fidem & æſtimationem conciliare. Hoc Deo ſolenne, quòd propter paucos pios parcat impiis in temporalibus judiciis. Gen. 18.32. 2 Reg.3.14. Jerem.5.1. Utile hoc conſideratum hoc die jejunii. Deſperant ſæpe pii, patriam poſſe ſervari in pace, cum vident tam paucos eſſe qui Deum timent & recte invocant. Verentur ne paucorum piæ preces parum proſint, & ne propter impiorum peccata ipſi quoque pii implicentur in judicia. Imò Deus propter paucos pios ſæpè procraſtinat judicia publica, vel etiam aufert. Verum eſt, propter multitudinem pertinacium inconverſorum probabile admodum eſſe, iram Dei perrupturam, & pios cum impiis obruturam. Interim piorum preces non erunt inanes. Liberabunt animas, obtinebunt protectionem in angulo, abbreviabunt & ſublevabunt judicia in patriam & Eccleſiam. Ne deſinamus igitur inſiſtere precibus.

VIII. Sequitur applicatio hujus conſolationis. Acceptâ enim ab Angelo promiſſione conſervationis, applicat illam ſociis, & ſuam in hanc promiſſionem fidem teſtatus eos denuo jubet eſſe bono animo. Acceperat promiſſionem ſe & ſocios liberatum iri. Sciebat ſimul non iri liberatum niſi difficulter & cum naufragio. Nihilominus eſt bono animo, & alios ſolatur. Imitemur hoc in difficultatibus noſtris. Habemus & nos promiſſionem Dei quòd navicula Eccleſiæ non ſit peritura, & omnia vera membra ipſius non ſint peritura, ſed ſervanda per diligentem uſum precum. Sciant ſimul hoc vix futurum, cum multa difficultate, cum naufragio vitæ & corporis, etiam experiuntur deliquium fidei & precum. Nihilominus promiſſione liberationis fulti perſeverant in fide & precibus donec fiat ſicut crediderunt. *Object.* Si Angelus mihi appareret, ſicut Paulo, facilè crederem. *Reſpond.* Vide quid ſcriptum Luc.16.29.30.31. Habetis verbum tot divinitatis characteribus inſignitum, tot miraculis confirmatum, tot conſcientiis ſuâ virtute comprobatum. Si huic non credetis, non credetis Angelo. Hactenus reprehenſio & conſolatio, ſequitur inſtitutio quâ Paulus prædicit ac præſcribit medium quo ſint ſervandi v.26. Non tantum ſervationem prædicit, ſed & medium ſervationis, ut poſtea re ita eveniente tantò certiùs ſcirent rem non fieri caſu, ſed gubernatione iſtius Dei, cujus nomine Paulus id prædixerat. Præſcribit etiam medium ſervationis, ut doceat per divinas promiſſiones non excludi uſum mediorum. Sed de hoc latius dicendum in verſu 31.

Actor. 27. v. 27. ad 33.

CONC. CCLXXXII.

Eſt moris apud Deum, ut promiſſiones datæ & creditæ diu differantur antequam impleantur, ut ita poſt fidem ſpei, patientiæ & precibus ſuus ſit locus. Vid. Hebr. 2.3. Hoc ipſum eſt quod Paulo contigit in difficillima ſua navigatione. Promiſſionem ſervationis in mediis tempeſtatibus acceperat

Digitized by Google

ab Angelo, eamque crediderat, & hanc ſuam fidem apud comites audacter profeſſus erat. Sed poſt hanc fidem diu differtur promiſſionis impletio, imò varia ſeſe offerunt impedimenta, quibus probabilitas ſalutis magis magiſque diſparet, unde non tantum ipſe Paulus in fide ſua concuſſionem paſſus ſine dubio eſt, ſed præcipuè apud comites de veritate ſuæ prædictionis & fiduciæ pudefieri cœpit. Vide enim quid poſt promiſſam & creditam ſervationem contigerit:

1. Cum Paulus prædixiſſet eos in inſulam aliquam iri projectum, inſula nulla apparet, ſed jactantur in mari Adriatico uſque in noctem decimam quartam inde ab initio tempeſtatis ortæ. v. 27.

2. Poſtquam tandem conjecturâ perciperent, ſe alicui terræ appropinquare, & in illa conjectura per adhibitionem inſtrumentorum artis confirmati eſſent, impediuntur tenebris noctis, ne poſſent ad terram illam appropinquare, ſed coguntur ejectis anchoris quatuor diem expectare cum deſiderio, verſ. 27. 28. 29. metuentes ne nocte tempeſtuoſa ad terram alliderentur.

3. Dum tanto cum deſiderio expectant diem, nautæ, quorum erat navim in terram providè & artificioſè propellere, moliuntur fugam, volentes per ſcapham ſe ipſos ſervare, & Paulum atque omnes milites & captivos in navi relinquere, quæ tamen fuga per Paulum detecta, & per Capitaneum impedita eſt v. 30. 31. 32.

4. Hoc impedimento ſervationis ſuperato, & die jam illuceſcente, Paulus providè præſpiciebat, nautas & comites per continuatam inediam ita eſſe maceratos, ut non ſuffecturi eſſent labori, qui ad eluctandum ex reſtante periculo neceſſarius erat futurus, ideoque eos hortatione & exemplo animat ad capiendum cibum & reficiendas vires; inſtituuntque luſtrationem vectorum, & inveniunt numerum animarum ducentarum ſeptuaginta ſex, & tum ſe ad evaſionem præparant per ſublevationem navis, ejecto quod reſtabat onere v. 33. ad 39.

5. Die exorto conſpiciunt aliquam terram, ſed quæ eſſet non cognoſcunt. Obſervantes tamen aliquem ſinum, quem ſperabant fore inſtar portus, qui commodum eſſet præbiturus in terram exitum, gubernaculum ſolvunt, & anchoras tollunt & velum, quod reſtabat, elevant, atque ita navem in terram propellere ſatagunt, ſed illicò ſpe ſua fruſtrantur. Incidunt enim in iſthmum & patiuntur naufragium, ita ut puppis rumperetur, prora verò in arena ſubſideret, ita ut jam non amplius eſſent in navi, ſed in ipſis undis fragmentis natarent, in quibus etiam integrum νυχθήμερον conſumpſiſſe videntur, ſi conferas quod legitur 2 Cor. 11. 25. v. 39. 40. 41.

6. Neque ſic etiam finitur Pauli periculum. Cum enim milites viderent, natando ſuperandum eſſe reliquum maris, indeque vererentur, ne captivorum aliqui natando ipſorum cuſtodiam effugerent, pro qua fuga ipſis apud Cæſarem eſſet reſpondendum, conſilium capiunt occidendi Paulum cum omni-

Digitized by Google

omnibus captivis, & ſic miſer Paulus tantum paſſus ab undis, adhuc venit in periculum moriendi gladio in ipſo ſalutis limine, v. 42.

7. Tandem tamen ſequitur promiſſa ab Angelo ſervatio. Centurio enim, volens ſervare Paulum, conſilium militum impedit, jubetque ut qui artem natandi callerent, priores enatent, & qui natare non poſſent, aſſeribus & fragmentis navis juventur, & ſic omnes ſalvi evaſerunt & incolumes, v. 43. 44.

Vide quam verum illud quod legitur Pſalm. 4. 4. *Dominus ſeparat*, i. e. *ſingulariter & mirabiliter ducit ſuos ſanctos.* Adde illud Pſal. 73 24. & quod ſupra ex Habac. 2. 3. citavimus.

Breviter conſiderabimus has difficultates, per quas promiſſa Paulo liberatio penetravit antequam exorta eſt.

Prima difficultas fuit dilatio, ſive prorogatio promiſſæ opis. Etſi enim prædictum erat, ipſos appulſuros ad aliquam inſulam, nulla tamen inſula apparet ante medium decimæ quartæ noctis poſt cœptam tempeſtatem. Interea jactantur in Adria, i. e. in mari circa Italiæ partem Orientalem & Auſtralem, nec ſciunt ubi ſint, nec quorſum vadant. Sic ſolet Deus promiſſiones ſuas differre, & abſcondere promiſſum eventum, ut non videamus unde aut quomodo quod promiſſum eſt impleri poſſit. Vide duplex exemplum in hiſtoria Abrahami, alterum actor. 7. 3. 4. 5. alterum Geneſ. 15. 1. 2. 3. 4. Sic eductos ex Ægypto Iſraëlitas per annos quadraginta circumduxit antequam in Canaan induxit. Per aliquot mille annos patres V. T. lactavit promiſſione Meſſiæ antequam promiſſum dedit. Sic etiamnum piis promittit opem & ſolatium adverſus omnes calamitates, & interim diu eos ſinit vagari & jactari in Oceano calamitatum ſine apparentia promiſſi auxilii, ut cogantur exclamare ſicut David Pſalm. 13. v. 1. 2. 3. *Gerit ſe ut oblitus noſtri, ut non noſcens nos, ut nec potens nec volens ſervare, etiamſi diu noctuque invoces*, Pſal. 22. v. 1. 2. 3. vide Jerem. 14. 8. 9. Pſal. 77. 8. 9. 10. Diſcamus quod hæc ſit Dei conſuetudo, ne, cum idem nobis contingit, offendamur, nec dicamus ſicut illi illuſores 2 Petr. 3. 4. Differt Deus ſuum auxilium, donec hac dilatione moniti in nos ipſos eamus, noſmet probantes an aliquid ſit in nobis quo Deus offendatur, & illud invenientes emendemus cum humiliatione. Sinit nos vagari in calamitatibus, donec cum pudore animi advertamus quam volupe nobis fuerit vagari in libidinibus, vide Jerem. 14. v. 10. Et poſtquam nos probavimus, humiliavimus & emendavimus, tamen adhuc differt promiſſum auxilium, ut in nobis foveat deſiderium auxilii, preces, ſpem, patientiam, gratitudinem, 1 Petr. 1. v. 7. Diſcamus Deo non præſcribere tempus, nec limitare ſanctum Iſraëlis, ſed ejus horam expectare, Pſal. 78. 41. Joh. 2. 4. & 7. 6. Tempus veſtrum ſemper eſt, meum non eſt ſemper, q. d. vos ſemper ligati ad faciendum officium, ego non ſemper ligatus ſum ad exhibendum beneficium. Vos ſemper obligati ad precandum, ego non ſemper ad exaudiendum. *Obj.* An igitur multæ piorum preces fiunt fruſtra? An pii non poſ-

Digitized by Google

poſſunt dicere ſicut Chriſtus ? Joh. 11. 42. Quomodo hoc convenit cum promiſſione Chriſti Johan. 15. 7. item cum Pſalm. 20. 4. 5. 6. 10. *Recordabitur omnium ſacrificiorum, implebit omnia deſideria quo tempore invocamus ?* Si fideles jubentur ſemper precari cum fiducia exauditionis, annon Deus ſemper tenetur exaudire, ne quando fruſtrà credant? *Reſpond.* Deus promiſit audire omnes piorum preces quæ fiunt cum fide, nec poteſt non audire ſalvâ veritate. Interim ſibi ſervavit libertatem in tempore & modo exauditionis, ut poſſit vel differre exauditionem, vel deſideria petentium implere alio beneficio, quàm quod petitur. Preces noſtræ nunquam ſunt ſine fructu, ſed fructus precum non ſemper eſt conſpicuus, ſed ſe manifeſtat eo tempore & eo modo, quo conducit ad gloriam Dei & ſalutem eorum qui precantur. Hinc fit, ut Deus ſæpe det quod non petitur & tamen exaudiat preces. Luc. 1. 13. cum 18. Zacharias non petebat filium ſed alia, ut patet ex verſ. 18. & tamen preces ejus auditæ per dationem filii. Viciſſim aliquando non dat quod petitur, & tamen exaudit preces, quia alio modo & alio tempore aliiſve mediis nobis ſatisfacit. Deuter. 3. v. 25. 26. Petenti ingreſſum in Chanaan terreſtre, datur in cœleſte. Confer 2 Corinth. 12. 8. 9. Nec ſemper petunt fideles cum fiducia exauditionis; nec tenentur ita petere, niſi cum petunt quod ad ſalutem abſolutè neceſſarium eſt, vel cujus aliquam ſpecialem habent promiſſionem. Cætera petunt cum ſubjectione voluntatis ſuæ ſub voluntatem Dei, & tamen etiam ſic petentes nunquam petunt fruſtra, ſed ſemper aliquid impetrant quod ſalutare eſt.

Secunda difficultas fuit, quod promiſſio de occurſu alicujus inſulæ tandem impletur tempore admodum incommodo, ſcil. mediâ nocte, in tantum ut per ipſam promiſſionis impletionem periculum pereundi augeſceret. Cum enim media nocte appropinquationem alicujus terræ conjectarent, & in ea conjectura confirmarentur per explorationem, quâ deprehendebant undas momento decreſcere à viginti paſſibus ad quindecim, corripuit eos metus, ne cœcâ nocte in ſcopulos alliderentur, deſideriumque ingens ut dies illuceſceret, in tantum ut non auderent progredi ſed in anchoris conſiſterent. *Quæritur* qualis illa fuerit conjectura, & ex quibus ſignis conjecerint appropinquationem terræ mediâ nocte? Non opus eſt ut confugiamus ad revelationem divinam. Habent nautæ experti ſua ſigna, quibus diſcernunt loca maris, an vicina ſint terris, an ab illis remota, ſicut de Chriſtophoro Columbo refertur, quod per aëris & venti terreſtrioris obſervationem Americam detexerit. Fortè hi noſtri obſervârunt abbreviationem fluctuum ob minorem profunditatem aquæ. Nobis hic obſervandum, quod res, quas optavimus, cum obtinentur, ſæpe adferant majus incrementum ſollicitudinis & moleſtiæ. Ut terræ alicui appropinquarent deſiderio deſideraverant hi nautæ. Voto potitis periculum erat ne per tenebras in terram alliſi perirent naufragio. Vide ſimile exemplum in Rebecca, Gen. 25. v. 21. 22.

Digitized by Google

v. 21. 22. Multis precibus & votis impetrata erat imprægnatio Rebeccæ, ſed impetrata majorem ſecum fert incommoditatem quàm quæ fuerat ante illam. Vide notas Belgicas in hunc locum. Solet hoc plerumque uſu venire, cum tolerabili ſtatu non contenti impotentibus deſideriis Deo quaſi extorquemus quod volumus, Numer. 11. v. 4. 5. 33. Pſalm. 78. 30. Confer Gen. 30. 1. cum 35. 16. 17. 18. Diſcamus temperare noſtra deſideria in rebus ad ſalutem non neceſſariis, eaque Deo proponere non ſine ſubjectione ſub ejus voluntatem. Quoties fit, ut rebus mundi non fluentibus ex noſtro voto, etiamſi ſint tolerabiles, tamen ita vehementer optemus mutationem, ut etiam cum vindictæ cupiditate precemur contra illos, qui deſideriis noſtris videntur obſtare. Fieri poteſt ut votis noſtris potiri pejus habeamus quàm nunc. In rebus mundi nunquam decet habere deſideria nimis obfirmata, nec preces fundere nimis importunas. *Neſcimus enim ſæpe quid precemur, noxia an utilia.* Vide Matth. 20. 22. Rom. 8. 26. Iacob. 4. 3.

Tertia difficultas fuit, quòd nautæ moliuntur fugere ſub prætextu producendarum anchorarum, & Paulum atque milites & captivos in periculo deſerere; quod tamen à Paulo detegitur, & ex ejus conſilio à militibus impeditur. Quæritur hìc:

1. Quid impulit nautas ad moliendum fugere? *Reſp.* Duplex diffidentia, altera erga Paulum altera erga milites. Paulus Chriſti nomine ipſis promiſerat ſalutem, ſed videntes periculum naufragii nihil fidunt promiſſis Pauli, ſed ſe ipſos conantur ſervare per ſcapham, relictis in navi ſociis. Altera diffidentia erat erga Julium & milites. Quoniam enim ipſi nautæ temerario ſuo conſilio Julium & milites perſuaſerant, ut ſano conſilio Pauli non obedirent, & in Creta per hyemem manerent, verebantur ne hujus conſilii pœnas luerent à militibus, ſi ſervarentur. Malunt igitur ſe ſervare, & cæteros perdere, & quidem per mendacem prætextum. Fœdum exemplum hìc eſt perfidiæ. Non amant proximum ut ſe ipſos, & perfidè deſerunt quos pro mercede curandos, ſervandos atque in deſtinatum locum devehendos ſuſceperant. Qui fide in Dei promiſſa non retinentur, periculis impelluntur facilè ad violandam quam proximo debent charitatem. Vide exemplum Petri & diſcipulorum erga Chriſtum, Matth. 26. Fide carens in Deum, infidus fit proximo in periculis, negligens eam opem, quam proximo tenetur ferre in periculis. *Object.* Cum ſe ipſos juvare poſſent, an debebant perire propter alios, quos juvare non poterant? *Reſp.* Non erant in periculo pereundi, ſed & ſe & ſocios ſuos ſervare poterant per fidem divinæ promiſſionis & obedientiam divini mandati. Habebant ſpecialem promiſſionem, fore, ut divinitus ſervarentur, habebant etiam ſpeciale mandatum quomodo eſſent ſervandi, ſcil. per appulſum navis in aliquam inſulam. Dum huic promiſſioni fidem detractant, & huic mandato obedientiam, & cum deſertione ſociorum ſe ſolos quærunt ſervare per ſcapham, non

Digitized by Google

poſſunt non dici infideles fuiſſe erga Deum, & perfidi erga ſocios.

2. Quæ ratio quòd ſolus Paulus pravam intentionem nautarum vidit & cæteris detexit? *Reſp.* Deus hac quoque in parte ſpeciali ope Spiritus ſancti ei adfuit, ut per revelationem ſecretæ intentionis, ſub ſpecioſo prætextu latentis, auctoritatem ejus apud milites confirmaret, eoſque ad fidem verbi à Paulo prædicati invitaret. Etſi enim ex hiſtoria non fit probabile, omnes hoſce Pauli comites fuiſſe ad Chriſtum converſos, non tamen defuerunt ipſis media externa converſionis, & quicquid ad externam vocationem neceſſarium fuit, ut Deus optimo jure de ipſis conqueri poſſet quod de Judæis conqueritur, Iſa. 5. 4. *quid faciendum quod non feci?*

3. Sed quid hoc eſt, quòd Paulus negat milites poſſe ſervari, niſi nautæ manſerint in navi? Conſilium Dei erat firmum, Paulum oportebat Romam venire, verſ. 24. Promiſſio Dei erat firma, non poterat perire cujuſquam vita, ſed ſola navis, verſ. 22. Cur igitur milites non poſſunt ſervari niſi nautæ in navi manſerint? An ita dependet conſilium & promiſſio Dei à conſilio nautarum, ut niſi hoc impediatur, illud impediatur? An conſilium militum poterat mutare & impedire conſilium & promiſſionem Dei? *Reſp.* Conſilium Dei dependet à conſilio hominum, non tanquam à cauſa à qua vim & firmitudinem ſuam accipiat, ſed tanquam à medio quod in ipſo Dei conſilio includitur, & à Deo ad exſequutionem ſui conſilii deſtinatum eſt. In eodem enim conſilio Deus deſtinat & rem quam vult fieri, & media per quæ vult fieri. Et cum Deus hanc conjunctionem finis & mediorum in verbo revelat, neceſſe eſt hominem ſecundum hanc revelationem actiones ſuas inſtituere, & finem non quærere ſine inſtitutis & mandatis mediis. Sic Deus decreverat ſervare & promiſerat ſervare milites, ſed per impulſum navis in inſulam. Hujus igitur medii uſum Paulus militibus inculcat, ſi frui ſervatione velint. Quod Deus conjunxit homo non ſeparet. Si ſeparat, ipſe conſilium Dei non mutat, ſed Deus conſilium ſuum exſequitur cum hominis pernicie & juſta pœna. Hinc Scriptura grave peccatum conſtituit in eo, quòd homo nititur firmitudine conſilii & promiſſionis Dei, & negligit uſum mediorum, quod peccatum vocat tentationem Dei. Vide hoc explicatum à Chriſto Matth. 4. Suadet Diabolus ut Chriſtus promiſſioni Pſalm. 91. 11. 12. confiſus, ſeſe ex tecto templi præcipitem det. Chriſtus hoc recuſat facere hoc argumento: Quia idem Deus, qui juſſerit confidere in promiſſiones verbi, etiam prohibuerit Deum tentare. Quomodo tentatur Deus? Per temerarium neglectum mediorum. Hoc Deus imprimis confirmat cum ſupernaturalem ſuam opem alligat talibus mediis, quæ nec neceſſitatem, *nec utilitatem* ullam videntur habere ad obtinendum quod promiſſum eſt. e. g. 2 Reg. 5. 10. 13. Iohan. 9. 6. 7. Hinc & poſt factam promiſſionem media demum injungit, 2 Reg. 20. 5. 6. 7. Hinc & Chriſtus mediis uſus, quibus demonſtra-

Digitized by Google

monſtraverat ſe poſſe carere, Marc. 3. v. 9. 10. Conſidera legem hunc in finem expreſsè datam, Deuter. 22. v. 8. Vide exempla ipſius Chriſti, Matth. 12. 15. & 14. 13. Marc. 3. 6. 7. Hæc omnia nullo alio fine facta, quàm ut nos doceamur temeritatem cavere, & mediorum uſum non negligere. Serviat hæc lectio duplici fini:

a. Refutandis iis qui ſunt extra Reformatam Eccleſiam, ejuſque doctrinam de libero & immutabili decreto Dei ſuper omnes hominum actiones atque motus calumniantur quod hominum officia tollat, & faciat non neceſſaria. Quid opus, inquiunt, pium eſſe & mediis uti, cùm tamen immutabili Dei conſilio definitum ſtet, quid de noſtra vita & ſalute vel condemnatione futurum ſit. Conſidera hoc exemplum. Hìc erat firmum & immutabile decretum, propter quod Paulum oportebat Romam venire & coram Cæſare ſiſti, & per quod cæteri comites Paulo ita erant donati, ut nullius vita eſſet peritura, imo nulli eorum vel pilus capitis eſſet periturus, ut eſt verſ. 34. & tamen mediorum uſus non tantùm utilis erat ad eorum conſervationem verſ. 34. *Hoc enim ad ſalutem veſtram pertinet*, ſed & adeò neceſſarius, ut ſine illo non poſſent ſervari verſ. 31. Et ratio conſequentiæ in aprico eſt. Quod enim Deus ab æterno immutabiliter decrevit per verbum mihi præſcribere in officium, & à me requirere, id non tantùm utile ſed & neceſſarium eſt ad meam ſalutem, & ſine illo non poſſum ſervari. At circumſpectionem & diligentiam in uſu mediorum Deus immutabiliter ab æterno decrevit mihi præſcribere, & à me requirere. Ergo circumſpectus mediorum uſus mihi ad ſalutem neceſſarius eſt, nec poſſum ſine illo ſervari. Hæc ſanè certior & firmior eſt ratiocinatio, quàm cum ſic concludo: Nos tenemur uti mediis. Ergo decretum Dei dependet à noſtro arbitrio, & poteſt per nos impediri. Mirum eſt, viros, qui volunt audire Magiſtri in Iſraël, tam arenoſas nectere argumentationes, & ſuper hoc fundamento lubrico facere & fovere Schiſmata in Eccleſia. Confer 1 Tim. 4. v. 8.

b. Informandis nobis, quoties aliquid agendum quod periculoſum eſt, ſicut hoc ſæpe uſu venit, non tantùm cum propter teſtimonium Chriſti martyrium patiendum, ſed etiam cum neceſſitas proximi poſtulat ut pro fratribus moriamur, 1 Iohan. 3. 16. Neceſſe eſt ut in ejuſmodi officiis aggrediendis non ſimus meticuloſi & ſcrupuloſi contra quod ſcriptum Hebr. 10. 38. Matth. 6. 25. Sed ut credamus firmiter divinis promiſſionibus, & nos ſolemur per conſiderationem divinæ providentiæ & prædeſtinationis, nec noſmet ſubducamus debitis officiis, quantumvis periculoſis, dicentes, ſi providentia Dei ita fert ut hoc periculo moriar, moriar libenter, & credo mortem mihi fore vitam, ſi non fert providentia & decretum Dei, ut hoc periculo moriar, credo me non moriturum, quantumcunque ſit periculum. Talis inquam, animoſitas, taliſque confidentia Chriſtiano homini neceſſaria eſt, alioqui peccat contra Chriſtianam fidem.

Digitized by Google

fidem. Verùm non minùs ipſi neceſſaria eſt circumſpecta cautio periculi, & uſus mediorum ad avertenda pericula. Deus enim in æterno ſuo conſilio decrevit per verbum ſuum hoc mihi officium injungere & neceſſarium facere, & ſi hoc officium non præſtem, non poſſum ſalvari. Cum igitur vocamur ad faciendum quod periculoſum eſt vitæ noſtræ, conſideremus 1. Quàm neceſſarium ſit in ſe ipſo quod requiritur. Nemo enim debet ſubire pericula non neceſſaria, ſi non velit tentare Deum. 2. Quanta ſit noſtra ſpecialis obligatio ad faciendum quod requiritur. Pericula enim ſuſcipere quæ ad me non ſpectant, & advocationem meam non pertinent, polypragmoſyne eſt & ἀλλοτριοεπισκοπὴ. 3. Quantæ ſint meæ vires ad faciendum quod requiritur. Quod enim nullo modo poſſum facere, non debeo ſuſcipere, ſi non velim Deum tentare. Hiſce bene conſideratis, Deo in conſilium vocato, aſſumptis mediis ad declinandum periculum utilibus, faciamus officium cum fiducia in Dei promiſſiones, & ſolemur nos doctrinâ de providentiâ Dei, dicentes ſicut Eſther, *Si pereo, pereo.* Eſth. 4. 16. Si eſt conſilium & decretum ac providentia Dei ut hoc periculo peream, peribo libenter, & confidam me victurum etiamſi moriar, ſi non eſt decretum Dei ut peream, faciam quod debeo & liberabo conſcientiam. Vide exemplum Chriſti Iohan. 11. 8. 9. 10. Diſcamus non ſeparare quod Deus conjunxit, ſed ſimus ſinceri & ſimplices in obedientia mandatorum ſicut columbæ, & nihilominus prudentes ſicut ſerpentes, providè diſcernentes, quo pacto vocatio noſtra optimè poſſit cedere in honorem Dei, qui ſummus ejus eſt ſcopus. Matth. 10. 16. Et cum ſic facientes incidimus in malum, ne torqueamus nos ullâ pœnitentiâ eorũ quæ fecimus, ſed ſolemur nos fiduciâ divinæ opis atque gratiæ. Hoc eſt Chriſtianum eſſe. Hoc pacto & diffidentia & temeritas vitatur, & ſimul conſcientia præſervatur à reatu neglecti officii. Quæri hìc porro ſolet, cur Paulus ſui nullam habeat rationem, ſed ſolos milites dicat non poſſe ſervari, ſi non manſerint nautæ in navi? Sed facilis eſt reſponſio: Pauli officium non erat nautis vim inferre, ſed Julii per milites. Hos igitur movet ad officium, argumento ab ipſorum periculo petito, non à ſuo periculo. Quæritur denique cur abſcindant ſcapham, cùm tamen ſcaphæ uſus non minus ad evadendum naufragium videatur utilis, quàm militum in navi manſio? *Reſp.* Quia Paulus judicabat abſciſſionem ſcaphæ eſſe medium reducendi nautas ad obedientiam divini mandati, quod erat præcipuum in hac materia gubernaculum.

Actor. 27. v. 33. ad 39.

CONC. CCLXXXIII.

QUarta difficultas, quæ promiſſam Pauli & ſociorum liberationem retardavit, fuit debilitatio ſociorum ex diuturna inedia, propter quam non ſuffeciſſent labori, qui ad ſuperandum periculum neceſſarius erat. Hanc difficultatem

Digitized by Google

ficultatem Paulus ſuperat per exhortationem ſociorum ad capiendum cibum, quam ſuo exemplo prævio confirmat. Breviter hìc conſideremus 1. Hortationem Pauli. 2. Exemplum Pauli. 3. Utriuſque effectum. In hortatione ſuadetur ut abrumpatur inedia, & ſumatur cibus, idque duplici argumento.

I. Facta eſt hæc exhortatio, cum inſtaret diluculum, quo exorto extendendæ erant manus ad navim in terram adigendam. Voluit igitur Paulus hac hortatione ſocios ad laborem præparare. Dicit Paulus 2. Theſſ. 3. 10. *Edere non debere qui laborare non vult.* Hìc ad edendum hortatur ut laborare poſſint. Loquitur hìc de inedia quatuordecim dierum. Sine miraculo fieri non poſſet, homines tanto ſpacio ſine omni cibo & potu manere. Narrant hiſtoriæ quædam exempla diuturnæ inediæ, ſed his intercurrit vel fraus vel aliquid morbidi humoris in corpore, quod naturæ loco cibi fuit. Non igitur de totali ἀσιτίᾳ, ſed de ὀλιγοσιτίᾳ ſermo eſt, ut Matth. 11. 18. collat. cum Matth. 3. 4. Johannes edebat & bibebat, ſed non ut alii homines cibum coctum & paratum, ſed crudum & ſylveſtrem. Sic hi nautæ exiguo victu hiſce diebus uſi fuerant. Confer etiam ſupra verſ. 21. πολλὴ ἀσιτία, i. e. creber neglectus cibi, neglecto ordinario prandendi & cœnandi tempore, propter continuum terrorem ac triſtitiam. Metus enim & triſtitia extinguunt appetitum cibi ac potus. Imò potius deſperatio eos movit ad abſtinentiam à cibo, cogitantes fruſtrà eſſe deploratam vitam cibo ſuſtentare. Cum tanta eſt puſillanimitas in nautis & ſociis, ut ne edere quidem & bibere ampliùs vellent, Paulus adeò cordatus eſt, ut & ipſe edat, & alios ad edendum animet. Non eſt quærenda hæc differentia in natura, quaſi Paulus robuſtioris & fortioris temperamenti fuerit, quàm durati difficultatum conſuetudine nautæ, ſed quia ſpiritualis doctrina ipſi ſubminiſtrata fuit à Spiritu S. Sic ſolent pii in periculis intrepidi eſſe, & alios conſolari. Sciunt enim Deum ſibi præſentem, & potentiam ejus eſſe ſuum fulcrum. Vid. 2 Reg. 3. v. 10. Impio Iſraëlis Rege deſperante pius Joſaphat ad Dei opem & conſilium ſe recipit. Adde 2 Reg. 6. 16. 17. Pſalm. 27. 1. & 23. 4. & 46. 2. 3. 4. Rom. 8. 31. Sic in & ultimo judicio cæteris deſperantibus & querentibus, ut eſt Apoc. 6. 15. 16. *Pii tollent capita, & cum gaudio advenientem Chriſtum expectabunt*, Apoc. 22. 20. Hoc tamen non ita intelligendum, quaſi in periculis nullus metus & nullus tremor pios corripiat. In piis enim æquè verum atque in impiis, quod legitur Pſal. 73. 16. & Luc. 21. 26. Sed hic eſt differentia, quod metuens & tremens cor impiorum non habet fulcrum, quo in timore & tremore ſuo ſuſtentetur, ſed neceſſe habet tandem mergi in deſperationem, ſi non in vita, tamen in morte, ſi non in morte, tamen in ultimo judicio. Sed piorum cor metuens & tremens incidit in rupem ſuæ ſalutis, & ab hac ſuſtentatur, Pſalm. 73. 26. & 18. 3. & 91. 2. Sciunt merita ac juſtitiam Chriſti eſſe fulcrum ſuæ fidei, & Spiritum ſanctum auctorem atque con-

Digitized by Google

conſervatorem ſuæ fidei.

II. Quid autem requirit à nautis? Non tantùm ut ſint bono animo ut ſupra verſ. 25. Sed etiam ut cibum capiant. Qui fidem & ſolatium in aliquo vult roborare, debet etiam corporalia media adhibere. Natura enim eſt vehiculum animi & naturâ deficiente difficiliùs eſt ſolatium animi. Utile igitur eſt & conducit ad ſolatium, ſi quis adminiculum corporalis roboris habet, Pſalm. 104. 15. Jud. 19. 5. Prov. 31. 6. 1 Timoth. 5. 23. Confer Actor. 9. 19. & quæ in illum locum diximus. Non eſt hæc lectio pro ſanis & habentibus quod edant & bibant. Hi enim ſine tali admonitione facilè non tantùm faciunt quod ſufficit, ſed quod excedit. Eſt tamen lectio utilis 1. Triſtibus & ægris, ut naturam juvent cibo & pharmacis, etiamſi non bene ſapiant. Difficiliùs enim generatur ſolatium in animo, cum corpus deſtituitur adminiculo roborationis. 2. Scrupuloſis, qui in negotio jejuniorum ſolent excedere modum, quaſi jejunium ſitum ſit in ſimplici inediâ, & quaſi ſit contra naturam religioſi jejunii roborare corpus cibo, quum debilitas corporis id requirit. Non enim jejunium debet eſſe impedimentum cultus, ſed adminiculum compeſcens ῥυπαρίαν καὶ περισσείαν κακίας, quâ cultus impeditur & verbi receptio, Iacob. 1. 21.

III. Rationes quibus ſuam hortationem ſuadet ſunt duæ:

1. Quia hoc conducit ad veſtram conſervationem. τὸ γὰρ σῖτός ἐστι καὶ ἀλκή, Homer. Iliad. 7. q. d. non conſervabimini mero miraculo Dei, ſed laborandum vobis erit. Sine cibo autem non poteſtis laborare. Ergo aſſumite cibum. Eſt in his verbis menſura quam obſervare tenemur in cibo & potu. Tantum debemus ſumere quantum ſufficit ad noſtram conſervationem, ut vivere poſſimus & fungi labore nobis injuncto. Qui hanc ſibi menſuram præſtituit, non facilè in exceſſu nec in defectu peccabit in hac materia.

2. *Quia nemini veſtrûm pilus è capite decidet.* Modus eſt loquendi petitus ex V. T. 1 Sam. 14. v. 45. 2 Sam. 14. v. 11. 1 Reg. 1. 52. per quem in novo Teſtamento Scriptura ſolet exprimere arctam Dei vigilantiam & cuſtodiam circa pios, Matth. 10. 28. 29. 30. Luc. 12. 7. & 21. 17. 18. Unde & Catechiſmus noſter eâdem formulâ utitur in deſcriptione veræ conſolationis quæſt. 1. Confer Joſuæ 21. 45. Item Joſuæ 23. 14. Qui Dei promiſſionem habet valde tutus eſt, Pſalm. 91. 1. 2. Iohan. 10. 28. *Object.* Quomodo hoc convenit cum variis perſequutionibus, quas piis Scriptura minatur, per quas non tantùm periculum ipſis ſæpe infertur ſed & nocumentum? *Reſp.* Perſequutiones non inferunt niſi nocumentum utile & ad ſalutem conducens. Non poteſt inferri piis quod verè damnum ſit & ſaluti obſtet. Utilia *damna* ſunt quæ plus boni adferunt quàm auferunt.

IV. Hortationi Paulus addit exemplum proprium præcedens in animoſitate ad quam alios hortatus fuerat. verſ. 25. Eſt hìc lectio pro Concionatoribus, ut doctrinam vitâ exprimant, idque

Digitized by Google

idque non tantum in modeſta & pia converſatione, 1 Corinth. 9. 27. 1 Petr. 5. 3. Sed etiam in animoſitate fidei contra pericula. Debet tamen eſſe fortitudo ſapiens, non qualis Petri, qui gladio feriebat & tentationibus audacter ſe immiſcens volebat exſequi ſuam promiſſionem de Chriſto uſque ad mortem ſequendo. Talis inſipiens & imprudens animoſitas deficit & malè ſuccedit. Pontificii hoc ex loco cupiunt monſtrare exemplum celebratæ Cœnæ ſub una ſpecie. Paulus enim accepit panem, & gratiis actis fregit, nec additur quòd vinum acceperit. Ergo celebravit Cœnam ſine vino ſub una ſpecie. Riſum teneatis amici. De communi paſtu hic ſermo eſt, non de ſacra Cœna. Non enim infidelibus aut non baptizatis ſacrā Cœnam adminiſtravit Paulus. Paulus non diſtribuit panem inter ſocios, ſed ſocii ipſi ſumpſerunt exemplo Pauli, nec commederunt ad annunciandam mortem Domini, ſed ad ſatiandum ventrem & roborandas vires ad inſtantem laborem. At accipere panem, gratias agere & frangere ſunt phraſes quæ Cœnam Domini ſapiunt. Quaſi verò communis panis non opus habent fractione, præſertim ſi ſit placenta, bis cocta qualis eſt nautarum cibus, & quaſi communis quoque cibus à Chriſtianis non ſit ſanctificandus per preces & gratiarum actiones, 1 Timoth. 4. 3. 4. 5. Iohan. 6. v. 11. Deuter. 8. 10. 15. Omnis cibus naturâ eſt propter nos maledictus, & non poteſt non nocere niſi ſanctificetur, Geneſ. 3. 17. Hag. 1. 6. & 9. *Nec vivit homo ex ſolo pane* niſi accedat & impetretur benedictio Dei, Matth. 4. Ne igitur utamur cibo ſine gratiis, ne incurramus in comminationes, quæ ſunt, Ezechiel. 4. 16. & 14. 13.

V. Sequuntur effecta hortationis & exempli Pauli, videl.

1. Omnes facti ſunt ἄθυμοι & obedientes, verſ. 36. Non de verâ ἀθυμίᾳ fidei & obedientiâ converſionis hoc intelligendum, ſed de particulari actu, quem Paulus ipſis ſuaſerat & petendam liberationem Pauli & ſociorum ex periculo maris. Etſi impii per verbum Dei ſæpe non convertuntur, tamen perſuadentur ad faciendum aliquid Eccleſiæ Chriſti utile. Sic lictores verbo Dei permoti ut non ceperint Chriſtum, Iohan. 7. 45. Sic ſæpe populus verbo Dei motus defendit Apoſtolos contra rabiem prælatorum. Deus etiam incredulos piis ſæpe dat in famulitium ſicut Nethinæi dabantur Iſraëlitis. Etſi non aſſumit inter ſuos, tamen ſuis per eos benefacit.

2. Cenſum capitum inſtituunt, & inveniunt animas 276. Videtur hoc factum de conſilio Pauli, ut poſt liberationem conſtaret, quàm vera fuerit Pauli prædictio quæ eſt verſ. 22. & 34. Sic decet eventus providentiæ comparare cum promiſſionibus verbi ad evincendam Dei veritatem.

3. Jacturam faciunt mercium, quæ reſtabant poſt jacturam priorem quæ eſt verſ. 18. 19. reliquas merces ejecerant, frumento hactenus pepercerant, quia hoc proximum humanæ vitæ medium. Erat hæc jactura neceſſaria ad navim terræ applicandam. Media vitæ vitâ ipsâ cariora eſſe non debent.

Repre-

Digitized by Google

Reprehendendi igitur ſunt qui bonorum temporalium retinendorum cauſâ & vitam & animam periclitantur & perdunt. *Vita plus eſt quàm nutrimentum*, Matth. 6. 25.

Actor. 27. *v.* 32. *ad finem*,

Conc. CCLXXXIV.

SCriptura multa nobis ſuppeditat exempla miraculoſæ liberationis ex periculis vitæ, quæ ſanctis contigit. Sic Noa cum ſuis conſervatus miraculosè in univerſali cataclyſmo. Sic Moſes in generali infanticidio ſervatus miraculosè per filiam Pharaonis. Sic Jonas per cete. Sic Daniel in ſpelunca Leonum. Sic ſocii Danielis in fornace, quæ omnia exempla miraculoſæ liberationis ideo deſcripta ſunt, ut ex iis diſcamus non deſperare in periculis, ſed niti Deo, cujus dextra potens eſt ad nos liberandos ex graviſſimo quoque & deploratiſſimo periculo. Verùm cum hæc exempla nobis proponuntur, parati ſumus reſponſare, quòd talia exempla nos ſolari non poſſint, qui vivamus iſtis temporibus, quibus nulla amplius fiant miracula, ſed miracula ceſſaverint omnia. Hæc reſponſatio dupliciter diluenda eſt. 1. Quod diſtinguendum inter miracula & donum miraculorum. Deus non ceſſat miracula facere quæ ſunt præter & contra naturam, etſi dona miraculoſa faciendi hominibus collata ceſſant. Eſt enim profectò præter & contra naturam, quòd Scriptura Religio, Eccleſia contra tot oppoſitiones univerſi mundi per tot ſecula conſervata eſt ſine proportionatis mediis & ex tot cladibus & oppreſſionibus ſemper emerſit illuſtrior, & etiamnum emergit. Ceſſavit tamen Deus hominibus donum miraculorum, per viſibilem effuſionem Spiritus S. conferre, per quod ipſi miracula faciant, ſicut in primitivâ Eccleſiâ, ut meræ ſint fictiones & fidem non mereantur quæ Jeſuitæ de ſui Ignatii, Xaverii & aliorum miraculis narrant. Monet enim nos Scriptura, ut, cum Anti-Chriſtus ſub finem mundi ſuam, Scripturæ contrariam, doctrinam miraculis confirmare gloriabitur, non pro veris miraculis, ſed pro fictis mendaciis, vel ſaltem Diabolicis præſtigiis ea habeamus, 2 Theſſ. 2. 9. 10. 2. Quòd Scriptura nobis non tantum ſuppeditet exempla liberationis magnæ, quæ facta eſt per miracula, ſed etiam quæ facta eſt ſine miraculis, per mera media & adminicula humana, quæ etiamnum hodie uſurpari ſolent, & à Deo ita benedicuntur, ut per ea ſuperentur difficultates deſperatæ. Etiamſi Deus hodie non facit tam multa miracula quæ ſunt præter & contra naturam, ut olim, tamen ita mirabiliter benedicit ordinariis conſervationis & defenſionis mediis, ut cum media deficiunt atque pereunt, tamen per mediorum exitium producatur conſervatio Eccleſiæ & fidelium ex periculis *deploratiſſimis*. Hujus rei clariſſimum habemus exemplum in liberatione Pauli & comitum ejus ex graviſſimâ, diuturnâ & præter modum periculoſâ tempeſtate inter Cretam & Italiam. Deus hanc liberationem ipſi promiſerat, & tandem

etiam

Digitized by Google

etiam præſtitit. Verum non per miraculum. Non miſit cetum qui Paulum deglutiret & in terram evomeret ſicut Jonam. Non induravit mare, eique inambulare Paulum velut pavimento fecit, ſicut Petrum. Non fidit mare ut utrinque conſiſtens liberandis tranſitum daret in terram ſicut mare rubrum & Jordanum. Sed liberavit Paulum cum ſociis ita, ut difficultatem ex difficultate ſuſcitando ſingulas difficultates ſuperarent per talia media, per quæ etiam hodie multos Deus ſervat naufragos, & deſperata pericula patientes, ut diſcamus ex hoc exemplo nullis in periculis deſperare, ſed facientes officium promiſſis Dei confidere, certò ſtatuentes, nos liberatum iri, etiamſi pereamus. Etiamſi enim hodie non habemus particulares promiſſiones, quibus confidere poſſimus in liberationibus temporalibus, habemus tamen promiſſiones Euangelii generales, quibus tutò poſſumus niti, & confidere nos in omnibus periculis & difficultatibus conſervatum iri, ſi non in temporali, ſaltem in ſpirituali & æterna vita, ſi non miraculosè ſine mediis & contra media, ſaltem mirabiliter, per media naturalia quantumcunque difficultates contra conſervationem ſeſe efferant & multiplicent.

Hoc fine cœpimus videre, quot & quantæ difficultates ſeſe interjecerint inter promiſſionem liberationis & perfectionem liberationis, Paulo per angelum à Deo promiſſæ, & quomodo tandem omnes illæ difficultates fuerint ſuperatæ mirabiliter, & tamen ſine miraculo, per media ordinaria. Prima difficultas fuit quod promiſſio de invenienda aliqua terra, in quam inciderent, tam diu fuit dilata. Secunda difficultas, quod inſula promiſſa tandem apparuit incommodo tempore, mediâ ſcilicet nocte, cum metuendum erat, ne per tenebras in ſcopulos impacti perirent. Tertia, quòd nautæ, terram præ manu animadvertentes fugere moliuntur, & deſertis ſociis, ſe ſolos per ſcapham ſervare. Quarta, quòd omnes ſocii propter diuturnam triſtitiam & deſperationem ſe ipſos adeò neglexerant, ut diu nec pranſi nec cœnati deſtituerentur viribus corporis, quibus opus habebant ad pertendendum liberationis laborem. Quinta, quòd inſulam conſpicientes non nôrunt, nec idoneum inveniunt acceſſum ad illam, ſed loco eminenti & bimari impacti in ipſo inſulæ conſpectu naufragium patiuntur. Sexta & ultima, quòd milites, videntes reliquum mare ſuperandum eſſe natando, verebantur ne captivi natando evaderent cuſtodiam, & ipſis apud Cæſarem periculum crearent, conati ſunt Paulum cum cæteris ſociis & captivis occidere. Hæ omnes difficultates tandem ſuperatæ ſunt, non miraculosè, ſed per media ordinaria & naturalia artis militaris & nauticæ, quibus tamen ſeſe intermiſcuit eadem potens dextra quæ miracula effecit & operata eſt. Vidimus difficultates priores quatuor. Sequitur quinta & ultima, unâ cum ipſa liberatione, ſecundum Dei promiſſionem.

Deſiderio deſideraverant ut dies illuceſceret, ut ita conſpicere poſſent ter-

Digitized by Google

ram quæ præ manu erat. Sed ubi conſpiciunt, non agnoſcunt. inſulam eſſe, ſi Pauli promiſſioni credidiſſent quæ eſt v. 26. ſcire poterant. Sed quamvis eſſent nautæ experti, qui ſitum terrarum, quas adnavigant, callere ſolent ad unguem, hanc tamen inſulam non noverant. Hinc duplex oriebatur difficultas: 1. Neſciebant in quorum hominum manus incurſuri eſſent ſi in terram exſcenderent. Barbaros eſſe facilè conjiciebant, apud quos tutum non poſſent expectare hoſpitium, præſertim diuturnum ut opus erat. 2. Quòd neſciebant quæ flumina, quos portus haberet illa terra, quâ parte daretur navi tutus ad terram acceſſus. Hiſce tamen curis interjicitur aliqua ſpes. Vident enim aliquem ſinum, quo mare videbatur in terram ſeſe inſinuare, & acceſſum navi largiri uſque ad littus. Levatis igitur anchoris, ſoluto gubernaculo, ſublato artemone, i. e. velo minore, (Majus enim cum malo magno αὐτόχειρες in mare conjecerant v. 19.) conabantur navigare rectâ viâ in iſtum ſinum. Verum ita navigantes impinguntur in locum bimarem, ad quem navis frangitur, prorâ conſidente in arenâ, puppi verò vi fluctuum diſruptâ. Quis ille locus bimaris? Iſthmum eſſe ajunt Papiſtæ, quæ ſit inter rupem & inſulam, in qua hodieque ſit ſacellum Paulo dicatum, & fons aquæ dulcis, miraculosè à Paulo iſtic exſcendente productus. Permittimus fabulatoribus ſuas fabulas. Res ipſa loquitur, locum bimarem fuiſſe tumulum arenoſum (een bancke ofte Sandtplaete) quales ſolent eſſe circa litora terrarum, aquâ quidem tectum, ut non conſpiceretur à navigantibus, attamen ita eminentem & elatum, ut non daret navi tranſitum, ſed eam ſiſteret, ut non poſſet tranſire alteram aquam quæ inter littus & hunc tumulum intererat, quæque natando ſuperanda erat. Hinc nova deſperatio, præſertim poſtquam perdiderant ſcapham, quæ in hac occaſione potuiſſet prodeſſe.

Habemus in hac hiſtoria exemplum, quòd obedientia invita non placeat Deo, ſed careat ſucceſſu. Adacti tandem erant hi nautæ poſt multiplicem & divinitus impeditam tergiverſationem, ut conſilio Pauli de navi in terram adigendâ obedirent. Sed obedientia eorum caret ſucceſſu, & terminatur in naufragium. Quæ ratio? Quia erat obedientia invita, quam non præſtabant niſi propriis conſiliis & conatibus fruſtrati, & aliis conſiliis deſtituti atque effugiis. Cum videbant ſe ſuis conſiliis ſervari non poſſe, tandem obediunt Deo. Simile exemplum *habemus* Num. 13. & 14. Iſraëlitæ, auditâ exploratorum relatione de conſtitutione terræ Canaan, incidunt in diffidentiam, nec volunt pergere ſed redire in Ægyptum, in tantum ut etiam reſiſtentem Moſen & alios decernerent lapidare. Apparet Dominus, reprehenditque acriter, & denunciat iis mortem in deſerto. Territi hoc nuncio volunt tandem obedire mandato, pergere *verſus* Canaan, & irruere in Cananitas, & eos debellare, idque faciunt fruſtra interdicente Deo & Moſe. Sed malè ſucceſſit iſta temeraria & invita obedientia. Eſt & ſimile quid in hiſtoria Zipporæ, Exod. 4. 24. 25. 26. Non legitur punita,

Digitized by Google

punita, attamen annotatur ut prævaricatrix. Sic Ægyptii, poſtquam diu recuſâſſent Iſraëlem dimittere, tandem plagis domiti non tantùm dimittunt, ſed etiam expellunt, ut à plagis liberentur, Exod. 12. 23. nec tamen liberantur, ſed pereunt in mari. Sic Paulus dicit 1 Corinth. 9. 17. *officium invitum carere mercede*. Sic Jonæ prædicatio Ninivitica, quòd invitus faciebat, non ſucceſſit ex ejus voto, ſed ſecundum conſilium Dei. Jonæ 4. v. 1. Diſcamus igitur ſponte, lubenter, volenter, ultrò facere voluntatem Domini, non coactè nec invitè, ex promptitudine animi, 2 Cor. 8. 11. cum voluptate & delectatione & lætitiâ. In eo enim conſiſtit diſcrimen inter regenitos & irregenitos, quòd hi, cum aliquid boni faciunt, faciunt invitè, ſine delectatione, ex ſervili metu pœnæ, ſicut pigri ſervi, vel intuitu cujuſdam utilitatis carnalis. Illi verò à Spiritu ſancto accipiunt cor ſpontaneum, ut fiant populus qui Deo ſervit ſine metu, cum promptitudine & alacritate, imò cum voluptate & lætitiâ, Pſal. 110. 3. Sunt homines ſpontanei, *qui ſe ſponte offerunt ad opus Domini*, Jud. 5. 2. 9. *quos movet cor eorum*, Exod. 35. 5. 21. 22. *Habent ſpiritum ſpontaneitatis*, Pſal. 51. 14. Sunt homines qui cum libero arbitrio faciunt quicquid faciunt, ſicut Paulus à Philemone poſtulat, Philem. 14. Quid eſt liberum arbitrium? Non indifferentia quædam voluntatis naturalis ad volendum bonum & malum. *Voluntas enim naturalis non poteſt velle quod verè bonum eſt*, Geneſ. 6. 5. ſed liberum arbitrium eſt qualitas voluntatis regenitæ, per quam lubenter, volenter & cum gaudio Deo ſervit. Hæc lubentia voluntatis regenitæ ſe exſerit in tribus:

1. In faciendo quod Deus mandat. Quod mandatum eſt regeniti faciunt lubenter. Quod herus mandat faciunt ſervi, ſed ſæpe mallent non facere, & cum faciunt, faciunt cum murmure, ſicut ille Luc. 19. v. 21. Sic irregeniti etiam aliquando faciunt quod Deus mandat, ſed mallent non facere, nec facerent niſi ſcirent pœnam paratam eſſe non facientibus. Talis erat Herodes Marc. 6. verſ. 20. Tribuitur Herodi quædam lubentia audiendi Joannem & faciendi quod audiebat, ſed erat lubentia fluens ex metu, quo Joannem ſuſpiciebat propter auſterum docendi & vivendi modum, quo metum pœnæ ex impia vita Herodi inculcabat. Verum qui regeniti ſunt, aliam quandam lubentiam habent faciendi voluntatem Domini, quæ non proficiſcitur ex auſteritate mandantis, ſed ex delectatione & voluptate in ipſo opere mandato. Voluptatem enim habent in lege Dei non tantum legenda ſed etiam facienda, Pſalm. 1. 2. & 19. 11. Et in hoc ſimiles ſunt Chriſto, Pſal. 40. 9. Joh. 4. 34. *Sunt parati, prompti & ſolliciti ad bona opera facienda*, Eph. 5. 7. 2 Tit. 2. 14. & 3. 8. etiam in operibus vocationis, 1 Cor. 9. 17. 18. 1 Petr. 5. 2. Talia opera placent Deo. Veniunt enim & fiunt ex toto corde, & ex corde filiali. Deus enim reſpicit cor, non tantum quid facias, ſed præcipue quo animo facias.

2. In dando quod Deus poſtulat. 1 Chron. 29. 5. 6. 9 Pſalm. 34. 8. Sic in ſublevando proximo, Deut. 15. v. 7. Rom. 12. 8. 2 Corinth. 8. 10. 11. 12.

Digitized by Google

2 Cor. 9. 7. Deus nolebat accipere ſacrificia niſi ab iis quorum cor ſe ſpontè movebat, Exod. 25. 2. Hinc Eleemoſynæ ad accipiendam laudem apud homines non habent mercedem apud Deum, Matth. 6. 1. 2. Hinc duo oboli plus valent quam theſauri, Luc. 21. 2. 3. Talis enim datio proficiſcitur ex ſolo deſiderio colendi Deum & juvandi proximum.

3. In patiendo quod Deus immittit. Pati non facit Chriſtianum, ſed lubenter pati & patienter & cum gaudio. Pati propter juſtitiam, & pati patienter ac lætè duæ ſunt Chriſtianæ patientiæ propietates, 1 Petr. 2. 19. 20. 21. Chriſtiani gaudent in tribulatione. Rom. 5. 3. Jacob. 5. 3. 1 Petr. 1. v. 6. Sic etiam lubenter & cum deſiderio moriuntur, Phil. 1. 23. Luc. 2. 19. Chriſtianus non dicit: Oportet pati & mori ſed volo pati & mori. *Obj.* At quomodo poſſumus lubenter mori & pati. Eſt utique res contra naturam. Si pii poſſent evadere paſſiones & mortem, non ſponte nec libenter paterentur nec morerentur. An non æque lamentantur & ejulant in calamitatibus ac cæteri? *Reſpond.* Falſum eſt Chriſtianos non paſſuros, ſi poſſent evadere. Chriſtus potuiſſet evadere peſſionem ſi voluiſſet, Matth. 16. 23. & 26. 53. Paulus potuiſſet, & tamen cum gaudio patiebatur, Actor. 20. 24. & 21. 12. 13. Potuiſſent Martyres, ſi voluiſſent, Chriſtum abnegare. Non patiuntur pii, niſi cum oportet pati, nec hoc ab ipſis requiritur, ſed cum eſt voluntas Domini ut patiantur, patiuntur lubenter. Nam etiamſi pati & mori contra naturam eſt, etſi caro ſe immiſcet promptitudini ſpiritus, tamen ſpiritus carnem Deo ſubjicit, idque per ſequentes conſiderationes:

1. Quia conſiderant quòd ſine peccato non poſſint evadere. Malunt igitur pati quam peccare.

2. Quia conſiderant ſe nihil pati præter meritum, Mich. 7. 9.

3. Quia ſciunt à propitio Deo ſibi immitti quod patiuntur, ideoque dicunt cum Chriſto ut Joh. 18. 11.

4. Quia conſiderant fructus paſſionis Hebr. 12. v. 11. præſertim fructus mortis. Eſt enim mors finis peccati, finis miſeriæ & mortalitatis, tranſitus in vitam æternam 2 Cor. 5. v. 1. &c.

Atque ſic ex invita nautarum obedientia didicimus ſervire Deo cum lubentia.

Habemus quoque hic exemplum deſiderii diuturni, fruſtrati in ipſa apparitione impletionis. Diu deſideraverant videre terram & ingredi. Vident, veniunt ferè in portum, & in ipſo portu perit navis. Sæpè hoc contingit iis qui mare colunt, nec immunes ſunt qui in terris vivunt. Poſt longa itinera in ipſo conſpectu patriæ, eo ipſo die, quo ſperant ſe uxorem & liberos amplexuros, in portu pereunt. Nos hoc vocare ſolemus rem ægerrimam (eene ſpytighe ſaecke.) Sed ne ægrè nobis ſit. Contigit idem Moſi & Aaroni, Num. 20. 28. Deut. 3. v. 27. Per annos quadraginta itinerati fuerant verſus Canaan. Tandem conſpectus à longinquo eſt finis itineris. Non fruſtrantur talium deſideria ſi pii ſunt, ſed implentur re meliori quàm ipſi deſiderabant, ſcil. vitâ æternâ.

Vide-

Digitized by Google

Videmus denique ex hac parte quòd decreta Dei humanâ arte & ope eludi non poſſint. Decreverat Deus & prædixerat navem perituram v. 22. Nautæ velis & contis cupiunt hoc impedire, & ſecum navim exitio eripere, ſed fruſtra. Non ſervit hoc temeritati, ut deponentes uſum mediorum dicamus nos non poſſe effugere quæ Deus decrevit; ſed excitandæ pietati & ſollicitudini, ut ſcientes nos non poſſe effugere quod Deus decrevit, nos conemur reddere tales, quibus omnes eventus divinæ providentiæ, boni malive, ſint ſalutares, Rom. 8. 28.

Sexta & ultima difficultas, quæ ſe interjecit inter promiſſionem & liberationem, fuit conſilium militum de occidendo Paulo & captivis cæteris, ne natando manus eorum effugerent. Videbant nullum aliud ſupereſſe medium ſuperandi mare quod reliquum erat, quam natationem. Quoniam autem inter natandum in mari non poterant ſimul cuſtodire captivos, facilè fieri poterat, ut illi natando evaderent, pro quâ evaſione militibus reſpondendum erat apud Cæſarem, ideò prius volunt occidere captivos, & deindè ſeſe ſervare natando, in quo tamen conſilio impediuntur à ſuo Capitaneo. Duo hinc obſervamus:

1. Apud impios plus auctoritatis habet Cæſar quam Deus. Mandatum Dei erat, non occidas, præſertim non facias injuriam ei cui debes gratitudinem. Attamen ſi effugiant, metuenda eſt Cæſaris indignatio. Ergo violemus præceptum Dei. Tam diu Pilatus præſidium præſtabat innocentiæ Chriſti, donec clamaretur: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Nos conſideremus illud Chriſti Matth. 10. 28.

2. Etiam inter hoſtes Eccleſiæ Deus poteſt invenire defenſores Eccleſiæ. Julius non minùs à Chriſtianiſmo averſus erat quam cæteri milites, & tamen defendit Paulum contra cæterorum homicidium. Sic Ruben iſto tempore non melior cæteris cædem Joſephi diſſuaſit, Geneſ. 37. v. 22. Nicodemus cædem Chriſti, Joh. 7. 50. 51. Gamaliel Apoſtolorum, Actor. 5. 38. 39. Ne itaque deſperemus de liberatione cum deſunt liberatores. *Deus vel ex hoſtibus poteſt excitare liberatores*, Prov. 16. 7. Sequitur tandem poſt omnes haſce difficultates liberatio ipſa, non miraculoſe, ſed per media & artem atque ſapiens Julii conſilium perfecta, & à Deo ita benedicta, ut nemo periret. Unde conſtat promiſſiones Dei poſſe differri ſed non fruſtrari. Joſuæ 23. 14. & 21. 4. 5. Idem omnibus fidelibus continget. Non cadet ulla promiſſio fidelibus facta, ſed certo certius liberabuntur; attamen liberabuntur cum jactura navis, i. e. corporis, ut diximus in v. 22.

Actor. 28. v. 1. *ad* 7.

Conc. CCLXXXV.

Inveterata & communis in Papatu loquutio eſt, quod Cœna Domini ſit viaticum morientium. Hinc ſummopere ſolliciti ſunt, ut ingruente morte ægrotanti ingeratur Euchariſtia, & cum hoc negligitur, de ſalute mortui

Digitized by Google

ferè deſperatur, admiranturque admodum, quòd nos noſtros homines ſinimus mori ſine hoc viatico. Operæ pretium eſt conſiderare, quid fundamenti habeat hæc opinio atque loquutio. Nos dicimus Euchariſtiam non eſſe viaticum morientium ſed viventium. Si Euchariſtia eſt viaticum morientium, tum hanc nomenclaturam ſuſtinet aut in morte, aut poſt mortem. Non in morte. Mors enim non eſt iter ſed finis itineris noſtri, eſt momentanea ceſſatio ab itinere hujus mundi, quæ viatico non indiget. Eſt irrationalis loquutio, cum de morientibus dicimus quòd iter ſuſcipiant. (De reyſe aennemen) Mors enim non eſt iter, ſed eſt finis & depoſitio itineris. Hinc nuſpiam mors in ſacra Scriptura vocatur iter. Vocatur exitus ex mundo & migratio, Phil. 1. 23. Luc. 9. 31. Sed talis eſt exitus qualis eſt exſtinctio lampadis, quæ fit in momento. Sicut lampas non indiget oleo ut exſtingui poſſit, ſed ut ardere poſſit, ita fidelis non indiget viatico ad moriendum ſed ad vivendum. Talis eſt migratio, qualis depoſitio veſtium & tabernaculi, 1 Petr. 1. 14. non iter viatico indigens, ſed depoſitio veſtium, & introitus in lectum quietis. Qui moritur non ingreditur iter. Et quid, quæſo, Cœna Domini conferat ad hoc momentum quo homo moritur? Eo ipſo enim momento, quo morimur anima noſtra eſt in manu Dei, & non indiget mediis ſpiritualis nutritionis & roborationis, ſed eſt ſub immediata cuſtodia Spiritus S. Imò quid aliud eſt mors piorum, quàm actio Dei, per quam animam à corpore ſeparat, & in ſuam cuſtodiam recipit? Cum Deus animam ſuâ manu à corpore ſeparat, anima jam non amplius eſt in itinere ſed in diverſorio, imò in æterna ſua quiete & jucunditate. Pſal. 16. 11. Ergo Euchariſtia poſt mortem erit viaticum! Poſt mortem enim, dum anima ex terra in cœlum proficiſcitur, occurrunt ipſi poteſtates in aëre regnantes, & conantur eam in infernum detrudere. Opus igitur habet viatico, quo roboretur ut luctari poſſit, & iter in cœlum perficere. Verùm. 1. piorum animæ à corpore ſolutæ non proficiſcuntur in cœlum ſed in purgatorium, propè & verſus infernum, ex quo itinere Diabolus neminem ſatagit retrahere. Mendacem oportet eſſe memorem. 2. An in manu Dei, in qua ſunt piorum animæ poſt mortem, non eſt ſatis roboris ad eas cuſtodiendas contra infeſtationem Diaboli? Dum in mundo ſunt, ut oves inter lupos, *nemo poteſt eas rapere ex manu Chriſti*, Joh. 10. An igitur huic periculo erunt obnoxiæ, poſtquam in immediatam Dei cuſtodiam fuerint receptæ? Cum Deus ſanctis Angelis mandatum dat, ut animam noſtram à corpore ſeparatam deportent in ſinum Abrahæ, an metus eſt, ne Diabolus in itinere noſtram animam Angelis eripiat? O miſſifex, qualem doctrinam obtrudis hominibus! Mors abrumpit periculum noſtræ ſalutis, morientes ceſſamus iter facere, nec morientes nec mortui propria aut humana cuſtodia indigemus, ſed immediatè à Deo cuſtodimur, qui ſpiritum noſtrum recipit. *ἀπ' ἄρτι*, *in momento beati ſunt qui in Domino moriuntur*, Apoc. 14. v. 13.

Digitized by Google

Sub noſtra & humana cuſtodia ſumus dum vivimus. Mors non eſt iter, nec poſt mortem comparat nos Scriptura cum iter facientibus. Sed vita noſtra eſt iter, quod viatico indiget uſque ad mortem. Dum vivimus, currimus curriculum, & luctamur noſtram luctam, nutrimus & roboramus fidem animæ per media divinitus inſtituta, ut fideles ſimus uſque ad mortem, 2 Tim. 4. 7. Quamdiu abſumus à Domino, & currimus curriculum, exercemus recordationem Domini in Cœna donec veniat. Cum autem venit Dominus ad animam noſtram à nobis auferendum, non eſt tempus recordandi quod ſit venturus, ſed Domino obviandi & animam ipſi commendandi. Non itaque morientibus ſed viventibus opus eſt viatico. Viventes itinerantur, & labores, moleſtias ac pericula & terrores itineris ſuſtinent. His igitur opus viatico, his viaticum comparandum, per quod roboretur anima. Præſertim quamdiu ſunt ſani & viribus integris. Sicut annona, quâ hyeme vivendum eſt, æſtate comparanda eſt, & fruſtra ſeritur in hyeme. Ita in ſtatu ſanitatis comparandum nutrimentum, quod nos in ſtatu morbi roboret. Quodnam autem illud viaticum viventium? Non negamus hunc titulum ſacramento Cœnæ. Eſt enim nutrimentum animæ roborans eam in fide, ad ferendum itineris tædium. Attamen mutum ſpectaculum Cœnæ non eſt illud viaticum, ſed Cœna cum prædicatione verbi conjuncta. Quam parum ſigillum ſine literis poteſt roborare fidem in rebus humanis, tam parum ſacramentum ſine verbo nutrit fidem in ſpiritualibus, & qui ſacramento hoc utuntur ſine inſtitutione verbi, ſicut fit in Papatu, vim cibi ponunt in elemento & ſubſtantia, quæ tamen ſita eſt in bono uſu elementi. Quoniam igitur jam congregati ſumus ad viaticum Cœnæ uſurpandum, præmittenda eſt prædicatio verbi, in quo eſt ſacramentorum ratio atque ſenſus.

Non tamen neceſſarium duximus ab ordinario noſtro textu ideò recedere, cùm & in illo aliquid ſit, quod de vero ſacramentorum uſu nos inſtituere poſſit. Sumus adhuc in conſideratione tædioſi itineris Pauli ex Judæa in Italiam & ex illa conſideramus tædia, pericula & varia incommoda communis vitæ, ſimulque ex eadem diſcimus quo viatico in hac noſtra peregrinatione nos debeamus ſuſtentare. Abſolvimus periculoſiſſimam navigationem Pauli inter Cretam & Melitam, & quo pacto mirabiliter ex illo liberatus, ſalvus & incolumis in terram Melitenſem cum ſociis & militibus evaſerit. Reſtat videamus quæ poſt felicem hujus itineris exitum Paulo contigere. Hæc ad tria reducuntur capita, quæ ſunt:

1. Hybernatio Pauli in Inſula Melita per ſpatium trimeſtre verſ. 1. ad 11.

2. Iter Pauli ex Melita in Siciliam & Italiam, Romam uſque verſ. 11. ad 16.

3. Commoratio & res geſtæ atque ſtatus Pauli in ipſa urbe Roma v. 16. ad finem.

Liberati ex mari & natando in terram ingreſſi intellexerunt nomen inſulæ

Digitized by Google

læ eſſe Melitam. Duæ ſunt ejus nominis inſulæ in mari mediterraneo. Una verſus Septentrionem Italiæ, in ſinu Adriatico propè Illyricum, altera verſus Auſtrum Italiæ, Africæ vicina, quæ hodie vocatur Malta, in qua dominatur ordo quidam equeſtris, clarus præliis contra Turcas. Incolæ utriuſque inſulæ diſputant, utri competat hic honor hybernationis Paulinæ, & utrique illius antiqua fingunt monumenta & documenta. Non novum hoc in ſuperſtitioſo Papatu, inter ſe certare de reliquiis ſanctorum, aliis huic, aliis alii loco vel urbi vindicantibus has vel illas reliquias, quâ ſanè de re non magnopere certarent, ſi ſuperſtitione carerent, quâ vim & ſanctitatem creaturis tribuunt quam Deus ipſis non tribuit. Vide quantas nugas hac de re congeſſerit diligentiſſimus fabulator à Lapide ſuper hunc locum, præcipuè quæ nugatur de baptiſmate 276. ſociorum, de quo fons baptiſmatis etiamnum ſuperſit, de crypta ubi Paulus habitaverit, de picturis à Luca factis &c. Verbum & ſacramenta ſunt reliquiæ Chriſti & Apoſtolorum, quæ inſtitutione Chriſti ſanctificatæ, & ſanctè à nobis uſurpatæ vim habent ſpiritualem animas noſtras roborandi & nutriendi in fide. Fatemur tamen ex textu clarum eſſe, quòd Paulus hybernaverit in Melita Auſtrali, quæ hodiè Malta. Oſtendit hoc recenſio locorum per & juxta quæ in Italiam ex Melita iviſſe dicitur. Interim credimus Auſtralem Melitam ex exſcenſu Pauli non plus ſanctitatis accepiſſe quàm Septentrionalem, niſi fortè ſanctitatem ponas in Converſione animarum, quarum multas ſine dubio hic Paulus convertit.

Incolæ hujus urbis vocantur barbari. Inter cæcos regnat luſcus. Totus mundus eo tempore barbarus erat, cæcus & indomitus, ſedebatque in tenebris & umbra mortis. Et tamen quia Græcorum & Latinorum mores nonnihil erant civiliores, & artes liberales inter eos excolebantur, ideò illi ſoli ſe putabant ſapientes, cæteros omnes vocabant barbaros, i. e. feros, rudes & incomptos linguâ, moribus & ſcientiâ, ideoque etiam crudeles. Sicut enim

—Didiciſſe fideliter artes

Emollit mores, nec ſinit eſſe feros,

Ita ubi deſunt artes & civilitas morum, ibi dominatur feritas & crudelitas. Et ipſa Scriptura hoc diſcrimen approbat Rom. 1. v. 14. Coll. 3. 11. ubi barbari & Scytæ conjunguntur, quia hi barbarorum præcipui, ſicut & hodiè poſteri ipſorum Tartari, & his vicinæ gentes. Hoc, inquam, diſcrimen Scriptura approbat, ut diſcamus barbariem odiſſe & civilitati ac bonis moribus & artibus dare operam. Quid erat ante Lutherum & ejus paucos antéceſſores in Eccleſia niſi barbaries. Et quàm vellent Mennonitæ nos ad eandem barbariem & contemptum literarum & bonarum artium reducere! Interim Paulus hac voce utitur ad commendationem divinæ gratiæ, *per* quam fit ut nulla gens ſit tam *barbara*, quin per Euangelium poſſit reddi non tantum manſueta & civilis, ſed etiam ſpiritualis, & ad ſalutem ſapiens. Hoc eſt Abrahamo ex lapidibus excitare filios. Ne gloriemur; nec ſuperbiamus noſtrâ

Digitized by Google

noſtrâ civilitate & ſapientiâ mundanâ. Deus inter barbaros ſibi poteſt Eccleſiam erigere & nos deſerere. Ipſi illi Græci, qui olim omnes alias nationes vocabant barbaras, nunc barbarorum omnium ferè barbariſſimi ſunt.

Quid autem contigit delapſis in manus horum barbarorum? Duo contigerunt:

1. Barbari omnibus exhibent miſericordiam & humanitatem non communem. Ante omnia ingentem accendebant ignem, ad quem 276. homines ſe calefacerent contra ſupervenientem, ex natatione madidis, pluviam, & contra frigus, cui beneficio ſine dubio acceſſit victus atque potus ſuppeditatio. Quid dicamus de hac humanitate & miſericordia barbarorum, præcipuè erga peregrinos? Si dicta Scripturæ, ſi exempla Chriſti & Sanctorum, Gen. 43.16. Job. 31.32. Eſa. 16.3.4. Actor. 10.38. & 17.7. Rom. 12.13. 1 Petr. 4. v.9. Hebr. 12.19. 3 Iohan. 5. ad 8. nobis non perſuadent exercitium humanitatis & operum miſericordiæ, ſaltem barbari nos perſuadeant. Si barbari, annon civiles, ſi barbari, annon Chriſtiani, ſi barbari, annon qui menſæ Domini communicant. An neſcimus Cœnam Domini non tantùm eſſe admonitorium fidei & unionis noſtræ cum Chriſto, ſed & charitatis ac unionis mutuæ, 1 Corinth. 10. v.17.

2. Deus extemplò barbaris facit innoteſcere ſingularia dona quæ erant in Paulo, & divinam ejus vocationem, idque primò per miraculoſam ſanationem ſui ipſius à morſu viperæ, deinde per ſanationem Publii & aliorum à morbis, per quæ miracula non tantùm Paulo aperta fuit janua prædicandi Euangelium, ſed & omnibus procurata tuta inter barbaros hyematio, & ſubſidia commorationis ac diſceſſionis.

De priori manifeſtatione deſcribitur primò miraculum per quod Paulus barbaris ſpecialiter innotuit, & deinde judicium barbarorum ſuper hoc miraculo.

Miraculum eſt tale: Paulus colligens quædam ſarmenta igni illa impoſuit ad ignem conſervandum vel augendum. His ſarmentis adhæſerat vipera, ſerpentis genus maximè venenoſum, quæ cùm unà cum ſarmentis in ignem conjecta eſſet, & vim caloris ſentiret, exiliit ex igne, & arripuit manum Pauli. Cum verò barbari expectarent, ut Paulus ex veneno viperæ inflammaretur ac intumeſceret, & repentè mortuus concideret, Paulus, excuſsâ beſtiâ in ignem, nihil incommodi paſſus eſt, etiam poſtquam diu illud barbari expectâſſent. Non examinabo hìc, unde nomen habeat vipera, an quia vi parit, an quia vivum fœtum parit; nec quare vocetur θηρίον, & an theriaca inde nomen habeat? Aliud hìc eſt quod conſideratione dignum judicant Jeſuitæ fabularum nundinatores; & hujus viperæ fœtus. Mirantur, inquiunt, barbari, quòd Paulus viperæ morſu nec intumeſcit nec moritur. Uſitatum igitur iſto tempore fuit in iſta inſula, viperâ morſos intumeſcere & ſubitò concidere mortuos. At hodiè conſtat quòd in Melita ſcorpiones & ſerpentes, tam nati quam eò illati ponant venenum & nemini noceant; imò quòd terra Meli-

Digitized by Google

tenſis, in potu hauſta, ſanet omnes morſus & morbos venenoſos tum in hominibus tum in beſtiis. Hanc itaque immunitatem à venenis Melita non habet naturâ, ſed miraculo & beneficio Pauli. Et hinc concluſio: Ergo ſancti ſe à nobis liberalitate vinci non patiuntur, ſed qui eos colit & invocat, pro uno officio centuplum accipiet.

Reſp. 1. Unde conſtat, Melitam hodie adeò immunem eſſe à veneno, ut & viperæ illius innocuæ ſint? Ex traditionibus Romanæ Eccleſiæ & teſtimoniis Jeſuitarum? At quis talibus quicquam credat, quibus hoc pro articulo fidei eſt, quòd omnes fraudes & omnes fabulæ ac omnia figmenta atque mendacia licita ſint & ſancta, quæ ad auctoritatem Romanæ Eccleſiæ confirmandam conducere aliquid poſſunt apud credulum populum? Cauſa Romana bona eſt & defendi debet. Si defendi non poteſt ex Scriptura, defendenda eſt per fabulas & mendacia. Ejuſdem fidei eſt hæc traditio atq; illa, quòd anno Domini 1470. Turcis inſulam hanc obſidentibus, Paulus, tanquam protector inſulæ, apparuerit veſte ſtellatâ, atque equo inſidens gladium vibraverit, & ſtipatus innumerâ multitudine Turcas fuderit, repercuſſis eorum telis in propria pectora.

2. Si quod tale ſit beneficium miraculo Pauli huic inſulæ collatum, quâ conſequentia inde concludes; Paulum invocandum? Honor enim invocationis Deo benefacienti, non inſtrumentis, per quæ benefacit, tribuendus eſt.

Si quid ex hoc miraculo diſcere cupis, quod ad inſtitutionem noſtram pertineat, diſce in hoc periculo intueri noſtram miſeriam & noſtram liberationem. Miſeria eſt, quòd ſerpens vetus nos momordit; liberatio, quòd Chriſtus per Miniſterium verbi nobis dat vires, hunc ſerpentem excutiendi in ignem infernalem ſine noxa noſtra. Gentes non noverant, unde ſua eſſet ipſis miſeria. Deus hìc ſinit ſerpentem ex igne exilire, & Pauli manum arripere, ut inde diſcant, Diabolum nos ſeduxiſſe ad peccatum, & nos manu tenere captivos ad ſuam voluntatem. Dat tamen Paulo vires ſerpentem ſine noxa excutiendi, ut ſcirent hunc eſſe virum ex quo diſcere debebant modum, quo liberari poſſint à morſu ſerpentis infernalis. Idem nos docet Cœna Domini. Nam

1. Fractio panis notat, quod Diabolus nos fregit & momordit ſuâ ſeductione, ſpoliavit nos viribus ſpiritualis vitæ, & nos occîdit venenoſâ morte peccati.

2. Panis vinique datio ac commeſtio ac bibitio docet, quòd in Chriſto crucifixo ſit antidotum & virtus hoc venenum Diaboli vincendi & excutiendi. Nam crucifixa caro Chriſti, quæ nobis in Cœna ſpiritualiter per fidem manducanda datur, non tantùm eſt ſacrificium Deo mactatum, ad placandum ejus juſtitiam, & dearmandum vel exarmandum Diabolum poteſtate à Deo in nos accepta, ſed etiam eſt verum pharmacum, vera theriaca, verum antidotum contra venenum Diaboli in nos infuſum, ad illud infirmandum, & nos roborandos ut illud

Digitized by Google

illud excutere poſſimus. Non tantùm eſt lytron pro peccato, ſed etiam pharmacum animæ, quod per fidem applicatum venenum peccati necat, & nos roborat viribus peccatum magis magiſque excutiendi. Caro enim & ſanguis Chriſti non tantùm plenus eſt meritis ad peccata excutienda, ſed etiam plenus Spiritu ſancto ad peccata expurganda. Et ſpiritus qui in carne Chriſti eſt, non tantùm ipſe venenum peccati crucifigit & mortificat, ſed etiam nobis dat vires venenum ſerpentis antiqui magis magiſque excutiendi, id quod indicatur, dum non tantùm in hiſtoria Paradiſi Diabolus dicitur per ſerpentem nos perdidiſſe, ſed & Chriſtus in forma ſerpentis ænei ob oculos poſitus, & deinde in cruce ſuſpenſus & exaltatus docet, quod crucifixa ejus caro ſit antidotum contra morſum ſerpentis antiqui, Iohan.3: 14. Inſpiciamus hunc ſerpentem crucifixum, in manu Pauli hærentem, & in Cœna Domini ob oculos poſitum, & credamus ipſum nos ſanaturum à morſu Diaboli & veneno illius, & ſanati ſanemus nos magis magiſque, excutiendo venenum Diaboli per ſeriam luctam contra peccatum. Sicut enim abluti à Chriſto pedes lavare tenemur, i.e. reliquias peccati per quotidianam pœnitentiam & luctam diluere, Ioh. 13.10. Ita qui ſanatus eſt per regenerationem Spiritus S. & juſtificationem Dei, debet reliquias peccati magis magiſque excutere. Hic finis Cœnæ, ut ſanationem noſtram credentes viribus acceptis utamur ad carnem mortificandam. Sic hoc fecerimus, non tantùm à veneno peccati liberabimur per carnem Chriſti, ſed etiam à venenatis pœnis. Scitis quàm nos angat graſſans inter nos peſtilentia! peccata hujus veneni cauſa. Hæc removeamus, excutientes venenum iracundiæ, vindictæ cupiditatis, odii, invidiæ, excutiamus putredines libidinum. Tum non nocebit venenum pœnæ. Vide dicta Pſalm.91.3.4.5 6.7.13. Marc.16.17.18. Luc.10.19. Non quòd pii & fideles tuti ſint ab horum venenorum infectione atque noxa, ſed quòd ſaluti eorum noceri non poſſit, ſed potius omnia noxia ad ſalutem eorum conducant. Deus non videtur ab initio, cum omnia bona crearet, etiam venenum creâſſe, quod in ſe ipſo nil niſi perditio eſt. ſed venenum videtur natum ex maledictione & vanitate, cui mundus propter peccatum ſubjectus fuit, interim ſicut Medici ex veneno ipſo poſſunt facere pharmacum contra venenum; ita Deus ipſas infirmitates fidelium poteſt ſuâ virtute facere media vel occaſiones ſanctificationis, & ipſam mortem ſanctificavit, ut omnia cooperentur in bonum iis, qui Deum diligunt.

Actor. 28. v. 1. ad 7.

Conc. CCLXXXVI.

Sequitur judicium barbarorum de hoc quod Paulo contigit ad ignem ſtanti & ſe calefacienti, idque duplex:

1. De plaga quæ Paulo contigit.
2. De immunitate ejus à noxa hujus plagæ.

Ex plaga judicant ipſum eſſe homicidam,

Digitized by Google

cidam, quem vindicta non ſinat vivere, etiam poſtquam maris pericula evaſiſſet. Audiverant quanta & quàm varia pericula ſubiiſſent in mari, & quàm difficulter & mirabiliter ea evaſiſſent & ſuperâſſent. Hinc concludunt, Deum cæteros propter virtutem eorum ſervâſſe, ſed Paulum præ cæteris adeò impium eſſe, ut vindicta Dei ipſum perſequatur etiam poſtquam cum cæteris ſociis maris pericula evaſiſſet. Per vindictam intelligunt juſtitiam divinam. Poteſt fieri ut juſtitiam peccatorum humanorum vindicatricem pro Dea habuerint, quæ Paulum, ſub protectione alicujus Dei cum cæteris ſociis latentem, & pericula maris evadentem, ſingulari hoc judicio proſequatur. In hoc judicio barbarorum eſt aliquid boni & aliquid mali:

1. Boni. Oſtendunt enim hìc iſti Barbari opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis ſcientes jus Dei, *quòd qui talia faciant morte digni ſint*. Romanor. 1. 32. Quamtumvis barbari eſſent, tamen crediderunt eſſe Deum qui vindicet ſcelera. Utinam conſiderarent qui in ſceleribus vivunt! Facile eſt his hominibus contemnere comminationes quæ à Miniſtris ex Scriptura contra ſcelera eorum proferuntur. Sed quid igitur reſponſant proprio cordi propriæque conſcientiæ. Vident enim omnium hominum, quantumvis barbarorum, cordibus inſcriptum eſſe, ſcelera non fore impunita, ſed eſſe aliquam divinam ſcelerum ultionem, quæ non ſinat vivere ſceleratos. Præſertim indigitant ſe ſciviſſe vindictam hanc divinam adeò furere contra homicidas, ut quantacunque pericula evadant, tandem tamen in divinam ultionem incidant. Patet in Caino Gen. 4. 10. 11. 14. ſic ibid. verſ. 23. 24. Verba Lamechi deſperationem ſonant, quâ Lamech homicidium ſuum uxoribus ſuis notificans fatetur ſe Caino nocentiorem. Hanc lectionem, in propria conſcientia ſcriptam, quotidie legere debebant homines iracundi, ut diſcerent iram continere, ne protrudat in homicidium. Si Deus in cordibus barbarorum hujus juris notitiam non reliquiſſet, ferarum more ſe invicem lacerâſſent.

2. Mali. Nam primo hìc in genere habemus exemplum temerarii judicii, deinde in ſpecie malè ex afflictione perſonæ judicatur de malitia perſonæ. Primò, inquam, habemus exemplum judicii temerarii & præcipitati, quod Scriptura improbat, Matth. 7. 1. 2. Luc. 6. 37. Iacob. 1. 19. Conſideratè judicandum eſt de aliorum actionibus, nec præcipitanda judicia. Non enim nos aliorum actiones ita intelligimus atque illi qui faciunt, ideoque facilè erramus. Amor igitur in proximum requirit ne facilè malè judicemus de proximi actionibus & intentionibus. Deus non vult ſuos ſervos tam facilè ab aliis judicari, Rom. 14. 4. Iacob. 4. 12. Solus Deus hominum judex. Si in hanc prærogativam Dei facilè involamus, *Deus* nos punit, Luc. 6. 37. Iacob. 3. 1. *Licet* judicare de proximi actionibus, quantum opus eſt ad providam cum illo converſationem, ſed non præcipitanter. Præcipitata enim judicia pariunt lites & jurgia. Deinde in ſpecie hìc habemus exemplum perverſi judicii circa homi-

Digitized by Google

hominès miſeros, quo fit ut ex afflictione hominis concludamus impietatem hominis, id quod non decet. Non enim ſequitur, ille homo miſer eſt, ergo eſt impius. Hoc judicio gravatur hic Paulus à barbaris, gravabatur olim Job ab amicis; itemque cæcus ille & ejus parentes à Chriſti diſcipulis, Iohan.9.2. Sic David Pſalm.3.3. Pſalm.69.27. Sic Chriſtus Matth.27.42.43. Non decet ita concludere, Eccleſ.8.14. præcipuè Eccleſ.9 1.2. *Beatus qui prudenter ſe gerit circa miſeros*, Pſalm.41.2. Rationes, cur hi barbari tam barbarum de Paulo judicium ferebant, erant ſequentes:

1. Quia non intelligebant doctrinam de naturali & communi corruptione omnium hominum. Si ſciviſſent & credidiſſent quod Paulus de omnibus hominibus jam tum ſcripſerat ad Romanos cap.3.9.10.11.&c. non facilè de ſolo Paulo judicâſſent, quòd eſſet ſub ira & vindicta Dei. Non debebant ex hoc exemplo concludere ſingulare Pauli peccatum, ſed commune peccatum omnium, Luc.13.2.3.4.&c.

2. Quia non intelligebant doctrinam de juſtificatione per juſtitiam alienam ſcil. Chriſti, per quam fit, ut qui in ſe ipſis peccatores ſunt, in Chriſto poſſint eſſe juſti. Deus etiam juſtos affligit & pios. Qui enim per Chriſti juſtitiam & gratiam juſti ſunt & hæredes vitæ æternæ, in ſe ipſis peccatores ſunt, & juſte poſſunt à Deo affligi.

3. Quia non intelligebant naturam ſanctificationis, quòd ſcil. non ſit perfecta in hoc mundo, quodque carnem & ſanguinem non prorſus tollat ex ſanctificatis, adeò ut & ſancti poſſint labi in gravia peccata, ſi ſibi non attendant ſollicitè, adeoque gravibus ſcandalis gravia Dei judicia in ſe acceſſere, ſicut David fecit per adulterium & homicidium. Si hoc ſciviſſent barbari, prudentius de Paulo tuliſſent judicium, nec ex majori & crebriori afflictione judicâſſent ipſum cæteris eſſe plus impium. Deus enim etiam ſanctos & pios non tantùm affligit, ſed etiam plus affligit in hoc mundo quam multos impios, idque propter ſequentes rationes:

1. Ad ſatisfaciendum ſuæ juſtitiæ pro ſanctorum & juſtorum peccatis. Hoc fine Chriſtum afflixit, qui omnis peccati expers, perfectè ſanctus atque juſtus *tamen plus afflictus fuit quàm ullus unquam homo*. Eſa.53.4. Thren.1.v.12.

2. Ad deteſtanda piorum peccata. Etiamſi non ulciſcitur & condemnat pios propter ſua peccata, tamen per afflictionem piorum oſtendit impiis quàm deteſtetur peccatum omnium hominum, ut impii diſcant argumentari ſicut 1 Petr.4.17. Luc.23.31. Ierem.25.29. præſertim, cum pii ſuis peccatis faciunt nomen Dei blaſphemari, quaſi recipiat peccatores & manducet cum illis, agnoſcatque pro filiis ſuis qui impiè vivunt, Deus graviter affligit ſuos, ut refellat impiorum blaſphemias, & oſtendat ſe non velle ferre petulantia peccata in ſuis, quantumvis infirmitates eorum propter Chriſtum diſſimulet. 2 Sam.12.13.14.

3. Ad teſtandam ſuam pro piis curam & erga illos amorem. Sicut enim

pater filium, quem amat, caſtigat, *ita cum affligimur, à Domino corripimur, ne cum impio mundo pereamus*, Hebr. 12. 1 Corinth. 11. Impios ſinit ire ſuis viis & ſe ipſos perdere, ſed quos amat, corripit & corrigit ne pereant.

4. Ad juſtificandos pios contra accuſationes Satanæ & impiorum. Satan accuſabat Jobum apud Deum quòd eſſet hypocrita, Deum amans dum benefaciebat, deſerturus ubi affligeretur. Deus affligit Jobum. Diabolus per amicos Jobi omnem movet lapidem ut fidem ejus in Deum vincat, & Jobum Deo infidum faciat. Sed afflicti fidem ac patientiam ita roborat Deus, ut Satan confundatur, & fides Jobi coruſcet *inſtar argenti in fornace probati*, 1 Petr. 1. 7.

5. Ad glorificandum ſuum nomen & nomen filii ſui Jeſu Chriſti, faciens piorum afflictiones occaſionem oſtendendæ ſuæ patientiæ, Vide Iohan. 9. 3. & 11. 3. 4. Ex hoc fonte fluxêre præcipuæ afflictiones Pauli & omnium martyrum, ut ſcil. in ipſorum infirmitate & multiplici calamitate perficeretur potentia Dei in aſſerendo regno Chriſti. *Patitur vinci & affligi ſua inſtrumenta, & tamen per eadem operatur & efficit opus Chriſti*, 2 Corinth. 12. 9. In afflictionibus pii oſtendunt conſtantiam ſuæ fidei, obſignant ſanguine ſui, & teſtimonium dant Deo quod ſit verax & fidelis, unde non tam ſui quàm Dei causâ dicuntur occidi, Rom. 8. 36. *& pro Chriſto vel propter Chriſtum pati*, Philip. 1. 29.

6. Denique ad liberandos pios ab omni peccato & miſeria. Sicut Chriſtus non poterat intrare in gloriam ſuam niſi per paſſionem atque mortem, Luc. 24. ita nobis poſitum mori, ut per mortem intremus in gloriam. *Sicut enim granum tritici non fructificat niſi in terram conjectum putreſcat*, Iohan 12 ita non poſſumus liberari à corpore peccati, nec intrare in locum in quem nihil intrat impurum, niſi per mortem diſſolvamur, ut peccatum à nobis ſeparetur.

Ne itaque tam barbarè, ſed prudenter judicemus de cruce miſerorum, nec vel nos vel proximum condemnemus cum à Domino graviter affligimur. Non enim affligit quia non amat, aut quia præ cæteris peccatores ſumus, ſed propter rationes ſupra poſitas. Finis afflictionis erit gloria. Diſcamus quoque hinc compeſcere invidiam, nec ægrè ferre cum videmus tales, qui diſſolutè in terris vivunt, nec tanto cum ardore Deo videntur ſervire atque nos, tamen ſemper florere & valere, cum nos ſemper miſeri, & plagæ noſtræ ſingulis diebus novæ.

Hactenus judicium de plaga Pauli. Sed ubi vident plagam non adferre noxam, ſed excuti ſine damno, mutati dicunt Paulum eſſe Deum. Qui aſſueſcit præcipitanter judicare, etiam mutabilis eſt in ſuis judiciis. Sic populus Judaicus exiguo intervallo & *Hoſanna* clamat & *Crucifige*, Matth. 21. & 26. Sic Lyſtrenſes eodem ferè momento & ſacrificant Paulo ut Deo, & eum lapidant ut maleſactorem. Malè ex miraculis concluditur divinitas, niſi quis ſuâ virtute miracula faciat. Vide quæ diximus in Actor. 14. 14. 15.

Digitized by Google

Actor. 28. *v.* 7. *ad* 11.

Conc. CCLXXXVII.

Sicut ipſum nomen Jeſus ſignificat Servatorem & Salvatorem ac ſanatorem, ita Chriſtus paſſim in Scripturis cum Medico & cum medicina comparatur. Sic Luc. 5. 31. cum Scribæ & Phariſæi Chriſto murmurantes exprobrarent quòd cum Publicanis & peccatoribus ederet & biberet, reſpondet, quòd ſicut Medicus non verſetur inter ſanos ſed inter ægros, ita ipſe non inter juſtos ſed inter peccatores. *Eſſe ſe enim peccatorum Medicum.* Hinc Mal. 4. 2. ſanatio dicitur eſſe ſub Chriſti alis, & de Chriſto propriè intelligendum quod legitur Pſal. 103. 3. & 30. 3. & 34. 19. Pſalm. 147. 3. cum Eſai. 6. v. 1. Quare autem Chriſtus Medicus? *Reſp.*

1. Quia ſanat à peccatis, idque *luendo noſtra peccata*, Eſa. 53. 4. Noſtro loco ægrotabat quod nullus facit Medicus, & *mortificando noſtra peccata*, Ierem. 3. v. 22. *Frangendo cor ut ſentiantur, & ipſum corpus peccati magis magiſque expurgando*, Rom. 7. 24. Actor. 28. 27. *Denique obligando vulnera cordis per peccati ſenſum contriti.* Eſa. 61. 1.

2. Quia ſanat à morbis, vulneribus, defectibus & preſſuris corporalibus. Hoc fecit tempore ſuæ converſationis in carne, Matth. 4. 24. Actor. 10. 38. Fecit hoc per Apoſtolos & alios, quibus in primitiva Eccleſia dedit donum miraculoſæ ſanationis, Actor. 5. 12. 15. Facit etiamnum. Nam etiam nobis dicendum quod eſt Pſalm. 103. 3. Etiamnum vetum illud Exod. 5. 26. Iob. 5. 18. Chriſtiani ægrotantes etiamnum ſanationem ſuam non quærunt apud Medicum tanquam apud cauſam principalem, ſed apud Chriſtum Medicum unicum animæ & corporis. Nam eo ipſo fine ſenioribus Eccleſiæ Chriſtianæ per aliquot ſecula donum ſanationis à corporalibus morbis conceſſum fuit, ut inde pateret, etiam corporalium morborum & difficultatum ſanationem apud Chriſtum quærendam eſſe Chriſtianis, Iacob. 5. 15. *Dominus eriget*, i. e. Chriſtus. Epaphroditus ad mortem uſque ægrotavit, ſed quia Chriſti miniſter erat, Deus ejus miſertus eſt, Phil. 2. v. 27. Sicut Chriſtus morbis utitur pro virga qua tepidos Chriſtianos caſtigat, 1 Cor. 11. 30. ita à morbis ſanat, qui ipſum colant fervidè. Quamvis igitur Chriſtus hodiè ceſſet morbos ſanare modo miraculoſo, ſine mediis, tamen cum in Scriptura legimus exempla miraculoſæ ſanationis morborum corporalium, quæ facta ſunt ab ipſo Chriſto, vel à miniſtris Chriſti in nomine Chriſti, non eſt putandum hæc exempla ad nos nihil pertinere, ſed ex illis diſcendum, nos Chriſtianos in afflictionibus corporis non debere ſubſiſtere in Medico, ſed corporis noſtri ſanationem apud Chriſtum, perfectum noſtrum ſanatorem, quærere per fidem, humiliationem, emendationem & preces. Et ad hunc finem ſerviunt miraculoſæ hæ ſanationes, quas Paulus virtute Chriſti præſtitit in inſula Melita. Sicut hodie uſitatum eſt populum ad auditum verbi divini, quod ſpiritua-

Digitized by Google

le medicamentum animæ eſt, convocare per campanas quæ procul audiri poſſunt, ita olim Chriſtus & Apoſtoli, volentes convocare populum ad audiendum verbum ſalutis & ſpiritualis ſanationis, faciebant miraculoſas ſanationes corporales; quas rumor citò ferebat per totas regiones, & populum faciebat concurrere. Sic & cum Paulus inter hos barbaros veniſſet, ilicò Deus per miraculoſas ſanationes corporales barbaris voluit innoteſcere ſingulares Pauli dotes & divinam ejus vocationem, ut ita januam ipſi aperiret ad loquendum verbum ſalutis ſpiritualis. Vidimus nuper quomodo ſe ipſum ſanaverit à morſu viperæ. Sequitur quomodo alios ſanaverit ab aliis morbis.

Conſiderabimus hîc

I. Occaſionem hujus ſanationis.

II. Morbos & ægrotantes quos ſanavit.

III. Modum ſanandi.

IV. Fructum & mercedem quam Paulus inde retulit.

Occaſio fuit liberalitas Publii, inſulæ primarii, quâ hos miſeros naufragos per triduum in prædio ſuo hoſpitio excepit humaniter. An hic Publius Melitenſis natione fuerit, an Romanus, Romanorum nomine inſulæ præfectus, non eſt noſtræ inquiſitionis. Exemplum hîc habemus magnæ humanitatis, miſericordiæ & præcipuè hoſpitalitatis in homine Ethnico, ex quo non tantùm diſcendum quantopere Chriſtiani ad haſce virtutes ſint obligati, ſicut concione ſuperiori docuimus, ſed etiam quòd virtutes irregenitorum apud Deum aliquam habeant remunerationem. Propter benignitatem enim in naufragos ſanatur à Chriſto pater Publii. *Sic obſtetricum Ægyptiacarum miſericordia erga Hebræorum uxores obtinuit apud Deum ut ipſis ædificaret domos*, Exod. 1. Sic Ninivitarum pœnitentia obtinuit ablationem judicii. Sic Romanorum civitas floruit quamdiu virtus eorum floruit. Non quod virtutes & virtuoſa Ethnicorum ac irregenitorum opera Deo placeant ad ſalutem. Nam 1. Sunt opera hoſtium Deo non reconciliatorum, propter defectum fidei in Chriſtum. 2. Non fiunt ex bono & ſyncero corde, quod Deum verè amat. 3. Plus mali in ſe habent quàm boni. Nam ſi in ſanctis regenitorum operibus ſemper aliquid mali hæret, quod Deum juſtè offendit, niſi perfumentur ſuavi odore ſacrificii & interceſſionis Chriſti, quomodo ipſi poſſent placere opera eorum, qui toto corde mali ſunt, & ſine reconciliatione jacent ſub ira & maledictione Dei? Et tamen ex exemplis allegatis patet, quòd virtutes Ethnicorum & irregenitorum aliquam Dei remunerationem habeant; ſcil. temporalem, quæ datur eo fine, ut irregenitis ſit occaſio & inductio ad quærendam veram & ſalutarem communionem cum Deo, & ut regeniti per hoc tantò magis ſtimulentur ad ſtudium bonorum operum. *Si* enim Deus tam gratioſus eſt, ut Ethnicorum & hoſtium ſuorum honeſtatem & opera civilia non ſinat ſine omni remuneratione, quid non faciet, ſi filii ejus reconciliati, ex puro corde o, era ſyncera Chriſti nomine ipſi quotidiè offe-

Digitized by Google

efferent? Præſertim ſi ethnici ſuâ civili honeſtate & externâ quadam pœnitentiâ potuerunt avertere gravia Dei judicia temporalia, an probabile eſt, inter nos Chriſtianos tam gravia ſævire poſſe temporalia judicia, qualia quotidiè ob oculos habemus, ſi non deeſſet nobis ſtudium bonorum operum?

Ægrotantes fuerunt magni & parvi inſulæ incolæ. Primò enim pater Publii, primarii inſulæ, miſerabiliter decubuit, & à Paulo ſanatus fuit, deinde omnes communes ægroti, qui in inſula erant, allati ſunt & ſanati. Morbus ex quo decubuit pater Publii, fuit duplex febris & dyſenteria, & quidem febres, crebro ſcil. redeuntes, idque in homine ſene, tempore hyberno, ut patet ex circumſtantiis textus, ex quorum omnium concurſu fit morbus deſperatus. Cæterorum morbi in genere vocantur infirmitates omnium generum. Hi ægri nobis proponuntur in ſpeculum, in quo intueamur noſtram communem miſeriam, quòd ſcil. nec parvi nec magni à corporalibus afflictionibus, etiam graviſſimis, ſint immunes. Par erat intuitu horum ſpeculorum nos fieri humiles & retineri in officio. Sed quid fit? Recentia, domeſtica, & in oculos incurrentia ſpecula nos nihil movent, nedum antiqua & peregrina. Non tantum ob oculos nobis verſantur exempla ægrotantium morbis communibus & quotidianis, ſed venenum peſtis inter nos graſſatur, & unum poſt alium ex improviſo abripit, & præterea hiſce diebus tam grave judicium vicinam urbem obruit, ut omnes obſtupeſcant, qui intuentur. Non deſunt itaque ſpecula miſeriæ, modò non deeſſet ſtudium intuendi & animadvertendi. Intueri oculis vicinorum miſeriam avidè cupitis omnes, ſed quam pauci ſunt qui animadvertunt corde? Non magis pii reditis quàm excurriſtis, & miſerandum foret, ſi triſtis ille caſus non plus ad preces & emendationem moveret multos eorum qui non excurrunt, quàm plurimos qui intus & extus ruinas urbis aſpiciunt & contemplantur. Quàm hoc verum ſit docent nos blaſphemationes puerorum & adultorum, quæ audiuntur in plateis, exempla eorum, qui ex aliorum miſeriis turpe & injuſtum lucrum quærunt, & docebunt veſtrorum multi, ubi redierint tempora ſaltationum & bacchanaliorum. Commendamus veſtræ conſiderationi locum, qui eſt Luc. 13. 2. 3. 4. Etſi non eſt apud nos tantum pulveris pyrii, Deus poteſt invenire aliquam vim, per quam noſtras domos in noſtra capita præcipitet. Poteſt fieri ut humanum intercurrerit vitium, ſed, crede, eſt opus divinæ providentiæ, & judicium manûs ipſius, nobis & aliis vicinis propoſitum in ſpeculum commonefaciens de pœnitentia. Confer Iſai. 42. v. 25.

Sequitur modus ſanandi: Paulus ad ægrum ingreditur, precatur, manus ei imponit, & eum ſanat. Ex hoc loco, comparato cum Jacob. 5. 14. 15. exoritur quæſtio de officio paſtorum ordinariorum Eccleſiæ circa ægros, an vi horum locorum teneantur ingredi ad decumbentes ægros ad ſuum apud illos faciendum officium? *Reſpond.* Mon-

Digitized by Google

ſtrabo vobis prius tres turpes abuſus circa hanc materiam, deinde oſtendam quale ſit officium paſtorum circa ægros. Primus abuſus eſt in Papatu, ubi damnabile putatur ſi quis moriatur ſine ope ſacrificuli. Ille enim debet interrogare an ſit Romanæ fidei, huic debet æger in aurem fateri ſua peccata, ab eo recipere Sacramentum corporis Chriſti, & abſolutionem à peccatis, & denique extremam unctionem, viaticum & ſalvum conductum itineris. Debet etiam proſpicere ut teſtamentum ægri condatur ex uſu paſtoris, & tum ſolari ægrum pollicitatione multarum miſſarum & vigiliarum poſt mortem, ad liberandam animam ex purgatorio. Secundus abuſus eſt quorundam inter novos illos phantaſtas, qui recens Eccleſiam Reformatam turbârunt. Horum enim aliqui, etſi negant ægrum in articulo mortis ungendum, ut habeat viaticum itineris, tamen putant unctionem ægrorum cum precibus Presbyteri eſſe ordinarium & divinitus inſtitutum inſtrumentum ſanandi Chriſtianos ægros, ſi ſint pii, ideoque ſuis Presbyteris oleum conficiunt, quo ungant, ac ſanent ægros, glorianturque ſe multos reſtituiſſe. Sic θαυμαλύργυς ſe faciunt, ut à populo adorentur, qui miniſterii auctoritatem apud populum nimis magnam eſſe clamitant. Tertius abuſus eſt apud noſtrum populum, in quo multi putant præſentiam Paſtoris apud ægros adeò eſſe neceſſariam, ut ſine illa beatè quis mori non poſſit. Itaque unum poſt alium advocant, & quoties ſubitus aliquis paroxyſmus ægrum obruit, Paſtoris officium eſſe putant non accedere ſed accurrere, ne calceandi quidem ſpatio ſumpto, & ubi venerit, loquendum & precandum quamdiu halitum trahit æger. Status igitur quæſtionis talis eſt: An paſtor ordinarius Eccleſiæ teneatur imitari exemplum Pauli & aliorum, qui habebant donum & fidem miraculorum, ingredi ad ægros & lecto aſſiſtere, manus imponere, vel aliam aliquam exercere ceremoniam, ſaltem ſuper ægro precari, ut loquitur Jacobus, idque cum intentione eum ſanandi à morbo, & impetrandi ipſi remiſſionem peccatorum, & an paſtor hoc non faciens peccet contra hoc exemplum Pauli, & contra exhortationem Jacobi, & an æger ex hoc neglectu paſtoris ullum patiatur detrimentum, non obſtante, quòd alii, qui non ſunt paſtores, monitionibus & precibus prælectis vel pronunciatis ægro aſſiſtant? Rotunde hoc nego, & probo argumentis ſequentibus:

1. Quia nec donum nec fidem miraculorum habemus, adeoque nihil ad nos ſpectat exemplum Pauli & Jacobi hortatio, ideoque non poſſumus ad ægrum venire cum intentione & fiducia ipſum ſanandi, & remiſſionem peccatorum ipſi impetrandi. Nam ſi tale quid auderemus & occiperemus ſine promiſſione vel divino inſtinctu, ſimiles foremus ſeptem filiis Scevæ, qui conabantur in nomine Jeſu Diabolos ejicere, in quem tamen non credebant. Actor. 19. 13. 14.

2. Quia ægrorum viſitatio, ad eos ſolandos & pro iis precandum, non eſt proprium opus paſtorale, ſed commune

opus

Digitized by Google

opus charitatis, omnibus Chriſtianis injunctum, Matth. 25. 26. Pſalm. 41. 2. 3. 4. comparat. cum v. 6. 7. Jacob. 1. 27. Pſalm. 35. v. 13. *Hoſtibus meis ægrotantibus ſaccus mihi veſtis erat, & revertebatur precatio mea in ſinum meum*, i. e. precabar pro illis, etſi illi propter malitiam ſuam non erant diſpoſiti ad fruendum meæ pro illis precationis fructu. Confer Lucæ 10. 6. Matth. 10. v. 13.

3. Qui ad ægros intrant, debent adferre preces fidei. Jac. 5. 15. Hoc vel de fide miraculorum intelligendum, vel de fide communi & ſalvivica. Si prior intelligitur, nihil ad paſtores ordinarios, ſi poſterior, non eſt eorum propria ſed omnium fidelium communis. Concludimus igitur, quod vi hujus exempli Pauli & admonitionis Jacobinæ nulla noſtris conſcientiis incumbat obligatio, paſtoribus propria, ad viſitandos ægros, ſed cum paſtores viſitant ægros, non paſtoralis officii in quarto modo proprium ſed charitatis opus faciunt omnibus commune. An igitur non eſt officium paſtorum ægros inviſere? *Reſpond.* Eſt. Etſi non eſt paſtorum opus adeò proprium ut nemini commune, ſicut publica adminiſtratio verbi & ſacramentorum; tamen ſpeciali modo paſtoribus competit. Nam 1. annon paſtores æque tenentur opera charitatis facere ac cæteri? 2. Et annon tantò magis ad hoc opus obligati ſunt, quantò hoc opus magis congruit cum ipſorum vocatione, & quantò plus per naturam ſuæ vocationis ad hoc opus ſunt idonei, quàm qui ſunt alius profeſſionis? 3. Si oves tenentur ægras oves viſitare, an paſtores ab hoc officio immunes erunt? 4. Præſertim in morbis chronicis, qui diuturnam à publico paſtu abſentiam efficiunt, & in quibus Diabolus tempus habet tentandi & natura phantaſiis ſuis indulgendi, quæ ſubtiliorem requirunt diſcuſſionem. 5. Præſertim cum accedit, ut per ligamentum Eccleſiaſtici ordinis hoc opus vocationi paſtorum annectatur. Non dicimus hæc ut nos ſubducamus noſtro officio, ſed ut occurramus abuſibus noſtri officii, & retundamus, multorum inter vos (non omnium. Habemus enim in Eccleſia quos cæteris in contrarium exemplum proponere poſſumus ſed multorum)

1. Superſtitionem, quaſi tantum ſitum ſit in præſentia paſtoris apud ægros, ut ſine ea beatè mori nemo poſſit, aut quaſi paſtores potentiam Dei & virtutem Spiritus S. ita habeant in manu, ut accurſu ſuo ilicò ægrum vel ſanare vel ſalvare poſſint, aut quaſi pium alloquium alicujus privati nihil poſſit ad animandum ægrum, ſed omnia pendeant à verbis ex ore paſtorum fluentibus, etiamſi ægro ſæpe nec viſus nec auditus ſuperſit. Hanc Papiſticam ſuperſtitionem inter vos fovere non eſt noſtrum, nec volumus fieri veſtra idola, ſicut ſacrificuli ſunt idola ſuorum. Nec ſumus θαυματουργοὶ à quibus miracula poſſitis exſpectare.

2. Importunitatem, per quam impedimur in miniſterio publico, quod divinâ inſtutione nobis mandatum, & cui conſcientiæ noſtræ plus alligatæ ſunt, quodque noſtrum eſt officium

Digitized by Google

ficium omni modo proprium. Plus ſitum in grege quàm in ove. Apoſtoli olim dicebant Actor. 6. 2. *Non decet nos linquere verbum Dei & ſervire menſis.* Sic nobis licet dicere: Non decet nos linquere ſuggeſtum & ſervire lectis. Non eſt noſtrum gregem nonaginta ovium deſerere in deſerto, & quærere oves in diſperſione. Nec hic eſt ſcopus parabolæ Chriſti Luc. 15. quâ Chriſtus nihil aliud docet, quàm quòd ſuperbos propriæ juſtitiæ imaginatores liverit ire ſuis viis, quamvis ſint grex magnus; & humiles peccatores ac peccatorum confeſſores quæſitum iverit. Quod juxta publicum facere poſſumus æquum & utile eſt ut faciamus. Et optandum foret, in Eccleſiis tam numeroſis rem ita conſtitutam eſſe, ut præter ſuggeſtus etiam lectorum aliqua major poſſit haberi ratio atque cura, quamvis paſtoralis cura, quæ in ſuggeſtu fit, generalis ſit; & non minus ægris quàm ſanis præparatur, ut ibi quoque impleatur illud Ezech. 34. v. 3.

3. Negligentiam & ſocordiam, quâ adeò omnia quæ ad ædificationem pertinent, à paſtoribus expectatis, ut nihil diſcatis conferre ad ædificationem veſtri vel proximi. Dicitis vos oves eſſe, paſtorum eſſe vos quærere & paſcere. Sed heus, utique non eſtis oves quadrupedes, quæ ſemper errant, niſi ſemper paſtorem habeant præſentem. Nos paſtores, ſed utique non pecudum ſed hominum. Cum venitis in congregationem gregis ut paſcamini à paſtoribus, utique non venitis ad edendum & ad carpendum gramen, ſed ad diſcendum quomodo in domibus & in converſatione cum proximo vos gerere debeatis. Tamdiu paſtores ſequuti eſtis, an nihil didiciſtis, quod ad animum poſſitis revocare & proximo ægro ſuggerere? Utique ſatis eloquentes eſtis in rebus vanis & ineptiis mundanis, cur igitur adeò muti in rebus ad ædificationem pertinentibus? Quia ſcilicet cum Papiſtis omnem curam ſalutis in paſtores rejicitis, domi nullas inſtituitis repetitiones & exercitationes, per quas inſtitutiones publicas ita imbibatis, ut & aliis aliquid impertire poſſitis. In mutua converſatione nunquam fatigamini loqui de rebus vanis, ſed cum vel ipſi ægrotatis, vel alios ægrotos videtis, nihil ſalis & ſolatii vobiſcum eſt, nihil olei in lampade, ſed illicò currendum ad propolas. Pudet nos habere oves adeò mutas & ignaras. Qui divites ſunt, ſemper aliquid pharmacorum in ædibus habent, quo importuno tempore ſe ipſos juvare poſſint, nec ſingulas minutias, quibus in morbo indigent, ex pharmacopeio petere opus habeant. Annon par erat in eundem uſum ſpirituale aliquod pharmacopeium domi habere? Dici vulgò ſolet, quod homo quadragenarius ſibi ipſi debeat eſſe medicus. Et an qui talis eſt, ſine aliena ope non teneatur animæ ſuæ aliquid poſſe ſubminiſtrare pharmaci? Diſcatis, quæſo, vos ipſos curare nec adeò omnem animæ veſtræ curam in alios rejicere, ſed potius in promptu aliquid habere, quo & proximus juvetur. Noſtrum præcipuum officium eſt curare armamentarium publicum, (het magaſijn/) quilibet miles debet curare

re proprium ſclopetum, (bandelier.)

4. Denique hæc dicuntur ad retundendam inanem ſollicitudinem atque metum à contagioſo morbo, qui vos facit dicere, quod ſuis futuri deſerti & à Medicis & à Paſtoribus. Cogitate quòd Jeſus Chriſtus ſolus & unicus morborum Medicus ſit, & Deus Spiritus S. ſolus & unicus ægrorum ac morientium conſolator, qui & ſanationem & conſolationem omnem ita tenet ſuâ manu, ut eam diſtribuat quomodo vult, & qui Medicos ac viſitatores vobis mittere poteſt ſi vult, ſi non vult, ſine talibus vos ſanare & ſolari. Accerſite modò hos paracletos per rectum nuncium, ſcil. per non alium quàm per proprium cor, idque tempeſtivè, etiam dum ſani eſtis. Quid opus ambagibus? Accerſitis paſtorem ægri. Quo fine? Ut vos juvet, ſanet, ſoletur? Non poteſt, homo eſt. Ut ſuis precibus Chriſtum & Spiritum S. vocet ad vos ſanandos & ſolandos? Non malè. Sed cur negligitis vocare ipſi proprio corde? Quis melior nuncius Chriſtum ad vos vocandi? Hic Medicus, hic Paſtor non exhorreſcit contagium, modò ex animo vocetur.

Reſtat pars quarta & ultima, ſcilicet quem fructum quamve mercedem Paulus à ſuis patientibus pro ſanatione ſua retulerit. Ipſum & ſocios Chriſtianos honorârunt honore multo, & abituris procurârunt neceſſaria ad iter. An multi horum Barbarorum Euangelium Pauli receperint, an Publius Epiſcopus inſulæ à Paulo conſtitutus ſit, & ſimilia Jeſuitæ audacter affirmant, nos ſine auctoritate Scripturæ non neceſſe habemus credere, etſi non eſt improbabile trimeſtrem Pauli inter Barbaros commorationem non fuiſſe ſine fructu Euangelii. Honor quo Paulum honorârunt, non fuit niſi honor civilis. Divinum enim ſibi exhiberi non ſiviſſet. Nos quoque Sanctos honoramus, tum vivos tum mortuos. Vivos habemus in precio, & honoramus ſicut parentes in quinto præcepto jubemur honorare, ſcilicet per obedientiam bonarum admonitionum. Mortuos honoramus per imitationem ſanctæ vitæ. Præſertim autem hic deſcribitur gratitudo, quam debemus doctoribus Euangelii, quæ duplex eſt:

1. *Multo honore honorandi ſunt*, 1 Tim. 5. 17. *Sunt enim patres qui nos generarunt*, 1 Cor. 4. 15.

2. *Temporali ope juvandi. Qui enim ſpiritualia nobis dant, an multum eſt ſi poſtulent corporalia?* 1 Cor. 9. 11.

Actor. 28. *v.* 11. *ad* 16.

CONC. CCLXXXVIII.

MElior eſt rei finis quam ejus initium, Eccleſ. 7. 8. Varia eſt verborum horum interpretatio. Non diſquiram an generaliter & in omnibus rebus verum ſit, ſed, ſi unquam verum eſt, verum eſt in bello. Belli finis ſemper melior ejus initio. Semper enim verum:

Nulla ſalus bello; pacem te poſcimus omnes.

Dulce bellum inexpertis; & dum animus eſt iratus & irritatus, cupiditatis vindictæ dulcedo pericula & dolores

Digitized by Google

belli mitigat. Sed longè lætius & dulcius eſt cum de facta pace triumphatur, etiamſi pax tantum ſit mediocris & tolerabilis. *Qui ſe accingit, gloriari poteſt, ſed non ſicut qui ſe decingit*, 1 Reg. 20. 11. Prior enim gloriatur in incerta & non fundata ſpe, ſed poſterior in eventu, in quo acquieſcit, in quo ſaltem acquieſcere tenetur, & ſecundum eum res ſuas impoſterum componere. Nos in templis & in congregatione Eccleſiæ Chriſti nec bellum nec pacem facimus, nec de rebus belli & pacis deliberamus. Attamen cum ſtatus & politia, in qua Eccleſia Chriſti hoſpitatur, bello implicatur, hoc ad ſalutem vel incommodum Eccleſiæ pertinet, & triſte belli initium poſtulat Eccleſiæ preces, & conſolationem, directionemque atque animationem quam verbum Dei ſuppeditat. Finis belli & mutatio ejus in pacem poſtulat Eccleſiæ gratiarum actionem ad Deum, præcipuè cum pax talis eſt, ut non lædat pacem & libertatem Eccleſiæ, & cum Chriſtianus magiſtratus, ut Eccleſiæ defenſor, preces & gratiarum actionem Eccleſiæ deſiderat. Hiſtoriam periculoſæ navigationis Pauli ex Judæa in Italiam elegeramus nobis in cynoſuram noſtræ armatæ & periculoſæ navigationis, quam contra vim, ex vicina natione in nos involantem, inſtituere neceſſe habuit noſter magiſtratus. Placuit autem Deo noſtrum hoc bellum navale ad optatum finem perducere, antequam nos navigationem Pauli ad finem perduximus, pro quo beneficio nunc Deo gratias publicè agere inſtitutum eſt. In hujus gratiarum actionis typum & manuductionem eligimus illam gratiarum actionem Pauli, quam ad Deum fudit, cum civitas Roma, mundi tum temporis domina, in conſpectum ipſius prodiret, atque ita terminum & metam tanti & tam periculoſi itineris ipſe aſpiceret. Quoniam ex Pauli periculis multum conſolationis accepimus durantibus noſtris periculis, æquum eſt ſperare, ipſius gratiarum actionem fore inſigne incitamentum noſtræ. Hac itaque occaſione hunc textum anticipabimus, ſuo tempore nihilominus, cum bono Deo, proſecuturi, quæ in hiſtoria itineris explicanda reſtant. Duo de hac gratitudine Pauli ſunt in textu.

1. Pro qua cauſa tam gratus ſit.

2. Qua in re gratitudo ejus conſiſtat.

De I.

Cauſa, pro qua gratias agit, eſt appropinquatio ejus ad civitatem Romam, quæ erat meta itineris, & præcipuè occurſus fratrum Romæ habitantium, & ad excipiendum adventantem Paulum prodeuntium. Paulus per integrum trimeſtre in Melita hybernatus tandem navi quadam Alexandrinâ, in eadem inſula hybernatâ, qualis & fuerat illa in qua naufragium paſſi, Actor. 27. 6. transfretavit inde in Siciliam unâ cum Luca, & aliis Chriſtianis ipſum comitantibus, nec non cum Julio & militibus ejus. Navis inſigne & character erat Caſtor & Pollux. Fuerunt hi duo Dei tutelares nautarum Ethnicorum, quorum imagines in puppi gerebant. Sicut enim Papiſtæ noſtri in periculis nauticis invocant Mariam, Paulum, Clementem, Franciſcum, &c. eorumque nomi-

Digitized by Google

nomina ac effigies navibus imponunt, ita Caſtor & Pollux invocabantur in periculis ab Ethnicis, eorumque effigies multis imponebantur navibus. Urbs Siciliæ ad quam appulerunt, fuit Syracuſa, ſita in Orientali parte inſulæ. Hic per triduum commorati ventum nacti ſunt Auſtralem, cujus vi Siciliam transgreſſi transfretarunt in Italiam, appuleruntque Rhegium, urbem in Orientali apice Italiæ ſitam. Hinc littus Italiæ legentes Puteolos pervenerunt, quæ eſt civitas Campaniæ, ſic dicta, quod ibi multi eſſent putei, vel fontes aquarum calidarum. Sita eſt propè magnam civitatem Neapolim hodie celebrem. Hic invenerunt *fratres*, i. e. Chriſtianos, ſeu diſcipulos, ut Actor. 21. 4. Fuerunt ſine dubio Judæi natione, ſed ſi à Chriſtianiſmo fuiſſent averſi, Paulum tam humaniter non recepiſſent. Adeò jam dilatata erat Chriſtiana religio, ut in Italiæ urbibus invenirentur Eccleſiæ Chriſtianæ. A quo fuerint plantatæ iſtæ Eccleſiæ non conſtat, niſi quod ex Actor. 2. 10. certum eſt, inter eos, qui Hieroſolymæ per Petri prædicationem fuerunt converſi, etiam fuiſſe Romanos, qui in patriam reverſi ſermonem Domini ſecum tulerunt, & in Patria ſeminaverunt. Apoſtolum Petrum Romæ dudum ſediſſe, ut caput Eccleſiæ, volunt Pontificii, ſed ex hoc libro nihil tale apparet. Sufficit ſcire quòd etiam ante Pauli adventum Romæ jam tum fuerit Eccleſia inſignis. Rom. 1. v. 8. Rogatu horum Chriſtianorum per ſeptiduum Puteolis commorati terreſtri itinere Romam profecti ſunt. Cum jam perveniſſent uſque ad Appii forum & tres tabernas, loca Romæ vicina, occurrerunt ipſis fratres Chriſtiani Romæ habitantes, ſine dubio, ut cum gratulatione Paulum & cæteros Chriſtianos exciperent, idque faciebant, quia de rebus Pauli & ſociorum audiverant. Informati ſcil. vel per literas fratrum ex Iudæa, vel potiſſimum per literas fratrum, quibuſcum Puteolis Paulus erat converſatus. Et hic occurſus fratrum Chriſtianorum, Romæ habitantium, erat cauſa gratiarum actionis Pauli ad Deum. Et erat juſta cauſa. Nam 1. quid gratius Paulo accidere poterat, quam in medio diſſitarum Gentium invenire fratres Chriſtianos. Duo fratres germani, quantumvis injuriâ illatâ contra ſe invicem exacerbati, ſe invicem videntes præ gaudio lachrymantur, Geneſ. 33. v. 4. At Chriſtiani non minus ſunt ex eodem verbi ſemine nati, ejuſdemque patris filii, ac fratres Germani, Matth. 12. 49. 50. Non mirum igitur, quòd mutuo conſpectu lætantur. 2. Paulus totus ardebat amore Chriſti, & nil magis cupiebat & ſitiebat quàm propagationem Regni illius. Cum igitur videt Euangelium Chriſti adeò cucurriſſe, ut etiam Romam uſque pervenerit, & Chriſto confeſſores excitaverit, quid mirum quòd lætatur & gratias agit? Sciebat magnam ibi eſſe Eccleſiam, & ad eam ferè ante triennium ſuam ſcripſerat inſignem epiſtolam. Sed nunc demum verè gaudet, cum ſuis oculis videt quod famâ perceperat. 3. Paulus videns hos fratres, ſibi publicè occurrentes, ſibi prævidebat magnum ſolatium contra inſtantia Romæ pericula.

Eva-

Digitized by Google

Evaſerat periculum maris, ſed ſciebat, quid periculi ſibi Romæ reſtaret. Veniebat enim vinctus & Cæſaris judicio ſiſtendus, à quo non plus favoris ſibi poterat polliceri, quàm à Felice & Feſto expertus fuerat. Cum itaque videt Romæ tantum libertatis concedi Chriſtianis, ut publicè liceat excurrere & Apoſtolum Chriſti excipere, à quibus ſibi etiam in omnibus periculis levamen & ſolatium poterat promittere, quid mirum quod lætatur & Deo gratias agit? Hujus rei conſideratio non parum prodeſt ad acuendam noſtram hoc tempore inſtitutam, pro finito bello Britannico gratiarum actionem. Nam

1. Paulus Deo gratias agit pro fine unius periculi, etiamſi initium alterius jam in oculos incurreret. Conſpiciens enim Romam videbat quidem ſe jam abſolviſſe periculoſiſſimum ſuum iter, & perveniſſe ad metam itineris, ſed tamen ſimul videbat jam novum ſibi inſtare periculum. Jam enim incipiebat videre tribunal Cæſaris, cui ſiſtendus erat, & ubi judicandus erat, ignarus an judicium Cæſaris juſtius ſit futurum quàm fuerat judicium Felicis & Feſti. Cauſæ quidem juſtitiâ niti poterat, ſed de ſceleſtiſſimo Nerone non plus juſtitiæ ſibi poterat polliceri, quàm de miniſtris ejus Felice & Feſto. Unum tamen periculum emenſus, & Chriſtianos fratres conſpiciens ſibi occurrentes, gratias agit & animum ſumit. Sic in noſtro populo generalis nunc eſt ſcrupulus, qui nos facit hæſitare circa hanc gratiarum actionem. Quid cauſæ, inquiunt, adeò lætandi ſuper hac pace? Eſt pax infida & infirma, quis ſcit an non propediem in Anglia novum ſit futurum regimen, & tum novum nobis bellum? Quis ſcit an novam pacem ſint ſervaturi, qui veterem tam facilè fregerunt? Quàm multi ſunt, quibus potius cauſa triſtandi quam lætandi propter hanc pacem? Sed heus, annon Paulus quoque cauſam habebat ita ſe ipſum turbandi, dicendique, quid mihi prodeſt quòd ex hac periculoſa navigatione liberatus tot mortes evaſi, ſi nova mors jam inſtat? Nonne potuiſſet dicere ut Job. cap. 3. 11. & 10. 16. 17. 18. 19. Certè viciſſitudines periculorum erant contra Paulum, & tamen ex uno periculo liberatus gratias Deo agit in conſpectu alterius periculi. Sic contra nos ſunt viciſſitudines bellorum, ex uno bello in aliud implicamur. Verè nobis factum ut Hiſkiæ Iſai. 38. 17. & ſicut Amos loquitur capite 5. 18. 19. & tamen pro intercurrente pace gratiæ ſunt agendæ. Pax eſt beneficium gratiarum actione dignum, etiamſi conſtantiæ & perpetuitatis certitudinem non habeat. Nulla temporalia Dei beneficia ſunt perpetua, & tamen omnia digna gratitudine. Semel cibati, ſemel ſanati gratias debemus, etiamſi recidere poſſimus in famem & morbum. Viciſſitudines & levamina plagarum Dei gratitudinem requirunt. Si enim petere reſpirationes contenti ſunt ſancti, etiam *gratias* pro illis agere non dedignantur. Non ſunt pii ſicut Pharaones, ut reſpirationem nacti cor gravent, Exod. 8. 15. Sed ſicut David, reditum plagarum non deprecantes, ſolâ refocillatione aliquâ ſunt contenti, Pſal. 39. 14. Saulo gratum

Digitized by Google

tum erat vexationem ſpiritus aliquâ reſpiratione levari, 1 Sam. 16. 23. Dives in inferno ſolius linguæ aliquod aliquando refrigerium petebat habere, Luc. 16. 24. Annon nobis gratè agnoſcendum, ſi calamitatibus hujus vitæ intercurrit aliqua refocillatio? Si induciæ factæ eſſent, gratitudinem requirerent, nedum pax. Vide quid Eſaias dicat. Eſa. 39. 8. & confer 2 Reg. 22. v. 20. ubi & dilatio plagarum inter beneficia refertur. Cum Deus vocabit ad nova certamina, dabit novas vires. Non eſt abjicienda cautela contra homines ſuſpectæ fidei, ſed interim non ſubtrahenda beneficiis Dei ſua laus. Si levamina miſeriæ gratè agnoſcemus, ſequetur tandem liberatio plena, nulli viciſſitudini ſubjecta. Quantumvis itaque huic paci nulla ineſſet certitudo durationis, quod tamen noſtrum non eſt judicare, ne diffidamus, tamen beneficentiæ Dei, ſed imitemur exemplum Pauli, qui pro fine unius periculi gratias egit, etiamſi initium alterius in oculis haberet.

†. 2. Paulus Deo gratias agit quòd videt fratres Romanos ſibi obviam venientes. Videre Romanos Chriſtianos dudum optaverat, Rom. 1. 9. 10. 11. 12. 13. & cap. 15. 23. 24. Hoc votum & deſiderium nunc impletur, & non tantùm ipſe videt quos amabat, & quos videre dudum adeò optaverat, ſed & ſe illis amatum atque exoptatum ex occurſu intelligit. Et hanc ob cauſam gratias agit atque animum ſumit. Eadem nunc nobis cauſa lætandi & gratias agendi. Non tam gratias agimus, quòd pacem nacti ſumus, ſed quòd pacem nacti ſumus per apparitionem Eccleſiæ & fratrum noſtrorum in Britannia. Novimus qua in re ſita ſit noſtra pax cum iſta natione. Non in conſtitutione regiminis politici. Id enim mutatum eſt, & fortâſſe denuò mutabitur. Sed id quod nos antehac tutos præſtitit ab injuriis quæ ab iſtius nationis incolis ſuper venire nobis poſſent, imò quod animos iſtius nationis nobis devinxit, fuit communio Sanctorum inter utriuſque nationis Eccleſias, eandem religionem & eoſdem religionis hoſtes habentes nobiſcum. Quamdiu hæc communio fuit ſarta tecta, tam diu nullum inter nos bellum nec metus belli. Verùm poſtquam hæc communio religionis per Diabolum & factioſos quoſdam homines læſa fuit, inde nobis natum hoc bellum; Deus paucos ante annos cœpit conculcare reſumptas Papatus in ea natione vires, una cum reliquiis Papatus in prima reformatione non expurgatis. Hoc opus Dei impediturus Satan, & ſe non poſſe impedire intelligens, ipſos Reformatores corrumpere conatus eſt, eorumque plurimos abſtraxit ad exceſſus non neceſſarios, & per bonos ſucceſſus operis Domini contra Papatum, cujus ipſi inſtrumenta erant, corda eorum adeò inflavit, ut, præ faſtu ſpirituali ſe ſolos eſſe Dei dilectos putantes, gloriarentur ſe illos eſſe magnos Sanctos, qui opus reformationis per totum terrarum orbem eſſent propagaturi, utque Monaſterienſi planè ſpiritu faſcinati adeò tumultuarentur atque extra ſe eſſent, ut diſcrimen inter hoſtes & amicos igno-

Digitized by Google

rantes inconſiderato bello adorirentur nos, qui antea fratres & amici eorum fueramus. Sic *currentes bene faſcinati ſunt*, Gal.3.1. & 5.7. & ferè impletum illud Apocal. 12. 15. Scitis hanc confuſionem Anabaptiſticam adeò prævaluiſſe ut multi putarent, generalem apoſtaſiam à Reformata Religione totius nationis eſſe factam, nec ullos nobis in Britannia reſtare fratres, qui à tali confuſione, & ſcandalis inde natis abhorrentes, pro eadem veritate nobiſcum ſtarent firmiter, & antiquam in noſtras Eccleſias ſervarent charitatem. Hinc, durante hoc bello, præcipua noſtra ſemper fuit precatio, ut Deus in integrum reſtitueret communionem Religionis & Sanctorum, quæ per hanc confuſionem ingens patiebatur detrimentum. Hanc precationem noſtram Deus exaudivit, & videre nobis fecit fratres occurrentes, & conatus Chriſtiani noſtri Magiſtratus in reſtituenda pace ita ſecundantes, ut eo ipſo tempore, quo prædominans ſectaria factio pacem reddebat deſperatam, factio ipſa humi ceciderit, & cladem non exiguam paſſa ſit, emicante ſpe illuſtri, fore, ut poſt paucum tempus Reformata Religio & Eccleſia, ut candela in candelabro, ut civitas in monte ponatur, tumultuoſæ autem ſectæ ſub modio compeſcantur, & multi pii, eadem faſcinatione abrepti reſipiſcant, atque hic inter Eccleſias utriuſque nationis antiqua refloreſcat charitas, unicum pacis firmæ fundamentum. Cum hujus boni initia videmus, cum ſpes complementi ante oculos eſt, annon Deo gratias agamus & fiduciam ſumamus, annon precemur, ut Deus pergat & perficiat? Quid triſtius aſpectu, quàm ſchiſmata Eccleſiæ, & quid viciſſim lætius quàm ſchiſmatum & confuſionum ſanatio? Lætari ſunt nobiſcum ipſi olim, cum noſtra ſanarentur vulnera, & de ſuo nobis affuderunt oleo. Æquum eſt viciſſim & nos lætemur, & Deo agamus gratias, cum ipſorum vulnera ſanari incipiunt, & confuſio nonnihil ſiſtitur. In hoc firmitas pacis. Hanc enim veram Eccleſiam, pacem cum Eccleſia, quæ inter nos eſt, quærentem & promoventem, non facilè exterminabunt hoſtes & ſectarii. Eſt enim ſub cuſtodia Chriſti, contra quam non facilè prævalebunt hoſtium molitiones. Prætereunda hoc tempore ſunt, quæ de Chriſtianorum erga Miniſtros verbi officio locus dici requirit, properandumque ad partem ſecundam quæ declarat, qua in re Pauli gratitudo conſtiterit.

De II.

Hìc iterum duo:

I. Paulus pro finito itinere & fratrum conſpectu Deo gratias agit, Deum laudat, Deo benedicit. Quid gratias agere Deo? Phariſæus agebat gratias Deo Luc.18.11. ſed non placebat Deo hæc gratiarum actio. Quid deerat? Quæ vera gratiarum actio? *Reſp.* Quatuor ſunt ad veram gratiarum actionem neceſſaria:

1. Verum beneplacitum habere in beneficio accepto. Inter homines gratias agere ſæpe nil eſt aliud, quàm beneficium oblatum recuſare. Invitati ad convivium ingratum & nobis non opportunum, ſolemus gratias agere invitatori,

Digitized by Google

vitatori, i.e. convivium excuſare, & urbaniter recuſare, ſicut illi invitati Luc. 14. 18. deprecantur beneficium oblatū. Hæc gratiarū actio hypocritica, quæ Deo non eſt offerenda. Talis non erat gratiarum actio Pauli. Is enim gratias agebat pro eo quod dudū ex animo deſideraverat. Talis autem erat Phariſæi, qui gratias agebat pro eo quod non cupiebat. Agebat gratias quòd non eſſet ſicut alii, prædator, injuſtus, adulter, & tamen non erat talibus pilo melior nec cupiebat eſſe, ſed æquè ac alii beneplacitum ſuum habebat in injuſtitia & aliis peccatis intus in corde. quamvis contrariâ oris profeſſione illud tegeret. Matth. 23. v. 14. Sic ſunt multi inter nos, qui pacem oderunt atque turbant, & diſcordiis dant cauſas non neceſſarias, nec ulla in re plus beneplaciti habent, quàm in contentionibus & diſcordiis excitandis & fovendis in politia, Eccleſia & familiis, & tamen comparent inter eos qui ſuper pace triumphant Hi certè non ſunt pacis filii. Quæ poteſt eſſe major ingratitudo pro hac pace, quàm ſi extus pacem nacti à Deo demus operam, ut inteſtinis contentionibus pacem perdamus?

2. Ut illum, cui gratias agis, ames. Odiſſe & gratias agere ſunt duo contraria. Vide oſculum Judæ Matth. 26. v. 49. cum Proverb. 27. 6. Pſal. 50. 16. Moneantur igitur omnes, qui gratias agunt pro pace, ut ſe Deo reconcilient per veram converſionem. Qui inconverſi ſunt, qui Deo rebellant peccatis malitioſis, ab iis Deus non recipit gratias. Mera enim eſt hypocriſis, qualis Phariſæi, qui gratias agebat Deo, cum tamen ab amore Dei toto corde eſſet averſiſſimus, & Paulo Phariſæo non melior, 1 Timoth. 1. 13.

3. Ut beneficium ſoli Deo tribuas. Sic non faciebat Phariſæus, ſed gratias agens Deo, quòd non eſſet injuſtus ſicut alii, in ſe ipſo confidebat, quòd juſtus eſſet, ut eſt Luc. 18. v. 9. adeòque beneficium Dei ſibi tribuebat. Una eſt & non minima pars veræ gratiarum actionis, confiteri cum humiliatione ſuam indignitatem & impotentiam acquirendi beneficii, quod nactus es, Pſalm. 115. 1. Sic pro hac pace gratias acturi dicamus 1. Non hæc pax nobis contigit ob noſtram probitatem, ſed potius fatemur nos improbitate noſtrâ & impotentiâ, quæ certè inter nos magna eſt, pacem hactenus impediviſſe, & eam non eſſe nactos, niſi per meram tuam gratiam & miſericordiam, quâ recordaris gratiæ tuæ antiquæ. 2. Non noſter gladius & arcus hanc pacem nobis acquiſivit, Pſal. 44. v. 4. Non adimitur laus Magiſtratibus qui pro pace vigilârunt, nec heroibus & militibus, qui pro pace pugnârunt. Verùm his rebus non fuiſſet facta pax, niſi Deus ἀπὸ μηχανῆς interceſſiſſet. Sæpe diximus, durante hoc bello, non nimis appetendas eſſe victorias, Deum ſine victoriis poſſe dare pacem. Et ſic fecit, & fecit mirabiliter per improviſam ſciſſionem conjuratæ contra nos factionis, quâ partem Enthuſiaſticam & Anabaptiſticam conculcavit ſub pedes aliorum. Notabilis eſt prophetia quæ legitur Zachar. 13. verſ. 2. 3. 4. 5. 6. de confodiendis pudefaciendis per diſciplinam amicorum

Digitized by Google

ſuorum Prophetis, afflatu mali ſpiritus actis & ſine vocatione currentibus. An hæc prophetia in Anglia hodiè incipiat impleri, non aliunde melius diſcitur, quam ex programmate moderni regiminis politici, quod ſuperiori Martio 1654. emanavit ad invitandum populum ad jejunium publicum. Sciſſio illa factionis unicum illud eſt, quod miraculoſum & immediatè divinum eſt in turbis Anglicanis.

4. Ut pro beneficio te debitorem agnoſcas, & debitam compenſationem exſolvere coneris. Phariſæus acceperat illuminationem, pro qua merito gratias agebat, ſi modò egiſſet cum propoſito ſuâ luce utendi ad pervestigandam lucem Euangelii, in Scriptura reconditam. Applica illud Actor. 9. v.31. Hic finis propter quem Deus pacem dedit, ſcil. ut Eccleſia ejus ædificetur & creſcat, quæ per bella premitur & vaſtatur. Quod ſi Deus iſtis hominibus, quos in vicina natione evexerit ad ſummam poteſtatem, dederit hunc animum, ut ſuppreſſo Papatu, ſuppreſſiſque prudenter ſectis & hæreſibus veram Chriſtianam Reformatam doctrinam & Eccleſiam, ut par eſt, defendant, non deſperandum, quin non obſtantibus graviſſimis commiſſis ſcandalis, pax eorum ſit duratura, ſimiliterque & noſtra, ſi noſtri quoque Magiſtratus, beneficium pacis tantopere optatum nacti, illud impenderint ad idem faciendum inter nos, ſique verbi divini Miniſtri, contra hoſtes Eccleſiæ per Magiſtratum defenſi, agant quod ſuum eſt in Eccleſia ædificanda, & Eccleſia ipſa quod ſuum eſt. Vera itaque fuit Pauli gratiarum actio, ſed vana Phariſæi. Phariſæus enim gratias agebat 1. Pro eo quod non deſiderabat. 2. Ei quem non amabat. 3. Pro eo quod ſibi ipſi tribuebat. 4. Sine ſtudio compenſandi.

II. Paulus ex occurſu fratrum Romanorum animum ſumit & fiduciam. Cum enim videret Romæ tot eſſe Chriſtianos, qui non tantùm Euangelium Chriſti apertè profiterentur ſine periculo, ſed etiam Paulo tanta cum promptitudine occurrerent, & ſuum in ipſum affectum teſtarentur, animatus eſt contra pericula, quæ ſciebat ſibi captivo etiamnum imminere. Diſcamus & nos ex initiis divini auxilii capere majorem fiduciam contra pericula adhuc imminentia. Vid.° Gen. 24. v.47. Etſi nondum confecerat negotium ſuum Eleazar, tamen videns Deum ſe duxiſſe in veram viam, lætatur & ſumit animum rei bene gerendæ. Adde 1 Sam. 17. 37. Philip. 1. 20. Pſal. 85. 1. 2. 3. Præcipuè Eſa. 38. 16. Leniter procedam, quaſi dicat, docebit me hæc afflictio iterata cum fiducia procedere in viis meis. Et nos ex fine hujus belli animum ſumamus. Multa vidimus ævo noſtro bella, ſed & multorum bellorum finem. Vidimus finem belli Danici, Germanici, Hiſpanici, Britannici, capiamus fiduciam fore ut tandem generalem Chriſtianitatis pacem videamus. Vidimus tot bella Papiſtarum & Sectariorum hactenus non prævaluiſſe ad Reformatæ Eccleſiæ ſuppreſſionem. Capiamus fiduciam fore, ut & quæ reliqua ſunt non prævaleant. Sic in omnibus particularibus diffi-

Digitized by Google

difficultatibus hactenus non ſuccubuimus. Sumamus fiduciam fore ut non ſuccumbamus in poſterum, Pſal. 71. 9. 17. 18. Pſalm. 85. 1. & 74. 12. 1 Sam. 17. 37. *Sic in ſpiritualibus ſtetimus hactenus, capiamus fiduciam fore, ut ſtemus imposterum*, Philip. 1. 5. 6. Non ſuademus animoſitatem & ſecuritatem carnalem, quæ ſunt magna inter nos 1 Theſſ. 5. v. 3. ſed fiduciam ſpiritualem, quæ conſiſtit in animoſa continuatione mediorum, quibus pax conſervetur, cum ſpe, nos non laboraturos fruſtra. Verum an ita ex aëre poteſt rapi & capi animus? Non ex aëre, ſed ex verbo Dei, per preces ac pias meditationes ac propoſita. Poſſunt fideles excitare gratiam quæ in ſe eſt & fiduciam, 1 Tim. 5. 14. 2 Tim. 1. 6. Hoc agamus, & impetrabimus fiduciam à Deo, quantum ſatis eſt ad vincendum mundum.

Actor. 28. v. 16. ad 23.

CONC. CCLXXXIX.

NOtabile eſt effatum Pauli 2 Timoth. 2. v. 9. *Propter Euangelium ego oppreſſionem patior uſque ad vincula, at verbum Dei non vincitur.* q. d. Ego quidem catenâ vinctus impedior, ne, ut antea, ex regione in regionem lampadem verbi poſſim circumferre, at non ideo impeditur ſermo Dei, quin currat, & ſpargatur inter plurimos. Nam, inquit Philip. 1. 12. 13. *Quod mihi contigit, in majorem progreſſum Euangelii ceſſit.* Vincula enim mea toti prætorio & omnibus Romæ habitantibus innotuerunt, & fratrum quoque parrheſia in annunciando Euangelio per ea crevit, ſicut etiam ex hiſce vinculis Romanis multas ſcripſit epiſtolas ad alias Eccleſias, quæ etiamnum ſunt pars ſacræ Scripturæ per quam Eccleſiæ omnium ſeculorũ ad finem mundi ædificantur, ut videre eſt Epheſ. 3. 1. & 4. 1. Philip. 1. 7. 13. 14. 16. Coloſſ. 4. 3. 2 Timoth. 1. 8. Philem. 1. Hæc ſunt vincula, hæ catenæ, quas Paulus ſuſtinuit Romæ per integrum biennium propter Euangelium. Fuerat jam tum Cæſareæ per biennium captivus, ut patet ex Act. 24. 27. Fuerat captivus toto itinere, quod ultra dimidium anni duravit. Romam delatus manet catenâ vinctus, atque ita vinctus catenâ per biennium Euangelium prædicavit, Epheſ. 6. 20. Atque hoc eſt quod ex hoc libro explicandum reſtat, ſcil. commoratio, & res geſtæ (verblijf en bedrijf) Pauli in urbe Roma, poſtquam abſolutâ periculoſâ navigatione iſtuc venerat. Dividemus hoc reſiduum in tria capita: 1. Deſcriptio ſtatus in quo Paulus Romæ degit verſ. 16. 2. Duo ſolemnia colloquia, quæ Paulus cum Judæorum primoribus habuit verſ. 17. ad 30. 3. Quotidiana Pauli occupatio per biennium verſ. 30. 31. Hæc tria breviter percurremus, quia pleraque antehac explicata. De ſtatu Pauli ſic habet textus: *Poſtquam Romam veniſſemus, Centurio captivos tradidit Præfecto Prætorii, ſed Paulo conceſſum ut ſeorſim habitaret cum cuſtodiente milite.* Στρατοπεδάρχης propriè eſt caſtrorum præfectus. Hic videtur ſumi pro ſupremo curiæ & rei juſtitiariæ Præfecto ſive prætore, cujus inter alia officium erat captivorum curam ha-

 bere.

Digitized by Google

bere. Hic præfectus ſtatim diſcrimen fecit inter Paulum & cæteros captivos, Paulumque liberius habuit quàm cæteros. Quâ cauſâ motus? 1. Sine dubio literæ Feſti expreſsè ſignificârunt Paulum non ob maleficia captivum, ſed propter religionem & Judæorum odium. 2. Sine dubio Chriſtiani, qui ipſi obviam proceſſerant, & in urbem induxerant, pro ipſo interceſſerunt. 3. Sinè dubio Centurio Julius Pauli res geſtas in itinere apud præfectum deprædicavit. Non tamen planè liber factus Paulus, ſed captivus manſit captivitate tali, quam *Militi traditionem* Romani Jureconſulti vocant. Teſtantur docti, triplicem captivorum cuſtodiam apud Romanos fuiſſe uſitatam; 1. In carcere publico. 2. In ædibus Magiſtratuum, ſicut Paulus Cæſareæ in prætorio cuſtoditus Act. 23. 35. 3. In cuſtodia militari, quæ talis erat, ut is, qui in noxa eſſet, catenam manui dextræ allegatam haberet, quæ eadem militis ſiniſtram vinciret. Hoc tertium genus captivitatis Paulo contigit, cæteris honeſtius & commodius. Ideoque propriam conduxit domum, in qua habitavit cum milite ſuo, infra verſ. 30. Eph. 6. 20. Facta hæc omnia auſpicio divinæ providentiæ, qui Paulum quidem non liberare voluit, ſed tamen levare ut cum commoditate invigilare officio poſſet. Cæſareæ prætorio incluſus per biennium officio Apoſtoli fungi non multum poterat. In itinere graviſſima paſſus fuerat incommoda. Sub initio Apoſtolatus moleſtis circumcurſitationibus ſub graviſſimis perſequutionibus Euangelium per orbem diſſeminavit, & Eccleſias plantavit. Tandem Deus levamen ipſi aliquod conceſſit, ut in catenis quidem haberetur, attamen commodè habitaret, & ſine circumcurſitatione ac ſine perſequutione Euangelium prædicaret, ut patebit latius ex verſu 30. 31. Sic ſolet Deus ſuos ſervos non ſemper æque graviter onerare, ſed & halcyonia ipſis concedere, non tantum cum in æternam quietem eos transfert, ſed etiam dum in medio labore quietem interponit. Pſalm. 39. 14. Præcipuè hic notandum, uſitatiſſimum apud Deum eſſe liberandi pios medium, dum facit piorum virtutes talem ſpargere in conſcientias hominum ſplendorem, ut etſi pii non ſint, tamen pii in oculis eorum gratiam inveniant. Eminet hac de re dictum Prophetæ Pſalm. 106. 46. Et exempla Exod. 12. 36. Geneſ. 39. 4. 21. 22. Actor. 5. 13. & 2. 47. Non eſt hoc miraculoſum & eo tantum tempore factum quo miracula fiebant, ſed fit quotidie in perſequutionibus Eccleſiæ. Soletur nos cum ſumus in ſimili caſu. Deus & nobis gratiam dabit apud homines, ſaltem apud Deum inveniemus gratiam. Demus modò operam ut coruſcemus & fulgeamus ſplendore pietatis, quæ oculos hominum perſtringere poſſit, ut Actor. 6. 15. Faciamus ut ambulemus ut filii lucis, ut opera noſtra luceant, ut inſtar luminum ſimus in generatione curva.

Sequitur prius colloquium Pauli cum Judæis. Tertio die poſt adventum in urbem primores Judæorum ad ſe vocavit, venientes alloquutus eſt, & reſponſum ab ipſis tulit, dictuſque dies

eſt

Digitized by Google

eſt colloquio poſteriori. Legimus Rom. 1. 10. 12. & cap. 15. 22. 23. 24. quòd Paulus ad Romanos ſcribens magnum exprimat deſiderium & frequens propoſitum Romam aliquando veniendi, & Eccleſiam Chriſti inter Romanos plantatam videndi & ſuâ vivâ voce ædificandi. Ex quo evidenter patet, diu ante adventum Pauli Romæ fuiſſe florentem Eccleſiam Chriſti, Rom. 1. 7. 8. *Quæritur igitur* cur Paulus, Romam delatus, non ad Eccleſiam Chriſtianam, ſed ad ſynagogam Judaicam ſeſe receperit, vocans ad ſe primores Judæorum. *Reſpond.* 1. Fieri poteſt, ut Romæ ante Pauli adventum fuerint multi fideles Chriſtiani, ſed nondum omnes à ſynagoga Judæorum ſeparati. Nihil, quòd ſciam, eſt in epiſtola quod contradicat, niſi fortè catalogus ille illuſtrium Chriſtianorum cap. 16. 2. ad 17. qui adeò in Chriſto radicati non videntur communicâſſe cum ſynagoga, nec caruiſſe exercitiis Chriſtianæ religionis. Attamen quia patet ex cap. 1. & 2. quod epiſtola ſcripta ſit præcipuè ad Chriſtianos naturâ Judæos, non improbabile eſt, horum plurimos adhuc communicaſſe cum ſynagoga. Chriſtiani obviam proceſſerant & cum gaudio ac gratulatione ipſum receperant, & in adipiſcenda libertate ac commoditate habitationis ipſi adjutores fuerant, ſed à Judæis non niſi adverſitatem expectare poterat & inimicitiam, quæ Imperatori & Prætori redderetur exoſus. Hos igitur à malitioſis adverſationibus divertere primum ipſi conſilium, cum metuendum eſſet, ne vel propriis ſuſpicionibus, vel literis ex Judæa acceptis foverent de ipſo hanc opinionem, quod venerit ad calamitatem aliquam genti Judaicæ apud Cæſarem parandam, atque ita animum Cæſaris contra ipſum occuparent, niſi ab hac opinione diverterentur. Eſt præterea conſtans amor erga gentem ſuam in cauſa, ut ante compellationem Gentium ſe prius ad Judæos convertat, ſi fortè poſſibile ſit, ut inter eos aliquos lucretur, & ſic per Judæos ad Gentes commodum ſibi paret acceſſum. Sic ſemper Paulus cum fiducia in Deum conjungit prudentem cautionem & providam circumſpectionem in utendis mediis, ut Chriſtiani ex ipſo diſcant, hæc duo inter ſe non pugnare, ut latè diximus in Actor. 27. v. 31. Vellem hoc obſervari hoc tempore, quo multi temerariam audaciam incurrendi in pericula venditant pro fide in Deum, clamantes fide carere, qui cautelis & circumſpectione utuntur. Fides vera neminem facit audacem & temerarium, ſed tantum movet ad providam & conſtantem proſequutionem neceſſariorum officiorum, Pſalm. 37. 3. Tria David in hoc Pſalmi dicto conjungit: 1. Ut confidas Domino. 2. Vitam degas piam. 3. Ut non ſis ferus, audax & temerarius circumvagator, ſed providâ diligentiâ ſtudeas conſervare tuam vitam. Non poſſumus unicuique limites ponere, quouſque ſit vel non ſit obligatus ad periclitandum ſeipſum proximi causâ. Indigentia cujuſque, animus cujuſque, robur cujuſque, & particulares uniuſcujuſque relationes & obligationes hac in materia limites ponunt, de quibus nos mutuò non nimis acriter debemus judicare.

Digitized by Google

Attamen diſcrimen inter fidem & temeritatem poſſumus oſtendere. Fides non patitur eſſe audacem contemptorem ſui & propriæ familiæ, ſed tantum docet neceſſariæ charitati indulgere per provida media. Saltem docet ſe periculis non ingerere ſine prævia pœnitentia & reconciliatione cum Deo, ut, ſi voluerit nos Deus occidere, ſaltem non perdat in inferno. Talis admonitio non reddit vos meticuloſos & invitos ad neceſſaria charitatis officia proximo præſtanda tempore periculoſo, ſed charitatem continet intra limites prudentiæ & juſtitiæ. Diſcimus quoque hinc quàm indefeſſum deceat eſſe in rebus officii. Ex tanto itinere tantum per triduum quieſcit Paulus, & tum illicò redit ad officium prædicandi Euangelium. Confer Actor. 20.31. Qui non honoris & mercedis causâ officium faciunt, ſed ſtimulati amore Chriſti & proximi, non ſunt in officio ſegnes. Habemus in hoc colloquio propoſitionem Pauli & reſponſionem Judæorum. In propoſitione Pauli habes

1. Compellationem. *Viri fratres*. Non habebat hoſtes majores quàm Judæos. Et tamen fratres appellat. Nempe Chriſtiani etiam hoſtes diligunt. Oderunt peccatum ſed non perſonas. Non amant amore fraterno, ut ſocios gratiæ, attamen amore humano atque communi ut Petrus diſtinguit 2 Petr. 1. v. 7. ut homines ejuſdem naturæ, quorum ſalutem quærunt & converſionem. Diſcamus moderari affectus contra illos qui nos injuriis laceſſunt. Matth. 5. v. 44. Rom. 12. v. 20. Præivit nobis Chriſtus amans nos cum hoſtes eſſemus.

2. Proteſtationem. Captivum ſe eſſe fatetur, ſed proteſtatur quòd non propter aliquam injuriam contra mores patrios aut gentem captivus ſit. Recipiendo enim Chriſtianiſmum nihil fieri contra mores patrios, i. e. contra Moſis legem. Chriſtianiſmus enim & lex Moſis non pugnant, ſed lex Moſis eſt umbratica repræſentatio futuri Chriſtianiſmi, quæ Chriſtianiſmo cedit, nec ſe opponit. Vide quæ ad hujus rei confirmationem dicta ſunt in Actor. 21.21.28. Corruptelæ Judaicæ legis Moſaicæ pugnant cum Chriſtianiſmo, ſed non ipſa lex Moſis in ceremoniis conſiſtens. Nec contra gentem noſtram quicquam feci, nec ideo huc veni, ut eam accuſem, aut incommodum aliquod ipſi moliar. Etſi ab iis, qui ſunt de gente mea; multum læſus ſum, tamen ideo genti meæ nullum molior incommodum apud Romanos, nec ideò Romam veni ut gentem meam accuſem. Cum gens Judaica premebatur hoſtibus & aliena ſervitute, non deerant, qui ad hoſtes deficerent & omni modo propriæ genti nocerent, 1 Mach. 7.5.6. Hoc Paulus à ſe removet tanquam flagitium. Turpiſſimi ſunt & omni deteſtatione digni ejuſmodi homines, qui aliquo pacto læſi vel etiam ſolius lucri causâ, tempore belli hoſtes patriæ juvant contra propriam patriam. Homines ἄστοργοι Rom. 1. quibus Paulus contrarius, Rom. 9. Quid honeſtius quàm patriæ & populo ſuo fidelem eſſe? Paulus tam graviter à popularibus offenſus, tamen noluit iis parare aliquod damnum.

3. Informationem. Si nec contra

Gen-

Digitized by Google

Gentem nec contra mores patrios quicquam feciſti, qua de cauſa captus atque vinctus es? Qua de cauſa vinctus huc venis aut mitteris? Informat itaque eos Paulus de occaſione & verâ cauſâ ſuæ captivitatis. Occaſio eſt: Hieroſolymæ ſum captus & ſic Romanis traditus. Illi me examinârunt & innocentem invenerunt. Voluiſſent quoque dimittere, niſi importunitas Judæorum eos inclinâſſet ut me Judæorum voluntati exponerent. Hoc ut declinarem, neceſſe habui ad Cæſarem provocare. Et propter hanc provocationem ad Cæſarem miſſus ſum Romam, & maneo in militari cuſtodia, donec de cauſa mea fuerit deciſum. Sed ſi veram cauſam meæ captivitatis vultis ſcire, propter ſpem Iſraëlis hac catenâ vinctus ſum. Et hæc cauſa, propter quam vos ad me vocavi, ut ſcil. vos viderem, & occaſionem haberem vobiſcum loquendi de ſpe Iſraëlis, propter quam vinctus ſum. Sic Paulus non tantùm divertit animos Judæorum à pravis contra ſe conſiliis, ſed etiam viam ſibi parat ad loquendum cum ipſis de Euangelio. *Hac*, inquit, *catena*. Digito eam demonſtrat tanquam ornamentum in quo gloriatur, Rom. 5. 3. 2 Tim. 1. 12. 16. Per ſpem Iſraëlis intelligit Meſſiam. Eo enim tempore omnes Judæi adventum promiſſi Meſſiæ enixè expectabant, ſed magna cum differentia. Nam 1. plerique adeò erant obtenebrati, ut expectarent Meſſiam, qui veniret cum pompa & mera victoria, ut Rex mundanus, ad liberandos Judæos ex poteſtate Romanorum & illos evehendos ſuper omnes nationes terræ. Hæc falſa & corrupta ſpes Iſraëlis. 2. Pauci Judæi retinebant antiquam ſpem Iſraëlis, quam patres habuerant, expectantes Meſſiam, qui ſecundum præfigurationem ceremoniarum & ſecundum vaticinia Prophetarum pateretur, moreretur, reſurgeret & exaltaretur, & ſic remiſſionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, converſionem animarum, reſurrectionem ex mortuis & vitam æternam acquireret & conferret populo Dei, non ſolum inter Judæos ſed etiam inter Gentes. Hæc vera ſpes Iſraëlis, ut probavimus Actor. 26. 6. 7. Hoc deſiderium Iſraëlis, Iſai. 45. 8. Geneſ. 49. 18. Pſalm. 14. 7. Hæc ſcil. ſpes antiqui Iſraëlis, hæc ſpes quoque noſtra. Etſi enim nos hodie non ſperamus Meſſiam venturum, ſed credimus veniſſe, tamen nobis quoque reſtat ſpes Iſraëlis de ſecundo adventu Jeſu Chriſti, & perfecta Eccleſiæ conſummatione. *Hinc Chriſtus ſpes noſtra*, 1 Tim. 1. 1. Hoc ſperemus cum de vita & omnibus honoribus ac bonis mundi deſperamus. Multa mala paſſi ſumus dum viximus. Malè habendo & benè ſperando transegimus noſtrum ævum. Tandem etiam de vita deſperandum. Reſtat tamen hæc ſpes Iſraëlis quæ nos etiam morientes poteſt ſuſtentare. Si quid propter hanc ſpem detrimenti patiendum in temporalibus, ne detrectemus ſequi Pauli exemplum. Multis nos alimus in mundo ſpebus: ſperamus nos diu victuros divites futuros, meliora tempora reip. & Eccleſiæ viſuros &c. Sed omnes iſtæ ſpes liqueſcunt, ſola ſpes Iſraëlis perennis.

Sequitur Judæorum reſponſio ad

Digitized by Google

Pauli propoſitionem, in qua.

1. Fatentur ſe nullo præjudicio contra Pauli perſonam occupatos eſſe, cum nec literas de ejus negotio acceperint, nec ab ullo fratre quicquam audiverint, quod mirum eſt. Videtur correſpondentia inter Judæos Palæſtinos & exoticos fuiſſe magna, ſed hos ab illis contemptos, utpote qui in poſſeſſione terræ Sanctæ & templi omne punctum felicitatis ponebant, quæ tamen ſine Chriſto nihil ipſis proderant.

2. Fatentur tamen ſe præjudicio occupatos contra doctrinam ejus, ita tamen ut ſimul fateantur curioſitatem ſuam audiendi Paulum de ſua doctrina diſſerentem, atque eo fine diem ipſi conſtituant. Diſce

. Cur multi homines non veniant ad agnitionem veritatis, quia ſcil. præjudiciis occupati ſibi ipſis viam intercludunt. Non omnes ſunt ſicut Papiſtarum ſtupidiſſimi, ut aures claudant nec velint audire diſcurſus de religione. Sed multi his Judæis ſimiles, qui libenter audiunt diſputationes de religione præ curioſitate, ſed intellectum adeò claudunt præjudiciis, ut omni careant deſiderio meliora diſcendi. Nunquam dubitant utrum habeant veram religionem, ſed ante ventilationem hoc decernunt, & ſic non animo diſcendi, ſed animo contradicendi de religione loquuntur. Quid mirum tales ſemper diſcere & nunquam ad agnitionem veritatis venire? 2 Tim. 3. 7. Quia ſcil. ſtudent in negotio religionis ſine intentione diſcendi, ſed cum præſuppoſito decreto, quod ad agnitionem veritatis jam tum venerint. Aliud ſuadet Salomon Proverbiorum 22. verſ. 17.

.. Maximum offendiculum & præjudicium, quo homines à veritate abſterrentur, eſſe, quia ei à toto mundo contradicitur. Pauci, eique parvi, veritati adhærent, plurimi, eique ſapientes & magni ei contradicunt. Vide Joh. 7. 46. 47. 48. 49. Non decet nos ad hunc lapidem offendere. Ratio duplex: 1. Quia præmoniti ſumus teſtimoniis ſacræ Scripturæ & exemplo Chriſti Iſai. 8. 13. 14. 15. Luc. 2. 34. Rom. 9. 32. 1 Pet. 2. 8. Hebr. 12. 3. Proprium eſt hæreticorum & obſtinatorum hominum contradicere veritati Rom. 10. 2. Judæ 11. 2. Quia fieri non poteſt quin caro & ſanguis doctrinæ Evangelii contradicat. Nam

a. Superat captum humanæ rationis & *eſt homini naturali ſtultitia*; quid mirum ſi contradicat?

b. Eſt carni & ſanguini contraria, & requirit ejus crucifixionem & mortificationem. Quid mirum ſi contradicat?

c. Trahit ſecum perſequutionem mundi & omnium impiorum. Quid mirum ſi ei contradicatur? Nos hiſce offendiculis opponamus conſiderationem ſalvificæ ſapientiæ quæ eſt in hac doctrina, & characteres divinitatis, & convenientiam cum Scriptura.

... Eſt & aliud offendiculum. Conſpurcant hi Judæi veram religionem nomine hæreſeos ſive ſectæ. Verum de hoc dictum quod ſatis in Actor. 24. 14. Cum Pontificii hanc appellationem nobis ingeminant, obſtinatorum Judæorum ſocios ſe oſtendunt. Habet hoc loco conſuetudinem Papiſtarum

Digitized by Google

ad vivum depictam. Sicut enim hi Judæi oppoſitionem faciunt inter hæreſin & contradictionem πανταχȣ̃, ſeu univerſalem, ita Pontificii inter hæreticos & catholicos. Catholica & univerſalis mundi contradictio nihil debet præjudicare veritati à paucis receptæ.

Actor. 28. v. 23. 24. 25.

CONC. CCXC.

SEquitur alterum ſolenne colloquium inter Paulum & Judæos Romæ habitantes. In hoc Conſideramus

1. Tempus & locum colloquii, nec non auditores.

2. Materiam de qua fuit colloquutio verſ. 23.

3. Effectum colloquii verſ. 24. 25.

4. Concluſionem & diſceſſionem v. 25. 26. 27. 28. 29.

Tempus duplex eſt, tempus initii & tempus durationis, ſeu quando & quamdiu. Dies quem Judæi dixerant Paulo, à manè uſque ad veſperam. Locus fuit conductum Pauli diverſorium. Auditores fuerunt multi Iudæi. Non eſt quod his inhæreamus. Habitum hoc colloquium die quem Iudæi Paulo dixerant. Non igitur ſabbathum, quod Deus indixerat. Hoc enim ſynagogæ debebant. Paulus tamen non detrectat alio die Iudæos docere. Non igitur tantùm decet obſervare ſabbathum, ſed etiam intereſſe, quantum fieri poteſt, ſacris exercitiis extra ſacrum ſabbathi diem. Pauli quoque hic patet induſtria, non detrectantis docere à manè ad veſperam. Sed non minus induſtria Iudæorum in contradicendo. Non enim diſcendi ſed contradicendi causâ & animo eò venerant, atque in iſta contradictione non minus induſtrii ſunt, quàm Paulus in defendenda veritate. Nota eſt Diaboli induſtria in oppugnando Chriſti Regno, Iob. 1. 7. 1 Petr. 5. v. 8. Tales quoquè qui ei ſerviunt, præſertim Iudæi & Anti-Chriſtus Romanus Rom. 10. 21. Hinc ranis comparantur Anti-Chriſti ſervi & emiſſarii, Apoc. 16. v. 13. Porrò hinc obſerva, quòd in N. T. conventus Chriſtianorum publicè non ſint adſtricti certo loco, Ioh. 4. 21. Matth. 18. v. 20. 1 Timoth. 2. 8. Non quaſi non par ſit ut habeantur loca ab aliis uſibus ſeparata, & ſacris uſibus deſtinata, ſed ne tempore incommodô ſcrupulus nobis ſit ubique locorum Deo ſervire. Denique hinc patet, quòd auditores verbi multos eſſe non ſit novum nec difficile. Habet enim verbum Dei aliquid quod & impias aures titillet.

Materia colloquii fuit quæſtio duplex, prima de Regno Dei, poſterior de perſona Meſſiæ. Prior quæſtio erat: An Regnum Meſſiæ, à Deo promiſſum patribus, eſſet futurùm Regnum mundanum, an verò ſpirituale, an Meſſias venturus ſit μετὰ πολλῆς φαντασίας, ſicut Reges mundani, an verò cum corporali humiliatione ac paſſione, & cum ſpirituali potentia? Altera quæſtio erat: An Ieſus Nazarenus ſit verus Meſſias patribus promiſſus, & an in illum ſit credendum? Utramque quæſtionem Paulus expoſuit & confirmavit,

Digitized by Google

& magna teſtificatione magnoque conatu ſategit Iudæos perſuadere, ut in Ieſum crederent, idque per teſtimonia ex Lege Moſis & Prophetis petita. Tria itaque fundamentalia dogmata ſunt in hoc verſu. 1. Quòd rerum & doctrinarum theologicarum probatio non aliunde petenda ſit quam ex Scriptura. 2. Quòd Regnum Meſſiæ ſit verum quidem Regnum, ſed non humanum aut mundanum, ſed divinum & ſpirituale Dei Regnum. 3. Quòd Ieſus Nazarenus ſit verus Meſſias, in quem credendum. Percurremus breviter, quia ad finem anhelamus.

I. Expoſuit teſtificans. Non tantùm docuit ſed etiam dogmata ſua probavit teſtimoniis Scripturæ. Non probat ſua dogmata ex traditionibus, ex Talmude, ex Philoſophia &c. ſed ex Lege & Prophetis. Sic moris erat in V. T. Iſai. 8. 20. Pſalm. 19. & 119. ad Legem ſe & dogmata ſua examinabant, ad Legem & teſtimonium pedes ſuos convertebant. Adde Luc. 16. 19. Sic par eſt fieri in Novo Teſtamento, Matth. 28. 19. Actor. 26. 22. Rom. 15. v. 4. 2 Tim. 3. 14. 15. 16. 17. & cap. 4. 2. 1 Petr. 4. 11. Conſiderent hoc Pontificii, qui traditiones, Patres, & decreta Eccleſiæ crepant. Anabaptiſtæ qui ſomnia jactant & revelationes. Sociniani cum ſociis, qui ad dictata rationis & regulas Philoſophiæ contorquendas eſſe Scripturas volunt. Eſt primum ſignum & pars eſſentialis orthodoxæ Eccleſiæ & doctrinæ, Scripturam habere pro unica regula doctrinæ, cujus judicio ſtandum & cadendum, & qui ab hac regula ab hoc judice recedit, ad aliud tribunal provocat, & in alia autoritate ſuam fidem fundat, is ab orthodoxa Eccleſia diſceſſiſſe judicandus eſt, & pro hæretico habendus, non pro catholico. Nec poteſt talis habere fidem ſalvificam. Eſt enim hujus fidei eſſentialis pars aſſentiri Scripturæ, & ejus teſtimonio ac judicio ſe ipſum ſubmittere, Actor. 24. 14.

II. Expoſuit Iudæis Regnum Dei. Erat expectatio Iudæorum Meſſiam, ubi veniret, glorioſum Regnum erecturum in mundo, quod Regnum Dei vocari conſuetudinis erat, Marc. 1. 15. & cap. 15. 43. per quod Iſraël redemptionem & conſolationem eſſet accepturus, Luc. 2. 25. 38. Vid. Luc. 17. v. 20. 21. Erat hæc expectatio hujus Regni fundata in promiſſionibus V. T. de Meſſia, quem fore Regem Iſraëlis, regnaturum ſuper univerſum mundum, & omnes Gentes promittunt loca quæ ſunt Pſal. 2. Pſal. 45. Pſal. 72. Pſal. 89. Dan. 2. v. 44. & 7. 13. 14. Verum de hoc Regno error gravis Iſraëlem corripuerat tempore Chriſti & Apoſtolorum, per oſcitantiam eorum, quibus interpretatio Scripturæ erat permiſſa. Sicut enim Romani facti erant orbis Domini, & omnes ferme terræ Gentes, etiam ipſos Iudæos, ſibi ſubjugaverant, ita Iudæi ex promiſſionibus de Meſſia & Regno Iſraëlis ac Dei ſperabant *talem* Meſſiam & tale Regnum, quo populus Iſraël foret glorioſus victor Romanorum & omnium Gentium, iiſque dominaretur à mari ad mare. Hunc errorem de Regno Dei Paulus refutavit, expoſuitque ipſis veram naturam hujus Regni, quod ſcilicet Meſſias ſit futu-

Digitized by Google

futurus Rex ſpiritualis, qui non cum mundana pompa, ut loquitur Chriſtus Luc. 17. 20. 21. ſed per ſceptrum ſpiritus & Evangelii ſit imperaturus, ſibique Eccleſiam non ſolum ex Iſraële, ſed ex omnibus Gentibus & nationibus terræ ſit acquiſiturus, eamque per paſſionem & mortem ſuam à peccato & Diabolo liberaturus, Deo reconciliaturus, & in æternam ac cœleſtem vitam traducturus. Hujus dogmatis inculcatio fuit primaria occupatio Chriſti & Apoſtolorum Actor. 1. 3. & 19. 8. & 20. 25. Et quidem ex Lege Moſis & Prophetis hoc ſuum dogma de ſpirituali Regno Meſſiæ demonſtrabant, ſicut & facilè inde demonſtrari poteſt. Vid. Geneſ. 3. 15. ubi non dicitur quòd à Romanis ſed à Diabolo liberaturus ſit. Sic Gen. 12. 3. & 18. 18. *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes.* Non foret benedictio Gentium, ſi Gentes fierent mancipia Judæorum ſicut Judæi erant Romanorum. Hinc vocatus *Melchiſedech*, Geneſ. 14. 18. Pſalm. 110. v. 4. Rex & ſacerdos Dei qui ſpiritualia curat. Hinc tota Lege proponitur ut agnus ſacrificandus ad expiationem peccatorum, quod non ſapit carnale Regnum. Introducitur ut Propheta atque doctor Iſraëlis, & legiſlator Moſi ſimilis, Deut. 18. v. 15. 18. *ut medicus ſanans contrita corda*, Iſai. 61. v. 1. *ut ſponſor vitam dans pro populo ad expianda eorum peccata*, Iſai. 53. *ut Rex humilis & pauper*, Zach. 9. 9. & tamen Salvator, qui extirpabitur & tamen peccatum obſignabit, juſtitiam acquiret, ſanctum ſanctorum unget &c. Dan. 9. v. 24. Denique non Rex mundi ſed Rex Sionis ſeu Eccleſiæ, qui non externis tributis colendus, ſed ſpirituali fide & obedientia cordis, Pſalm. 2. Hoc illud quod Paulus Judæis expoſuit. Hoc nobis quoque inculcandum, nec temporalia à Chriſto expectemus, & cum hæc deficiunt, putemus nos fruſtrà crediciſſe. Si vel omnia deficiant dum vivimus, ſi vel omnium temporalium fruitione deſtituamur per mortem, tamen non fruſtrà credidimus in Chriſtum. Accipiemus enim remiſſionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, Spiritum ſanctificationis, conſolationis & adoptionis, reſurrectionem ex mortuis, vitam æternam. Applica illud Pauli 1 Cor. 15. 19. & explica quid petatur in oratione Dominica, cum petitur: Adveniat Regnum tuum. Hinc Iſraëlitæ in omnium rerum abundantia, & in plena libertate conſtituti, cum nec Romani nec ullæ Gentes dominarentur ipſis, ſed ipſi multis, tamen ſpiritualem Meſſiæ ſalutem deſiderarunt anxiè, Gen. 49. 18. 2 Sam. 23. v. 2. 3. 4. 5. Hoc deſiderium Davidis nondum erat impletum tempore Iſaiæ, Iſai. 55. 3. ſed demum impletum per Chriſtum, Act. 13. v. 34. Nam hæc poſteriora loca de fideli gratia Davidis reſpiciunt illam confeſſionem Davidis morientis, qua loquitur de fœdere bene ordinato & firmo, de quo adeò certus David 2 Sam. 23. 5.

III. Suaſit Judæis τὰ περὶ ἰησοῦ. Hic duo ſe objiciunt:

1. Modus docendi, quo Paulus uſus circa hoc dogma. Suaſit, quod noſtri vertunt: conatus eſt movere ut 2 Cor. 5. 11. Exprimitur quàm ſerius fuerit in

Digitized by Google

convertendis Judæis. Non tantùm diligenter & diu concionatus eſt, ſed etiam ſeriò & cum zelo, cum conatu lucrandi animas, ſitiens & eſuriens aliorum ſalutem. Poſſumus concionari ut Judas, ad extorquendum quo marſupium impleatur, & cœnobiorum reditús augeantur. Poſſumus prophetari & concionari ſicut Bileam Num. 24. v. 3. 4. &c. & ſicut Diabolus Actor. 16. 17. ſcil. per quandam coactionem & prædominationem Spiritus Dei, contra concionantis voluntatem. Poſſumus concionari ex contentione & invidia, Phil. 1. v. 16. Nec dubium eſt, quin omnes iſti concionandi modi aliquid conducant ad promovendum Chriſti Regnum ibid. verſ. 18. Sed tamen optimus & efficaciſſimus concionandi modus eſt prædicare verbum Dei cum conatu ſerio lucrandi animas, 2 Corinth. 12. 14. Actor. 20. 20. 21. Phil. 4. 17. 2 Cor. 6. 11. Qui ſic faciunt, Eccleſiæ quidem, cujus miniſtri ſunt, plerumque ſunt ingrati, & multas coguntur pati contradictiones, & muſſitare injurias, ſed cogitandum illis, quòd non tantùm ſint miniſtri Eccleſiæ, ſed præcipuè miniſtri Chriſti. Huic obediendum, ut Eccleſiæ proſis, & mercedem operis tui ab illo expectare poſſis. Gal. 1. verſ. 10. Sicut fideles ſervi filiis familias quærunt prodeſſe ſed non placere, ſoli autem hero placere, ita nos laboramus prodeſſe Eccleſiæ, placere Chriſto.

2. Dogma ipſum quod perſuadere conatus eſt: τὰ περὶ Ἰησοῦ. Noſtri vertunt: *Fidem Ieſu*. Conatus eſt movere ad fidem Ieſu. Et hic verus ſenſus. Poſtquam enim in genere diſſeruiſſet & demonſtrâſſet, quale Regnum ſit futurum Regnum Meſſiæ, conatus eſt Judæis per teſtimonia Moſis & Prophetarum perſuadere, quod Ieſus Nazarenus, in Iudæa crucifixus, ſit ille verus Meſſias patribus promiſſus, & quod in hunc credendum ſit omnibus qui ſalvari cupiunt, quodque extra hunc nulla ſalus ſit. In V. T. ſufficiebat credere Meſſiam venturum, Regem ſpiritualem, & ſpiritualem nobis liberationem ac beatitudinem parturum, nec opus erat perſonam illius Meſſiæ nôſſe & confiteri. Sed poſtquam Meſſias venit, credendum in ipſam perſonam, credendum quod crucifixus Ieſus Nazarenus ſit Meſſias, & in hoc collocanda fiducia. At enim quomodo hoc probare potuit ex Moſe & Prophetis, cum tamen nec in Moſe nec in Prophetis ulla ſit mentio Ieſu Nazareni? *Reſpond.* Negat hoc Chriſtus Ioh. 5. 39. 46. & rectè negat. Deſcribunt & depingunt enim Scripturæ veteris teſtamenti Ieſum Nazarenum ſecundùm omnes ejus proprietates, ex quibus agnoſci poteſt. Si quis tibi det picturam exactam imperatoris Tunici, & poſtea ipſe Imperator in oculos tuos fortè incurrat, nunquam viſum, nemine indicante, tua ſponte ſtatim agnoſces. Sic Scriptura V. T. verum Meſſiam tam clarè depingit ſuis characteribus, ut tu Ieſum Nazarenum intuens & cum hac pictura conferens non poſſis non tua ſponte judicare quòd ſit verus Meſſias. Dicunt enim & ſcribunt, Meſſiam, ubi venerit, fore unum Meſſiam & tamen verum Deum & verum hominem, natum ex ſemine Abrahæ,

Digitized by Google

hic, ex tribu Judæ, ex ſemine Davidis, ex virgine domus Davidis, in urbe Betlehem, tempore ablati ſceptri à Juda, indigitant ipſum fugiturum in Ægyptum, deinde educandum eſſe in urbe Nazareth, vitam victurum humilem, prædicaturũ Euangelium, confirmaturum ſuam prædicationem per miracula, paſſurum contradictiones peccatorum, aſino vectum Hieroſolymam ingreſſurum, proditum, venditum, captum, vinctum, deluſum, condemnatum, crucifixum, mortuum, ſepultum iri, ex morte reſurrecturum, in cœlos adſcenſurum, ad dextram patris ſeſſurum, Spiritum S. effuſurum, Eccleſiam collecturum ex omnibus nationibus & populis, eamque potenter per inermem prædicationem verbi defenſurum contra vim omnium hoſtium. Hæc omnia ſecundùm omnes circumſtantias de Meſſia prædicta in Jeſu Nazareno impleta ſunt & etiamnum implentur. Patet igitur Jeſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam, patribus promiſſum. Latè hæc omnia poſſunt ex Scriptura probari, ſed fit hoc in Concionibus Catecheticis, & declaratione hiſtoriæ paſſionis. Conſideremus quis ſit in quem credimus. Nihil magis confirmat fidem quàm harmonia inter prædictiones V. T. & hiſtoricas N. T. Eſt enim hæc harmonia infallibile ſignum, doctrinam ex Deo eſſe. Itaque 1. Ne quæramus cùm Papiſtis ſervatores alios. Venit ille unus tam diu expectatus. 2. Ne ei quicquam diffidamus. Si ante adventum ſuum potuit ſervare patres, quidnî nos poſt mortem & exaltationem?

Sequitur effectus hujus colloquii. *Quidam aſſentiebantur, quidam non credebant, & ſic diſcordes diſcedebant, multum inter ſe litigantes*, verſ. 24. 25. 29. Tria breviter nota:

1. Euangelium nunquam prædicatur fruſtra Eſa. 55. 11. 1 Cor. 15. 28.

2. Quomodocunque concionemur, nunquam omnes lucrabimur, ſed ſemper erunt, qui contradicant, & impii atque increduli maneant. 1 Cor. 1. 18. 2 Corinth. 2. 16. Matth. 20. 16. Contenti ſimus quòd dicere poſſumus ut Eſa. 8. 18. *Ecce! ego & filii quos mihi dedit Dominus.*

3. Prædicatio Euangelii parit diſcordiam & contentiones, Matth. 10. v. 35. Præſertim hoc Judæis contigit, qui, poſtquam Euangelio contradixerunt, inter ſe multum de Meſſia rixantur, aliis veniſſe, & propter peccata populi latitare, ac converſionem ejus expectare; aliis non veniſſe dicentibus, aliis duos Meſſias ſomniantibus, quorum alter humilis venerit & victus ſit, alter glorioſus & invincibilis adhuc ſit expectandus, &c. Non oritur hæc diſcordia ex vitio verbi, ſed ex malitia hominum. Caveamus rejicere veritatem, ne ſpiritus vertiginis & diſcordiæ nos corripiat.

Actor. 28. *ad finem.*

CONC. CCXCI.

Vidimus poſterioris colloquii circumſtantias, materiam & effectum: Sequitur receſſus ab hoc colloquio, qui à parte Pauli factus eſt cum expro-

Digitized by Google

exprobratione indurationis, & cum denunciatione transferendi verbum Dei ad Gentes, verſ. 25. 26. 27. 28. ex parte verò Judæorum cum multa altercatione inter ſe invicem, verſ. 29.

I. Paulus Judæis abeuntibus dicitur acclamâſſe unum verbum. Atqui multa ſunt verba. Sed continent unam concluſionem totius colloquii. q.d. Nolo vobiſcum diutius diſputare, ſed concluſionis loco unum Scripturæ locum vobis inculco, rogans ut illum probè ruminetis. Video in vobis impletam eſſe prophetiam Eſaiæ de induratione, ideoque ad Ethnicos verbum ſalutis transferam. *Object.* Si induratos videbat Judæos, cur amplius illis loquitur hoc unum verbum? Sciebat utique ſe apud induratos non plus hoc verbo effecturum quàm effecerat omnibus cæteris? *Reſpond.* Sciebat indurationem Judæorum non eſſe adeò deſperatam & totalem, quin adhuc aliquid ſpei relictum lucrandi aliquos, etſi non niſi per duras exprobationes, Rom. 11. 5. 14. 25. Hinc etiamnum aliqua opera adhibenda ad lucrationem Judæorum, quantumvis ex indurationis judicio ſtupidorum. Nam etiamnum aliquas reliquias ex illis ſibi habet Deus, præſertim ſub finem mundi, Rom. 11. 25. 26. Non tamen ſic ut prætextu lucrandi Judæos, tolerentur Judæorum blaſphemiæ contra Filium Dei.

II. Hoc verbum Paulus ait benè dictum, & quidem à Spiritu S. *Benè dixit:* i.e. verè, q.d. Nunc re ipſa experior quàm verum ſit, & quantopere in vos quadret illud verbum Spiritus S. planè ſicut Actor. 20. 34. Vaticinia V.T. tum demum rectè intelliguntur, & animum hominis in admirationem rapiunt, cum per experientiam comprobatur eorum veritas. Orthodoxi Theologi argumentum hinc nectunt pro divinitate Spiritus S. Argumenti forma ſic habet: Qui hoc verbum loquutus eſt, Deus ſanctus Zebaoth. Eſa. 6. 1. 2. 3. Atqui Spiritus ſanctus hoc verbum loquutus eſt, Actor. 28. 25. Ergo Spiritus S. eſt Deus. *Object.* Atqui Johannis 12. 14. dicitur quod is, quem Eſaias vidit in throno ſedentem, & audivit ſibi loquentem, fuerit Chriſtus. Hæc Eſaias loquutus eſt quum gloriam ejus videret, ſcil. Chriſti. Quomodo igitur hìc Spiritui S. tribuitur? *Reſp.* Propheta totam Trinitatem vidit, ſed Spiritum S. audivit loquentem. Filius enim Prophetis loquutus eſt à Patre per Spiritum. Spiritus itaq; ſolus auditus eſt loqui, etſi tota Trinitas viſa eſt. Prolixior demonſtratio hujus doctrinæ ad Catechiſmum pertinet. Interim res ſervit conſolationi eorum, in quibus Spiritus S. habitat. Habent enim in ſe habitantem Dominum gloriæ. Non tantùm operatur in nobis & dona cœleſtia in nobis creat, ſed ipſe in nobis habitat ut in ſuo templo, 1 Cor. 3. 16. Si quis alius nos lædit, noſtro ſolatio ſciamus, quòd non nos, ſed Deum lædat. Si nos noſmet polluamus, noſtro terrori ſciamus, quod Deum irritemus.

III. Atenim non ſatis bene convenire videntur verba Eſaiæ cum citatione Pauli, præſertim in hoc, quod apud Eſaiam Propheta jubetur pinguefacere

cor

Digitized by Google

corpopuli, aures ejus reddere graves, & oculos ejus claudere; apud Paulum autem hæc induratio videtur tribui ipſi populo. *Oculos ſuos clauſerunt. Claude ipſorum oculos. Reſp.* Quia induratio Judæorum fuit judicium Dei, effectum per verbi prædicationem, culpâ Judæorum. Ut hoc intelligamus, & totam doctrinam de divina hominum induratione breviter pertractemus, ſimulque univerſum textum explicemus, ad tres quæſtiones reſpondebimus: 1. Quotuplex ſit judicium indurationis? 2. Quomodo hæc induratio fiat ex parte Dei, & quomodo ex parte hominum, itemque, qua in re conſiſtat? 3. An etiam in Chriſtianos & præcipuè regenitos cadat aliqua ſpecies indurationis, & quomodo ea diſcernenda ab induratione impiorum? Confer quæ diximus in Actor. 19. 8. 9.

De I.

Ante omnia hic diſtinguendum eſt inter duritiem cordis & indurationem cordis. Durities cordis eſt vitium naturæ, ex lapſu primorum parentum ortum, omnibus hominibus naturale & commune, & tollitur per regenerationem. Naturâ cor omnium hominum eſt lapideum, & per regenerationem fit carneum, Ezech. 11. 19. & 36. 26. Geneſ. 8. 21. Matth. 13. 20. Et quamvis hæc naturalis durities communis eſt omnibus hominibus, tamen in omnibus perſonis & populis non eſt æqualis, ſed in quibuſdam præ cæteris magna eſt, & præſertim in Judaico populo fuit magna præ aliis populis Deuter. 9. 6. Exod. 32. 9. Eſa. 48. v. 4. Matth. 19. 8. Induratio verò cordis eſt actualis peccati divina pœna. Deus enim neminem indurat, niſi qui ſe ipſum indurat & obfirmat. Homines cum callo cordis nati, quantò plus peccant, tantò plus à Deo propter peccatum ſuum indurantur. Quantò plus ſeſe ſponte contra Deum indurant, tantò plus à Deo judicialiter indurantur. Duplex autem eſt peccatum, propter quod homines juſto Dei judicio indurantur, & ſic duo ſunt indurationis gradus.

1. Indurantur propter recalcitrationem contra lucem Naturæ. Naturâ homines habent notitiam recti & æqui. Cum hanc notitiam in injuſtitia detinent, nec faciunt quæ lumine naturæ facere docentur & facere poſſunt, Deus eos magis magiſque deſerit & dat in reprobum ſenſum. Etſi enim ſolâ naturæ luce ſe ad Deum convertere non poſſunt, tamen non fruſtrà ſunt homines rationales, habentes reliquias imaginis divinæ, per quam Deum quærere & aliquid à Deo mandatum facere poſſunt. Actor. 17. 27. Hæc illa induratio quæ Ethnicis contigit & deſcribitur Rom. 1. 8. & ſequentibus. Gravis hæc indurationis quidem gradus eſt, ſed tamen levis reſpectu cæterorum. Qui enim ſic indurati ſunt, vocationis & regenerationis adhuc capaces ſunt. *Sunt lapides ex quibus filii Abrahæ fieri poſſunt.* Matth. 3. 9. Quamvis hæc induratio eouſque proceſſerit, ut ſint traditi in reprobum ſenſum, facti ἀπηλγηκότες, conſcientia velut cauterio reſectâ, tamen ſunt ſanabiles virtute Dei, & multi talium ſervantur, ut patet ex

Digitized by Google

1 Corinth. 6. 10. 11. Eph. 4. 17. ad 20. Itaque hæc propriè non eſt illa induratio, de qua textus loquitur.

2. Indurantur propter recalcitrationem contra prædicationem verbi & contra illuminationem Spiritus S. Et hæc illa induratio de qua noſter textus. Deus Judaicum populum, aliis populis in ſe non meliorem, imò aliis populis duriorem & naturâ pervicaciorem ſibi elegerat in populum peculiarem, quem non ſinebat ire ſuis viis propriis ſicut cæteras Gentes, ſed vocabat ad ſui agnitionem & cultum per continua & miraculoſa beneficia, nec non per continuam Prophetarũ inſtitutionem, ut ipſæ cæteræ Gentes neceſſe haberent exclamare ut eſt Deut. 4. 6. 7. 8. Verùm populus Judaicus, non obſtante hâc divina vocatione & invitatione ad ſalutem, tantò plus contra Deum recalcitravit, & præceptis ejus inobediens fuit, quantò majoribus beneficiis & miraculis à Deo ad pœnitentiam duceretur; iidem hi Judæi non tantùm conati ſunt in idololatria & impietate paria facere cum Gentibus à Deo deſertis, ſed illas omnibus modis ſuperare, & cum Deus poſt miſſos tot Prophetas tandem proprium filium ad eos mitteret, cum ſummo ſplendore divinitatis, ut eos ad pœnitentiam invitaret, filium hunc vexârunt donec occiderint. Ob hanc ſummam pervicaciam Deus contra populum Judaicum adeò factus eſt iratus, ut in hoc grave judicium indurationis eos tradiderit, quod non hoc tantum loco deſcribitur verbis ex Eſa. 6. depromptis, ſed etiam Ezech. 12. 2. 3. Matth. 13. 14. Marc. 4. 12. Luc. 8. 10. Johan. 12. 40. 2 Cor. 3. 14. 15. præſertim Rom. 11. 8. &c. Præcipuè autem hoc judicium venit ſuper illos Judæos, qui contra illuminationem & convictionem Spiritus S. internam Diabolicâ planè malitia Chriſtum non tantùm non receperunt, ſed & perſequuti ſunt, Matth. 12. v. 31. 32. Totus populus non commiſit peccatum in Spiritum S. ſed quidam ex Phariſæis, qui propterea peculiariter indurati & extra omnem poſſibilitatem ſalvationis poſiti fuerunt, & per irrevocabile judicium ad condemnationem obſignati. Et hæc illa induratio, de qua hic textus loquitur.

De II.

Quomodo autem facta eſt hæc induratio, & qua in re conſiſtit, quæ ejus proprietas? Eſaiæ jubetur à Deo eam efficere, Paulus dicit quod ipſi ſe induraverint. Præterea quomodo differt hæc induratio Judæorum à communi duritie omnium hominum, & ab induratione Gentium. An non omnes naturâ homines habent cor obeſum, aures ſurdas, oculos cæcos, præſertim induratæ Gentes? Quid igitur Judæis hac in re peculiare contigit? *Reſpondeo* breviter:

1. Non pugnat, hanc indurationem factam eſſe à Deo per Prophetas ac Apoſtolos, & tamen etiam per ipſos Judæos. Nam petulans & diuturna Judæorum rebellio contra verbum, fuit cauſa Deum provocans ac irritans, *ut Chriſtus & verbum ſalutis, quod in ſe eſt odor vitæ ad vitam, Judæis factum ſit occaſio & lapis offenſionis, nec non odor mortis ad mortem, & laqueus indurationis. Deo*

enim

Digitized by Google

enim irritato, etiam benedictiones cedant in maledictionem, Malach. 2. 2. Eſt induratio Judæorum ſimul Dei judicium & Judæorum peccatum. In induratione homines præcedunt peccando, Deus ſequitur judicando. Homines ſe ipſos ſpontè contra Deum obfirmant, Deus juſto judicio homines relinquit in obfirmatione ut non poſſint redire ad animum mollem, ſed media ad emolliendum cor durum ipſis fiant laqueus, lapis offenſionis & occaſio majoris indurationis. Sicut Jeroboam contra Dei Prophetam ſe obfirmans brachium extendit, Deus verò iſtud brachium in iſta extenſione ita retinuit, ut retrahi non poſſet ſed maneret quale extendentis culpâ factum erat, 1 Reg. 13. 4. ita ſe ipſos obfirmantes homines Deus judicat, ut non poſſint reduci ad mollitiem.

2. Homines naturâ duri, Gentes à Deo induratæ & in reprobum ſenſum traditæ. Verùm harum durities eſt curabilis. Judæorum autem induratio eſt judicium & peccatum incurabile, quod nunquam ab illis tolletur, ut non tantùm hoc textu dicitur, ſed etiam 2 Chron. 26. 15. 16. Nec à peccato converti, nec à pœnis ſanari poſſunt aut ab exitio præſervari. Deus enim juſtâ irâ & vindictâ juravit *Judæos non intraturos in ſuam quietem, nec guſtaturos ſuam cœnam*, Pſalm. 95. Luc. 14. Sicut Adamum tranſgreſſum legem arcuit ab arbore vitæ ut ſanari non poſſet, Gen. 3. 22. 23. ita juravit contemptoribus Euangelii Judæis ſalutare Euangelium non ceſſurum in ſalutem, ſed potiùs in occaſionem plurium peccatorum, & ſic majorum pœnarum. *Sicut filii Eli non audiebant vocem patris ſui, quoniam Dominus eos volebat occidere*, 1 Sam. 2. 25. ita Judæi non obediunt Euangelio, quia Deus decrevit eos perdere. Rejecit totum populum, ut non ſit amplius populus ſuus, clauſit ipſis januam gratiæ, abſtulit inſtrumenta ſalutis ab illis, & ad Gentes tranſtulit, & his gratiæ januam aperuit. Sic filii regni ejecti ſunt, cæcæ autem & induratæ Gentes introducuntur in regnum Dei. Res eò rediit, ut Gentes excæcatæ, quarum ἀσύνετος καρδία ἐσκοτίσθη, Rom. 1. 21. quæque in reprobum ſenſum erant traditæ, Euangelium prædicatum ſtatim agnoſcerent & amplecterentur catervatim, tota autem gens Judæorum Euangelio innutrita, oculos, aures & cor habens, tamen nec audiret, nec videret, nec intelligeret, nec Chriſtum plus agnoſceret quàm illi diſcipuli, quorum oculi tenebantur, Luc. 24. Sic impletum illud Chriſti Johan. 9. 39. Sic tamen ut reliquiæ aliquæ manſerint ſecundum gratiam & electionem, Rom. 11. 5. & 28. Etſi enim populus in genere eſt populus rejectus propter inimicitiam contra Euangelium, tamen propter fœdus cum patribus & propter electionem gratiæ aliquos ex populo Deus ſalvavit, ſalvat quotidie, & ſalvabit tandem, cum plenitudine Gentium ingreſſâ, multi vel omnes Iſraëlitæ, zelotypiâ accenſi, ſe ad Deum convertent, ſic ut ipſorum lapſus Gentibus fuit occaſio ſalutis, Rom. 11. 11. 12.

De III.

Sed an hoc judicium indurationis

Digitized by Google

adeò proprium Judæis, ut Chriſtianis ad Euangelium ex Ethniciſmo vocatis, non poſſit ſupervenire. *Reſp.* Non ita proprium, ſed omnibus Gentibus divinæ vocationi per Euangelium recalcitrantibus commune. Vide Rom. 11. v. 20. 21. Vide Gentes Orientales olim per Euangelium admodum illuminatos, nunc ad barbariem uſque excæcatos & induratos in erroribus. Vide Romanam Eccleſiam, olim ſanctam, orthodoxam, nunc Anti-Chriſti ſynagogam, Diabolorum doctrinis refertam. Ambulemus in luce dum lucem habemus. Regnum Dei poteſt à nobis auferri & dari alii populo. Ubi nunc habitatur in luce, ibi poſſunt fieri tenebræ, & qui nunc in tenebris ſedent, ad eos poteſt migrare lux Euangelii. Saltem perſonalis induratio poteſt contingere illis, qui nunc multa Euangelii cognitione florent, & eam in injuſtitia detinent. Ferte fructus tantâ luce dignos, ne Deus iratus candelabrum Euangelii à vobis auferat, vel in occaſionem indurationis convertat. Si quis per Euangelium illuminatus ſciens volenſque in praxi unius alteriuſve peccati ſe obfirmat & obdurat, nec vult cedere meliora monentibus, fieri facilè poteſt, ut Deus dicat. Siſte gradum obfirmatio, nec abſcede ab hoc homine, ne quando ſe convertat, & ego ipſum ſanem.

At enim an non in regenitis quoque aliqua indurationis ſpecies locum habet. Audimus ſæpe homines, quos judicio charitatis pro piis habere tenearis, queritantes de duritie cordis, & tale judicium ſibi contigiſſe metuentes. Cor meum, inquiunt, immobile planè factum videtur, adeò prædicatio verbi nihil me movet, nec ad confuſionem ſuper peccatis, neque ad delectationem in myſteriis Chriſti, neque ad gaudium de ſalute, neque ad preces & bona opera, nec ad lætam patientiam in cruce, ſum ſicut petra, ex qua aqua non effluit. Sicut oculi diſcipulorum erant adeò graves, ut precari & vigilare cum Chriſto non poſſent Matth. 26. 43. ita cor meum perpetuo grave. Eram olim aliter conſtitutus quàm nunc ſum. Vereor itaque ne ſim induratus. Ipſe quoque monet Chriſtus ut caveant ne cor ipſorum gravaretur. Luc. 21. v. 34. *Reſp.* Verum eſt, poteſt & in regenitos cadere aliqua ſpecies indurationis & aggravationis. Nam

1. Originalis durities per regenerationis gratiam non penitus tollitur, ſed reliquiæ ejus in corde relictæ ſæpe ita ſe movent, ut cor, ſpiritu Dei calefactum, & mollefactum, ad priſtinum frigus & rigorem aliquo pactô ad tempus reducant.

2. Cum regeniti in crapula ſibi indulgent, & curis ac voluptatibus vitæ nimiis, cor eorum gravatur, vis ſpiritus ſuffocatur, & ex flamma fit ſcintilla, latens ſub cinere carnis. Hoſ. 4. 11. Luc. 8. 14. Eph. 5. 18. Conſidera exemplum Lothi, qui ebrietate gravatus peccatum inceſtus patravit ſine ſenſu.

3. Cum regeniti ſibi indulgent in peccatis contra conſcientiam, fiunt ſecuri & ſuperbi, tardique in precibus & mediorum ſpiritualis ædificationis uſu, Deus eos ad tempus deſerit, cribrationi Satanæ relinquit, qui & in gra-

Digitized by Google

via peccata eos præcipitat, & peccatorum illorum eos reddit ἀναισθήτους. Sic factum Davidi, qui perpetratum adulterium & homicidium per aliquot menſes non ſenſit, ſed adeò durus & ſecurus factus fuit, ut quaſi renovatione cordis opus haberet. Sic Petro Matth. 26.

4. Aliquando cor piorum gravatur melancholicis corporis humoribus, per imprudentem phantaſticarum cogitationum indulgentiam excitatis & nutritis, qui perturbationem & fluctuationem mentis pariunt, & terrores atque metus, quibus ſe tentationes Satanæ aliquando immiſcent, Deo permittente, ad fidem eorum probandam, & exercendas preces. Interim hæc piorum durities & animi fluctuatio ac perturbatio diſcernitur ab induratione improborum ſequentibus ſignis:

1. Indurationem judicialem antecedunt peccata multa, magna, gravia, non ſemel patrata, ſed ſæpiùs continuata & diu frequentata contra conſcientiam, cum contemptu, imò cum perſequutione dehortantium. Si hæc in te non invenis, non eſt, quod ab indurationis judicio metuas. Indurationem enim Dei antecedit hominis ſpontanea obfirmatio, ut cauſa divini judicii.

2. Qui verè indurati ſunt, non ita duritiem ſui cordis ſentiunt, ut querulis gemitibus de ea lamententur. Sunt enim ἀπηλγηκότες, Eph. 4. 18. Quod ſi tu te ſentis animitus contriſtatum ob duritiem tui cordis, & cupis ab ea liberari, non eſt quod tibi metuas ab hoc judicio.

3. Apud induratos non eſt ſtudium ſervandi bonam conſcientiam per obedientiam omnium præceptorum Dei, & fugam omnium peccatorum. Si hoc ſtudium apud te eſt, non eſt quod tibi metuas ab induratione.

Sequitur denunciatio de transferendo Euangelio ad Gentes verſ. 28. Notum ſit vobis, quòd ſalus Dei miſſa ſit Gentibus, & hæ audient. Salus Dei, i. e. verbum ſalutis. Miſſum Gentibus, i. e. Ego miſſus ſum à Deo ad verbum ſalutis Gentibus prædicandum. Et hi audient. Nam hoc promittunt omnia vaticinia N. T. de vocatione Gentium, quorum aliqua Paulus citat Rom. 15. 9. 10. 11. 12. Verùm quod de hac materia dici poteſt, diximus in locum ſimilem qui eſt Actor. 13. v. 46. 47.

De altercatione Judæorum inter ſe invicem, de qua verſ. 29. aliquid diximus in fine præcedentis concionis in verſ. 25.

Reſtat quæ fuerit Pauli quotidiana occupatio per biennium quo Romæ fuit, quæ deſcribitur verſ. 30. 31. Etiam de hoc non habemus quod dicamus. Nam de regno Dei dictum concione præcedente, & præſertim in Actor. 1. verſ. 3. De parrheſia Pauli in concionando diximus in Actor. 4. 13. Quod ſine impedimento & ſine prohibitione concionatus eſt, factum quia Nero ſub initium imperii lenior animo controverſias inter Judæos & Chriſtianos parum curabat, præſertim quia inter domeſticos Neronis multos amicos Paulus habebat, Phil. 4. 22. Alia quædam Paulo intra hoc biennium Romæ contige-

Digitized by Google

tigerunt. Oneſimum convertit, Philem. 9. 10. cum Col. 4. 9. A Philippenſibus ſubſidio refectus eſt Philipp. 2. v. 25. 30. cum 4. 10. 14. 18. Scripſit epiſtolas ad Philippenſes, Philemonem, Hebræos, &c. ut dictum in exordio concionis, quæ eſt in Actor. 28. 16. ad 23.

Libro hunc in modum abſoluto, reſpondendum eſt ad quæſtionem, quid Paulo poſt hoc biennium exactum contigit?

Reſpond. 1. Opinio eſt multorum, quod Paulus expleto hoc biennio à Nerone vinculis ſolutus & libertati reſtitutus ſit, & eò citant locum 2 Tim. 10. 17.

2. Liberatum multis ſupervixiſſe annis, & prædicâſſe Euangelium inter Gentes Coloſſis Philem. 22. In Creta Tit. 1. 5. Epheſi 1 Timoth. 1. 3. & 3. 15. Philippis Philipp. 1. 25. 26. & 2. 24. Iterum Epheſi, Troade & Mileti, 1 Timoth. 3. 14. 2 Timoth. 4. 13. 20. Tum Romam reverſum cum Petro docuiſſe, & tandem 29 Junii anno Chriſti 67. unà cum Petro martyrium ſubiiſſe. Quàm hæc ſint vera & probabilia fides eſto penes auctores. Nos non contradicimus, non tamen pro articulo fidei nobis obtrudi patimur. Quæ Spiritus S. per Prophetas & Apoſtolos non revelavit ea tutò ignoramus. Vide hac de re probabiliter diſſerentem venerabilem & celeberrimum virum D^{n.} Jacobum Uſſerium Armachanum in annalibus horum temporum, negantem autem Cornelium à Lapide Jeſuitam in fine ſui in Acta commentarii.

Nunc gratias ago Deo Opt. Max. qui me præter meam ſpem roboravit, donec hunc diuturnum laborem ad finem perduxi. Ipſi ſit laus in ſecula. AMEN.

FINIS.

Digitized by Google

Sphalmata notabiliora.

PAg. 10. *b.* 30. tum. *p.* 14. *b.* 9. Iſai. 52. *p.* 15. *a.* 32. Sic. 23. *a.* 36. invocationi. *b.* 32. novorum. 24. *a.* 19. cor. *p.* 28. *b.* 19. adferat. 36. *b.* 5. laudemium. 46. *a.* 25. propriæ. & 28. ulciſcimur. 48. *b.* 2. refrænandam. 65. *b.* 30. auferunt. 67. *a.* antepenult. irritantur. porci. 79. *b.* 13. modum. 83. *a.* 17. non rectè. 87. *a.* 39. 111. 96. *a.* 17. dele non. 98. *b.* 34. μεμυημένος. 116. *a.* 5. ὑπαινίξεται. 131. *a.* 3. Joſuæ. 23. 136. *a.* 35. ibi. 146. *b.* 9. tribus. 148. *b.* 36. fore. 153. *b.* 18. ἐθελοθρησκιομάχησιν. 156. *a.* 36. merito. 157. *a.* 21. patientia. *b.* ult. dele ſi. 159. *a.* 6. Verax. 167. *b.* 1. an. 21. tempeſtivè. *p.* 169. *b.* ult. inſtinctum. 173. *b.* 23. Ephoros. 177. *a.* 26. propheraret. *b.* 14. profeſſores. 202. *a.* 34. Agag. 206. *b.* 13. votis. 217. *a.* 10. Non. 227. *a.* 28. ἀπαιδὴς. 232. *a.* 3. Sanè. 236. *a.* 29. Malach. 2. 6. 7. & *b.* 18. Nam. 244. *a.* 22. proximè. 264. *b.* 13. 1 Cor. 11. 267. *a.* 33. converſatione. 281. *b.* ult. 2 Reg. 6. 32. 320. *a.* 22. ſuffocatio cordis. 325. *b.* 11. uſu. 344. *b.* 6. kromboetige. & 35. detegentes. 354. *b.* 29. v. 9. 362. *b.* pen: & ult: quas, in. 384. *b.* 22. abuſui, ut. & 29. audiveritis. 388. 28. ut unum. 409. *b.* ult. Aut, Clerici. 417. *b.* 28. æquus. 419. *b.* 36. bekeert. & ult: prius. 423. *a.* 24. ut pro ne. 432. *b.* 35. Judæi. 445. *a.* 21. hi. 486. *a.* 18. nectamus. 495. *b.* 6. ridendum. 500. *a.* 25. terant. 506. *b.* 29. Verum. 510. *b.* 31. ſed. 518. *b.* 34. non magis. 521. *b.* 27. Jonæ. 524. *b.* 10. ſic. 535. *b.* 11. ad pertendendam.

Cætera ſua ſponte Lector prudens & æquus diſcernet.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google